






SIRMOND, JACQUES, S.J., 1559-1651.

HINCMARI
ARCHIEPISCOPI
REMENSIS

OPERVM TOMVS POSTERIOR.

OPVSCVLA ET EPISTOLAE.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Architypographi Regis & Reginæ regentis, ET GABRIELIS CRAMOISY. via Iacobæa, sub Ciconiis.

M. DC. XLV.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.



INDEX OPVSCVLORVM ET EPISTOLARVM

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

FRAGMENTA.

FLODOARDI presbyteri de primis duobus Hincmari Opusculis Testimonium, ex libro III. Hist. Ecclesiæ Remensis cap. XVIII.

I.

Scripsit præmemoratus domnus Hincmarus ad eundem regem Carolum Libellum ex sacris scripturis & catholicorum dictis collectum, ac triformi digestione distinctum. scilicet de persona regis & regio ministerio in causa reipublicæ, & quæ debeat esse discretio in misericordia, & de vltione specialium personarum. quem conclusit in capitulis XXXIII.

II.

Scripsit etiam ad præfatum Regem Instructionem vtillimam de cauendis vitiis & de exercendis virtutibus, mittens ei pariter epistolam beati Gregorij ad Recharedum Vvisigotorum regem.



HINCMARI ARCHIEPISCOPI REMENSIS OPVSCVLA ET EPISTOLAE,

ac primo loco

QVÆ AD REGES REGVMQVE INSTRVCTIONEM PRÆCIPVE SPECTANT.

I.

DE REGIS PERSONA ET REGIO MINISTERIO, ad Carolum Caluum Regem.

Nunc primùm editum ex Codice S. Remigij Remensis.

PRÆFATIO.

Domino glorioso fideliter deuotus, & deuotè fidelis.



OBAVDIENTES præceptum Domini per Prophetam iubentis, *Interroga sacerdotes legem meam*, super quibusdam capitulis me consulere vobis placuit. De quibus quoniam per se Veritas dicit, *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit*, dignum duxi non nudo meo sermone vobis respondere, sed quid in scripturis sacris & per catholicos Doctores inde loquatur Spiritus sanctus, quosdam odoriferos flosculos, vt reuera de agro pleno, scripturarum scilicet campo, cui benedixit Dominus, breuiter in vnum vobis colligere. Et sciens pollicitum, *Quod supererogaueris ego cùm rediero reddam tibi*, de his quæ regio ministerio vobis à Deo commisso competere vidi, quasi

Aggæi.2.12. Ioan.7.18. Luc.10.35.

Terent. in Andria. ſcintillas micantes lumini ſcientiæ veſtræ ſuperadieci. Quia verò, vt Comicus dicit, *Obſequium amicos, veritas odium parit*, & non aſſentatio, videlicet adulatio, Principi ac domino terræ placere debet, minimè autem ſacerdotem ſectari eam oportet, ſi quiddam mordaciùs dictum in ſententiis à me collectis de Regis perſona & regio miniſterio inueneritis, non contra vos quæſo, ſed pro vobis eas me collegiſſe putetis, quoniam aut talem in benignitate ac bonitate, ſicut ipſæ deſcribunt ſententiæ, vos eſſe & ſic agere ſcio, aut talem eſſe & ſic agere cupio. Huius autem libelli ſententiæ triformi ſunt collectione diſtinctæ. Primò quidem de perſona Regis & regio miniſterio in generali Reipublicæ cauſa. Deinde quæ debeat eſſe diſcretio in miſericordia, & de vltione ſpecialium perſonarum, quæ ſi exitialiter agentes aliter non potuerint corrigi, temporali morte præcipiuntur multari, quod à quibuſdam dicitur contradici. Tum quia Rex propter miniſterium regium, etiam nec quibuſcumque propinquitatis neceſſitudinibus, contra Deum ſanctámque Eccleſiam atque contra Rempublicam agentibus criminaliter, affectu carnali parcere debeat.

TITVLI CAPITVM.

CAPVT PRIMVM.

Quòd bonos reges Deus facit, malos permittit.

QVONIAM, vt scriptum est, *Domini est regnum, & cui voluerit dabit illud:* & sicut beatus Augustinus in libro de Bono perseuerantiæ dicit, Nihil fit nisi quod aut Deus facit, aut fieri iustè permittit,] cùm boni Reges regnant, sicut Dei gratia boni sunt, ita & Deo agente regnant, sicut ipse dicit, *Per me reges regnant*, & cùm mali Reges regnant, sicut mali sunt suo vitio, ita & regnare permittuntur diuino iudicio, interdum occulto, sed nunquam iniusto, sicut scriptum est, *Qui facit regnare hypocritam propter peccata populi.* Facit dictum est, ex iustitiæ retributione permittit, eo locutionis genere quo dicitur, *Indurauit Dominus cor Pharaonis.* Indurauit dictum est, per gratiam non molliuit, sed ex iustitiæ retributione indurari permisit. De quibus, qui non faciente sed Deo permittente regnant, Dominus per Prophetam queritur dicens, *Ipsi regnauerunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui.* Ex se, inquit Gregorius, & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam diuinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potiùs quàm adsequuntur: quos tamen internus iudex & prouehit, & non cognoscit, quia quos permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat.] De quibus Domino per Psalmistam dicitur, *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Dum alleuatur enim deiicitur, qui honoribus proficit, & moribus deficit. Iustus namque & misericors Dominus, mortalium acta disponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus, atque ea quæ permittit sic tolerat, vt hæc in sui consilij vsum vertat.

Psal. 21.19 Dan. 4.14 Cap. 6. Prou 8.15. Iob 34.30. Exod. 9.12. Osee 8.4. Pastoralis cap. 1. Psal. 72.18.

II. *Quòd populi felicitas sit Rex bonus, infelicitas rex malus.*

DE nomine Regis, & quæ sit felicitas populis sibi subiectis, si gratia Dei bonus Rex super eos regnauerit, & quæ sit infelicitas populis sibi subiectis, si malus suo vitio Rex super eos regnauerit, sanctus Cyprianus in libro de gradibus abusionum ostendit, Nomen, inquiens, Regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere po- Cap. 9.

terit, qui proprios mores ne iniqui ſint non corrigit? quoniam *In iuſtitia Regis exaltabitur ſolium, & in veritate ſolidabitur gubernaculum populorum.* Iuſtitia verò Regis eſt, neminem iniuſtè per potentiam opprimere, ſine perſonarum acceptione inter virum & proximum ſuum iuſtè iudicare, aduenis & pupillis & viduis defenſorem eſſe, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & hiſtriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes viuere non ſinere, Eccleſias defendere, pauperes eleemoſynis alere, iuſtos ſuper regni negotia conſtituere, ſenes & ſapientes & ſobrios Conſiliarios habere, magorum & ariolorum, pythoniſſarúmque ſuperſtitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & iuſtè contra aduerſarios defendere, per omnia in Deo confidere, proſperitatibus animum non eleuare, cuncta aduerſa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios ſuos non ſinere impiè agere, certis horis orationibus inſiſtere, ante horas con-
Eccli. 10. 16 gruas cibum non guſtare. *Væ enim terræ, cuius rex puer eſt, & cuius Principes manè comedunt.* Hæc regni proſperitatem in præſenti faciunt, & Regem ad cæleſtia regna meliora perducunt. Qui verò regnum non ſecundùm hanc legem diſpenſat, multas nimirum aduerſitates imperij tolerabit. Idcirco enim pax ſæpè populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno ſuſcitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & ſeruitia populorum præpediuntur, multi & varij dolores proſperitatem regni inficiunt, carorum & liberorum mortes triſtitiam conferunt, hoſtium incurſus prouincias vndique vaſtant, beſtiæ armentorum & pecorum greges dilacerant, tempeſtates veris & hyemis turbantur, terrarum quoque fœcunditatem & maris miniſteria prohibent, & aliquando fulminum ictus ſegetes & arborum flores & pampinos exurunt. Super omnia verò, Regis iniuſtitia non ſolùm præſentis imperij faciem fuſcat, ſed etiam filios ſuos & nepotes, ne
3. Reg. 12. & 16. poſt ſe regni hereditatem teneant obſcurat. Propter piaculum enim Salomonis regnum domus Iſrael Dominus de manu filiorum eius diſperſit, & propter iuſtitiam Dauid regis lucernam de ſemine eius ſemper in Hieruſalem reliquit. Ecce quantum iuſtitia regis ſæculo valet, intuentibus perſpicuè patet. Pax enim populorum eſt, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aëris, ſerenitas maris, terræ fœcunditas, ſolatium pauperum, hereditas filiorum, & ſibimetipſi ſpes futuræ beatitudinis. Attamen ſciat Rex, quòd ſicut in throno hominum primus conſtitutus eſt, ſic & in pœnis, ſi iuſtitiam non fecerit, primatum habiturus eſt. Omnes namque, quoſcumque peccatores ſub ſe in præſenti habuit, ſupra ſe modo implacabili in illa pœna futura habebit.]

III. *Magnæ potentiæ argumentum est recta administratio.*

QVOD ex bona administratione regiminis magna esse cognoscitur potentia temporalis, Magna est, inquit beatus Gregorius in libro Moralium, potentia temporalis, quæ habet apud Deum meritum suum de bona administratione regiminis. Bona est ordine suo potentia, sed cauta regentis indiget vita. Igitur bene hanc exercet, qui & retinere illam nouerit, & impugnare. Bene hanc exercet, qui scit per illam super culpas erigi, & scit cum illa ceteris æqualitate componi. Humana etenim mens plerumque extollitur, etiam cùm nulla potestate fulcitur: quãto magis in altum se erigit, cùm se ei etiam potestas adiungit? & tamen corrigendis aliorum vitiis apta executione præparatur. Vnde & per Paulum dicitur, *Minister enim Dei est, vindex in iram ei qui malè agit.* Cùm ergo potentiæ temporalis ministerium suscipitur, summa cura vigilandum est, vt sciat quisque & sumere ex illa quod adiuuat, & expugnare quod tentat. Teneamus ergo exteriùs quod pro aliorum vtilitate suscepimus, teneamus interiùs quod de nostra æstimatione sentimus. Sed tamen decenter quibusdam erumpentibus signis, tales nos apud nos esse ipsi etiam qui nobis commissi sunt non ignorent: vt & de auctoritate nostra quod formident videant, & de humilitate quod imitentur agnoscant. Seruata autem auctoritate regiminis, ad cor nostrum sine cessatione redeamus, & consideremus assiduè quòd sumus æqualiter cum ceteris conditi, non quòd temporaliter ceteris prælati. Potestas enim quantò exteriùs eminet, tantò premi interiùs debet, ne cogitationem vincat, ne in delectatione suî animum rapiat, ne iam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. Bene Dauid regni potentiam regere nouerat, qui elationem eiusdem potentiæ, semetipsum premendo vincebat, dicens, *Domine non est exaltatum cor meum.* quique in eius humilitatis augmento subiunxit, *neque elati sunt oculi mei*, atque addidit, *neque ambulaui in magnis.* & adhuc semetipsum subtilissima inquisitione discutiens ait, *neque in mirabilibus super me.* omnésque etiam cogitationes suas à fundo cordis exhauriens, subiungit, dicens, *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam.* Ecce humilitatis hostiam ab intimo cordis oblatam crebrò replicat, & iterum atque iterum confitendo offerre non cessat, eámque multipliciter loquens Iudicis sui oculis ostentat. Quid est hoc? & quomodo istud sacrificium Deo placere cognouerat, quod in conspectu eius tanta iteratione vocis immolabat? nisi quòd vicina esse superbia potentibus solet, & penè semper rebus affluentibus elatio sociatur, quia & sæpe humoris abundantia duritiam dat tumoris. Mirum verò est, cùm in cordibus sublimium regnat humilitas morum. Vnde pensandum est, quia potentes quique, cùm humiliter sapiunt, culmen

Lib. 26. Moral. cap. 19.
Rom. 13. 4.
Ibidem post alia.
Psal. 130.

extraneæ quasi longè positæ virtutis attingũt. Et rectè hac virtute Dominum quantociùs placant, quia illud ei sacrificium potentes offerunt, quod potentes vix inuenire possunt. Subtilissima namque ars viuendi est, culmen tenere, gloriam reprimere: esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire: ad largienda bona potentem se agnoscere, sed ad repetenda noxia omne quod potenter valet ignorare. Rectè itaque de
Iob.36.5. talibus dicitur, *Deus potentes non abiicit, cùm & ipse sit potens.* Deum quippe imitari desiderat, qui fastigium potentiæ, alienis intentus vtilitatibus, & non suis laudibus elatus, administrat: qui prælatus ceteris prodesse appetit, non præesse. Tumoris namque elatio, non ordo potestatis, in crimine est. Potentiam Deus tribuit, elationem verò potentiæ malitia nostræ mentis inuenit. Tollamus ergo quod de nostro contulimus, & bona sunt quæ Deo largiente possidemus.]

IV. *Quales sibi adhibere debeat Rex Consiliarios.*

Lib.2.c.17. QVALES sibi adhibere debeat rex consiliarios, Ambrosius in libris Officiorum, Talis, inquit, debet esse, qui consilium alteri dat, vt seipsum formam aliis præbeat ad exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, vt sit eius sermo salubris atque inreprehensibilis, consilium vtile, vita honesta, sa-
Ibidem. pientia decora. Talis igitur debet esse consiliarius, qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum, quod vitam eius ac mores refellat, nihil improbum ac maliuolum, quod auertat consulentes. Alia sunt enim quæ fugiuntur, alia quæ contemnuntur. Fugimus ea quæ possunt nocere, quæ malitiosè possunt in noxam serpere. vt si is qui consulitur dubia sit fide, & pecuniæ auidus, vt possit pretio mutari, si iniuriosus, hic fugitur ac declinatur: qui verò voluptarius intemperans, etsi alienus à fraude, tamen auarus & cupidior lucri turpis, hic contemnitur. Quod enim specimen industriæ, quem fructum laboris edere potest, quam recipere animo curam ac sollicitudinem, qui se torpori dederit at-
Cap.12. que ignauiæ?] Aduertimus igitur, quòd in acquirendis consiliis plurimùm adiungat vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vsus, frugalitatis gratia. Quis enim in cæno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? quis non despiciat morum conluuionem? quis vtilem causæ alienæ iudicet, quem inutilem suæ vitæ videt? Quis iterum improbum, maliuolum, contumeliosum non fugiat, & ad nocendum paratum? quis non eum omni studio declinet? quis verò quamuis instructum ad consilij opem, difficilem tamen accessu ambiat, in quo sit illud, tanquam si quis aquæ fontem præcludat? Quid enim prodest habere sapientiam, si consilium neges? Si consulen-

ſulendi intercludas copiam, clauſiſti fontem, vt nec aliis profluat, nec tibi proſit. Pulchrè autem & de illo conuenit, qui habens prudentiam, commaculat eam vitiorum ſordibus, eo quòd aquæ exitum contaminet, Degeneres animos vita arguit. Quomodo enim eum potes iudicare conſilio ſuperiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet eſſe, cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo, qui mihi det conſilium quod non det ſibi, & mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacet? cuius animum voluptates occupent, libido deuincat, auaritia ſubiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? quomodo hîc conſilij locus, vbi nullus quietis? Admirandus mihi & ſuſpiciendus conſiliarius, quem propitius Dominus patribus dedit, offenſus abſtulit.] Prudentiſſimo cuique Cap 9.
cauſam committimus noſtram, & ab eo conſilium promptiùs quàm à ceteris poſcimus. Præſtat tamen fidele iuſti conſilium, & ſapientiſſimi ingenio frequenter præponderat. Vtilia enim vulnera amici, quàm aliorum oſcula. Deinde quia iuſti iudicium eſt, ſapientis autem Cap. 10.
argumentum, in illo cenſura diſceptationis, in hoc calliditas inuentionis. Quòd ſi vtrumque connectas, erit magna conſiliorum ſalubritas, quæ ab vniuerſis ſpectatur admiratione ſapientiæ, & amore iuſtitiæ: vt omnes quærant audire ſapientiam eius viri, in quo vtriuſque virtutis copula ſit.] Ideo prudentia & iuſtitia in vnoquo- Cap. 8.
que deſideratur, & ea expectatur à pluribus, vt in quo ea ſint, illi deferatur fides, quòd poſſit vtile conſilium ac fidele deſideranti dare. Quis enim ei ſe committat, quem non putet plus ſapere quàm ipſe ſapiat qui quærit conſilium? Neceſſe eſt igitur vt præſtantior ſit à quo conſilium petatur, quàm ille eſt qui petit. Quid enim conſulas hominem, quem non arbitraris poſſe melius aliquid reperire quàm ipſe intelligis? Quòd ſi eum inueneris, qui viuacitate ingenij, mentis vigore atque auctoritate præſtet, & accedat eò, vt exemplo & vſu paratior ſit, præſentia ſoluat pericula, proſpiciat futura, denunciet imminentia, argumentum expediat, remedium ferat, in tempore paratus ſit, non ſolùm ad conſulendum, ſed etiam ad ſubueniendum, huic ita fides habetur, vt dicat qui conſilium petit, etſi mala mihi euenerint per illum, ſuſtineo. Huiuſmodi igitur viro ſalutem noſtram & exiſtimationem committimus, qui ſit, vt ſuprà diximus, iuſtus & prudens. Facit enim iuſtitia, vt nullus ſit fraudis metus: facit etiam prudentia, vt nulla erroris ſuſpicio ſit. Promptiùs tamen nos iuſto viro quàm prudenti committimus.] Pulchrum Lib. 1. Offic. cap 30.
eſt igitur bene velle, & eo largiri conſilio vt proſis, non vt noceas. Nam ſi luxurioſo ad luxuriæ effuſionem, adultero ad mercedem adulterij largiendum putes, non eſt beneficentia iſta, vbi nulla eſt beniuolentia. Officere enim iſtud eſt, non prodeſſe alteri. Si largiaris ei qui conſpiret aduerſus patriam, qui congregare cupiat tuo ſumptu perditos qui impugnent Eccleſiam, non eſt hæc probabilis

liberalitas. Si adiuues eum, qui aduersus viduam & pupillos graui decernit iurgio, aut vi aliqua possessiones eorum eripere conatur, non probatur largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat, si iniustè quærat, & iustè dispensandum putet: nisi fortè, vt ille Zachæus, reddas priùs ei quadruplum quem fraudaueris, & gentilitatis vitia fidei studio, & credentis operatione compenses. Fundamentum igitur habeat liberalitas tua. Hoc primum quæritur, vt cùm fide conferas, fraudem non facias oblatis.] Similiter & in consiliis agere debet consiliarius, quia est & in consilio maxima liberalitas.

Luc. 19.

V. *Nihil felicius quàm si regnent regnandi scientiam habentes.*

NIHIL felicius esse rebus humanis, quàm regnare miserante Deo scientiam regnandi habentes, ex libro Augustini de Ciuitate Dei. QVI vera pietate præditi bene viuunt, si habeant scientiam regendi populos, nihil felicius rebus humanis, quàm si Deo miserante habeant potestatem. Nos Christianos reges ideo felices dicimus, si iustè regnant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium, non extollunt, sed se homines esse meminerunt: si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum maiestati eius famulam faciunt: si Deum timent, diligunt, colunt, si plus amant illud regnum vbi non timent habere consortes, si tardiùs vindicant, facilè ignoscunt: si eandem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt: si eandem veniam, non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent: si quod asperè coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensant: si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior: si malunt cupiditatibus prauis, quàm quibuslibet gentibus imperare. Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter caritatem felicitatis æternæ: si pro suis peccatis humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos reges dicimus esse felices, interim spe, postea re ipsa potituros, cùm id quod expectamus aduenerit.

Lib. 5. c. 24.

VI. *Quòd vtile sit bonos Reges diu & longè latéque regnare.*

QVOD vtile sit his qui regnant, & quibus regnant, si boni sint, diu longè latéque regnare, idem in eodem libro beatus Augustinus demonstrat, dicens. Si verus Deus colatur, eíque sacris, veracibus, & bonis moribus seruiatur, vtile est vt boni longè latéque diu regnent, neque hoc tam ipsis quàm illis vtile est quibus regnant. Nam quantum ad ipsos pertinet, pietas & probitas eorum, quæ magna

Lib. 4 c. 3.

Dei dona sunt, sufficit eis ad veram felicitatem, qua & in ista vita bene agatur, & postea percipiatur æterna. In hac ergo terra regnum bonorum non tam illis præstatur, quàm rebus humanis. Malorum verò regnum magis regnantibus nocet, qui suos animos vastant scelerum maiore licentia. His autem, qui eis seruiendo subduntur, non nocet nisi iniquitas propria. Nam iustis quicquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. Proinde bonus etiam si seruiat liber est, malus autem etiamsi regnet seruus est, nec vnius hominis, sed quod est grauius, tot dominorum quot vitiorum. De quibus vitiis cùm ageret scriptura diuina, *A quo enim quis*, inquit, *deuictus est, huic seruus addictus est.* Remota itaque iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?] 2.Pet.2.19.

VII. *Belligerare & regnum dilatare sola bonos Reges impellit necessitas.*

Bella gerere, & dilatare regnum, bonos sola necessitate vocari, ex libro Augustini de Ciuitate Dei. Belligerare, & perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur felicitas, bonis necessitas. Sed quia peius esset vt iniuriosi iustioribus dominarentur, ideo non incongruè dicitur etiam ista felicitas. Sed proculdubio felicitas maior est, vicinum bonum habere concordem, quàm vicinum malum subiugare bellantem. Mala vota sunt optare habere quem oderis, vel quem timeas, vt possit esse quem vincas.] Lib.4.c.15.

VIII. *Regis studium in procinctu belli, & exhortatio ad milites.*

Formam regis, & exhortationem eiusdem erga milites in procinctu belli, Dominus, inquit Augustinus, per Moysem in Deuteronomio designat, dicens, *Non declinet*, inquit, *ad dexteram, nec ad sinistram.* Qui si bene direxerit vias suas, & studia sua coram eo qui est rex regum, necessariò pacatos regni sui fines possidebit. Vnde & illic mox subditur, *Vt longo regnet tempore super Israel.* Porrò, si præceptum custodierit, vt non declinet ad dexteram neque ad sinistram, fœdus securitatis & pacis de victoria lætus promerebitur. *Si exieris*, inquit Dominus, *ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatum & currus, & maiorem quàm tu habes aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est.* Bellum necessitas faciat, vt sopita discordia pax recuperari possit. Hoc ergo studio regi prælium gerendum est. Rex adpropinquante prælio, exercitui suo verba Iudæ ad medium deducere debet, quibus ait, *Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est.* Deut.17.20. Deut.20.1. 1.Mac.4.17.

IX. *Non peccasse eos qui Deo auctore bella gesserunt.*

NON peccasse eos, qui Deo auctore bella gesserunt, Augustinus in præfato libro. Quasdam exceptiones eadem ipsa diuina fecit auctoritas, vt liceat hominem occidi. Sed his exceptis, quos occidi iubet, siue data lege, siue ad personam pro tempore expressa iussione. Non autem ipse occidit qui ministerium debet iubenti, sicut adminiculum gladius vtenti. & ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est *Non occides*, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundùm eius leges, hoc est iustissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solùm non est culpatus crudelitatis nomine, verùm etiam laudatus nomine pietatis, quòd voluit filium nequaquam sceleratè, sed obedienter occidere. Et meritò quæritur, vtrum pro iussu Dei sit habendum, quòd Iephte filiam quæ patri occurrit occidit, cùm id se vouisset immolaturum Deo, quod ei redeunti de prælio victori primitùs occurrisset. Nec Samson aliter excusatur, quòd seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. His igitur exceptis, quos vel lex iusta generaliter, vel ipse fons iustitiæ Deus specialiter occidi iubet, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine tenetur.]

Lib. 1. de Ciuit. c. 21. — Exod. 20. 13 — Gen. 22. — Iudic. 11. — Iudic. 16. 30

X. *Quòd qui bella tractant, & sub armis militant, Deo non displicent.*

QVOD qui bella tractant, & sub armis militant, Deo non displiceant, item Augustinus ad Bonifacium. Noli existimare neminem Deo placere posse, qui in armis bellicis militat. In his erat sanctus Dauid, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium. In his etiam plurimi illius temporis iusti. In his erat & ille centurio, qui Domino dixit, *Non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate, habens sub me milites. & dico huic Vade, & vadit: & alio Veni, & venit: & seruo meo Fac hoc, & facit.* De quo & Dominus, *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.* In his erat & ille Cornelius, ad quem missus Angelus dixit, *Corneli, acceptæ sunt eleemosynæ tuæ, & exauditæ sunt orationes tuæ.* Vbi eum admonuit, vt ad beatum Petrum Apostolum mitteret, & ab illo audiret quæ facere deberet. ad quem Apostolum, vt ad eum veniret, etiam religiosum militem misit. In his erant & illi, qui baptizandi cùm venissent ad Ioannem sanctum Domini præcursorem, & amicum sponsi, de quo ipse Dominus ait, *In natis mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, & quæ-

Epist. 205. — Matt. 8. 8. — Act. 10. 5. — Matt. 11. 11.

ſiſſent ab eo quid facerent, ait eis: *Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum,* Non eos vtique ſub armis militare prohibuit, quibus ſuum ſtipendium ſufficere debere præcepit. Alij ergo pro vobis orando pugnant contra inuiſibiles inimicos: vos pro eis pugnando laboratis contra viſibiles barbaros. Vtinam vna fides eſſet in omnibus, quia & minus laboraretur, & faciliùs diabolus cum ſuis angelis vinceretur. Hoc ergo primum cogita, quandò armaris ad pugnam, quia virtus tua etiam ipſa corporalis donum Dei eſt. Sic enim cogitabis de dono Dei non facere contra Deum. Fides enim quando promittitur, etiam hoſti ſeruanda eſt contra quem bellum geritur, quanto magis amico pro quo pugnatur? Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas, vt liberet Deus à neceſſitate, & conſeruet in pace. Non enim pax quæritur vt bellum excitetur, ſed bellum geritur vt pax adquiratur. Eſto ergo etiam bellando pacificus, vt eos quos expugnas ad pacis vtilitatem vincendo perducas. *Beati enim pacifici,* ait Dominus, *quoniam filij Dei vocabuntur.* Si autem pax humana tam dulcis eſt pro temporali ſalute mortalium, quanto eſt dulcior pax diuina pro æterna ſalute Angelorum? Itaque hoſtem pugnantem neceſſitas perimat, non voluntas. Sicut rebellanti & reſiſtenti violentia redditur, ita victo vel capto miſericordia iam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur.] Et Hieronymus, Legimus in libro Paralipomenon filios Iſraël ad pugnam iſſe mente pacifica, quia non pro vincendi libidine ſed pro adquirenda pace pugnabant.]

Luc.3.14. Matt.5.9.

XI. *Militem poteſtati obedientem non peccare ſi hominem occidat.*

MILITEM poteſtati ſub qua eſt obedientem non peccare ſi hominem occidat, Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei. Miles, cùm obediens poteſtati, ſub qua legitimè conſtitutus eſt, hominem occidit, nulla ciuitatis ſuæ lege reus eſt homicidij: imo niſi fecerit, reus eſt imperij deſerti atque contempti. Quod ſi ſua ſponte atque auctoritate feciſſet, crimen effuſi humani ſanguinis incidiſſet. Itaque vnde punitur ſi feciſſet iniuſſus, inde punietur niſi fecerit iuſſus. Quod ſi ita eſt iubente rege, quanto magis iubente Creatore? Qui ergo audit non licere ſe occidere, faciat ſi iuſſit cuius non licet iuſſa contemnere. Tantummodo videat vtrum diuina iuſſio nullo nutet incerto. Nos per autem conſcientiam conuenimus, occultorum nobis iudicium non vſurpamus. nemo ſcit quid agatur in homine, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt.]

Lib.1.cap. XXVI.

XII. *Victoriam in bello per Omnipotentem dari cui voluerit.*

VICTORIAM in bello ab Omnipotente per Angelum ſuum cui

voluerit & cui iusserit dari, Augustinus in libro de Ciuitate Dei Lib.4.c.17. demonstrat dicens, Victoriam omnipotens mittit, atque illa tanquam regi Deorum obtemperans ad quos iusserit venit, & in eorum parte considit. Hoc verè de illo vero rege sæculorum dicitur, quòd mittat non victoriam, quæ nulla substantia est, sed Angelum suum, & facit vincere quem voluerit. Cuius consilium occultum esse potest, iniquum non potest.]

XIII. *Deum quando pugnatur adstare, & iustæ parti victoriam præparare.*

QVANDO pugnatur, Deum apertis cælis adstare, & iustæ parti Epist.205. victoriam præstare, nihílque de propriis viribus præsumendum, Augustinus in epistola ad Bonifacium demonstrat, dicens, Vtile tibi tuísque dabo consilium. Arripe manibus arma, oratio aures pulset auctoris, quia quando pugnatur, Deus apertis cælis spectat, & partem quam inspicit iustam, ibi dat palmam. Nihil de viribus propriis præsumas, de auctore gloriare virtutum, & nullum curabis penitùs inimicum.]

XIV. *Quòd non pro paucitate diffidendum, si Dominus cum bellatoribus fuerit.*

QVOD non in multitudine fidendum, nec pro paucitate diffidendum in bello sit, si Dominus cum bellatoribus fuerit, & famosissimum bellum per Gedeonem Domino disponente actum, & li- Lib.II. cap.II. bri Machabæorum, & historia Orosij demonstrat, in qua scriptum est. Xerxes Rex Persarum septingenta milia armatorum de regno, & trecenta de auxiliis, rostratas etiam naues mille ducentas, onerarias autem tria milia numero habuisse narratur, vt meritò inopinato exercitui immēsæque classi, vix ad potum flumina, vix terras ad ingressum, vix maria ad cursum suffecisse memoratum sit. Huic tam incredibili temporibus nostris agmini, cuius numerum nunc difficilius est adstrui, quàm tunc fuit vinci, Leonida rex Spartanorum cum quatuor milibus hominum in angustiis Thermopylarum obstitit. Xerxes autem, contemptu paucitatis obiectæ, iniri pugnam, conseri manum imperat, ac per triduum continuum non duorum pugna, sed cædes vnius populi fuit. Quarto autem die cùm videret Leonida vndique hostem circumfundi, hortatur auxiliares socios, vt subtrahentes se pugnæ in cacumen montis euadant, ac se ad meliora tempora reseruent: sibi verò cum Spartanis suis aliam sortem esse subeundam, plus se patriæ debere quàm vitæ. Dimissis sociis Spartanos admonet de gloria plurimum, de vita nihil sperandum: neque expectandum vel hostem, vel diem, sed occasione noctis perrumpenda

castra, commiscenda arma, conturbanda agmina fore. Nusquàm victores honestiùs quàm in castris hostium esse perituros. Persuasi igitur mori malle, in vltionem futuræ mortis armantur, tanquam ipsi interitum suum & exigerent & vindicarent. Mirum dictu, sexcenti viri castra sexcentorum millium irrumpunt. Tumultus totis castris oritur. Persæ quoque ipsi Spartanos mutuis suis cædibus adiuuāt. Spartani quærentes regem, nec inuenientes, cædunt sternúntque omnia, castra peruagantur vniuersa, & inter densas strues corporum raros homines vix sequuntur, victores sine dubio nisi mori elegissent.]

XV. *Quòd pro iis qui in bello ceciderunt oblationes offerri debeant.*

QVOD pro his qui in bello fideliter bellantes ceciderunt, oblationes eleemosynarum, orationum, & sacræ hostiæ fiducialiter offerri debeant, Scriptura demonstrat dicens, *Vir fortissimus Iuda, conlatione facta, duodecim milia drachmas argenti misit Hierosolymam offerre ea ibi pro peccatis mortuorum, iustè & religiosè cogitans de resurrectione,* vt multi dicerent vanum & superfluum esse offerre pro mortuis. *Considerauit enim quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio, offerre sacrificium pro defunctis, vt à peccatis soluantur.*] 2. Mac. 12. 43.

XVI. *Quòd reges regum Domino seruiant, etiam leges dando pro ipso.*

QVOD non solùm in his, quæ præmisimus, reges regi regum seruiant Domino, sed & leges dando pro ipso, Augustinus in Epistola ad Bonifacium demonstrat, dicens, Seruiant, inquit, reges terræ Christo, etiam leges ferendo pro Christo. Quomodo ergo reges Domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra Domini iussa fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia etiam rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter: quia verò etiam rex est, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo. Sicut seruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa 4. Reg. 18. 4
excelsa, quæ contra Dei præcepta fuerunt constructa, destruendo. Si- 4. Reg. 25. 4
cut seruiuit Iosias, talia & ipse faciendo. Sicut seruiuit rex Nineui- Ionæ 3. 6.
tarum, vniuersam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut seruiuit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dan- Dan. 14. 21.
do, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut seruiuit Nabucho- Dan. 3. 96.
donosor, omnes in regno suo positos à blasphemando Deum lege terribili prohibendo. In hoc itaque seruiunt Domino reges, in quantum sunt reges, cùm ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi reges.]

Epist. 1.

XVII. *Quòd ad iustitiæ obseruationem etiam compellendum sit.*

QVOD ad iustitiæ obseruationem etiam compellendum sit, Augustinus ad Vincentium demonstrat dicens, Putas, inquit, nemi-
Epist.48. Non longè à princip. nem debere cogi ad iustitiam, cùm legas patremfamilias dixisse ser-
Luc.14.23. uis, *Quoscumque inueneritis cogite intrare?* cùm legas etiam ipsum pri-
Act.9.5. mò Saulum, postea Paulum, ad cognoscendam & tenendam veritatem magna violentia Christi cogentis esse compulsum? Et putas nullam vim adhibendam esse homini, vt ab erroris pernicie liberetur, cùm ipsum Dominum, quo nemo nos vtiliùs diligit, certissi-
Ioan.6.44. mis exemplis hoc facere videas, & Christum audias dicentem, *Nemo venit ad me, nisi quem pater attraxerit?* Quod fit in cordibus omnium, qui se ad Deum diuinæ iracundiæ timore conuertunt. Quicquid verò facit vera & legitima mater Ecclesia, etiamsi asperum amarúmque sentiatur, non malum pro malo reddit, sed bonum dis-
Post alia multa. ciplinæ expellendo malum iniquitatis apponit.] Vides igitur non esse considerandum quòd quisque cogitur, sed quale sit illud quo cogitur, vtrum bonum an malum. non quo quisque bonus esse possit inuitus: sed timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur agnoscere veritatem, vt timens vel respuat falsum de quo contendebat, vel quærat verum quod nesciebat, & volens iam teneat quod nolebat. Non enim bonum hominis est hominem vincere, sed bonum est homini vt eum veritas vincat volentem, quia malum est homini, vt eum veritas vincat inuitum. Nam ipsa vincat necesse est, siue negantem, siue confitentem.] De hac salubri coactione & beatus Gregorius in Homilia trigesima sexta more suo dulcissimè & abundantissimè dicit. Quæ quia notissima & vsu lectionis trita sunt, & ne prolixior foret sententia, hîc prætermittere censui.

XVIII. *Quòd Christo seruiat qui improbos corripit amore iustitiæ.*

QVIA etiam disciplinam exercendo in improbos & peruersos, non odij sui rancore, vel vindictæ suæ liuore, sed amore iustitiæ & diuinæ vindictæ Christo seruiat, idem beatus Augustinus
Epist 48. ad Vincent. ante mediū demonstrat dicens, Quando veritas prædicatur errantibus, cordatis
Rom.13.2. vtilis admonitio est, insensatis inutilis afflictio. *Non est autem potestas nisi à Deo. Qui autem resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Principes enim non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Siue enim potestas veritati fauens aliquem corrigat, laudem habet ex illa qui fuerit emendatus: siue inimica veritati in aliquem sæuiat, laudem habet ex illa

qui victor fuerit coronatus.] In disciplina nostra non tam quæritur vtrum pius animus irascatur, sed quare irascatur, nec vtrum sit tristis, sed vnde sit tristis, nec vtrũ timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti vt corrigatur, contristari pro afflicto vt liberetur, timere periclitanti ne pereat, nescio vtrum quisquam sana consideratione reprehendat. Nam & misericordiam Stoicorum est solere culpare, sed quanto honestiùs ille Stoicus misericordia perturbaretur hominis liberandi, quàm timore naufragij? Longè meliùs, & humaniùs, & piorum sensibus accommodatiùs Cicero in Cæsaris laude locutus est, vbi ait: De virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordia est. Quid est autem misericordia, nisi alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio, qua vtique si possumus subuenire compellimur? Seruit autem motus iste rationi, quando ita præbetur misericordia vt iustitia conseruetur, siue cùm indigenti tribuitur, siue cùm ignoscitur pœnitenti.]

Lib. IX. de Ciuit. c. 5.

Pro Ligario.

XIX. *De discretione in habenda misericordia.*

ITEM de discretione in habenda misericordia, Ambrosius in expositione Psalmi centesimi decimi octaui. Est iusta misericordia, & est etiam iniusta misericordia. Denique, in lege scriptum est de quodam, *Non misereberis illius.* & in libris Regnorum legis, Quia Saul propterea contraxit offensam, quia miseratus est Agag hostium regem, quem prohibuerat sententia diuina seruari. Vt si quis latronis filiis deprecantibus motus, & lacrymis coniugis eius inflexus, absoluendum putet, cui adhuc latrocinandi adspiret affectus, nonne innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem? Certè si gladium reprimit, vincla dissoluit, cur laxat exilio? cur latrocinandi qua potest clementiore via non eripit facultatem, qui voluntatem extorquere non potuit? Deinde inter duos, hoc est accusatorem & reum, pari periculo de capite decernentes, alterum si non probasset, alterum si non esset ab accusatore conuictus, non id quod iustitiæ est iudex sequatur, sed dum miseretur rei, damnet probantem, aut dum accusatori fauet qui probare non possit, addicat innoxium. Non potest igitur hæc dici iusta misericordia. In ipsa Ecclesia, vbi maximè misereri decet, teneri quammaximè debet forma iustitiæ, ne quis à consortio communionis abstentus, breui lacrymula, atque ad tempus parata, vel etiã vberioribus fletibus, communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, facilitati sacerdotis extorqueat. Nonne cùm vni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium prouocari? Facilitas enim veniæ incentiuum tribuit delinquendi. Hoc eo dictum est, vt sciamus secundùm verbum Dei, secũdùm rationem dispensandam esse misericordiam debitoribus. Medicus ipse, si serpentis interiùs inueniat vulneris cicatri-

Oct. VIII.

Deut. 19. 13.

1. Reg. 15.

cem, cùm debeat resecare vlceris vitium ne latiùs serpat, tamen à secandi vrendíque proposito lacrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro aperiendum fuit, nonne ista inutilis misericordia est, si propter breuem incisionis vel exustionis dolorem, corpus omne tabescat, vitæ vsus intereat? Rectè igitur & sacerdos vulnus, ne latiùs serpat, à toto corpore Ecclesiæ quasi bonus medicus debet abscidere, & prodere virus criminis quod lateat, non fouere, ne dum vnum excludendum non putat, plures dignos faciat quos excludat ab Ecclesia. Iure ergo Apostolus diuino nos hortatur exem-
Rom.11.22. plo dicens, *Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate.*]

XX. *Cui licitè ignoscere liceat Principi vel iudici.*

Cvi ergo licitè ignoscere liceat Principi vel iudici, sub iusto & misericordi Iudice, qui conuertenti & pœnitenti ignoscit, beatus
Ho. xxxii. in princip. Gregorius in Homilia Euangelij demonstrat, Ecce, inquiens, qui superbus fuit, si conuersus ad Christum humilis factus est, semetipsum reliquit. Si luxuriosus quisque ad continentiam vitam mutauit, abnegauit vtique quod fuit. Si auarus quisque ambire iam desiit, & largiri didicit propria qui priùs aliena rapiebat, proculdubio semetipsum reliquit. Ipse quidem est per naturam, sed non est ipse per
Prou.12.7. malitiam. Hinc enim scriptum, *Verte impios, & non erunt.* Conuersi namque impij non erunt, non quia non erunt omnino in essentia, sed scilicet non erunt omnino in impietatis culpa. Tunc ergo nosmetipsos relinquimus, tunc nosmetipsos abnegamus, cùm vitamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur quod per nouitatem vocamur. Pensemus quomodo se Paulus abnegauerat, qui dice-
Gal.2.20. bat, *Viuo autem iam non ego.* Extinctus quippe fuerat sæuus ille persecutor, & viuere cœperat prædicator pius. Si enim ipse esset, pius profectò non esset. Sed qui se viuere denegat, dicat vnde est, quod sancta verba per doctrinam veritatis clamant. protinus subdit: *Viuit verò in me Christus.* Ac si apertè dicat, Ego quidem à meipso extinctus, quia carnaliter non sum, quia in Christo spiritaliter viuo.
Matt.16.24. Dicat ergo veritas, dicat: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est non adpropinquat: nec valet adprehendere quod vltra ipsum est, si nescierit mactare quod est.] Sed fortè quis dicat, Quomodo sciam, si se quis cui pepercero correxit, & in correctione permanserit? Redeat hæc inquiens ad sententiam Domini, vt si Euangelicè & secundò ac tertiò correptus non se correxerit, qui ab illo sicut ethnicus & publicanus haberi præcipitur, legis seueritatem à Principe necesse est sustinere cogatur, ne qui sibi consulere noluit, in pace viuere volentibus nocere possit. At si quis huic capitulo obiicere

voluerit, quòd Dominus peccanti in nobis non solùm septies, sed & septuagies septies dimitti præceperit, sciat hoc de nostris, non de diuinis præceptum esse iniuriis. quia vt Prosper de verbis beati Augustini in libro sententiarum dicit, Peccata siue parua siue magna impunita esse non possunt, quia aut homine pœnitente, aut Deo iudicante plectuntur. Cessat autem vindicta diuina, si conuersio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos qui semetipsos iudicant non iudicare.]

Sententia ccx.

XXI. *Timeat Princeps ne scelerati cuiusquam muneribus vel adulationibus decipiatur.*

TIMEATQVE princeps quod in Regum Historia legitur, ne muneribus vel blanditiis cuiusquam scelerati pelliciatur, vel adulationibus decipiatur. *Benadab*, inquit, *fugiens ingressus est ciuitatem in cubiculo quod erat intra cubiculum. Dixerúntque ei serui sui, Ecce audiuimus quòd reges domus Israel clementes sint. Ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad regem Israel. forsitan saluabit animas nostras. Accinxerunt saccis lumbos suos, & posuerunt funiculos in capitibus suis, venerúntque ad regem Israel, scilicet Achab, & dixerunt, Seruus tuus Benadab dicit, Viuat oro te anima mea. Et ille ait, Si adhuc viuit, frater meus est. Quod acceperunt viri pro omine. & festinantes rapuerunt verbum ex ore eius, atque dixerunt, Frater tuus Benadab. Et dicit eis, Ite, adducite eum. Egressus est ergo ad eum Benadab, & leuauit eum in currum suum, qui dixit ei, Ciuitates, quas tulit pater meus à patre tuo, reddam, & plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, & ego fœderatus recedam à te. Pepigit ergo fœdus, & dimisit eum. Tunc vir quidam de filiis Prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini, Percute me. At ille noluit percutere. Cui ait, quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo. Cúmque paululum recessisset ab eo, inuenit eum leo, atque percussit. Sed & alterum inueniens virum, dixit ad eum, Percute me. Qui percussit eum, & vulnerauit. Abiit ergo Propheta, & occurrit regi in via, & mutauit aspersione pulueris os & oculos suos. Cúmque transiret, clamauit ad regem, & ait, Seruus tuus egressus est ad præliandum cominus. Cúmque fugisset vir vnus, adduxit eum quidam ad me, & ait, Custodi virum istum: qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes. Dum autem ego turbatus huc illúcque me verterem, subitò non comparuit. Et ait Rex Israel ad eum. Hoc est iudicium tuum, quod ipse decreuisti. At ille statim abstersit puluerem de facie sua, & cognouit eum rex Israel, quòd esset de Prophetis. Qui ait ad eum, Hæc dicit Dominus, quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.]*

3.Reg.20. 30.

XXII. *Cauendum Principibus, ne ſceleratorum amicitiis coniungantur.*

SED & cauendum eſt principibus, ne etiam huiuſmodi ſceleratorum amicitiis coniungantur, vel huiuſmodi in familiaritatem ſuſcipiant. Malorum, inquit beatus Gregorius, cùm incautè amicitiis coniungimur, culpis ligamur. Vnde Ioſaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab regis amicitiis penè periturus increpatur. Cui à Domino per Prophetam dicitur, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inuenta ſunt in te, eo quòd abſtuleris lucos de terra Iuda.* Ab illo enim qui ſummè rectus eſt, eo ipſo iam diſcrepat, quo peruerſorum amicitiis vita noſtra concordat.] Hinc Dauid, dum totum ſe ad fœdera pacis internæ conſtringeret, teſtatur quòd cum malis concordiam non timeret, dicens, *Nonne qui te oderunt Deus oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi.* Inimicos etiam Dei perfecto odio odiſſe eſt, ad quod facti ſunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorum premere, vitæ prodeſſe.

Paſtoral. Part. III. cap. XXIII. — 2. Paral. 19. 2. — Pſal. 138. 21.

XXIII. *Quòd ſancti viri ad incutiendum metum reos morte iure punicerint.*

QVIA enim ſancti viri, non ſolùm talium amicitias vitauerunt, ſed ad incutiendum viuentibus metum, etiam iure reos morte punierunt, ſicut B. Auguſtinus in libro de Sermone Domini in monte demonſtrat, dicens, Magni & ſancti viri, qui iam optimè ſcirent mortem iſtam, quæ animam diſſoluit à corpore, non eſſe formidandam, ſecundùm eorum tamen animum qui illam timerent, nonnulla peccata morte punierunt, quo & viuentibus vtilis metus incuteretur, & illis qui morte puniebantur, non ipſa mors noceret, ſed peccatum, quod augeri poſſet ſi viueret. Non temerè illi iudicabant, quibus tale iudicium donauerat Deus. Inde eſt quòd Helias multos morte affecit, & propria manu, & igne diuinitus impetrato, cùm & alij multi, & diuini magni viri eodem ſpiritu tranquillandis rebus humanis non temerè fecerint. De quo Helia cùm exemplum dediſſent diſcipuli Domino, commemorantes quod ab eo factum ſit, vt etiam ipſis daret poteſtatem petendi de cælo ignem, ad conſumendos eos qui ſibi hoſpitium non præberent, reprehendit in eis Dominus, non exemplum Prophetæ ſancti, ſed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus, animaduertens eos non amore correptionem, ſed odio deſiderare vindictam. Itaque poſteaquàm eos docuit quid eſſet diligere proximum tanquam ſeipſum, infuſo

Lib. I. c. 20. — 4. Reg. 10. — Luc. 9. 54.

etiam Spiritu sancto, quem decem diebus completis post ascensionem suam desuper vt promiserat misit, non defuerunt tales vindictæ, quamuis multò rariùs quàm in veteri Testamento. Ibi enim ex maiore parte seruientes timore premebantur: hîc autem maxima dilectione liberi nutriebantur. Nam & verbis Apostoli Petri, Ananias & vxor eius, sicut in Actibus Apostolorum legimus, exanimes ceciderunt, nec resuscitati sunt, sed sepulti. Et si huic libro hæretici, qui aduersantur & veteri Testamento, nolunt credere, Paulum Apostolum quem nobiscum legunt intueantur, dicentem de quodam peccatore, *Quem tradidi Satanæ in interitum carnis, vt anima salua sit.* Et si nolunt hîc mortem intelligere, (fortasè enim incertum est) quamlibet vindictam per satanam factam ab Apostolo fateantur, quòd non eam odio sed amore fecisset, manifestat illud adiectum, vt anima salua sit. Aut in illis libris, quibus ipsi magnam tribuunt auctoritatem, animaduertant quod dicimus, vbi scriptum est, Apostolum Thomam imprecatum cuidam, à quo palma percussus esset, atrocissimæ mortis supplicium, animam eius tamen commendauit, vt in futuro ei sæculo parceretur. cuius à leone occisi à cetero corpore discerptam manum canis intulit mensis, in quibus conuiuabatur Apostolus. Cui scripturæ licet nobis non credere. Non enim est in catholico canone: illi tamen eam & legunt, & tanquam incorruptissimam verissimámque honorant, qui aduersus corporales vindictas, quæ sunt in veteri Testamento, nescio qua cæcitate acerrimè sæuiunt, quo animo & qua distributione temporum factæ sunt omnino nescientes. Tenebitur ergo in hoc iniuriarum genere, quod per vindictam luitur, iste à Christianis modus, vt accepta iniuria non surgat in odium, sed infirmitatis misericordia paratus sit animus plura perpeti, nec correptionem negligat, qua vel consilio, vel auctoritate, vel potestate vti potest.]

Act. 5. 5. & 10.

1. Cor. 5. 5.

XXIV. *Quòd occidere hominem non semper criminosum sit.*

QVOD occidere hominem non semper criminosum sit, sed malitia non legibus occidere criminosum sit, quia non factum in talibus, quoniam interdum & rectè fit, sed animus malè consulens damnetur, Augustinus in libro de Ciuitate Dei demonstrat dicens, Si quis bonum putauerit esse quod malum est, & fecerit hoc putando, vtique peccat, & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque bene fieri putat quod malè fit. De occidendis hominibus, ne ab eis quisquam occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro ciuitate, vbi etiam ipse est, accepta legitima potestate, si eius congruit personæ. Qui verò repelluntur aliquo terrore ne malè faciant, etiam ipsis aliquid fortasè præstatur. Hinc autem di-

Matt. 5. 39. ctum est, *Non resistamus malo*, ne nos vindicta delectet, quæ alieno malo animum pascit, non vt correctionem hominum negligamus.

XXV. *Regem iniquorum correctorem esse oportere.*

De abusionibus sæculi cap. 9. HINC sanctus Cyprianus in nono abusionis gradu dicit, Regem correctorem iniquorum esse oportet. debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes viuere non sinere.] & item idem, Cap. XI. Vndecimus gradus abusionis est plebs sine disciplina, quæ dum disciplinæ exercitationibus non seruit, Deum absque disciplinæ rigore non euadit. Sicut enim tunica totum corpus tegitur præter caput, ita disciplina omnis Ecclesia præter Christum, quia Ecclesia & sub disciplina eius protegitur & ornatur. Ipsa verò tunica contexta desuper fuerat per totum, quia eidem Ecclesiæ disciplina à Domino de cælo tribuitur, & integratur. Tunica enim corporis Christi disciplina Ecclesiæ est. Qui autem extra disciplinam est, alienus à corpore Christi est. Non scindamus igitur illam, sed sortiamur de illa. Non soluamus quicquam de mandatis Christi, sed vnusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat apud Deum.]

XXVI. *Quòd propter vindictam noxiorum gladius Principi à Deo permissus est.*

Epist. II. sub mediũ. ET hinc sanctus Innocentius ad Exsuperium Tolosanum Episcopum in Decretis suis, Quæsitum est, inquit, super his qui post baptismum administrauerunt, & aut tormenta sola exercuerunt, aut etiam capitalem protulere sententiam. De his nihil legimus à maioribus definitum. Meminerant enim à Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei ministrum esse datum in huiusmodi vindicem. Quomodo igitur reprehenderent factum quod auctore Domino viderent esse concessum? De his ergo ita vt hactenus seruatum est sic habemus, ne aut disciplinam euertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Ipsis autem in ratione reddenda gesta sua omnia seruabuntur.

XXVII. *Quòd leges à Principe iusto sunt in quolibet vindicandæ.*

Epist. II. ad Exsuperiũ. ITEM idem sanctus Innocentius in Decretis suis ad eundem, Illud, inquit, sciscitari voluisti, an preces dictantibus liberum concedatur, vtique post baptismi regenerationem, à principibus poscere mortem alicuius, vel sanguinem de reatu: quam rem principes nun-

quam ſine conditione concedunt, ſed ad iudices commiſſa ipſa vel crimina ſemper remittunt, vt cauſa cognita vindicentur quæcumque quæſitori fuerint delegata. aut abſolutio, aut damnatio pro negotij qualitate profertur, & dum legum in impios exercetur auctoritas, erit dictator immunis.] Et hinc ſanctus Cyprianus, Duodecimus, inquit, abuſionis gradus eſt populus ſine lege, qui dum edicta & legum ſcita contemnit, per diuerſas errorum vias eundo perditionis laqueum incurrit. Vtique multæ perditionis viæ tunc inceduntur, cùm vna regalis via, lex Dei videlicet, quæ neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinat, per negligentiam deſeritur. Igitur populus ſine lege, populus ſine Chriſto eſt. Non fiamus ergo ſine Chriſto in hoc tempore tranſitorio, ne ſine nobis Chriſtus eſſe incipiat in futuro.] Et Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia dicit, *Per me reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt.* Et ſanctus Auguſtinus in libro de vera Religione leges principum ſeruandas oſtendit, In iſtis, inquiens, temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent cùm eas inſtituunt, tamen cùm fuerint inſtitutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipſis iudicare, ſed ſecundùm ipſas.] Igitur aut à populo promulgatæ iuſtæ leges ſeruandæ, aut à principe iuſtè ac rationabiliter ſunt in quolibet vindicandæ.

Lib. de abuſionibus ſæculi c. 12.

Prou. 8. 15.

Cap. xxi.

XXVIII. *Quòd his qui pro ſuis criminibus puniendi ſunt miſericordia interdum indulgenda.*

QVOD etiam his, qui pro ſuis ſceleribus puniendi ſunt, ſi in tempore neceſſitatis, & periculi vrgentis inſtantia, vel in vltimo ſpiritu, præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis petierint, nec ſatisfactio interdicenda ſit, nec reconciliatio deneganda, & ſacri canones, & decreta Sedis Apoſtolicæ, auctoritate ſacra, Euangelica, & Apoſtolica, & Prophetica patenter oſtendunt, quia miſericordiæ Dei nec modum poſſumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confeſſio, dicente Dei ſpiritu per Prophetam, *Mox vt ingemueris, ſaluus eris.* & item, *Dic prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris, quia apud Dominum eſt miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.*

XXIX. *Quòd rex propinquis ſuis peruersè agentibus affectu carnali parcere non debeat.*

QVÒD rex propter miniſterium regium, etiam nec quibuſcumque propinquitatis neceſſitudinibus, contra Deum, ſanctámque Eccleſiam, atque rempublicam peruerſè agentibus, affectu carnali parcere debeat, ex verbis Domini dicentis, *Qui non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & ani-*

Luc. 14. 26.

Ho. xxxvi. in princip. *mam suam, non potest meus esse discipulus*, in Homilia Euangelij beatus Gregorius demonstrat dicens, Si vim præcepti perpendimus, vtrumque agere per discretionem valemus, vt eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouerimus, & quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur, qui carnaliter sapiens dum praua nobis ingerit non auditur. Vt autem Dominus demonstraret hoc erga proximos odium non de inaffectione procedere, sed de caritate, addidit protinus dicens, *adhuc autem animam suam.* Odisse itaque præcipimur proximos, odisse & animam nostram. Constat ergo quia amando debet odisse proximum, qui sic eum odit sicut semetipsum. Tunc etenim benè nostram animam odimus, cùm eius carnalibus desideriis non adquiescimus, cùm eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur, quasi per odium amatur. Sic sic nimirum exhibere proximis nostris odij discretionem debemus, vt in eis & diligamus quod sunt, & habeamus odio quòd
Post pauca. in Dei nobis itinere obsistunt. Ab hac ergo discretione odij nostri, trahamus formam ad odium proximi. Ametur quilibet in hoc mundo aduersarius, sed in via Dei contrarius non ametur, etiam propinquus. Quisquis enim iam æterna concupiscit, in ea quam adgreditur causa Dei, extra patrem, extra matrem, extra vxorem, extra filios, extra cognatos, extra semetipsum fieri debet, vt eo veriùs cognoscat Deum, quo in eius causa neminem recognoscit. Multum namque est, quòd carnales affectus intentionem mentis diuerberant, eiúsque aciem obscurant. Quos tamen nequaquam noxios patimur, si eos premendo teneamus. Amandi ergo sunt proximi, impendenda caritas omnibus, & propinquis, & extraneis, nec
Post alia. tamen pro eadem caritate à Dei amore flectendum. Sic nimirum fideles quique esse intra sanctam Ecclesiam debent, vt compatiantur proximis per caritatem, & tamen de via Dei non exorbitent per compassionem.] Hinc sanctus Ioannes Chrysostomus de verbis Euangelij secundum Matthæum, *Si oculus tuus dexter scandalizat te, eiice eum & proiice abs te.* Quòd si de membris ista loqueretur, nequaquam de vno, vel de dextro id oculo, sed indifferenter de vtroque dixisset. Qui enim dextro scandalizatur oculo, haud dubium quin id ipsum patiatur etiam de sinistro. Quam igitur ob causam & oculum dextræ partis? Vt scilicet disceres, non de membris esse sermonem, sed de his potiùs qui nobis familiaritate iunguntur. Et si igitur tantùm aliquem diligas, vt eo oculi vtaris vice, aut ita tibi quempiam esse vtilem putes, vt illum dextræ manus ducas loco, & hi tamen animæ tuæ fortassis incommodant, etiam istos, inquit, à te abscide. & diligentiùs vim ipsam sermonis examina. Non enim dixit, à talium societate discede, sed maximam separationem indicans, *Erue*, inquit, *ac proiice.* Deinde quia satis seuera præceperat, lucrum ex vtro-

Hom. xvii. Matt. 5. 29.

troque ipſius ſeueritatis oſtendit, tranſlationem verbi tam in bonorum quàm in malorum etiam parte ſeruando. *Expedit enim tibi*, inquit, *vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Cur enim Paulus optabat anathema fieri? Non vtique vt nihil inde lucri caperet, ſed vt alios adquireret in ſalutem. Hîc verò, id ipſum enim, etiam de cauſa reprobi fratris intellige. Vtrique noxius eſt, & idcirco non ait, erue tantummodò, ſed & *proiice*, inquit, *abs te*, vt eum nunquam recipias vlteriùs, ſi qualis fuerat perſeuerat. Hoc enim modo & illum maiore crimine liberabis, & te à perditione ſaluabis. Vt autem manifeſtiùs commodum iſtius legis aſpicias, ſi placet etiam in corpore iuxta cauſam id quod dictum eſt requiramus. Si enim daretur electio, vnúmque eſſet neceſſarium de duobus, videlicet aut cum ambobus oculis in foueam ruere atque ibidem deperire, aut abſque vno oculo reliquum ſaluare corpus, putáſne è duobus ſuſcipere non malles ſecundum? At iſtud omnibus abſque ambiguitate perſpicuum eſt. Non enim hoc eſſet odientis oculum, ſed corpus reliquum diligentis.] Et S. Hieronymus in Commentario Matthæi, de eiſdem verbis Domini dicentis, *Si oculus tuus dexter vel manus ſcandalizat te, erue vel abſcide, & proiice abs te*, In dextro, inquit, oculo, & dextera manu, fratrum, & vxorum, & liberorum, atque affinium, & propinquorum monſtratur affectus: quos ſi ad contemplandam veram lucem nobis impedimento cernimus, debemus truncare iſtiuſmodi actiones, ne dum volumus lucri ceteros facere, ipſi in æternum pereamus. Vnde dicitur & de ſacerdote magno, cuius anima Domini cultui dedicata eſt, *Supra patre, & matre, & filiis non polluetur*, id eſt, nullum affectum ſciet, niſi eius cuius cultui dedicatus eſt.

Matt.5.29.
Rom.9.23.
Matt.5.29.

XXX. *Quatenus filiis vel propinquis, ſi peccauerin, parcere debeat.*

ATTENDAT autem princeps in propinquitatis neceſſitudinibus, quod & in aliis debet attendere, id quod ſcriptum eſt, *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur*, quia ſcriptum eſt, *Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in ſæculum ſæculi.* Quia confitenti & pœnitenti non ſufficit ſola confeſſio, niſi & ſubſequatur facti emendatio, vt pœnitens pœnitenda non faciat, ſicut Dauid ſanctus, qui poſtquam audiuit à Propheta, *Dimiſſum eſt peccatum tuum*, humilior factus eſt in emendatione peccati, ita vt cinerem ſicut panem manducaret, & potum ſuum cum fletu miſceret. Quia ſæpè, vt beatus dicit Gregorius, & reprobi peccata confitentur, ſed de his cogitare contemnunt. Electi autem culpas ſuas, quas vocibus confeſſionis aperiunt, diſtrictæ animaduerſionis fletibus inſequuntur.

Prou.36.27
Pſal.36.27.
2.Reg.12.13.
Pſal.101.10
Moralium lib.8.c.11.

Vnde & Propheta, postquàm se iniquitatem suam pronuntiare spopondit, cogitare se etiam de eis subdidit. Ac si apertè fateretur dicens, Sic reatum lingua loquetur, vt nequaquam expers à mœroris stimulo per alia spiritus vagetur: sed culpas loquens vulnus aperio, culpas verò ad correctionem cogitans, salutem vulneris ex medicamine mœroris quæro. Qui enim mala quidem quæ perpetrauit insinuat, sed flere quæ insinuauerit recusat, quasi subducta veste vulnus detegit, sed torpenti mente medicamentum vulneri non apponit. Confessionis igitur vocem solus necesse est vt mœror excruciet, ne vulnus productum & neglectum, quo licentiùs iam per humanam notitiam tangitur, deteriùs putrescat. Psalmista ergo plagas cordis non solùm detexerat, sed detectis etiam medicamentum mœ-
Psal.37.19. roris adhibebat dicens, *Iniquitatem meam ego pronuncio, & cogitabo pro peccato meo.* Pronunciando enim occultum vulnus detegit: cogitando autem quid aliud quàm medicamentum vulneri apponit? Sed afflictæ menti, & sua sollicitè damna cogitanti, rixa pro semetipsa oritur contra semetipsam. Nam cùm se ad lamenta pœnitentiæ instigat, occulta se increpatione dilaniat.] Hoc modo princeps filiis vel propinquis, si peccauerint, recognoscentibus ac pœnitentibus parcere debet, alioquin vindictam secundùm modum culpæ in peccan-
Rom. 8.32. tes exercere. Si enim Deus pater, vt dicit Apostolus, *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,* & tamen pater amauit filium, quem ad passionem misit, qui, vt item dicit Apostolus, se pro Ecclesia tradidit, necessariò præponderare debet pax Ecclesiæ vniuersalis, & soliditas generalis, dilectioni etiam dilecti, multo magis autem degeneris filij.

XXXI. *In maximis & publicis criminibus an indulgendum.*

QVI autem de maximis & publicis criminibus ex corde se non humiliat, sed ad excusandas excusationes in peccatis, peccata sua defendere curat, huic non impendenda est misericordia, quia præstari nullatenus præualet indulgentia, sicut sanctus Cælestinus in epi-
Epist. v. sub medium. stola ad Nestorium manifestat dicens, Persequar planè boni Do-
Psal. 138.22 mini mei fidelis seruus inimicos, cùm Propheta asserat eos odio se odisse perfecto. Memor rursus, altero loquente, ne parcam, quem vis hîc ego respiciam? cui honoris aliquid reseruem, quando agitur, vt mihi totius spei meæ causa tollatur? Ipsius in Euangelio ver-
Matt. 19. ba sunt Domini, quibus ait, non sibi patrem, non matrem, non filios, non aliquam necessitudinem debere præponi. Etenim talis frequenter est pietas, ex qua nascatur impietas, cùm vincente carnis affectu, caritati illi quæ Deus est, caritas præponitur cor-
Pastoralis parte II. cap. VI. poralis.] Et sanctus Gregorius in libro Pastorali, Quia falsa, inquit, pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud

districtum iudicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Hinc namque diuina voce dicitur, *Honorificasti filios tuos plus quàm me.*] Nam in sacra Historia legitur, quòd Heli filios suos verbis quidem corripuit, sed seueritate discretionis vt debuit non correxit. Vnde ipsi filij sui in bello occisi sunt, & arca Dei capta est, & maxima cædes in populo facta est, & ipse Heli de sella cecidit, & fractis ceruicibus cum sacerdotij principatu etiam vitam perdidit. Et beatus Augustinus in epistola ad Macedonium, Non inutiliter metu legum humana coërcetur audacia, vt & tuta sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis, dum formidato supplicio frænatur facultas, inuocato Deo sanetur voluntas.] Sicuti est enim aliquando misericordia puniens, ita & crudelitas parcens. Nam si aliter non meruit habere pacem domus Dauid, nisi Absalon filius eius in bello, quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus, quamuis magna cura mandauerit suis, vt eum quantum possent viuum saluúmque seruarent, & esset cui pœnitenti paternus affectus ignosceret, quid ei restitit nisi perditum flere, & sui pace regni adquisita suam mœstitiam consolari? Quòd si propriis visceribus in seruanda pace non est indultum, quanto minus in extraneis seueritate legum censemus parcendum?

1.Reg.2.29

Epist.LIV. post med.

XXXII. *Quòd boni regis sit & virga districtionis, & manna dulcedinis.*

CETERVM Dominus, qui peccantes diu vt conuertantur expectat, & non conuersos durius damnat, & pia mater Ecclesia, iuxta quod scriptum est, *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*, virga percutit, & baculo sustentat, docens vt in boni rectoris pectore sit virga districtionis, sit & manna dulcedinis: sit districtio virgæ quæ feriat, sit & consolatio baculi quæ sustentet: sit amor, sed non emolliens: sit vigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderatè sæuiens: sit pietas, sed non plus quàm expediat parcens. Ad exemplum Moysi, & amet piè, & sæuiat districtè. Nam cùm Israeliticus populus ante Dei oculos penè inueniabilem contraxisset offensam, pro eodem populo se opposuit. Ad eundem verò populum veniens, paucorum vitam gladio extinxit, qui vitam omnium etiam cum sua morte petiit: dans rectoribus discretis exemplum, vt recognoscentibus & verè confitentibus ac pœnitentibus parcant, & incorrigibiles atque in peccato perseuerantes damnent, sicut Petrus Ananiam & Saphiram, & Simonem magum, qui crurifragio periit, sicut in Hegesippi historia legitur, & Paulus publicè peccantem tradidit satanæ, & Helimam cæcitate percussit.

Psal.22.4.

Exod.32.

Act.5.

Lib.3.c.2.
1.Cor.5.5.
Act.13.11.

XXXIII. *In pluralitate peccantium vindicta propter difficultatem negligenda, vel differenda.*

Et si fortè quis dixerit, competenter vindicta in vna persona fieri potest, in pluralitate autem peccantium, propter difficultatem, vindicta aut negligenda aut differenda esse videtur: contradicit eis
Epist.xi. cap.vi. sanctus Innocentius in Decretis suis, ad Macedones Episcopos, Peruideat ergo dilectio vestra, hactenus talia transisse, & aduertite, quod vtique, vt dicitis, necessitas imperauit, in pace iam Ecclesias constitutas non posse præsumere: sed vt sæpe accidit, quotiens à populis aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum soleat transire. Priora ergo dimittenda dico Dei iudicio, & de reliquo maxima sollicitudine præcauendum.] Et hinc item in Decretis Apostolicæ sedis: Si, inquiunt, omnes sacerdotes & mundus assentiat damnandis, damnatio consentientes inuoluit, non præuaricationem consensus absoluit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cùm generale sit ex priuato. Hoc enim Deus omnium iudicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit.

Ecce de quibus exiguitatem meam sublimitas sapientiæ vestræ consuluit, habetis sacræ Scripturæ & doctorum catholicorum sententias. Haurite nunc aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, id est doctrinam ex verbis eorum, quibus idem Saluator dicit,
Ioan.7.39 *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem*, inquit Euangelista, *dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* qui quod eodem spiritu inspirante hauserunt, scribendo ad nostram notitiam manauerunt.



II.

DE CAVENDIS VITIIS ET VIRTVTIBVS EXERCENDIS, ad Carolum Caluum Regem.

Nunc primùm editum ex codice S. Michaelis ad Mosam.

PRÆFATIO.

Quòd fructus in lectione sacra quærendus sit. proinde vt S. Gregorij epistolam, ac si ad se scriptam suscipiat, ex eáque proficiat.

DOMINO CAROLO REGI GLORIOSO Hincmarus nomine non merito Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus.



ITTO vobis, sicut iussistis, epistolam beati Gregorij ad Recharedum regem Wisigothorum, ex qua vobis quædam inter cetera dixi, quando proximè apud Siluanectum de operibus misericordiæ sermo se intulit. Cui epistolæ aliquanta ex verbis eiusdem Doctoris egregij superaddidi, attendens promissionem qua dicitur, *Quod supererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi.* Non enim pauca mihi reddetis, cùm non solùm erogata, verùm & supererogata diligenter legetis, intelligenter seruando, ac quotidie magis ac magis de virtute in virtutem proficiendo custodietis. Nam sunt quidam, qui multa de literis diuinitus inspiratis habere volunt, quæ aut non legunt, aut transeuntes recta neglegunt, vel ob hoc ea scire volunt, vt fauores de vani nominis scientia comparent. Sunt enim qui verba Dei libenter legunt, vel aure percipiunt, sed mente non retinent: & quisque alimenta non retinet, huius profectò vita desperatur. Cibus enim mentis est sermo Dei, & quasi acceptus cibus stomacho languente reiicitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur.] Et de talium cordibus iuxta Euangelicam parabolam, *tollit Diabolus verbum, ne credentes salui fiant.* Et sunt qui ita diuinum verbum audiunt vel legunt; vt ex eo contra culpas compungantur, & tamen post fletum ad culpas redeunt, & obliuiscuntur quod planxerant, cùm exstinguere nolunt vitia quibus ardent. Et sunt nonnulli, qui audito vel lecto verbo Dei econtrà se erigunt, & contra peccata ac vitia perpetrata ardentissimè commouentur: sed salubres illæ commotiones sollicitudinibus & voluptatibus & diuitiis suffocantur, cùm importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulant, & bonum desiderium, aut ad cor intrare non sinunt, aut de cor-

[Margin notes: Luc. 10. 35. — S. Gregor. Hom. xv. — Luc. 8. 12.]

de repellunt ea quæ bonum desiderium quasi aditum flatus vitalis necant.] Quibus Dominus dicit, *Qui ex Deo est verba Dei audit: propterea vos non auditis quia ex Deo non estis.* Si enim ipse verba Dei audit qui ex Deo est, & audire verba eius non potest quisquis ex illo non est, interroget se vnusquisque si verba Dei in aure cordis percipit, & intelligit vnde sit. Cælestem patriam veritas desiderari iubet, carnis desideria conteri, mundi gloriam declinari, aliena non appeti, propria largiri. Penset ergo apud se vnusquisque vestrûm, si hæc vox Dei in cordis eius aure conualuit, & quia iam ex Deo sit agnoscit. Nam sunt nonnulli, qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignamur, & sunt nonnulli qui hæc quidem corporis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur: & sunt nonnulli, qui libenter verba Dei suscipiunt, ita vt iam in fletibus compungantur, sed post lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. Hi profectò verba Dei non audiunt, quia hæc exercere in opere contemnunt, & amorem sæculi amori Dei præponunt.] Quibus item Dominus dicit, *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.* Qui hoc loco signantur nomine diuitum, nisi immoderati amatores diuitiarum, qui venturi iudicis respectum non habent, dum superbis apud se cogitationibus tument? Nam sunt nonnulli, quos census per tumorem non eleuat, sed misericordiæ opera exaltant. Et sunt nonnulli, qui dum terrenis se opibus abundare conspiciunt, veras Dei diuitias non requirunt, atque æternam patriam non amant, quia hoc sibi sufficere quod rebus temporalibus fulciuntur putant.] de quibus dicit scriptura, *Omnes qui diligunt munera sequuntur retributiones. & ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Non est ergo census in crimine, sed affectus. Cuncta enim quæ Deus condidit bona sunt, & qui bonis malè vtitur profectò agit, vt quasi per edacitatis ingluuiem, eo per quem viuere potuit de pane moriatur. Pauper ad requiem Lazarus venerat, superbum verò diuitem tormenta cruciabant. Sed tamen diues Abraham fuerat, qui in sinu Lazarum tenebat, qui tamen auctori suo conloquens dicit, *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.* Quid itaque iste diuitias suas æstimare nouerat, qui semetipsum puluerem cineréinque pensabat? aut quando hunc res possessa extolleret, qui de se quoque, earum videlicet possessore, tam abiecta sentiret?] Ceterum iniqui modò, cùm tristia aliqua, vel aduersa patiuntur, effugij latebras inueniunt, quia ad voluptatem protinus desideriorum carnalium recurrunt. Ne enim paupertas cruciet, diuitiis animum demulcent: ne despectus proximorum deprimat, se se dignitatibus exaltant. Si fastidio corpus atteritur, antepositis epularum diuersitatibus nutritur. Si quo animus mœstitiæ impulsu deicitur, mox per interposita iocorum blandimenta releuatur. Tot ergo hîc habent effugia, quot sibi præparant delectamenta. Sed quandoque eis effugium perit, quia eorum

Ioan. 8. 47.
Ho. XVIII.
Luc. 6. 14.
Moral. l. x. cap. XVII.
Esa 1. 23.
Iob 15. 34.
Gregorius ibidem.
Gen. 18. 27.
Moralium lib. x. cap. XIII.

mens, amissis omnibus, se solummodo & iudicem conspicit. Tunc voluptas subtrahitur & voluptatis culpa seruatur, & repentè miseri periendo discunt quia peritura tenuerunt, qui tamen quousque corporaliter viuunt quærere nocitura non desinunt.] Et tales in vano accipiunt animam suam, dum ei curam carnis anteponunt: sicut diues qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur cotidie splendidè, & recepit bona in vita sua, sine consolatione in æterna vita. Quam transitoriam consolationem, non solùm pro summo, sed & pro vero bono refugiebat habere rex sanctus, qui dixit, *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum. Etenim adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam.* &, *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* quia, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* qui *ascensiones in corde suo disposuerunt in conualle lacrymarum*, id est in sæculo, in terra morientium, vbi fuerunt eidem regi lacrymæ suæ panes die ac nocte, dicenti *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* Et sunt qui audito vel lecto verbo Dei, vt terra bona, fructum per patientiam reddunt, cùm & bona humiliter operantur, & proximorum mala æquanimiter tolerant. Quanto enim quisque altiùs profecerit, tanto in hoc mundo inuenit quod duriùs portet, quia cùm à præsenti sæculo mentis nostræ delectatio deficit, eiusdem sæculi aduersitas crescit.]

Psal.76.3. Psal.72.28. Psal.26.4. Psal.83.5. Ibid.6. Psal.26.13. Gregorius Ho.xviii.

VOS AVTEM, domne carissime, quem Deus talento intellectus magnificè & potenter ditauit, sollerter attendite, cui inde rationem estis reddituri, in conspectu totius humani generis, & Angelorum atque Archangelorum, & nolite in sudario religatum in terra illud abscondere, id est in terrenis tantùm actibus implicare: sed sursum cor ad illum leuate, qui mirè nos condidit, gratuitò nutriuit, rationis substantia in conditione ditauit, gratia sua vos vocauit, donis suis vos illuminauit, paternæ pietatis sollicitudine à flagellorum doloribus ad salutis gaudia misericordiæ medicamento reduxit, peccantem non deseruit, muneribus multis & potentia glorificauit. Per singulos dies rationes vobiscum agite de his quæ accepistis de manu Domini, & quæ illi propter illa rependitis, vel rependistis: quia sic vnicuique bona à se collata enumerabit dicens, *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. quoniam ego eduxi vos per desertum quadraginta annis, non sunt attrita vestimenta vestra, manna de cælo plui vobis, & obliti estis me.* & item, *Quid debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* &, *Expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruscas?* Et bene facientibus, & in recta fide & bonis operibus perseuerantibus dicet in iudicio, *Esuriui, & dedistis mihi manducare*, & cetera quæ sequuntur vobis notissima, vsque ad id quod dicetur, *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* & malè agentibus, & in malis operibus perseue-

Mich.6.3. Esa.5.4. Matt.25.35.

Ibid.42. rantibus è diuerso dicit, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare*, vsque ad id quod dicetur, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Et non est obliuiscenda nobis illa verecundia, quando aperientur libri, id est conscientiæ, in conspectu singulorum hominum & Angelorum. & non mediocriter pertimescenda est nobis pœna, quæ illam sequetur confusionem, quando reatus animam immortaliter morientem inuoluet, & indeficienter deficientem carnem gehenna consumet. Denique quoniam iussistis vobis præfatam Epistolam mitti, sciendum vobis est, quia sic diuina dicta legere & audire debetis, ac si ad vos specialiter sint dicta vel scripta, vt quæ in eis inueneritis vobis cauenda caueatis, & quæ agenda strenuè faciatis, & quæ sequenda sequamini, & quæ erga alios exequenda sunt exequamini. Sicut enim in libro medicinali corporis passiones & earum curationes inueniuntur, ita & in diuinis eloquiis animæ passiones & earum curationes reperiuntur. Quia verò ita vt prædiximus diuina eloquia quisquis fidelis intelligere debeat, & ita sint dicta, Dominus demonstrat in Euangelio qui dixit discipulis suis, *Vigilate &* Matt.26.41 Marc.13.37 *orate, vt non intretis in tentationem.* & iterum, *quod dico vobis omnibus dico, vigilate.* Vigilat enim qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet, vigilat qui seruat operando quod credit, vigilat qui à se torporis & negligentiæ tenebras repellit, vigilat qui fraudem in Moralium lib. IX. cap. XVII. bono opere non perpetrat. Quæ fraus tribus modis in opere bono committitur: quia per hanc proculdubiò, aut tacita cordis humani gratia, aut fauoris aura, aut res quælibet exterior desideratur. Esa.33.15. Quo contrà rectè de iusto per Prophetam dicitur, *Qui excutit manus suas ab omni munere, hic in excelsis habitabit.* Quia enim non solùm fraus in acceptione pecuniæ est, munus proculdubiò vnum non est. Tres verò sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur. Munus namque à corde est captata gratia à cogitatione, munus ab ore est gloria per fauorem, munus ex manu est præmium per dationem. Sed iustus quisque ab omni munere manus excutit, quia in eo quod rectè agit, nec ab humano corde inanem gloriam, nec ab ore laudem, nec à manu recipere dationem quærit. Solus ergo in Dei opere fraudem non facit, qui cùm ad studia bonæ actionis vigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec Moralium Lib. VIII. cap. 13. ad humani iudicij gratiam anhelat.] Quasi latrunculus est enim appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere iungitur, vt ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. Cúmque propositæ vtilitatis intentio ad studia priuata deducitur, horrendo modo vnum idémque opus culpa peragit, quod virtus inchoauit. Sæpè & ab ipsis exordiis aliud cogitatio expetit, aliud actio ostendit. Sæpè etiam fidem mentis nec ipsa cogitatio exhibet, quia aliud ante oculos mentis versat, & longè ad aliud ex intentione festinat. Nam plerumque nonnulli terrena præmia appetunt, & iustitiam

tiam defendunt, séque innocentes æstimant, & esse defensores rectitudinis exultant, quibus si spes nummi subtrahitur, à defensione protinus iustitiæ cessatur. Et tamen defensores se iustitiæ cogitant, sibíque se rectos asserunt, qui nequaquam rectitudinem sed nummos quærunt. Contra quos bene per Moysem dicitur, *Iustè quod iustum est exequêris.* Iniustè quippe quod iustum est exequitur, qui ipsam quam prætendit iustitiam venundari minimè veretur. Iustè ergo iustum exequi est, in adsertione iustitiæ eandem ipsam iustitiam quærere. Sæpè recta agimus, & nequaquam præmia, nequaquam laudes ab hominibus expectamus. sed tamen mens in sui fiduciam erecta, his à quibus nil expetit placere contemnit, eorum iudicia despicit, séque malè libera per abrupta elationis rapit, & inde sub vitio peius obruitur, vnde quasi deuictis vitiis nullis se appetitionibus subiacere gloriatur.] Vnde etiam in bonis quæ agimus necesse est vt cum magna cautela timeamus, ne per hoc quod à nobis rectum agitur fauor aut gratia humana requiratur, ne appetitus laudis subripiat, & quod foris ostenditur, intus à mercede vacuetur. Vnde per Psalmistam quoque de sancta electorum Ecclesia dicitur, *Omnis gloria eius filiæ regum ab intus.* Qui enim accepta qualibet gratia vanis suis laudibus nitorem gloriæ offerunt, quasi oleum vendunt, de quo profectò oleo Psalmista dicit, *oleum peccatoris non impinguet caput meum.* appellatione autem capitis ea quæ principatur corpori mens vocatur. Impinguat ergo caput oleum peccatoris, cùm demulcet mentem fauor adulantis. Adulatores enim blandi sunt inimici, quorum linguis quicumque in operibus bonis decipiuntur, in aduentu iudicis inter fatuos & stultos computabuntur, & à Deo retributionem bonorum operum non inuenient, quia pro eis receperunt ab hominibus laudes quas ambiebant. Et cùm ab adulatore, quia non à iusto, laudatur peccator in desideriis animæ suæ & iniquus benedicitur, alius alium, id est peccans adulator peccatorem operatorem occidit, & dum inuicem videlicet adulator de fauore, & peccator in praua operatione, se laudant, inuicem se occidunt. Hinc est quòd redemptor noster puellam in domo, iuuenem extra portam, in sepulcro autem Lazarum suscitat. Adhuc quippe in domo mortuus iacet qui latet in peccato, iam quasi extra portam educitur, cuius iniquitas vsque ad verecundiam publicæ perpetrationis aperitur, sepulturæ verò aggere premitur qui in perpetratione nequitiæ etiam vsu consuetudinis grauatur. Sed hos ad vitam miseratus suscitat, quia plerumque diuina gratia non solùm in occultis, sed etiam in apertis iniquitatibus mortuos, sed & mole prauæ consuetudinis pressos, respectus sui lumine illustrat. Quartum verò mortuum redemptor noster nuntiante discipulo agnoscit, nec tamen suscitat: quia valde difficile, est vt is, quem post vsum malæ consuetudinis etiam adulantium linguæ excipiunt, à mentis suæ morte reuocetur. de quo & bene dicitur, *Sine*

Deut. 16.
Hom. xii.
Psal. 44. 14.
Psal. 140. 5.
Moralium lib. iv. cap. xxv.
Matt. 8. 22.

mortuos, sepelire mortuos suos. Mortui enim mortuum sepeliunt, cùm peccatores peccatorem fauoribus premunt. Quid enim est aliud sepelire quàm occultare? Sed qui peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt. Erat tamen & Lazarus mortuus, sed tamen non à mortuis sepultus: fideles quippe illum mulieres obruerant, quæ & eius mortem viuificatori nunciabant. Vnde & protinus ad lucem redit, quia cùm in peccato animus moritur, citiùs ad vitam reducitur, si super hunc sollicitæ cogitationes viuunt.] Perniciosissima siquidem pestis est adulatio, & citò subripit mentem, nisi fuerit in ipso remota initio. Discutiendum igitur nobis est quid de nobis audiamus, & probare quid dicatur ex nobis. Credamus quia stultum est plus aliis de nobis quàm nobis ip-
2.Cor.1.12. sis credere. vnde Paulus dicit, *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Gloriam suam Paulus testimonium conscientiæ memorat, quia fauores oris alieni non appetens, vitæ suæ gaudia extra semet-
2.Pet.3.10. ipsum ponere ignorat. Et quia scriptum est, *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet,* vigilandum nobis est, ne mala quæ modò faciamus, ne etiam bona nostra indiscussa dimittamus: & ita vigilantes sollicitè semper expectare debemus, quando Dominus noster ad iudicandos nos reuertatur, vt cùm venerit & pulsauerit confestim aperia-
Hom.XIII. mus ei. Venit quippe cùm ad iudicium properat, pulsat verò cùm iam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat. cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. aperire etenim iudici pulsanti non vult qui exire de corpore trepidat, & videre eum quem contempsisse se meminit iudicem formidat. qui autem de sua spe & operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus iudicem sustinet, & cùm tempus propinquæ mortis agnouerit, de gloria retributionis hilarescit.] Quia igitur momentis suis horæ fugiunt,
Eccle.9.10. agendum nobis est vt in boni operis mercede teneantur. Vnde Salomon dicit, *Quodcumque potest manus tua facere instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest vt ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim sic mors ipsa cùm venerit vincitur, si priusquam veniat semper timeatur. Et iamiámque de verbis præfati viri magnifici, ad verba epistolæ scribenda, quam vobis mitti iussistis, nobis est transeundum.

Lib.VII. epist.126. *Epistola sancti Gregorij Papæ ad Recharedum regem, quam Carolus ad se mitti ab Hincmaro postularat.* II.

Gregorius Recharedo regi Wisigothorum.

EXPLERE *verbis, excellentissime fili, non valeo quantum tuo opere tua vita delector. Audita quippe noui diebus nostris virtute miraculi, quòd per ex-*

cellentiam tuam cuncta Gothorum gens ab errore hæreseos Arrianæ in fidei soliditatem translata est, exclamare cum Propheta libet, Hæc est mutatio dexteræ excelsi. Psal.76.11. *Cuius enim vel saxeum pectus tanto hoc opere cognito non statim in omnipotentis Dei laudibus atque in tuæ excellentiæ amore mollescat? Hæc me fateor quæ per vos facta sunt sæpè conuenientibus filiis meis dicere, sæpè cum eis pariter admirari delectat, hæc me plerumque etiam contra me excitant. Quòd piger ego & inutilis tunc inertia torpeo, quando in animarum congregationibus pro lucro cælestis patriæ reges elaborant. Quid itaque ego in illo tremendo examine iudici venienti dicturus sum, si tunc illuc vacuus venero, vbi tua excellentia greges post se fidelium ducet, quos modò ad veræ fidei gratiam per studiosam & continuam prædicationem traxit. Sed est mihi, bone vir, hoc ex Dei munere in magna consolatione, quia opus sanctum quod in me non habeo diligo in te, cúmque de tuis actibus magna exultatione gaudeo, ea quæ per laborem tua sunt mea per charitatem fiunt. De conuersione igitur Gothorum in vestro opere & nostra exultatione libet cum Angelis exclamare*, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc.2.14. *Nos enim, vt existimo, nos gratiarum ampliùs omnipotenti Deo debitores existimus, quia etsi vobiscum non agimus, in vestro tamen opere congaudendo participes sumus. Beatus verò Petrus Apostolorum princeps quàm libenter munera excellentiæ vestræ suscepit, ipsa cunctis liquidò vita vestra testatur. Scriptum quippe est*, Vota iustorum placabilia. Prou.15.8. *Neque enim in omnipotentis Dei iudicio quid sed à quo detur aspicitur. Hinc est enim quod scriptum est*, Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera illius non respexit. Gen.4.4. *Dicturus quippe quia Dominus respexit ad munera, præmisit sollicitè quia respexit ad Abel. ex qua re patenter ostenditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt. Vestra itaque oblatio quàm sit grata ostenditis, qui daturi aurum priùs ex conuersione gentis subditæ animarum munera dedistis. Quos verò transmissos Abbates, qui oblationem vestram beato Petro Apostolo deferebant, vi maris dicitis fatigatos ex ipso itinere ad Hispanias remeasse, non munera vestra repulsa sunt, quæ postmodum prouenerunt, sed eorum qui transmissi fuerant constantia probata, an scirent sancto desiderio obiecta procul vincere, & in fatigatione corporis mente minimè lassari. Aduersitas verò reuersionis, quæ vobis obiicitur, probatio virtutis est, non iudicium reprobationis. Quis enim nesciat quàm prosperum fuerat quòd beatus Paulus Apostolus prædicaturus ad Italiam veniebat, & tamen veniens naufragium pertulit: sed nauis cordis in marinis fluctibus integra stetit. Præterea indico quia creuit de vestro opere in laudibus Dei hoc quod dilectissimo filio meo Probino presbytero narrante cognoui, quia cùm vestra excellentia constitutionem quandam contra Iudæorum perfidiam dedisset, hi de quibus prolata fuerat rectitudinem vestræ mentis inflectere pecuniarum summam offerendo moliti sunt. Quam excellentia vestra contempsit, & omnipotentis placere iudicio requirens auro innocentiam prætulit. Qua in re mihi Dauid regis factum ad memoriam venit, cui dum concupita aqua de cisterna Bethleemitica, quæ inter hostiles cu-*

2.Reg.23.16. *neos habebatur, ab obsequentibus militibus fuisset adlata, protinus dixit,* Absit à me vt sanguinem hominum istorum bibam. *Quam quia effudit & bibere noluit, scriptum est,* Libauit eam Domino. *Si ergo ab armato rege in sacrificium Dei versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium omnipotenti Deo rex obtulit, qui pro amore illius non aquam sed aurum accipere contempsit. Itaque, fili excellentissime, fidenter dicam, quia libasti aurum Domino, quod contra eum habere noluisti. Magna sunt hæc, & omnipotentis Dei laudi tribuenda: sed inter hæc vigilanti sunt studio antiqui hostis insidiæ cauendæ, qui quanto maiora in hominibus dona conspicit, tanto hæc auferre subtilioribus insidiis exquirit. Neque enim latrunculi in via capere viatores vacuos expetunt, sed eos qui auri vascula vel argenti ferunt. Via quippe est vita præsens, & tanto quisque necesse est vt insidiantes spiritus caueat, quanto maiora sunt dona quæ portat. Oportet ergo excellentiam vestram in tanto hoc de conuersione gentis subditæ munere quod accepit, summopere custodire priùs humilitatem cordis, ac deinde munditiam corporis. Cùm enim scriptum* Matt.23.12 *sit,* Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur, *profectò liquet quia ille veraciter alta amat, qui mentem suam ab humilitatis radice non resecat. Sæpè namque malignus spiritus, vt bona destruat, quibus priùs aduersari non valuit, ad operantis mentem post peractam operationem venit, eámque tacitis cogitationibus in quibusdam suis laudibus excutit, ita vt decepta mens admiretur ipsa quàm sint magna quæ fecit. quæ dum per occultum tumorem apud semetipsam extollitur, eius qui donum tribuit gratia priuatur. Hinc est enim quod per Prophetæ vocem contra superbientem* Ezech.16. *animam dicitur,* Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo. *Fiduciam quippe animam in pulchritudine sua habere est in semetipsa de iusta actione præsumere. Quæ in suo nomine fornicatur, quando in hoc quod altè egit, non conditoris laudem dilatare appetit, sed suæ opinionis* Ezech.32.19. *gloriam requirit. Hinc rursus per Prophetam scriptum est,* Quo pulchrior es descende. *Anima etenim vnde est pulchrior inde descendit, quando ex virtutis decore, quo exaltari apud Dominum debuit, ab eius gratia per suam eleuationem cadit. Quid ergo in his agendum est, nisi vt malignus spiritus cùm nobis ad eleuandam mentem reducit bona quæ egimus, nos semper ad memoriam mala nostra reuocemus: quatenus & nostra mala cognoscamus esse quæ peccando fecimus, & solius omnipotentis Dei munera cùm peccata declinamus. Custodienda quoque est munditia corporis in studio bonæ actionis, quia iuxta vocem prædicantis Apostoli,* Templum Dei sanctum est, quod estis vos. *qui rursus ait,* Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. *Quam sanctificationem quid dixerit ostendens protinus adiunxit,* Et abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrûm suum vas possidere in sanctificatione & honore, & non in passionibus desiderij. *Ipsa quoque regni gubernacula erga subiectos magno sunt moderamine temperanda, ne potestas mentem surripiat. Tunc enim regnum bene regitur, cùm regnandi gloria animo non dominatur. Curandum quoque est, ne ira subripiat. Tunc enim citiùs omne quod licet in malum vertitur, si*

menti ira dominetur. Ira quippe, etiam cùm delinquentium culpas exequitur, non debet menti quasi domina præire. sed post rationis tergum velut ancilla famulari, vt ad faciem iussa veniat. Nam si semel mentem possidere cœperit, iustum esse deputat etiam quod crudeliter facit. Hinc enim scriptum est, Ira viri iustitiam Dei non operatur. *Hinc rursus dicitur*, Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. *Hæc autem vos auctore Deo omnia seruare non ambigo. sed occasione admonitionis exorta, bonis vestris actibus me furtiuè subiungo, vt quod non admoniti facitis, quando vobis & admonens additur, iam non soli faciatis. Omnipotens autem Deus in cunctis actibus vestris cælestis brachij extensione vos protegat, vobísque & præsentis vitæ prospera, & post multa annorum curricula gaudia æterna concedat.*

Luc.1.20. Ibid.19.

Quòd eleemosyna de alienis fieri non debeat. Qui sint digni fructus pœnitentiæ, & quæ vera confeßio ac dolor de peccatis. quid abnegare se, & odisse animam suam. III.

Eleemosyna.

Et de misericordiæ operibus, vnde inter cetera in præcedenti epistola est locutus, qualiter & ex quibus agenda sint, ac de his quæ sequuntur, quæ breui cingulo vobis perstricta colligere pro tempore studui, idem beatus vir alibi dicit, Plerumque, inquiens, aduersarius animarum, dum non potest in his quæ ad faciem sunt praua subripere, callida specie quasi pietatis iniecta nititur supplantare, suadétque forsitan debere ab habentibus accipi, vt sit quod possit non habentibus erogari, dummodo vel sic venena mortifera eleemosynæ celata obumbratione transfundat. Nam nec venator feram, aut auem auceps deciperet, vel piscem piscator caperet, si aut ille laqueum in aperto proponeret, aut ille hamum esca absconditum non haberet. Omnino ergo metuenda & cauenda est hostis astutia, ne quos aperta nequit tentatione subuertere, latente telo sæuiùs valeat trucidare. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur quod inlicitè accipitur. quia qui hac intentione malè accipit vt quasi bene dispenset, adgrauatur potiùs quàm iuuatur. Eleemosyna redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de inlicitis & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis & bene acquisitis impenditur. Vnde etiam illud certum est, quia etsi monasteria, aut xenodochia, vel quid aliud ex iniustè adquisitis construatur, mercedi non proficit, quoniam dum peruersus emptor honoris in locum sanctum mittitur, & alios ad sui similitudinem sub commodi datione constituit, plura malè ordinando destruit, quàm ille potest ædificare qui ab eo pecunias ordinationis accepit. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, apertè sacra scriptura nos prohibet dicens, *Hostiæ impiorum abominabiles, quia offeruntur ex scelere.* Quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipo-

Lib VII. epist.167. Prou.15.8.

tentis Dei non placat iracundiam sed irritat. Hinc rursum scriptum
Prou.3.9. est, *Honora Dominum de tuis iustis laboribus.* Quisquis ergo malè tollit, vt quasi bene præbeat, constat sine dubio quia Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur, *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, ac si victimet filium in conspectu patris.* Quantus autem dolor patris sit perpendamus, si in eius conspectu filius victimetur, & hinc facilè cognoscimus quantus apud Deum dolor exasperatur, si ei sacrificium ex rapina tribuitur. Nimis enim dolendum est, dilectissimi fratres, sub obtentu eleemosynæ peccata simoniacæ hæreseos perpetrari. Nam aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud propter eleemosynas peccata committere.] Quotiens enim post culpam eleemosynas facimus, quasi pro prauis actibus pretium damus. Sed nonnunquam diuites elati inferiores opprimunt, & aliena rapiunt, & tamen quasi quædam aliis largiuntur, & cùm multos deprimant, aliquando quibusdam opem defensionis ferunt, & pro iniquitatibus quas nunquam deserunt, dare pretium videntur. Sed tunc eleemosynæ pretium nos à culpis liberat, cùm perpetrata plangimus & abdicamus. nam qui & semper peccare vult, & quasi semper eleemosynam largiri, frustrà pretium tribuit, quia non redimit animam, quam à vitiis non compescit.] Scriptum est enim, *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* In quibus verbis notandum est, quòd non solùm fructus pœnitentiæ, sed dignos pœnitentiæ admonemur facere. Vt enim secundùm dignos pœnitentiæ fructus loquamur, sciendum est quia quisquis inlicita nulla commisit, huic iure conceditur vt licitis vtatur, sicque pietatis opera faciat, vt tamen si noluerit ea quæ mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse quod est grauius in adulterium lapsus est, tanto à se licita debet abscidere quanto se meminit & inlicita perpetrasse.] Peius est enim alienum matrimonium violare, quàm meretrici adhærere. Iam verò si coniugatus vel coniugata cum alterius vxore vel cum alterius marito adulterauit, tanto grauiùs peccant, quanto non simplicia sed plura adulteria committunt. Et grauior incestus est quàm adulterium. quamuis qui huiusmodi sequuntur fornicationes & adulteri nomine soleant appellari. & tanto incestus est grauior, quanto propinquitas est cognationis proximior. quia peius est cum duabus sororibus, vel duobus fratribus, vel cum patre & filio, siue cum matre & filia, quàm cum aliena vxore mœchari. Sed in propria cognatione quanto propinquiùs tanto grauiùs peccatur, quoniam peius est cum matre & filia, vel sorore, siue cum Deo sacrata, vel cum ordinato in Ecclesiasticis gradibus, in quibus quanto celsior est gradus, tanto grauior est casus, tantóque est crimen grauius, quàm cum aliena vxore concumbere. & sic de malo in peius labi solet humana fragilitas, donec ad ea perueniatur, *quæ*, sicut ait Apostolus, *turpe est etiam dicere.* quæ operantes, videlicet masculorum &

Eccli.34.24 — Moral.lib. III.cap. 23. — DIGNI FRVCTVS POENITENTIAE. Matt.3.8. Homil. xx. in Euang. — Ephes.5.12. Synodus Ancyrana can.16.

pecorum concubitores, ſacri canones inter eos orare præcipiunt, qui ſpiritu periclitantur immundo, & lex per Moyſem data hos iudicat morte mulctari. & ſicut pari iudicio adſtricti tenentur tam viri quàm feminæ adulterium perpetrantes, ita huius legis iudicio aut reatu pariter conſtringuntur tam viri cum pecoribus, vel cum maſculis, ſeu cum feminis, contra naturam turpitudinem operantes, quàm feminæ cum pecoribus, vel cum aliis feminis quacumque adinuentionis machinatione eandem turpitudinem operantes, vel cum maſculis ſecum operari contra naturam conſentientes, dicente Apoſtolo, *Non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte.* Rom.1.32. Et ſiquis fortè hæc omnia perpetrauit, tot mortibus & mortis æternæ pœnis habetur obnoxius, quot criminibus eſt pollutus. Verùm quoniam auſteritatem legis temperauit miſericordia redemptoris, qui conuerſionem & pœnitentiam magis quàm mortem vult peccatoris, tanto vt præmiſimus à ſe licita quiſque debet abſcidere, quanto ſe meminit & inlicita perpetraſſe: & tanto ſe debet reprehendere in minimis, quanto ſe meminit deliquiſſe in maximis.

Et ſæpè accuſat mens ipſa quod perpetrat, ſed quia hoc ex deſiderio minimè deſerit, erubeſcit confiteri quod facit. Cùm verò toto iudicio carnis delectationem premit, audaci voce in accuſationis ſuæ confeſſione ſe erigit. Sed ſunt nonnulli, qui apertis vocibus culpas fatentur, ſed tamen in confeſſione gemere neſciunt, & lugenda gaudentes dicunt. Sed qui culpas ſuas deteſtans loquitur, reſtat neceſſe eſt vt has in amaritudine animæ loquatur, vt per hæc ipſa amaritudo puniat, quidquid lingua per mentis iudicium accuſat. Et plerumque videmus quæ agenda ſunt, ſed hæc opere non implemus. nitimur & infirmamur. mentis iudicium rectitudinem conſpicit, ſed ad hanc operis fortitudo ſuccumbit: quia nimirum iam de pœna peccati eſt, vt ex domo quidem poſſit bonum conſpici, ſed tamen ab eo quod aſpicitur contingat per meritum repelli. Vſitata etenim culpa obligat mentem, vt nequaquam ſurgere poſſit ad rectitudinem. conatur & labitur, quia vbi ſponte diu perſtitit, ibi & cùm noluerit coacta cadit.] Sed iuſtus ori ſuo non parcit, quia iram iudicis diſtricti præueniens, verbis contra ſe propriæ confeſſionis ſæuit. Hinc Pſalmiſta ait, *Præueniamus faciem eius in confeſſione.* Pſal.94.2. Hinc per Salomonem dicitur, *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Prou 28.13. Hinc rurſum ſcriptum eſt, *Iuſtus in principio accuſator eſt ſui.* Prou.18.17 Sed nequaquam ad confeſſionem os panditur, niſi cùm conſideratione diſtricti iudicij per pauorem ſpe anguſtatur.] Sciendum quoque eſt, quia ſæpè & reprobi peccata confitentur, ſed deflere contemnunt. Electi autem culpas ſuas quas vocibus cõfeſſionis aperiunt, diſtrictæ animaduerſionis fletibus inſequuntur.] cùm peccata noſtra per lacrymas confi-

[Margin notes: Confeſſio peccati. — Ho.xxxi. — Moralium lib.8.c.10. — Moralium l.8.c.11.]

temur, angustæ viæ portas ingredimur: sed cùm post hæc ad æternam vitam perducimur, portæ nostræ atria in confessionum laudibus intramus, quia ibi iam angustia non erit, cùm nos lætitia æternæ solemnitatis assumpserit. propter quam confessionis nostræ angustiam veritas dicit, *Intrate per angustam portam*, & cùm se Psalmista recipi in altitudine gaudij æterni præsumeret, dicebat, *Statuisti in loco spatioso pedes meos.*] Qui enim mala quæ perpetrauit insinuat, sed flere quæ insinuauit recusat, quasi subducta veste vulnus detegit, sed torpenti mente medicamentũ vulneri non apponit. Confessionis igitur vocem solus necesse est vt mœror excutiat, ne vulnus proditũ sed neglectum, quo licentiùs iam per humanam notitiam tangitur, deteriùs putrescat. Quo contra Psalmista plagam cordis non solùm detexerat, sed detectæ etiam medicamentum mentis adhibebat dicens, *Iniquitatem meam ego pronuncio, & cogitabo pro peccato meo.* Pronunciando enim occultum vulnus detegit, cogitando autem quid aliud quàm medicamentum vulneri apponit? Sed afflictæ menti & sua sollicitè damna cogitanti rixa pro semetipsa oritur contra semetipsam. Nam cùm se ad lamenta pœnitentiæ instigat, occulta se increpatione dilaniat.] Cui à Domino dicitur, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ac si apertè diceretur, Incendit plenè peccati rubiginem qui ardet validè per amoris ignem. Tanto namque ampliùs peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magnæ caritatis igne crematur.] Consideremus igitur gratiam misericordis Dei, & damnemus multitudinem reatus nostri. Ecce peccatores videt & sustinet, resistentes tolerat & tamen quotidie per Euangelium clementer vocat. confessionem nostram ex puro corde desiderat, & cuncta quæ deliquimus relaxat, Qui ergo permanere noluit redeat, qui stare contempsit saltem post lapsum surgat.. Quanto nos amore conditor noster expectet insinuat, cùm per Prophetam dixit, *Attendi & auscultaui, nemo quod bonũ est loquitur, non est qui recogitet in corde suo & dicat quid feci?* Certè nunquam cogitare mala debuimus: sed quia cogitare recta noluimus, ecce adhuc sustinet vt recogitemus, & qui peccantes nos diu vt conuertamur expectat, non conuersos duriùs damnat. Videamus igitur tantæ pietatis signum, & seueritatis indicium. consideremus apertum nobis misericordiæ gremium. quos malè cogitantes perdidit, bene recogitãtes quærit, quæque nos in adolescentia, quæque in iuuentute deliquisse meminimus defleamus, morum operúmque maculas lacrymis tergamus, amemus iam redemptoris nostri vestigia, quæ peccando contempsimus. Ecce vt diximus, ad recipiendos nos supernæ pietatis sinus aperitur, nec maculosa in nobis vita contemnitur. per hoc quòd inquinationem nostram perhorrescimus, internæ iam munditiæ cõcordamus. reuertentes nos Dominus clementer amplectitur, quia peccatorum vita ei esse indigna iam non potest quæ fletibus lauatur.] Sed prouidendum est his qui peccata suorum operum deplorant, vt consum-

Marginalia: Matt. 7. 13. — Psal. 30. 9. — Moral. VIII cap. XI. — Psal. 50. 4. — POENITENTIA. — Luc. 7. 47. — Ho. XXXIII. — Hom. 33. — Hier. 8. 6.

summata mala perfecta diluant lamenta, ne plus adstringantur in debito perpetrati operis, & minùs soluant in fletibus satisfactionis. Scriptum quippe est, *Potum dedit nobis in lacrymis in mensura.* vt videlicet vniuscuiusque mens tantùm pœnitendo compunctionis suæ bibat lacrymas, quantum se adeo meminit aruisse per culpas: quia nullum peccatum Dominus inultum relaxat. aut enim nos hoc flendo insequimur, aut ipse iudicando. Restat igitur, vt ad emendationem suam semper mens solerter inuigilet, & in quo sibi quisque misericorditer subueniri considerat, hoc necesse est vt confitens tergat. Et quoniam fidelis quisque cogitationes in iudicio exquiri subtiliter non ignorat, Paulo attestante, qui ait, *Inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium semetipsum introrsum discutiens*, ante iudicium vehementer examinet, vt districtus iudex eo iam tranquilliùs veniat, quo reatum suum, quem discutere appetit, iam pro culpa punitum cernit, & ignoscendo iam in suo iudicio impunita derelinquit, quæ animaduersione spontanea punita videt, Paulo attestante, qui ait, *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique à Domino iudicaremur.*] Tanto igitur arctiore manu pœnitentiæ mens à pollutione tergenda est, quanto se conspicit sordidiùs inquinatam. Neque enim par fructus esse boni operis debet eius qui minùs, & eius qui ampliùs deliquit, aut eius qui in nullis & eius qui in quibusdam facinoribus cecidit. Per hoc enim quod dicitur, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ,* cuiúsque conscientia conuenitur, vt tanto maiora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quanto grauiora sibi intulit damna per culpam. Ecce ipsa diuina misericordia pollicetur dicens, *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*, & tamen per Prophetam Dominus dicit, quia *quacumque die peccauerit iustus, omnes iustitiæ eius in obliuione erunt coram me.* Pensemus si possumus dispensationem supernæ pietatis. Stantibus si ceciderint minatur pœnam, lapsis verò si surgere appetant, promittit misericordiam. Illos terret ne præsumant in bonis, istos refouet ne desperent in malis. Iustus es, iram pertimesce ne corruas: peccator es, de misericordia confide vt surgas. Ecce autem iam lapsi sumus, stare nequaquam valuimus, in prauis nostris desideriis iacemus: sed qui nos rectos condidit, adhuc exspectat & prouocat vt surgamus, sinum suæ pietatis aperit, nósque à se recipi per pœnitentiam quærit. Sed pœnitentiam digni agere non possumus, nisi modum quoque eiusdem pœnitentiæ cognoscamus. Pœnitentiam quoque agere est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, vt tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc auaritiæ æstibus anhelet? aut quid prodest si iræ culpas iam lugeat, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabescat?] Quo contrà Dominus dicit, *Si quis*

Psal.79.6. Moral.17. cap.17. Ibid.cap.15 & 16. Rom.15. Cap.16. 1.Cor.11.31 Luc.3.8. Homilia xxxiv. Luc.15.7. Ezech.33.13 Matt.16.24

vult post me venire abneget semetipsum. Idem superbus humilis, luxuriosus castus, auarus misericordiæ operibus deditus, inuidus benignus, iracundus patiens fiat, & tollat crucem suam & sequatur Christum. Idem castiget corpus suum per continentiam, & compatiatur proximis per charitatem, vigilans in his virtutibus contra vitia vicina, videlicet in abstinentia contra vanam gloriam, & in animi compassione contra pietatem falsam, quia compassio homini, & rectitudo vitiis debetur, & in vno eodémque homine & diligamus bonum quod factum est, & persequamur mala quæ fecit.

Luc.14.26. Vnde iterum Dominus dicit, *Qui non odit proximos suos, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Tunc etenim bene animam nostram odimus, cùm eius carnalibus desideriis non adquiescimus, cùm eius appetitum frangimus, cùm eius voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur, quasi per odium amatur. Sic etiam exhibere proximis nostris odij discretionem debemus, vt in eis & diligamus quod sunt, & habeamus odio quòd in Dei itinere vel sibi vel nobis obsistunt,] repleti amore mundi vacui Spiritu sancto, de quo dicit Apostolus, *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Quasi quidam titulus diuinæ possessionis est ipse spiritus amoris. Numquidnam spiritum Christi habet is, cuius mentem odia dissipant, elatio inflat, ira vsque ad diuisionem mentis exasperat, inuidia cruciat, luxuria eneruat?] Quisque namque ille est, quem nunc spiritus iste non reparat, profectò ab illius æterni conuiuij refectione ieiunat. Qui ergo in Christum iam credidit, sed adhuc auaritiæ lucra sectatur, in superbia honoris extollitur, inuidiæ facibus inardescit, libidinis se immunditia polluit, prospera quæ in mundo sunt concupiscit, Iesum in quo credidit sequi contemnit.

[Marginal notes: Homilia XXXVII. — Rom.8.9. — Hom.XXIV]

De fuga auaritiæ, superbiæ, luxuriæ, gulæ, inuidiæ, & iræ, déque zelo, & quòd diabolus per hæc maximè vitia semper insidiatus sit. IV.

AVARITIA. 1.Tim.6.10. NAM de auaritia Paulus dicit, *Radix omnium malorum est cupiditas & auaritia quæ est idolorum seruitus.* Cuius voci quisque se tradit, fastidiens propria aliena concupiscit, & plerumque concupita adipisci non valens, dies quidem in otium, noctes verò in cogitationes versat. Torpet ab vtili opere, quia fatigatur inlicita cogitatione. Consilia multiplicat, & sinum mentis cogitationum ventis latiùs expandit. Peruenire ad concupita satagit, atque ad obtinenda hæc quosdam secretissimos causarum meatus quærit. Qui mox vt causæ aliquid subtile inuenisse se æstimat, iam obtinuisse quod cupierat exultat, iam quod etiam adeptæ rei adiungat excogitat, atque vt in meliori statu debeat excoli pertractat. Quam quia iam quasi possi-

det, & quasi ad meliorem statum adducit, mox insidias inuidentium considerat, & quid contra se iurgij moueatur pensat, exquirit quid respondeat, & cùm rem nullam teneat, iam in defensionem rei quam appetit vacuus litigator elaborat. Quamuis ergo nihil de re concupita receperit, habet tamen in corde iam fructum concupiscentiæ, laborem rixæ, cui sic vt sollicitè ambulans cum Deo dicit, *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Ita & auarus, vel cuilibet vitio subiectus, quoniam à quo vitio quis deuincitur, eius seruus efficitur, qui enim facit peccatum seruus est peccati, auaritiæ vel cui vitio seruit, moribus & desiderio dicit, Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper: quia testante Domino, *vbi cuiusquam thesaurus fuerit, ibi & cor eius erit.* Graui itaque populo premitur qui instigantis auaritiæ tumultu vastatur: quoniam auaritia non vna quælibet, sed ea culpa est, de qua omnes oriuntur. Scriptum quippe est, vt prædiximus, *Radix omnium malorum est cupiditas.* Cui ergo cupiditas dominari dicitur, subiectus proculdubio malis omnibus demonstratur. De quo scriptum est, quoniam *confringens nudauit pauperis domum, rapuit & non ædificauit eam, non est satiatus venter eius.* Domum pauperis confringit & nudat, qui eum quem per potentiam conterit, expoliare quoque per auaritiam non erubescit. rapit eam & non ædificat, ac si apertè diceretur, qui hanc ædificare debuit insuper rapit, Venturus namque in iudicio Dominus dicturus est reprobis, *Esuriui & non dedistis mihi manducare*, ex qua culpa subiungit, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Si igitur tanta pœna mulctatur qui non dedisse conuincitur, qua pœna feriendus est qui redarguitur abstulisse? Rapuit ergo & non ædificauit eam, quia non solùm de suo nihil tribuit, sed etiam quod erat alienum tulit.] Et plerumque quidam diuites quanta tribuunt pensant, quanta autem rapiunt considerare dissimulant: quasi mercedem munerant, & perpendere culpas recusant. Audiant itaque quod scriptum est, *Qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.* In sacculo quippe pertuso videtur quando pecunia mittitur, sed quando amittitur non videtur. Qui ergo quanta largiuntur aspiciunt, sed quanta rapiunt non perpendunt, in pertuso sacculo mercedes mittunt, quia profectò has in spem suæ fiduciæ intuentes congerunt, sed non intuentes perdunt.] Et nonnulli diuites huius mundi, cùm fame cruciantur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones, & tot penè quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt. Sunt etiam nonnulli, qui iam sua misericorditer largiuntur, sed se custodire à peccatis negligunt, & venalem Dei iustitiam æstimant, cùm curant pro peccatis nummos tribuere, & arbitrantur se posse inultè peccare. Et sunt nonnulli diuites, qui sufficienter de suis habere possent, si modum cupiditati imponere voluissent. quibus dicitur, *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro*

Psal. 18. 15. Matt. 6. 21. Moral. xv. cap. 12. 1. Tim. 6. 10. Iob 20. 19. Matt. 25. 42. Pastor. III. cap. 21. Aggæi 1. 6. Pastor. III. cap. 21. Esa. 5. 8.

copulatis vsque ad terminum loci, nunquid habitabitis soli vos in medio terræ? ac si apertè diceret, Quousque vos extenditis, qui habere in communi mundo consortes minimè potestis? coniunctos quidem premitis, sed contra quos vos valeatis extendere semper inuenitis. Quibus iterum dicitur, *Væ ei qui multiplicat non sua, vsquequo aggrauat contra se densum lutum.* Auaro quippe densum lutum contra se aggrauare est, terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Vnde iterum scriptum est, *Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias fructus non capiet ex eis.* Fructus quippe ex eis caperet, si benè eas spargere non amando voluisset. quia verò eas diligendo retinet, hîc vtique eas sine fructu derelinquet. de quo scriptum est, *Qui festinat ditari non erit innocens.* Profectò enim qui augere opes ambit, vitare pecatum negligit, & more auium captus, cùm escam terrenarum rerum auidus conspicit, quo stranguletur peccati laqueo non agnoscit: & cùm quælibet præsentis mundi lucra cupidi desiderant, ea quæ de futuro damna patiuntur ignorant. Audiant igitur quod scriptum est, *Quid prodest homini, si totum quod extrà est congregat*, si hoc solum quod ipse est damnat? De quo qui se damnare non timet, & non impletur pecunia, iterum scriptum est, *Non est satiatus venter eius.* Venter quippe iniqui auaritia est, quia in ipsa colligitur quidquid peruerso desiderio glutitur. Liquet verò quia auaritia desideratis rebus non exstinguitur, sed augetur. nam more ignis cùm ligna quæ consumat acceperit excrescit, & vnde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo pòst cernitur dilatari. Et sæpe omnipotens Deus, cùm auaræ menti vehementer irascitur, priùs ei permittit ad votum cuncta suppetere, & post hæc per vltionem subtrahit, vt pro his debeat supplicia tolerare. Vnde & subditur, *Et cùm habuerit quæ concupierat, possidere non poterit.* Maioris quippe iracundiæ est, cùm & hoc tribuitur quod malè desideratur, atque inde repentina vltio sequitur, quia hoc obtinuit quod Deo irascente concupiuit. Solent namque tardiùs apparere diuina iudicia, cùm præpediuntur ne impleri debeant mala vota. Nam quanto citiùs malum votum impleri permittitur, plerumque tanto celeriùs punitur.] Vnde rectè dicitur, *Cùm satiatus fuerit, artabitur.* Priùs quippe anhelat per auaritiam concupita congregare, & cùm quasi in quodam ventre auaritiæ multa congesserit, satiatus artabitur, quia dum anxiatur qualiter adquisita custodiat, ipsa eum sua satietas angustat, quia mens auari, quæ priùs ex abundantia requiem quæsierat, pòst ad custodiam grauiùs laborat, & qui priùs laborem habuit in ipsa suæ concupiscentiæ fatigatione, qualiter concupita raperet, quomodo alia blandimentis, alia terroribus auferret, postquam adquisitis rebus peruenit ad desiderium, alius hunc dolor fatigat, vt cum sollicito timore custodiat quod cum graui labore meminit adquisitum. Hinc inde insidiatores metuit, atque hoc se perpeti quod ipse fecit aliis

Abac. 2. 6. Eccl. 5. 9. Prou. 28. 20. Moralium l. 15. c. 12. Iob 20. 20. Iob 20. 20. Ibid. c. 13. Iob 20. 22.

pertimescit. Formidat potiorem alterum, ne eum sustineat violentum: pauperem verò cùm conspicit, suspicatur furem. Ipsa quoque quæ congesta sunt, curat magnopere ne ex naturæ propriæ defectu per negligentiam consumantur. In his itaque omnibus, quia timor ipse pœna est, tanta infelix patitur quanta pati timet. Post hoc quoque ad gehennam ducitur, æternis cruciatibus mancipatur. Mira autem est securitas cordis aliena non quærere, ex qua videlicet securitate etiam perennis requies nascitur, quia bona & tranquilla cogitatione ad gaudia æterna transitur.] Sed qui in potestate positus Ibid. c.15.
aliis nocet, *fulgurans* dicitur, quia vnde ipse contra bonos quasi ex Iob 20.25.
luce gloriæ extollitur, inde bonorum vita cruciatur.] Qui qua vltione sit feriendus dicitur, *Deuorabit*, inquit, *eum ignis qui non succenditur.* Ibid. c.17. Iob 20.26. quibus paucis verbis miro valdè modo expressus est ignis gehennæ. Ignis namque corporeus, vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cùm necesse est vt seruetur, per congesta ligna proculdubio nutritur, nec valet nisi succensus esse, & nisi refotus subsistere. At contrà gehennæ ignis, cùm sit corporeus, & in se missos reprobos corporaliter exurat, nec ex studio proprio succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret: quia omnipotentis iustitia futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœna reproborum esse semel inciperet, sed ardorem suum etiam sine lignis nunquam finiret. Sciendum verò est, quòd omnes Ibid. c.18.
reprobi, quia ex anima simul & carne peccauerunt, illic in anima pariter & carne cruciantur. Quam videlicet carnem cùm in resurrectione recipient, cum ea gehennæ ignibus ardebunt traditi. Et tunc ab ea abduci appetent, tunc eius tormenta euadere si potuerint quærent, tunc incipient velle vitare quod amauerunt: sed quia eandem carnem Deo contrariam posuerunt, iudicante Deo agetur, vt ex ea ampliùs igne crucientur. Hîc itaque eam ampliùs relinquere non appetent, & tamen ab ea abstrahuntur: illic eam relinquere appetunt, & tamen in ea propter supplicia seruabuntur. Ad augmentum itaque tormenti, & hîc de corpore nolentes educuntur, & illic in corpore tenebuntur inuiti.] & quibus inimicus pedicam cum culpa sub terrenis commodis, & decipulam cum esca, id est luctum cum culpa & prosperitatem cum iniquitate posuit, illic pœnam retributionis effugere non poterunt quam ministrabit. & effugium in dolore constringente, ad orationem atque sapientiam oculis aperientibus sapientia minimè proderit, quia hîc, vbi operari debuerunt & potuerunt, operandi tempus amiserunt, vbi à voluptate clausos cordis oculos habuerunt. Et talis est fructus auaritiæ, & talis sequetur remunerationis effectus. Quæ profectò auaritia bene compescitur, si ipse status ambientis sollicitè consideratur. Nam cur instet ad colligendum, quando stare non potest ipse qui colligit? Cursum er-

go suum quisque consideret, & cognoscat sibi sufficere parua quæ habet. sed fortasse metuit ne in huius vitæ itinere sumptus desit. longa nostra desideria increpat via breuis, incassum multa portantur, cùm iuxta est quò pergitur.

SVPERBIA. ALIVS se tyrannidi superbiæ subiicit, & cor miserum, dum contra homines erigit, vitio substernit. Honorum sublimium infulas appetit, exaltari successibus exquirit, totúmque quod esse desiderat sibi apud semetipsum in cogitationibus depingit. Iam quasi tribunal possidet, iam sibi parere obsequia subiectorum videt, iam ceteris eminet, iam aliis mala irrogat, aliis quia irrogauerint recompensat. Iam apud semetipsum stipatus cuneis ad publicum procedit, iam quibus obsequiis fulciatur conspicit, qui tamen hæc cogitans solus repetit. Iam alia conculcat, alia subleuat, iam de conculcatis satisfacit odiis, iam de subleuatis recipit fauores. Qui igitur tot phantasmata cordi imprimit, quid iste aliud quàm somnium vigilans videt? Quia ergo tot rerum causas quas fingit tolerat, nimirum intrinsecus natas ex desideriis turbas portat. Quasi enim tyrannus quidam obsessam ciuitatem intercipit, cùm mentem superbia irrumpit, & quo ditiorem quemque ceperit, eo in domino durior exsurgit, quia quo ampliùs res virtutis sine humilitate agitur, eo latiùs ista dominatur. Quisquis verò eius in se tyrannidem captiua mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quòd clauso cordis oculo iudicij æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab aliis vel bene geruntur displicent, & sola ei quæ ipse vel prauè egerit placent. Semper aliena opera despicit, semper miratur quod facit: quia & quidquid egerit, egisse se singulariter credit, atque in eo quod exhibet per gloriæ cupiditatem, sibimetipsi fauet per cogitationem, & cùm se in cunctis transcendere ceteros æstimat, per lata cogitationum spatia secum deambulans, laudes suas tacitus clamat. Nonnunquam verò ad tantam elationem mens ducitur, vt in eo quod tumet etiam per ostentationem locutionis effrænetur. Sed tanto facilis ruina sequitur, quanto apud se quisque imprudentiùs exaltatur. Hinc enim scriptum est, *Ante ruinam exaltatur cor*. Hinc per Danielem dicitur, *In aula Babylonis deambulat rex, respondítque & ait, nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris mei?* Sed hunc tumorem quàm concita vindicta represserit, illico adiungit dicens, *Cúmque adhuc sermo esset in ore regis, vox de cœlo ruit, Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, regnum tuum transibit à te, & ab hominibus te eiicient, & cum bestiis & feris erit habitatio tua. fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te.* Ecce quia tumor mentis vsque ad aperta verba te protulit, patientia iudicis protinus vsque ad sententiam erupit, tantóque hunc districtiùs perculit, quanto se eius superbia immoderatiùs erexit: & quia enumeranda bona duxit, in quibus sibi placuit, enumerata mala in quibus feriretur audiuit.] Cunctis

Moralium l.34.c.18.

Prou.6.18.

Dan.4.26.

Ibid.28.

namque superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imagine, electio in incessu, rancor in responsione. Horum semper est vita ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos verò alios importuna, ad ea quæ facere & debet & prævalet ignara, ad ea autem quæ facere nec debet nec prævalet parata. Hæc in eo quod sponte non appetit nullis exhortationibus flectitur, ad hoc autem quod latenter desiderat quærit vt cogatur, quia dum metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in sua voluntate tolerare. Sciendum verò est, quòd ipsa hæc de qua tractamus elatio Moralium l.34.c.18. alios rebus sæcularibus, alios verò ex spiritalibus possidet. Alter namque intumescit auro, alter eloquio, alter infimis & terrenis rebus, alter summis cælestibúsque virtutibus: vna tamen eadémque res ante oculos Dei agitur, quamuis ad humana corda veniens in eorum obtutibus diuerso amictu pallietur. Nam cùm is qui de terrena priùs gloria superbiebat, postmodum de sanctitate extollitur, nequaquam cor eius elatio deseruit, sed ad eum consueta veniens, vt cognosci nequeat vestem mutauit.] Quibus dicitur, *Quid superbit terra & cinis?* Eccli. 10.9. Duo quippe sunt vitia, quæ humano generi immaniter dominantur, Moral. l. 33 cap.3. vnum videlicet spiritus, atque aliud carnis: elatio namque spiritum erigit, luxuria carnem corrumpit.

ANTIQVVS itaque hostis humanum genus vel per elationem præcipuè, Lvxvria. vel per luxuriam premens, in secreto calami atque in locis humentibus dormit, quia damnatum hominem sub ditionibus suæ damnationis aut per elationem spiritus aut per carnis corruptionem tenet.] sicut scriptum est, *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes affer, affer.* Prou. 30.15 Sanguisuga est diabolus, qui siti peccandi ad peccata suadendo incessanter accenditur. Huic duæ sunt filiæ, quia duæ specialiter humani generis illecebræ hunc antiqui hostis imitantes ardorem, luxuria videlicet & philargyria. Nam & luxuriæ quo liberiùs fræna laxantur, eo noxiùs delectatur, & sicut quidam ait poetarum,

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Iuuenal. Sat. 14.

Quosdam verò in his omnibus possidet, quia cùm eos superbiæ spiritus eleuat ad tumorem suæ altitudinis, inuerecundæ corruptioni inclinat, atque auaritiæ insatiabilitati substernit. Perpendant igitur luxuriosi, qualem inhabitatorem scilicet diabolum habeant, qui sicut scriptura dicit, in locis humentibus, id est in lasciuis & luxuria fœtentibus cordibus requiescit, quos secum ad æterna tormenta per luxuriam præparat. De quibus scriptum est, *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibus ignis.* Esa. 9.5 quia corpus, quo vestitur anima, pollutum carnalibus operibus, nisi lacrymis lotum & dignis pœnitentiæ fructibus fuerit expiatum, in æterni ignis combustione ardebit. Ho. xxxi. Tales enim Scriptura denotat dicens, *Computruerunt iu-* Ioel. 1.17.

menta in stercore suo. Iumenta computrescere in stercore suo est, carnales quosque in fœtore luxuriæ vitam finire. Quoties itaque carnalem mentem de suis peccatis prædicatores increpant, quoties ad eius memoriam vitia antè acta redeunt, quasi infructuosæ arbori cophinum stercoris versant, vt malorum quæ egit memoriam recolat, & ad compunctionis gratiam quasi de fœtore pinguescat. Mittitur ergo cophinus stercoris ad radicem arboris, quando prauitatis suæ conscientia tangitur memoria cogitationis, cúmque se per pœnitentiam ad lamenta mens excitat, cúmque ad bonæ operationis gratiam reformat, quasi per tactum stercoris redit ad fœcunditatem operis radix cordis. plangit quod fecisse se meminit, displicet sibi qualem fuisse se recolit, intentionem contra se dirigit, atque ad meliora animum accendit. Ex fœtore igitur ad fructum reuiuiscit arbor, quia de consideratione peccati ad bona se opera resuscitat ani-
1.Cor.6.18. mus.] exaudiens Paulum dicentem, *Fugite fornicationem.* & Salomo-
Prou.5.9. nem, *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.* id est, ne honorem, quò ad imaginem Dei creatus es, immundorum spirituum voluptatibus subdas, neque accepta viuendi spatia ad libitum aduersarij minutis expendas. Cuicumque enim sceleri quisque subiicitur, in hoc profectò dominatui malignorum spirituum mancipa-
Ibid.10. tur. Vnde & dicitur, *Ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena.* id est, ne dæmoniorum facta adiuues, si vel ingenium animi, vel corporis tui vires, ad patranda facinora contradas, domúmque alienam, id est numerum perditorum te adiecto multiplices: & gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes & corpus tuum, id est in pœnis gemere cogaris, quando non solùm carnales illecebræ transeunt, sed & ipso corpore derelicto, anima quæ corpus gessit cuncta reddere compellitur. Considerent luxuriosi, quia cùm Dominus carnis sceleribus seruientibus commissa punire decreuisset, in ipsa qualitate vltionis notauit maculam criminis,
Gen.19.24. cùm sulphur & ignem super eos pluit, sicut sacra prodit historia. Quid enim in sulphure, nisi fœtor carnis, & quid per ignem nisi ardor desiderij carnalis exprimitur? Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad peruersa desideria ex carnis fœtore arserant, dignũ fuit vt simul cum sulphure & igne perirent: quatenus ex iusta pœna discerent ex iniusto desiderio quid fecissent. Ex hac vindicta, quam in corpore positi luxuriosi sustinuerunt, perpendere debent luxuriantes quid in æterno igne simul cum anima & corpore sustinebunt, vbi
Esa.66.24. *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur,* nisi per dignos pœnitentiæ fructus, & per conuenientia lamenta deserentes mala, & facientes bona, maculas carnis simul & corda studuerint emundare. Verùm & in hac vita sæpiùs contingit, vt qui in adolescentia luxuriosè viuendo habita dispersérant, tempore senectutis inopia deficiant, & refrigescenti calore carnis, ac flore iuuentutis

mar-

marcescente, rebus suis quas lasciuè vendiderant alios vti conspiciant, gementésque sera pœnitentia dicant quæ sequuntur, *Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum?* Nonnulla namque peccata animam polluunt, crimina verò extinguunt. Vnde beatus Iob crimen luxuriæ definiens ait, *Ignis est vsque ad perditionem deuorans.* quia nimirum reatus facinoris, non vsque ad participationem maculat, sed vsque ad perditionem deuorat. Et quia quælibet alia fuerint bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate huius criminis obruuntur, secutus adiunxit, *& omnia eradicans genimina.* Genimina quippe sunt operationes bonæ animæ. Cui tamen si peruerso ordine caro dominatur igne luxuriæ, omnia bene prolata concremantur. Nulla quippe ante omnipotentis Dei oculos iustitiæ pietatísque sunt opera, quæ corruptionis contagio monstrantur immunda.] Et quia pro ordine membrorum distribuitur sæpè ordo vitiorum. Nam venter cibo & vino distentus facilè despumat in libidines, sicut & fimus complutus facilè vermes generat. Prou. 5. 12. Moralium lib. 21. c. 9. Iob 21. 12.

NONNVLLI ordinem certaminis ignorantes edomare gulam negligunt, & iamiam ad spiritalia bella consurgunt. Qui aliquando multa etiam quæ magnæ sunt fortitudinis faciunt, sed dominante gulæ vitio, per carnis illecebram omne quod fortiter egerint perdunt: & dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cunctæ virtutes obruuntur. Vnde & Nabuchodonosor vincente scribitur, Princeps cocorum destruxit muros Hierusalem. Princeps namque cocorum est venter, cui cum magna cura obsequium à cocis impenditur, vt ipse delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Hierusalem, virtutes sunt animæ ad desiderium supernæ pacis eleuatæ. Cocorum igitur princeps muros Hierusalem deiicit, quia dum venter ingluuie tenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.] Quo contra Dominus dicit in Euangelio *Adtendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius sæculi.* Vbi vtilis quoque pauor adiungitur, *Et superueniat in vos dies illa repentina: tanquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.* Admonendi sunt gulæ dediti, ne in eo quòd escarum delectationi incumbunt, luxuriæ se mucrone transfigant. quanta sibi per esum loquacitas, quanta mentis leuitas insidietur aspiciant, ne dum ventri molliter seruiunt, vitiorum laqueis crudeliter adstringantur.] Quia enim gulæ deditos leuitas protinus operis sequitur, auctoritas sacra testatur dicens, *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Quos plerumque edacitas vsque ad luxuriam pertrahit: quoniam dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur. Vnde & hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentia pomi aperuit, sed in peccati laqueo constrinxit, diuina voce dicitur, *Pectore & ventre repes.* ac si ei apertè diceretur, Cogitatione & ingluuie super humana corda dominaberis. Tanto enim longiùs à secundo parente scilicet Christo receditur, quanto per im- Gula. Pastor. 111 cap. 20. 4. Reg. 25. 8. Luc. 21. 34. Pastoral. ibidem. Exod. 32. 6. Gen. 3. 14.

moderatum vsum, dum manus ad cibum tenditur, parentis primi, id est Adæ terreni, lapsus iteratur. Sciendum est etiam, quia quinque nos modis vitium gulæ tentat. Sed cur eosdem modos hîc exponere debeam? cùm non solùm ex vsu iam ebrietas apud multos teneatur, verùm etiam quidam miseri homines, quasi pro virtute se iactent & glorientur, quia multùm bibere & alios inebriare possint, non adtendentes quòd Dominus per Prophetam comminatur di-

Esa.5.22. cens, *Veh his qui potentes sunt ad bibendum vinum, & viri fortes ad mi-*

Ephes.5.18. *scendam ebrietatem.* & per Apostolum præcipit, *Nolite inebriari vino in*

1.Cor.6.10 *quo est luxuria*, quia *ebriosi regnum Dei non possidebunt.* & Salomon,

Prou.31.4. *Noli regibus*, inquit, *ô Lamuel, noli regibus*, id est omnibus in omni ordine ac sexu qui se & alios regere debent, *dare vinum immoderatè, quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas, ne fortè bibant & obliuiscantur iudiciorum iustorum, & mutent causam filiorum hominum.* & item

Eccli.31.35. sacra Scriptura dicit, *Vinum in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem ab initio. exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum: sa-*

Ibid.23. *nitas est & corporis & animi, sobrietas potus. Vigilia est enim & cholera viro infrunito.* & modestus ac temperatus cibus & carni & animæ

Ibid.38. vtilis est, *Vinum multùm potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. amaritudo animi vinum multum potatum. ebrietatis animositas imprudentis offensio, minorans virtutem & faciens vulnera. In conuiuio vini non arguas proximum, & non despicias eum in iucunditate illius: verba im-*

Eccli.19.1. *properij non dicas illi, & non premas. Operarius ebriosus non locupletabitur, vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguunt sensatos, & qui se iungit fornicariis erit nequam, putredo & vermes hereditabunt illum.*

INVIDIA. Moralium lib.5.c.31. ALIVS se inuidiæ dominio subiicit. cui necesse est considerare, quia quamuis per omne vitium quod perpetratur humanis cordibus antiqui hostis virus infundatur, in hac tamen nequitia tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ peste mouet. De

Sap.2.24. quo nimirum scriptum est, *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Nam cùm deuictum cor liuoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant quàm grauiter animum vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigescunt. fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor. Cúmque in latebris cordis crescens absconditur odium, dolore cæco terebrat conscientiam vulnus inclusum. Nil lætum de propriis libet, quia tabescentem mentem sua pœna sauciat, quam felicitas torquet aliena. Quantáque extranei operis in altum fabrica iacitur, tanto fundamentum mentis liuidæ profundiùs suffoditur, vt quo alij ad meliora properant, eo ipsa deteriùs ruat. Qua ruina videlicet etiam illud destruitur, quod in aliis actibus perfecto opere surrexisse putabatur. Nam inuidia cùm mentem tabefecerit, cuncta quæ inuenerit bene gesta consumit. Vnde bene per Salomonem di-

Prou.14.30 citur, *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium inuidia.* Quid enim per carnem, nisi infirma quædam ac tenera, & quid per ossa, nisi fortia

acta signantur? Et plerumque contingit, vt quidam cùm vera cordis innocentia in nonnullis suis actibus infirmi videantur, quidam verò iam quædam ante humanos oculos robusta exerceant, sed tamen erga aliorum bona intus inuidiæ pestilentia tabescant. Bene ergo dicitur, *Vita carnium sanitas cordis*, quia si mentis innocentia custoditur, etiam si qua foris infirma sint quandoque roborantur. Et rectè subditur, *Putredo ossium inuidia*, quia per liuoris vitium ante Dei oculos pereunt etiam fortia acta virtutum. Ossa quippe per inuidiam putrescere est, quædam etiam robusta deperire. Sed cur hæc de inuidia dicimus, si non etiam qualiter eruatur intimemus? Difficile namque est, vt hoc alteri non inuideat, quod adipisci alter exoptat: quia quidquid temporale percipitur, tanto fit minùs singulis, quanto diuiditur in multis: & idcirco desiderantis mentem liuor excruciat, quia hoc quod appetit, aut funditus alter accipiens adimit, aut à quantitate restringit. Qui ergo liuoris peste plenè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat. quæ & omnibus vna est, & singulis tota: quæ tanto largior ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur. Imminutio ergo liuoris est affectus surgens internæ dulcedinis, & plena mors eius est perfectus amor æternitatis. Nam cùm mens ab huius rei appetitu retrahitur, quæ accipientium numero partitur, tanto magis proximum diligit, quanto minùs ex profectu illius sua damna pertimescit. quæ si perfectè in amorem cælestis patriæ rapitur, plenè etiam in proximi dilectione solidatur: quia cùm nulla terrena desiderat, nihil est quòd eius erga proximum caritati contradicat. Quæ nimirum caritas quid est aliud, quàm mentis oculus, qui si terreni amoris puluere tangitur, ab internæ lucis mox intuitu læsus reuerberatur?]

ALIVS iræ se dominio strauit. ecquid in corde nisi iurgia etiam quæ desunt peragit? Hic sæpè præsentes non videt, absentibus contradicit. inter semetipsum contumelias profert & recipit: receptis autem duriùs respondet, & cùm qui obuiet nullus adsit, magnis clamoribus rixas in corde componit. Turbam itaque hic intus sustinet, quem pondus vehemens inflammatæ cogitationis premit. Quanta sit ergo iracundiæ culpa pensemus, per quam mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiatur. Per iram sapientia perditur, vt quid quóve ordine agendum sit omnino nesciatur, sicut scriptum est, *Ira in sinu stulti requiescit.* quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cùm mentem promouendo confundit. Per iram vita amittitur, etsi sapientia teneri videatur, sicut scriptum est, *Ira perdit etiam prudentes.* quia scilicet confusus animus nequaquam explet, etiam si quid intelligere prudenter valet. Per iram iustitia relinquitur, sicut scriptum est, *Ira viri iustitiam Dei non operatur.* quia dum turbata mens iudicium suæ rationis exasperat, omne quod for-

IRA. Moralium lib.5.c.30. Eccle.7.10. Iac.1.20.

titer ſuggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ ſocialis amittitur, ſicut ſcriptum eſt, *Noli eſſe aſſiduus cum homine iracundo, ne diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ tuæ.* quia qui ſe ex humana ratione non temperat, neceſſe eſt vt beſtialiter ſolus viuat. Per iram concordia rumpitur, ſicut ſcriptum eſt, *Vir animoſus parit rixas, & vir iracundus effundit peccata.* Iracundus quippe peccata effundit, quia etiam malos quos incautè ad diſcordiam prouocat peiores facit. Per iram lux veritatis amittitur, ſicut ſcriptum eſt, *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* quia cùm iracundia menti confuſionis tenebras incutit, huic Deus radium ſuæ cognitionis abſcondit. Per iram ſancti Spiritus ſplendor excluditur. quo contrà, iuxta vetuſtam tranſlationem ſcriptum eſt, *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos?* Cùm enim humilem diceret, quietum protinus adiunxit. Si ergo ira quietem mentis ſubtrahit, ſuam ſancto Spiritui habitationem claudit: cuius receſſione animus vacuus ad apertam mox inſaniam ducitur, & vſque ad ſuperficiem ab intimo cogitationum fundamento diſſipatur. Nam iræ ſuæ ſtimulis accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti. Ore quidem clamorem format, ſed ſenſus quid loquitur ignorat. In quo itaque iſte ab arreptitiis longè eſt, qui actionis ſuæ conſcius non eſt? Vnde fit plerumque, vt vſque ad manus ira proſiliat, & quo ratio longiùs recedit, audacior exſurgat: ſéque ipſum retinere animus non valet, quia factus eſt poteſtatis alienæ, & eo furor membra foras in ictibus exerit, quo intus ipſam membrorum dominam mentem captiuam tenet. Aliquando autem manus non exerit, ſed in maledictionis iaculum linguam vertit. Fratris namque interitum precibus expoſcit, & hoc Deum perpetrare expetit, quod ipſe peruerſus homo facere vel metuit, vel erubeſcit. Fítque vt voto & voce homicidium peragat, etiam cùm à læſione proximi manibus ceſſat. Aliquando ira perturbato animo quaſi ex iudicio ſilentium indicit, & quo ſe foras per linguam non exprimit, intus deterior igneſcit, vt iratus quiſque collocutionem ſuam proximo ſubtrahat, & nihil dicendo quàm ſit auerſus dicat. Et nonnunquam hæc ſilentij ſeueritas diſciplinæ diſpenſationem gerit, ſi tamen ſollicitè in intimis diſcretionibus forma teneatur. Nonnunquam verò, dum accenſus animus à conſueta locutione reſtringitur, per acceſſum temporis penitùs à proximi dilectione ſeparatur, & acriores ſtimuli ad mentem veniunt, cauſæ quoque quæ grauiùs exaſperant oriuntur, atque in irati oculo feſtuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur. Plerumque ira per ſilentium clauſa intra mentem vehementiùs æſtuat, & clamoſas tacita voces format. Verba ſibi quibus exaſperatur obiicit, & quaſi in cauſæ examine poſita, duriùs exaſperata reſpondet, quod Salomon breuiter

Prou. 22. 24.
Prou. 16. 21
Ephes. 4. 26

insinuat dicens, *Præstolatio impiorum furor.* Sicque fit vt perturbatus animus maiorem strepitum in suo silentio sentiat, cùm eum grauiùs clausa flamma consumit. Vnde bene ante nos quidam sapiens dixit, Cogitationes iracundi vipereæ sunt generationes, mentem comedunt matrem suam. Sciendum verò est, quòd nonnullos ira citiùs accendit, faciliùs deserit: nonnullos verò tardè quidem commouet, sed duriùs tenet. Alij namque, accensis calamis similes, dum vocibus perstrepunt, quasi quosdam accensionis suæ sonitus reddunt: citiùs quidem flammam faciunt, sed protinus in fauillam frigescunt. Alij autem, lignis grauioribus durioribúsque non dispares, accensionem tardi suscipiunt, sed accensi semel difficiliùs extinguuntur, & quia se tardiùs in asperitatem concitant, furoris sui duriùs ignem seruant. Alij autem, quod est nequius, & citiùs iracundiæ flammas accipiunt, & tardiùs deponunt. Nonnulli verò has & tardè suscipiunt, & citiùs amittunt. In quibus nimirum quatuor modis liquidò lector agnoscit, quia & ad tranquillitatis bonum vltimus plus quàm primus appropinquat, & in malò quidem secundum tertius superat. Sed quid prodest quòd iracundia quomodo mentem teneat dicimus, si non etiam qualiter compesci debeat exprimamus? Duobus etenim modis fracta possidere animum ira desuescit. Primus quippe est, vt mens sollicita, antequam agere quidlibet incipiat, omnes sibi quas pati potest contumelias proponat, quatenus redemptoris sui probra cogitans, ad aduersa toleranda se præparet. Quæ nimirum venientia tanto fortiùs excipit, quanto se cautiùs ex præscientia armauit. Qui enim improuidus ab aduersitate deprehenditur, quasi ab hoste dormiens inuenitur, eúmque citiùs inimicus necat, quia non repugnantem perforat. Nam qui mala imminentia per sollicitudinem prænotat, hostiles incursus quasi in insidiis vigilans expectat, & inde ad victoriam valenter accingitur, vnde nesciens deprehendi putabatur. Solerter ergo animus ante actionis suæ primordia cuncta debet aduersa meditari, vt semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid accesserit prouidus superet, & quidquid non accesserit lucrum putet. Secundus autem seruandæ mansuetudinis modus est, vt cùm alienos excessus aspicimus, nostra quibus in aliis excessimus delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui meminit quòd fortasse adhuc habeat in quo debeat ipse tolerari. Et quasi aqua ignis extinguitur, cùm surgente furore animi sua cuique ad mentem culpa reuocatur, quia erubescit peccato non parcere, qui vel Deo vel proximo sæpe recolit parcenda peccasse.

Prou. 11. 23.

Sed inter hæc solerter sciendum est, quòd alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, diuinæ animaduersionis Zelus.

impetum Phinees per gladium nõ placasset. Hanc iram quia Heli non habuit, motũ contra se implacabiliter supernæ vltionis excitauit. Nam quo contra subditorum vitia tepuit, eo contra illum districtio æterni
Psal. 4. 5. rectoris exarsit. De hac ira per Psalmistam dicitur, *Irascimini & nolite peccare.* Quod nimirum non rectè intelligunt, qui irasci nos nobis tantummodò, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos vt nos amare præcipimur, restat vt sic eorũ erratibus sicut nostris
Eccles. 7. 4. vitiis irascamur. De hac per Salomonem dicitur, *Melior est ira risu,* quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. De hac ite-
Psal. 6. 8. rum Psalmista ait, *Turbatus est præ ira oculus meus.* Ira quippe per vitium oculum mentis excæcat, ira autem per zelum turbat: quia quo saltem recti æmulatione concutitur, ea quæ nisi tranquillo corde percipi non potest contemplatio dissipatur. Ipse namque zelus rectitudinis, quia inquietudine mentem agitat, eius mox aciem obscurat, vt altiora in commotione non videat, quæ bene priùs tranquilla cernebat. Sed inde subtiliùs ad alta reducitur, vnde ad tempus ne videat reuerberatur. Nam ipsa recti æmulatio æterna post paululum in tranquillitatem largiùs aperit, quæ hîc interim per commotionem claudit, & vnde mens turbatur ne videat, inde proficit vt ad videndum veriùs clarescat, sicut infirmanti oculo cùm collyrium immittitur, lux penitùs necatur, sed inde eam post paululum veraciter recipit, vnde hanc ad tempus salubriter amittit. Nunquam verò commotioni contemplatio iungitur, nec præualet mens perturbata conspicere ad quod vix tranquilla valet inhiare. quia nec solis radius cernitur, cùm commotæ nubes cæli faciem obducunt: nec turbatus fons respicientis imaginem reddit, quam tranquillus propriè ostendit, quia quo eius vnda palpitat, eo in se speciem similitudinis obscurat. Sed cùm per zelum animus mouetur, curandum summopere est, ne hæc eadem, quæ instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, ne quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, à rationis tergo nunquam recedat. Tunc enim robustiùs contra vitia exigitur, cùm subdita rationi famulatur. Nam quantumlibet ira ex zelo rectitudinis surgat, si immoderatè mentem vicerit, rationi protinus seruire contemnit, & tanto se impudentiùs dilatat, quanto impatiẽtiæ virus virtutẽ putat. Vnde necesse est, vt hoc ante omnia qui zelo rectitudinis mouetur attendat, ne ira extra mentis dominium transeat, sed in vltione peccati tempus modúmque considerans, surgentẽ animi perturbationem subtiliùs pertractando restringat, animositatem reprimat, & motus feruidos sub æquitate disponat, vt eo fiat iustior vltor alienus, quo priùs extitit victor suus. quatenus sic culpas delinquentium corrigat, vt antè ipse qui corrigit per patientiam crescat, vt feruo-
Moral. xiv. cap. 13. rem suum transcendendo diiudicet, ne intemperanter excitatus, ipso zelo rectitudinis longè à rectitudine aberret.] Quoniam qui semetipsum priùs non iudicat, quid malum rectè iudicet ignorat. & si nouit

fortasse per auditum quod rectè iudicare debeat, tamen iudicare aliena merita non valet, cui conscientia innocentiæ propriæ nullam iudicij regulam præbet. Priùs enim ipsi purgandi sunt, per quos aliorum culpæ feriuntur, vt ipsi iam mundi per vltionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant, & cùm contra nos vltio diuini examinis cessat, nostra se conscientia ipsa reprehendat, atque ad lamenta pœnitentiæ ipsa se contra semetipsam erigat, nec contra bonos elata, & sibi humilis, sed contra se rigida sit, bonis verò omnibus submissa. Summopere igitur hæc vitia vnicuique tendenti ad æternam vitam cauenda sunt, per quæ diabolus genus humanum ad æterna supplicia trahere festinat, & hoc ab initio generis humani incepit, & per omne tempus sæculi huius in hoc suum studium exercet. Superbiæ quidem faciem menti Euæ supposuit, cùm hanc ad contemnenda verba Dominicæ iussionis instigauit. Inuidiæ quoque flamma Cain animum succendit, cùm de accepto fratris sacrificio doluit, & per hoc vsque ad fratricidij facinus peruenit. Luxuriæ facibus cor Salomonis exussit, quem tanto mulieribus amore subdidit, vt vsque ad idolorum venerationem deductus, dum carnis delectationem sequitur, conditoris reuerentiæ obliuisceretur. Auaritia quoque Achab animum concremauit, cùm eum ad appetendam vineam alienam impatientibus desideriis impulit, & per hoc vsque ad reatum homicidij pertraxit. Hæc est Moral. XIV. cap. 26.
enim amphora os apertum habens, quam vidit Zacharias propheta Zach. 5.
ferri à duabus mulieribus, quæ habebant alas milui ad rapacitatem volantes: in cuius amphoræ medio sedebat mulier, quæ proiecta est in medio amphoræ, & missa est in os eius massa plumbea. Duæ enim mulieres habentes alas quasi alas milui, duo sunt principalia vitia, superbia videlicet & vana gloria, ferentes amphoram os apertum habentem, id est, auaritiam lucris inhiantem. In cuius medio sedit mulier, id est impietas. in cuius scilicet impietatis os massa plumbea mittitur. quæ impietas auaritiæ suæ pondere grauatur, quia cuius mentem auaritia infecerit, ita grauem reddit, vt ad appetenda cælestia sublimia attolli nequaquam possit. Vnde præcipit Dominus, vt gibbum tolerans, id est terrenis inhians, non offerat panes Domino suo. Et superbia & vana gloria habent spiritum in alis miluinis: quoniam actiones illarum diabolo sunt proculdubio similes, qui insidiatur semper vitæ paruulorum. Et leuant ipsam amphoram, scilicet cupiditatem, inter terram & cælum, quia superbia & vana gloria hoc proprium habent, vt eum quem infecerint in cogitatione sua super ceteros homines extollant, & modò per ambitum rerum, modò per desiderium dignitatum, quem semel captum tenuerunt quasi in honore altitudinis eleuant, & mentem per auaritiam ita eleuant, vt quoslibet proximos despicientes quasi deserant, & alta gloriantes expetant. Sed tales quique, dum superbiunt, & eos mente transeunt cum

quibus sunt, & superioribus ciuibus minimè iunguntur. Et ipsa amphora dicitur portari in terram Sennaar, quæ interpretatur fœtor eorum. quia radix est omnium malorum cupiditas, & quia quodlibet malum per auaritiam gignitur, dignum est vt domus auaritiæ in fœtore construatur, quæ nonnullos cogit timoris vel amoris Dei obliuisci, & boni nominis opinionem relinquere, & sanctæ religio-
2.Cor.2.15. nis ac fidei odorem, vnde scriptum est, *Christi bonus odor sumus Deo.*

De iuramentis & periuriis, quòd sine dolo iurandum, & fides etiam hosti seruanda sit. & de curiositate, detractione, peccatísque cogitationum. V.

IVRAMENTA. De iuramentis vitandis negligere, & sæpè quosdam ad fallaciam, & vt ipsa fallacia abscondi possit, solent non solùm ad iurationem, sed & interdum ad periurium impellere, præter illam iurationem quæ ex mala consuetudine hominum vsibus inole-
Eccli.23.11 uit, cùm scriptura dicat, *Vir multùm iurans non iustificabitur.* Consuetudo enim eius non est bona. Quantum verò temeritatem iurandi vitare debeamus, & ipse in Euangelio Dominus, & Iacobus
Matt.5.34. Luc.5.12. in epistola sua docet dicens, *Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque per aliud quodcumque iuramentum. sit autem sermo vester, est est, non non, vt non sub iudicio decidatis.* illo videlicet iudicio, sub quo decidit Herodes, vt vel peierare, vel periurium cauendo aliud necesse haberet patrare flagitium. At si aliquid fortè nos incautiùs iurasse contigerit, quod obseruatum scilicet peiorem vergat in exitum, consilio salubriori mutandum nouerimus. Non solùm autem in iurando, sed in omni quod agimus, hæc est moderatio solertiùs obseruanda, vt si talem fortè lapsum versuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliquo peccati surgere contagio non possimus, illum potiùs euadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpessuros esse cernamus: & iuxta exemplum illorum, qui hostilibus clausi muris, dum euadere desiderant, sed portarum omnium accessum sibi interdictum considerant, ibi necesse est desiliendi locum eligant, vbi muro existente breuiore minimum periculi cadentes incurrant. Non tamen negligendum est cuiquam, quod aut necessitate cogente, aut ira impellente, aut cupiditate prouocante, in nomine Domini peierauit: sed secundùm modum culpæ necesse est vt subsequatur abstergens culpam pœnitentia, Domino per Ezechielem prophetam de Sedechia rege terribiliter into-
Ezech.17.16. nante, *Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam cuius fecit irritum iuramentum, & soluit pactum quod habebat cum rege Babylonis, in me-*
FIDES INTER HOSTES. *dio Babylonis morietur. Spreuerat enim iuramentum vt solueret fœdus, & cùm omnia hæc fecerit, non effugiet.* Ex quo discimus, etiam inter hostes seruandam fidem, & non considerandum cui, sed per quem

quem iuraueris. Multo enim fidelior inuentus est ille qui propter nomen Dei tibi credidit & deceptus est, quàm ille qui per occasionem diuinæ maiestatis hosti tuo, imò iam amico, est molitus insidias. *Ecce*, inquit, *dedit manum suam regi Ægypti, & tradidit se in manus eius*, & periurio contra Dominum commisit sacrilegium. Sententia enim sæcularis est, *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* quam solent nobis opponere qui dicunt hostes fraude decipiendos. Cui vt acquiescamus, multo peius fecit Sedechias. Non enim hostem decepit, sed amicum cui fœdere domini fuerat copulatus. Ergo quandiu non iures, & pactum non ineas sub nomine Domini, prudentiæ est & fortitudinis, vel decipere vel superare aduersarium vtcumque potueris. Cùm autem te constrinxeris iuramento, nequaquam aduersarius sed amicus est qui tibi credidit, & sub occasione iurisiurandi, id est, Dei nuncupatione deceptus est. *Propterea*, scriptura nunc dicit, *iuramentum quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est, ponam in caput eius*. Ac ne putaremus iuramentum & fœdus & pactum regis esse Babylonij vel Sedechiæ qui fecerat, sequitur in propheta, *In præuaricatione qua despexit me*. Ergo qui contemnit iuramentum, illum despicit per quem iurauit, illique facit iniuriam, cuius nomini credit aduersarius. Propter quam causam, *Expandam*, inquit Dominus, *super eum rete meum, & comprehendetur in sagena mea, & adducam eum in Babylonem, & diiudicabo eum illic.* Quidquid verò contra Sedechiam fecit Nabuchodonosor, non suis viribus fecit, sed ira Dei, in cuius nomine fuerat periuratus. Legimus enim Sedechiam captum esse & ductum in Reblata, ibíque interfectis filiis in oculis eius excæcatum, & instar feræ clausum cauea translatum in Babylonem. Et sunt nonnulli, qui arte per dolum iurantes vt decipiant eum erga quem iurant, non se putant reos esse periurij, contradicente Dei spiritu per prophetam, *Quis ascendet in montem Domini, & stabit in loco sancto eius? Qui non iurauit in dolo proximo suo.* Per dolum itaque iurat, quisquis aliter facturus est quàm promittit, credens periurium non esse decepisse nequiter credentis errorem. Iurare enim dictum est quasi iure orare, id est iustè loqui. Tunc enim quispiam iustè loquitur, quando ea quæ promittit implentur. Multi enim sunt, qui dolosè iurant vt decipiat proximum. quod abominatur pater luminum Dominus, dicente Petro, *Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Qua in re hoc quoque oportet intendi, quòd mendaces fabricatores mendacij dicuntur. Sicut enim ædificium lapidibus, ita mendacium sermonibus fabricatur. vbi enim nō dolosa locutio, sed sensus est veritatis, quasi munita moles non ex fabrica sed ex natura cōsurgit. Vnde scriptum est, *Qui loquitur veritatem in corde suo, & non egit dolum in lingua sua*. Cauendum est igitur iuramentū, multo magis autem periurium. At si iurandi necessitas perurget & arctat, id puris verbis & mente pia gerendum est. Nec iurans verbi arte se putet fallere Dominum posse, cui nihil absconsum est, cui corda cuncta patent, qui non accipit

Virgil. Æneid. 2.
Ezech. 17. 19.
Ibid. 20.
Ezech. 17. 20.
Hier. 52. 5.
Psal. 23. 3.
Act. 5. 4.
Psal. 23. 4.

ſicut quis iurat, ſed vt is cui iuratur iuraſſe putat. Per dolum ergo iurans vtrique reus habetur, nempe Deo cuius nomen in vanum aſſumpſit, & fratri quem atra fraude parauit fallere atque decipere: & de vtroque neceſſe eſt vt digna pœnitentia ſubſequatur, videlicet quia nomen Dei aſſumpſit in vanum, & quia contra Dei præceptum dolo fefellit fratrem. Falſa enim agens, falſa loquens, quamuis animo trepidet vt pateat iaculis veritatis, & ſi deprehenſus fuerit gloriam perdat fauoris, & quamuis eum conſcientia accuſet quia ſcienter peccat, cupiditate tamen vincitur, & ſubpreſſo fauore audaciam de iniquitatibus ſumit: & ſæpè etiam vltione menti propoſita ſe contra Deum erigit, & quælibet ab eo aduerſa perpeti deliberat, dummodò hîc dum valet omne quod placet agat. Vnde velut ſcri-
Pſal.5.8. ptura dicit, *Sicut virum ſanguinum, ita & doloſum abominabitur Domi-*
Pſal.11.3. & 4. *nus.* & omnis Eccleſia imprecatur de his qui *in corde & corde locuti ſunt, vt diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa.* & item ſcriptura dicit, *Maledictus vir doloſus, & muta fiant labia doloſa.* Pertimeſcere igitur debent iurantes, imò periurantes doloſi in nomine Chriſti & ſanctorum eius, quia abominabuntur à Domino vt viri ſanguinum, id eſt qui humano cruore polluuntur: quoniam ſicut illi occidunt, ita & iſti decipiunt viuentes. Quàm immane autem atque mortale peccatum ſit homicidium, in quo & diſcretio ſolet eſſe, ſicut & in peccatis ceteris, & ipſa natura, & ſancta ſcriptura, & diuina atque humana iudicia patenter oſtendunt. Vnde & in Leuitico dicitur,
Leuit.24.17. *Qui percuſſerit & occiderit hominem morte moriatur*, & Apoſtolus, *Qui*
1.Ioan.3.15. *odit*, inquit, *fratrem ſuum homicida eſt, & ſcimus quia omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.* Et talibus peccatoribus doloſi iunguntur. Multa enim periuria fiunt, quæ propria voluntate non agimus: doloſi autem ſcientes malum operantur alienum exitium. propterea merito vt ſanguinarij à Domino abominantur, & ſanctos qui pro veritate vſque ad mortem decertauerunt, in quorum periurant nomine, non adiutores, ſed iudices & condemnatores in diſtricto examine inuenient, quos ſocios in veritatis atque iuſtitiæ aſſertione habere contempſerunt, & teſtificationi ſuæ falſitatis teſtes veritatis adhibuerunt, qui cum Domino vt viros ſanguinum, ita & doloſos abominantur, quia quorum animæ intùs omnipotentis Dei claritatem vident, nullomodò credendum eſt quia ſit foris aliquid quod ignorent. & nihil in creatura agitur quod videre non poſſint, & quæ abominanda inluſtrante veritate cognoſcunt, eidem veritati inhærentes abominantur. Nec tamen earum beatitudinis claritatem fuſcat aſpecta iniquitas vel pœna reproborum. ſed potiùs hinc earum gaudium creſcit, cùm mala iniquorum conſpiciunt, quòd Dei miſericordia euaſerunt: & tanto maiores ereptori ſuo gratias referunt, quanto vident in aliis quod ipſi perpeti ſi eſſent relicti potuerunt. & prædicente veritate,

Testis falsus non erit impunitus, videlicet qui aut scienter contra veritatem falsa testificatur, aut vera vt veritatem peruertat, & studio impunitionis recitet iusta, tales testes velut veritati concordantes exultant. Et sunt quidam, qui non se lædi aut leuiùs lædi putant, si non ipsi per se falsò vel dolosè iurant; sed alios pro se sua vice iurare faciunt. & non attendunt quia in eo iure aut fallente diabolo decipiuntur, aut seipsos scienter ipsi ad deprecandum demergunt. de qualibus dicit scriptura, *Descendunt in infernum viuentes*, id est labuntur in peccatum scientes. Hi nimirum tanto grauiùs peccant; quanto non soli in peccato moriuntur, sed se & eos quos ad periurandum mittunt, nisi per pœnitentiam corrigantur, in infernum dimergunt. Et licèt illi in huiusmodi periurio peccent qui iurauerunt, illi tamen qui irrita faciunt iuramenta sua vice iurata, sicut Dominus ad Pilatum dixit, *maius peccatum habent*. id est qui alios peccare fecerunt, & pro tantis rei in conspectu Dei habentur, addita & animæ suæ culpa, quantos in periurium mittunt, & dicente Domino per Prophetam, quia *sicut oues de manu pastoris*, ita & illos qui subiectioni suæ obedientes eorum se factione periurant, vel alio quolibet scelere polluuntur, de manu illorum requiret, qui sibi commissos peccare fecerunt. Non enim soli pastores, episcopi, presbyteri, & diaconi, monasteriorum rectores sunt intelligendi, sed & omnes fideles qui vel paruulæ suæ domus custodiam gerunt pastores rectè vocantur, in quantum suæ domui sollicita vigilantia præsunt. Et quicumque saltem vni vel duobus fratribus cotidiano regimine præest, pastoris eisdem debet officium, quia in quantum sufficit, pascere eos dapibus, & hortando, increpando, arguendo, corrigendo debet. Imò vnusquisque, qui etiam priuatus viuere creditur, pastoris officium tenet, & spiritalem pascit gregem, vigiliásque noctis custodit supra illum, sicut in Euangelio legimus de pastoribus, quibus in natiuitate Saluatoris Angelus apparuit, si bonorum actuum cogitationúmque mundarum sibi aggregant multitudinem, & iustorum moderamine gubernare, cælestibus scripturarum paginis & bonorum operum exemplis nutrire, & vigili solertia contra immundorum spirituum insidias seruare contendit.

Prou. 19. 5. 9. — Psal. 54. 16. — Ioan. 19. 11. — Ezech. 34.

ET sunt quidam, qui etiam curiositatis vitium inter grauiora peccata non computant, sed falluntur. Graue namque est curiositatis vitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad inuestigandam vitam proximi exteriùs ducit, semper ei sua intima abscondit, vt aliena sciens se nesciat, & curiosi animus, quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fiet ignarus sui. & sæpè dum curiosus quisque quæ sunt aliena inuestigat, suam molestiam excitat, sicut canis apri vel cerui sagaciter vestigia insequens, consequuti dente vel cornu perit. Vnde bene quoque per Salomonem dicitur, *Cunctis sermonibus quæ dicuntur ne accommodes cor tuum, ne fortè audias seruum tuum maledicentem tibi.*

CVRIOSITAS. — Eccl. 7. 22.

Scit enim conſcientia tua, quia & tu crebrò maledixiſti aliis. Dum enim penſamus quales erga alios fuimus, eſſe circa nos tales alios minùs dolemus, quia aliena iniuſtitia in nobis vindicat quod in ſe noſtra conſcientia accuſat. Probet autem ſeipſum curioſus homo, & ſic in ſe tantùm gloriam habebit, & non in altero, cuius vitam exquirit & merita. Nam ſunt qui ſe præpotentes putant eſſe in ſæculo, & non intelligunt quàm ſint vilia mancipia vitio curioſitatis ſeruientia. De quorum impotenti potentia quidam catholicus & ſapientiæ ac ſcientiæ multæ philoſophus, in quodam ſuo libro, vnicuique fallaciter potenti & veraciter impotenti dicit,

Boet. de conſolat. lib. III.

Etenim licet Indica longè
Tellus tua iura tremiſcat,
Et ſeruiat vltima Thule,
Tamen atras pellere curas,
Miſeráſque fugare querelas
Non poſſe, potentia non eſt.

DETRACTIO.

Pastor. III. cap. 24.

Et ſunt nonnulli, qui non attendunt quàm multipliciter peccent, qui ſeminando diſcordiam inter fratres, caritatem quæ nimirum virtutum eſt omnium mater exſtinguunt. Quoniam autem nihil eſt pretioſius Deo virtute dilectionis, nihil deſiderabilius eſt diabolo exſtinctione caritatis, quiſquis igitur ſeminando iurgia dilectionem proximorum perimit, hoſti Dei familiariùs ſeruit, quoniam qua ille amiſſa cecidit, hanc iſte vulneratis cordibus ſubtrahens, eis iter aſcenſionis abſcidit.] Et ſunt nonnulli, qui malè dulcoratis detractionibus ſunt aſſueti, non attendentes quod Dominus dicit, *Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar.* Vnde & Salomon dicit, *Noli eſſe in conuiuiis potatorum, neque in comeſſationibus eorum qui carnes ad veſcendum conferunt.* Carnes ad veſcendum conferre eſt, in collocutione derogationis viciſſim proximorum vitia dicere. De quorum pœna mox ſubditur, *Quia vacantes potibus & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio.* Symbolum græcum nomen eſt, & interpretatur collatio. Eſt autem collatio ſermonum, ſicut in cõuiuiis ſolet eſſe pecuniarum, ſiue aliarum rerum, vt & præſens locus docet. Potibus ergo vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ inebriant. Symbolũ verò dare eſt, ſicut vnuſquiſque ſolet pro parte cibos ad veſcendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. Sed vacantes potibus & dantes ſymbolum conſumentur, quia ſcriptum eſt, *Omnis detractor eradicabitur.* Veſtietur autem pannis dormitatio, quia deſpectum & inopem à cunctis bonis operibus mors ſua inueniet, quem hîc ad alienæ vitæ exquirenda crimina detractionis ſuæ languor occupauit.] Alius eleemoſynis vacat, propria diſtribuit. ſed dum multis iniuſtitiis ſeruit, vel fortaſſe linguam in detractionibus exerit, fit plerumque vt is qui miſericors fuerat, iuxta vitæ ſuæ terminum rapacitatis & & crudelitatis ſtimulis inardeſcat. Quod valde iudicio iuſto agitur,

Pſal. 106. 5.
Prou. 23. 28
Moralium lib. 14. c. 24

vt perdat & ante homines vnde hominibus placuit, qui hoc vnde Deo displicuit corrigere nunquam curauit. Duæ autem sunt causæ in quibus licet alicui dicere & retractare aliena mala. Si quando necesse est consilium haberi cum ceteris, qui in hoc ipso videntur assumi, quomodo corrigatur is qui peccauit vel malè aliquid egit. Et rursum, si quando necesse est præueniri aliquem, & commoneri, ne fortè incurrat in consortium alicuius mali, dum eum putat esse bonum, quia dicit Apostolus, *Nolite commisceri cum huiuscemodi.* Et Salomon, *Noli manere cum homine iracundo, ne fortè sumas laqueum animæ tuæ.* Quod & ipsum Apostolum fecisse inuenimus per hoc quod scribit ad Timotheum dicens, *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, quem & tu deuita, valde enim restitit verbis nostris.* Præter huiusmodi autem necessitates, qui dicit aduersus alium, vt vel deroget ei vel obtrectet, istud est detrahere, etiamsi vera videantur esse quæ dicit. Et sunt qui quamuis in minimis, sed tamen frequenter excedunt, vt nequaquam considerent qualia sed quanta committunt. Si enim facta sua despiciunt, timere cùm pensant debent, formidare cùm numerant, quia minuta sunt quæ erumpunt membris, per scabiem vulnera, sed cùm multitudo eorum innumerabiliter occupat, sic vitam corporis sicut vnum graue inflictum pectori vulnus necat. Hinc videlicet scriptum est, *Qui modica spernit paulatim decidet.* Qui enim peccata minuta flere ac deuitare negligit, ab statu iustitiæ non quidem repentè, sed partibus totus cadit.

1.Cor 5.11. Prou.22.24. 2.Tim.4.14 Eccl.19.1.

Peccata cogitationũ.

ET dicente Domino, ego opera & cogitationes eorum venio vt congregem, necesse est vt quisque non solùm peccata operum sed etiam peccata defleat cogitationum. Et non solùm mensura peccati consideranda est quod perpetratur in opere, verùm etiam & in eo quod perpetratur cogitatione, quatinus iuxta ruinæ modum, quam in semetipso quisque introrsus sentit, etiam mensura lamentationis erigatur, ne si cogitata mala minus cruciant, vsque ad perpetranda opera perducant. Quapropter contra omnia vitia & peccata quisque solerter inuigilet, & qui peccata deplorat, ploranda minimè committat, & qui plangit vitia, perpetrare vitia pertimescat. Nam cogitandum summopere est, vt qui se inlicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere: quatinus per hoc conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa, & se reprehendat in minimis, quem meminit in maximis deliquisse. Nimia sunt quæ loquor, si hæc ex sacri eloquij testimonio non affirmo. Lex certè veteris testamenti alienam vxorem concupisci prohibet, à rege verò fortia iuberi militibus, vel desiderari aquam, non pœnaliter vetat. Et cuncti nouimus, quòd Dauid, concupiscentiæ mucrone transfixus, alienam coniugem & appetiuit & abstulit: cuius culpam digna verbera sunt secuta, & malum quod perpetrauit per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cùm longè pòst contra ho-

ſtium cuneos ſederet, aquam bibere ex eorum ciſterna ex deſiderio voluit. cuius electi milites, inter cateruas aduerſantium medias irrumpentes, aquam quam rex deſiderauit inlæſi detulerunt. Sed vir flagellis eruditus, ſemetipſum protinus cum periculo militum aquam deſideraſſe reprehendit, eámque Domino fundens libauit, ſicut il-
2.Reg.23. 16. lic ſcriptum eſt, *Libauit eam Domino.* In ſacrificium quippe Domini effuſa aqua conuerſa eſt, quia culpam concupiſcentiæ mactauit per pœnitentiam remiſſionis ſuæ. Qui ergo quondam concupiſcere alienam coniugem nequaquam timuit, poſt etiam quia aquam concupiuit expauit. Quia enim ſe inlicita perpetraſſe meminerat, contra ſemetipſum iam rigidus & à licitis abſtinebat. Sic ſic agimus pœnitentiam, ſi ea quæ commiſimus perfectè deploremus.

De operibus miſericordiæ, & de pœnitentia qualis eſſe debeat, quódque dum licet minimè negligenda ſit. de iudicio item vltimo, & de pœnis inferni. VI.

OPERA MISERICORDIAE. INTER hæc autem ſciendum eſt quantum opera miſericordiæ valeant, cùm ad fructus dignos pœnitentiæ ipſa præ ceteris præci-
Hom.xx.in Euang. piuntur. Hinc enim per ſemetipſam veritas dicit, *Date eleemoſynam,*
Luc.11.41. Luc.6.38. *& ecce omnia munda ſunt vobis.* hinc rurſus ait, *Date & dabitur vobis.*
Eccl.3.33. Hinc etiam ſcriptum eſt, *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſy-*
Eccl.29.15. *na reſiſtit peccatis.* hinc iterum dicit, *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit.* Hinc bonus pater innocentem filium
Tob.4.9. admonet dicens, *Si multum fuerit tibi, abundanter tribue: ſi exiguum fuerit, tamen exiguum libenter impertiri ſtude.* Vt autem quanta eſſet virtus in continentia & ſuſceptione indigentium redemptor noſter oſten-
Matt.10.41 deret, dixit *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet.* In quibus verbis notandum eſt, quia non ait mercedem de propheta, vel mercedem de iuſto, ſed mercedem prophetæ, vel mercedem iuſti accipiet. Aliud eſt enim merces de propheta, aliud merces prophetæ, atque aliud merces de iuſto, aliud merces iuſti. Quid eſt enim dicere mercedem prophetæ accipiet, niſi quia is qui prophetam ſua largitate ſuſtentat, quamuis ipſe prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Dominum prophetiæ præmia habebit? Iſte enim fortaſſe iuſtus eſt, & quantò in hoc mundo nihil poſſidet, tanto loquendi pro iuſtitia fiduciam maiorem habet. Hunc dum ille ſuſtentat qui in hoc mundo aliquid poſſidet, & fortaſſe adhuc pro iuſtitia loqui liberè non præſumit, iuſtitiæ illius libertatem ſibi participem facit, & cum eo pariter iuſtitiæ præmia recipiet, quem ſuſtentando adiuuit, quatinus eandem iuſtitiam liberè loqui potuiſſet. Ille prophetiæ ſpiritu plenus eſt, ſed tamen corporeo eget alimento, & ſi corpus non reficitur, certum eſt quòd vox ipſa ſub-

trahatur. Qui igitur alimentum prophetæ propter hoc quod propheta est tribuit, prophetiæ illius vires ad loquendum dedit. Cum propheta ergo mercedem prophetæ accipiet, quia etsi spiritu prophetiæ plenus non fuit, hoc tamen ante oculos Dei exhibuit quod adiuuit. Hinc est quòd de quibusdam peregrinantibus Gaio per Ioannem dicitur, *Pro nomine enim Christi profecti sunt, nihil accipientes à gentilibus. Nos ergo debemus suscipere eiusmodi, vt cooperatores simus veritatis.* Qui enim spiritualia bona habentibus temporalia subsidia tribuit, in ipsis bonis spiritualibus cooperator existit. Nam cùm pauci sint qui spiritualia dona percipiunt, & multi qui rebus corporalibus abundant, per hoc se diuites virtutibus pauperum inserunt, quòd eisdem sanctis pauperibus de suis diuitiis solatiantur.] Vnde scriptum est, *Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet escas similiter faciat.* Per hoc quòd tunica plus est necessaria vsui nostro quàm pallium, ad fructum pœnitentiæ pertinet, vt non solùm exteriora quæque & minùs necessaria, sed ipsa valdè nobis necessaria diuidere cum proximis debeamus, scilicet vel escam qua carnaliter viuimus, vel tunicam qua vestimur. Quia enim in lege scriptum est, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, minùs amare proximum conuincitur, qui non cum eo in necessitate illius etiam ea quæ sibi sunt necessaria partitur. Idcirco de diuidendis cum proximo duabus tunicis datur præceptum, quia hoc de vna dici non potuit: quoniam si vna diuiditur, nemo vestitur. In dimidia quippe tunica & nudus remanet qui accepit, & nudus qui dedit.

Epist. 3. 7.

Luc. 3. 11. Hom. xx. paulo superiùs.

Matt. 19. 19

QVI enim vestem innocentiæ, quam in baptismo accepimus, peccando perdidimus, necesse est vt per misericordiæ opera, & per sacrificium spiritus contribulati lacrymis loti reindui laboremus. *Sacrificium*, inquit, *Deo est spiritus contribulatus.* Peccata enim nostra præterita in baptismatis perceptione nobis donata sunt, & tamen post baptisma multa commisimus, sed lauari iterum baptismatis aqua non possumus. Quia ergo & post baptisma nos inquinauimus, baptizemus lacrymis conscientiam. Fortasse enim in fide lapsus est aliquis, aspiciat Petrum qui amarè fleuit quod timidè negauerat. Alius contra proximum suum in malitia crudelitatis exarsit, aspiciat latronem, qui & in ipso mortis articulo ad vitæ præmia pœnitendo peruenit. Alius auaritiæ æstibus anhelans aliena diripuit, aspiciat Zachæum, qui si quid alicui abstulit quadruplum reddidit. Alius libidinis igne succensus carnis munditiam perdidit, aspiciat Mariam, quæ in se amorem carnis igne diuini amoris excoxit. Ecce omnipotens Deus vbique oculis nostris quod imitari debeamus obiicit, vbique exempla suæ misericordiæ opponit. Mala ergo iam displiceant vel experta. Libenter obliuiscitur omnipotens Deus quòd nocentes fuimus: paratus est pœnitentiam nostram nobis ad innocentiam deputare. Inquinati post aquas salutis renascamur ex lacrymis. A feruo-

Psal. 50. 19.

re etenim mentis, vel inter ſpiritales inimicos, vel inter carnales quoque proximos, aliquo modo viuendi vſu vetereſcimus, & aſſumptæ nouitatis ſpeciem fuſcamus. vnde Pſamiſta dicit, *Inueteraui inter omnes inimicos meos.* A qua tamen vetuſtate quotidie, ſi ſtudia circumſpectionis inuigilent, orando, legendo, bene viuendo renouamur; quia vita noſtra, cùm lacrymis lauatur, bonis operibus exercetur, ſanctis meditationibus tenditur, ad nouitatem ſuam ſine ceſſatione reparatur.] Neſcit quippe mens per corpus vetereſcere, quæ ſtudet per deſiderium ſemper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur, *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ.* Et item, *Et exterior noſter homo corrumpitur, ſed interior renouatur de die in diem.* Hinc Pſalmiſta, qui ad perfectionis iam culmen peruenerat, quaſi inchoans dicebat, *Dixi nunc cœpi.* Quia videlicet ſi laſſeſcere ab inchoatis bonis nolumus, neceſſe eſt vt inchoare nos quotidie credamus. Sed ſunt qui admiſſa plangunt, nec tamen deſerunt. Admonendi ſunt enim qui admiſſa plangunt nec tamen deſerunt, vt conſiderare ſollicitè ſciant, quia flendo inaniter ſe mundant, qui viuendo ſe nequiter inquinant, cùm idcirco ſe lacrymis lauant, vt mundi ad ſordes redeant. Hinc enim ſcriptum eſt, *Canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti.* Canis quippe cùm vomit, profectò cibum qui pectus deprimebat proiicit: ſed cùm ad vomitum reuertitur, vnde leuigatus fuerat rurſus oneratur. & qui admiſſa plangunt, profectò nequitiam, de qua malè ſatiati fuerant, & quæ mentis intima deprimebat, confitendo proiiciunt, quam poſt confeſſionem dum repetunt reſumunt. Sus verò in volutabro luti cùm lauatur ſordidior redditur. Et qui admiſſum plangit, nec tamen deſerit, tanto grauiori culpæ ſe ſubiicit, quanto & ipſam quam flendo impetrare potuit veniam contemnit, & quaſi in lutoſa aqua ſemetipſum voluit, quoniam dum fletibus ſuis vitæ munditiam ſubtrahit, ante Dei oculos ſordidas etiam ipſas lacrymas facit. Hinc rurſus ſcriptum eſt, *Ne iteres verbum in oratione tua.* Verbum namque in oratione iterare eſt, poſt fletum committere quod rurſus neceſſe eſt flere. Hinc per Iſaiam dicitur, *Lauamini, mundi eſtote.* Poſt lauacrum enim mundus eſſe negligit quiſquis poſt lacrymas vitæ innocentiam nõ cuſtodit. Et lauantur ergo & nequaquam mundi ſunt, qui commiſſa flere non deſinunt, ſed rurſus flenda committunt. Hinc per quendam ſapientem dicitur, *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio eius?* Baptizatur quippe à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato: ſed poſt baptiſma mortuum tangit, qui culpam poſt lacrymas repetit.] At contrà admonendi ſunt qui admiſſa deſerunt, nec tamen plangunt, ne iam relaxatas æſtiment culpas, quas & ſi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus emundant. Neque enim ſcriptor, ſi ab ſcriptione, quoniam alia non addidit, etiam illa quæ ſcripſerat deleuit, neque qui contumelias irrogat ſi ſolummodò tacuerit, ſatisfecit, cùm profectò neceſſe eſt vt verba præ-

Pſal.6.8. Moral.xix. cap.16.

Epheſ.4.23. 2.Cor.4. 16.

Pſal.76.11. Paſtoralis Part.III. cap.XXXI.

2.Pet.2.22.

Eccle.7.15.

Eſa.1.16.

Eccl.34.30.

Ibidem poſt ſuperiora.

præmissæ superbiæ verbis subiunctæ humilitatis impugnet: nec debitor absolutus est, quoniam alia non multiplicat, nisi & illa quæ ligauerat soluat. Ita & cùm Domino delinquimus, nequaquam satisfacimus si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus è contrario appositis lamentis insequamur, & qui voluptatibus delectati discessimus, fletibus amaricati redeamus, & qui per illicita defluendo cecidimus, etiam à licitis nosmetipsos restringendo surgamus, & cor, quod insana lætitia infuderat, salubris tristitia exurat, & quod vulnerauerat elatio superbiæ, curet abiectio humilis vitæ. Hinc enim scriptum est, *Dixi iniquis nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exultare cornu.* Psal.34.5. Cornu quippe delinquentes exaltant, qui nequaquam se ad pœnitentiam ex cognitione suæ iniquitatis humiliant. Hinc rursus dicitur, *Cor contritum, & humiliatum Deus non spernit.* Psal.50.19. Quisquis enim peccata plangit, nec tamen deserit, cor quidem conterit, sed humiliare contemnit: quisquis verò peccata sua iam deserit, nec tamen plangit, iam quidem humiliat, sed tamen conterere cor recusat. Hinc Paulus ait, *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* 1.Cor.6.11. Quia nimirum illos emendatior vita sanctificat, quos per pœnitentiam abluens afflictio fletuum mundat. Hinc Petrus, cùm quosdam territos malorum suorum consideratione conspiceret, admonuit dicens, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm.* Act.2.38. Dicturus baptisma præmisit pœnitentiæ lamenta, vt priùs se aqua suæ afflictionis infunderent, & postmodùm sacramento baptismatis lauarent. Qui igitur transactas culpas flere negligunt, non viuunt securi de venia, quando ipse summus pastor Ecclesiæ, huic etiam sacramento addendam pœnitentiam credidit, quod peccata principaliter extinguit.] Quomodo enim vnusquisque nostrûm securus esse poterit de venia, qui culpas suas flere negligit, cùm priùs redemptor etiam ciuitatem peccatricem fleuerit, sicut scriptum est, *Videns Iesus ciuitatem, fleuit super illam dicens, quia si cognouisses & tu?* Luc.19.21. Hoc semel egit, cùm perituram ciuitatem esse nuntiauit: hoc quotidie Redemptor noster per electos suos agere nullatenus cessat, cùm quosdam ex bona vita ad mores reprobos peruenisse considerat. Plangit enim eos qui nesciunt cur plangantur, qui iuxta Salomonis verba, *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Prou.2.14. Qui si damnationem suam quæ eis imminet agnouissent, semetipsos cum lacrymis delictorum plangerent. Hom.xi. Peruersa quippe anima, rebus præsentibus dedita, in terrena voluptatibus resoluta, abscondit sibi mala sequentia, quia præuidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbent, dúmque in præsentis vitæ oblectatione se deserit, quid aliud quàm clausis oculis ad ignem vadit? Cui dicitur, *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo.* Luc.19.43. Qui inquam sunt humanæ animæ maiores inimici, quàm maligni spiritus, qui hanc à corpore exeuntem obsident, quam in carnis amore positam decepto-

riis delectationibus fouent? Quam vallo circumdant, quia ante mentis eius oculos reductis iniquitatibus quas perpetrauit, hanc ad societatem suæ damnationis contrahentes artant, vt in ipsa iam extremitate vitæ deprehensa, & à quibus hostibus circumclausa sit videat, & tamen euadendi aditum inuenire non possit, quia operari bona iam non licet, quæ cùm licuit agere contempsit. Prauam quippe animam omnipotens Dominus modis multis visitare consueuit. Nam assiduè hanc visitat præcepto, aliquando autem flagello, aliquando verò miraculo, vt & vera quæ nesciebat audiat, & tamen adhuc superbiens atque contemnens, aut dolore compuncta redeat, aut beneficiis deuicta malum quod fecit erubescat. Sed quia visitationis suæ tempus minimè cognouit, illis in extremo vitæ inimicis tradetur, cum quibus in æterno iudicio damnationis perpetuæ societate colligatur.] Quæ per malignos spiritus in inferno retruditur, quousque iudicij dies veniat, ex quo iam in inferni ignibus simul & ipsa crucietur.]

Post alia ibidem.

IVDICII DIES.

AD quod diei iudicium veniet ille, qui aduentu suo elementa concutit, in cuius conspectu cælum cum terra contremiscit. vnde Aggæi 2.21 & per prophetam dicitur, *Adhuc semel, & ego mouebo non solùm terram, sed etiam cælum.* Ad cuius examen omne humanum genus deducitur. Cui ad vindictam malorum, remunerationémque bonorum, Angeli, Archangeli, Throni, Principatus, & Dominationes obsequuntur. Pensate, fratres carissimi, ante conspectum tanti iudicis qui in illo die terror erit, quando iam in pœna remedium non erit. Quæ illa confusio, cui reatu suo exigente contingit in conuentu omnium hominum Angelorúmque erubescere: qui pauor eum, quem & tranquillum mens humana capere non valet, etiam iratum videre. Quem Sophon. 1. 15. diem bene intuens Propheta ait, *Dies illa, dies iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris.* Pensate, fratres carissimi, extremi diem iudicij super corda reproborum qua asperitate propheta vidit amarescere, quem tot appellationibus non valet explicare. Quanta verò tunc erit electorum lætitia, qui de eius visione merentur gaudere, de cuius conspectu vident & elementa contremiscere: cum eo simul ad nuptias intrare, qui & in sponsi nuptiis gaudent, & tamen ipsi sunt sponsa, quia in illo æterni regni thalamo, visioni nostræ Deus coniungitur. quæ scilicet visio nunquam iam in perpetuum ab amoris sui amplexibus euellatur. Tunc regni ianua lugentibus clauditur, quæ modò quotidie pœnitentibus aperitur. Erit namque tunc pœnitentia, sed fructuosa iam non erit, quia nequaquam tunc veniam inuenit, qui modò aptum veniæ tempus perdit. Hinc enim 2. Cor. 6. 2. Paulus dicit, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Hinc Esa. 55. 6. Propheta ait, *Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est.* Cautum igitur ac sollicitum se verè ostendit, qui præsentis

considerans, non eius vsum sed terminum conspicit, vt ex fine colligat nihil esse quod transiens delectat. Hinc namque per Salomonem dicitur, *Si annis multis vixerit homo, & his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum, qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.* hinc rursus scriptum est, *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Hinc vir sanctus petiit Dominum dicens, *Dimitte me vt plangam paululùm dolorem meum.* Quia nisi à reatu culpæ quo nos ligauimus misericorditer dimittamur, perfectè flere non possumus hoc quod in nobis ipsis contra nosmetipsos dolemus. Eccle.11.8. Eccli.7.40. Iob 10.20. Moral.ix. cap.37.

SED tunc veraciter reatus nostri dolor plangitur, cùm tenebrosa illa inferni retributio intento timore præuidetur. vnde aptè subiungitur, *Antequam vadam & non reuertar ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine.* Quid enim terræ nomine tenebrosæ nisi tenebrosa tartari claustra signantur? Quæ æternæ mortis caligo operit, quia damnatos quosque in perpetuum à vita lucis disiungit. Nec immeritò infernus terra dicitur, quia quique ab ea capti fuerint stabiliter tenentur. Scriptum quippe est, Generatio præterit & generatio aduenit, terra verò in æternum stat. Rectè igitur inferni claustra tenebrosa terra nominatur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœnæ transitoriæ vel phantasmatica imaginatione cruciant, sed vltione solida perpetuæ damnationis seruant. Quæ aliquando tamen loci appellatione signatur, Propheta attestante, qui ait, *Portauerunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum.* Infernus ergo & terra nominatur, quia susceptos stabiliter tenet, & lacus dicitur, quia hos quos semel ceperit semper fluctuantes & trepidos tormentis circumfluentibus absorbet. Sanctus autem vir, siue sua, seu humani generis voce dimitti se postulat antequam vadat, non quia ad terram tenebrosam qui culpam defleturus est, sed quia ad hanc proculdubio qui plangere negligit vadat. Sicut debitori suo creditor dicit, Solue debitum priusquam pro debito constringaris. qui tamen constringitur, qui quòd debeat soluere non moratur. Vbi & rectè subditur, *non reuertar*, quia nequaquam vltra misericordia parcentis liberat quos semel in locis pœnalibus iustitia iudicantis damnat. Quæ adhuc subtiliùs loca describuntur cùm dicitur, *terra miseriæ & tenebrarum.* Miseria ad dolorem pertinet, tenebræ ad cæcitatem. Ea quæ à conspectu districti iudicis expulsos tenet, miseriæ & tenebrarum terra perhibetur, quia foris dolor cruciat, quos diuisos à vero lumine intùs cæcitas obscurat. In cuius adhuc descriptione subiungitur, *vbi vmbra mortis & nullus ordo.* Sicut mors exterior ab anima diuidit carnem, ita mors interior à Deo separat animam. Vmbra ergo mortis est obscuritas diuisionis, quia damnatus quisque, cùm æterno igne succenditur, ab interno lumine tenebratur. Natura verò ignis est, vt ex ipso & lucem exhibeat, & concremationem. INFERNVS. Ibid.21. Cap.38. Ezech.32. 24.

Sed transactorum illa vltrix flamma vitiorum concremationem habet, & lumen non habet. Hinc est enim quòd reprobis veritas dicit, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Quorum rursus omnium corpus in vnius persona significans ait, *Ligate ei manus & pedes, & mittite eum in tenebras exteriores.* Quia quos illa gehennæ flamma deuorat, à visione veri luminis cæcat, vt & foris eos dolor combustionis cruciet, & intùs pœna cæcitatis obscuret. quatinus qui auctori suo corpore & corde deliquerunt, simul corpore & corde puniantur, & vtrobique pœnam sentiant, qui dum hîc viuerent, prauis suis delectationibus ex vtroque seruiebant, & damnatum quemque iuxta modum criminis retributio sequatur vltionis. Hinc in Babylonis damnatione dicitur, *Quantum exaltauit se & in deliciis fuit, tantùm date ei tormenta & luctum.* Et iudex veniens dicturum se messoribus esse perhibet, *Colligite zizania, & ligate ea fasciculis ad comburendum.* Fasciculos nimirum ad comburendum ligare est, hos qui æterno igni tradendi sunt pares paribus sociare, vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat, & qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur. quatinus simul damnatio conterat quos simul elatio subleuabat: quósque non dissimiliter dilatauit ambitio, non dissimilis afflictio angustet, & par cruciet flamma supplicij, quos in igne luxuriæ par succendit flamma peccati. Sicut enim in domo patris mansiones multæ sunt pro diuersitate virtutis, sic damnatos diuerso supplicio gehennæ ignibus subiicit disparilitas criminis. Quæ scilicet gehenna, quamuis cunctis vna sit, non tamen cunctos vna eadémque qualitate succendit. Nam sicut vno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo vno ordine omnes æstuamus, quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris: sic damnatis & vna est gehenna quæ afficit, & tamen non omnes vna qualitate comburit. quia quod hîc agit dispar valitudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum: & æternis ignibus traditi, & in suppliciis dolorem sentiunt, & in dolore angustiæ pulsantis se semper pauore feriunt: vt & quod timent tolerent, & rursus quod tolerant sine cessatione pertimescant. De his etenim scriptum est, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quæ etiam supplicia in se dimersos & vltra vires cruciant, & in eis vitæ subsidium extinguentes seruant, vt sic vitam terminus puniat, quatinus semper sine termino cruciatus viuat, quia & ad finem per tormenta properat, & sine fine deficiens durat. Erit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Mors perimit & non extinguit, dolor cruciat sed nullatenus pauorem fugat, flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit, & ille ignis ad consolationem non lucet, & tamen vt magis torqueat aliquid lucet. Nam sequaces quosque suos secũ in tor-

Matt. 25. 41
Ibid. c. 39.
Apoc. 18. 7.
Matt. 13. 30
Marc. 9. 43.

mento reprobi flāma illustrante visuri sunt, quorū amore deliquerunt. quatinus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amauerāt, ipsorum quoque eos interitus in augmento suæ damnationis affligat. Quod profectò Euangelio teste colligitur, in quo veritate nunciante diues ille, quem cōtigit ad æterni incendij tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse. qui Abraham petiit, vt Lazarum ad eorum eruditionem mitteret, ne illuc eos quandoque venientes pœna cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentum meminit, constat proculdubio quia eos ad augmentum supplicij paulo pòst potuit etiam præsentes videre. Quid autem mirum, si secum quoque reprobos adspicit cremari, qui ad doloris sui cumulum eum quem despexerat in sinu Abrahæ Lazarum videt? Qua ex re colligitur, quòd eos quos inordinatè nunc reprobi diligunt, miro iudicij ordine secum tunc in tormētis videbunt, vt pœnam propriæ punitionis exaggeret illa auctori præposita carnalis cognatio pari ante oculos vltione damnata. Ignis itaque, qui in obscuritate cruciat, credendum est quia lumen ad tormentū seruat, sicut tædarum flamma lucet obscura. Tunc edax flamma comburet, quos nunc carnalis delectatio polluit. tunc infinitè patens inferni barathrum deuorat, quos nunc inanis elatio exaltat, atque quolibet ex vitio hîc volūtatem callidi peruasoris exercuerunt, tunc cum duce suo reprobi ad tormenta perueniunt. Et quamuis Angelorum atque hominum longè sit natura dissimilis, vna tamen pœna implicat quos vnus in crimine ligat reatus. Quod bene ac breuiter insinuat propheta qui ait, *Ibi Assur & omnis multitudo eius, & in circuitu eius sepulcra illius.* Quis namque Assur superbi regis nomine nisi ille per elationem cadens antiquus hostis exprimitur, qui pro eo quòd multos ad culpam pertrahit, cum cuncta sua multitudine ad inferni claustra descendit? Sepulcra autem mortuos tegunt. Et quis alius acriùs mortem pertulit, quàm is qui conditorem suum despiciens vitam reliquit? & quem videlicet mortuum cùm humana corda suscipiunt, eius proculdubio sepulcra fiunt. Sed in circuitu illius sepulcra eius sunt, quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmodùm per tormenta coniungit. & quoniam nunc in semetipsis reprobi malignos spiritus inlicita perpetrando suscipiunt, tunc sepulcra cum mortuis ardebunt.] Sicut de reproborum corporibus scriptum est, *Deuorabit eum ignis qui non succenditur*, quia omnipotentis iustitia futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creauit, qui in pœna reproborū esse semel inciperet, sed ardorē etiam sine lignis nunquam finiret. Sciendum verò est, quòd omnes reprobi, quia ex anima simul & carne peccauerunt, illic in anima partim & carne cruciabuntur.] Ecce quæ maneat damnatis pœna cognouimus, & instruente nos sacro eloquio, quantus in damnatione ignis, quanta in igne obscuritas, quantúsque in obscuritate pauor sit, nullatenus ambigimus. Sed quid prodest ista prænos-

Luc. 16. 28.
Ezech. 32. 26.
Iob 20. 26.
Moralium lib xv. c. 17.

ſe, ſi non contingat euadere? Tota ergo intentione curandum eſt, vt cùm vacationis tempus accipimus, bene viuendi ſtudio malorum vltima tormenta fugiamus. Hinc quippe per Salomonem dicitur,
Eccle.9.10. *Quodcumque poteſt manus tua facere inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erit apud inferos, quò tu properas.* Hinc Iſaias
Eſa.55.6. ait, *Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum propè eſt.*
2.Cor.6.2. hinc Paulus dicit, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Hinc
Gal.6.10. rurſus ait, *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Et item ſcri-
Pſal.31.1. ptum eſt, *Beati quorum tecta ſunt peccata.* Peccantes itaque mala facta bonis actibus ſuperponimus. Quando ergo abdicamus mala quæ fecimus, & eligimus bona quæ faciamus, quaſi tegmen rei ſuperducimus quam videri erubeſcimus. Qui ergo priora mala deſerit, & bona poſteriùs facit, per hoc quod addit tranſactam nequitiam tegit, cui boni operis merita ſuperducit. Quandiu enim ſancti viri in hac adhuc vita ſunt, habent tamen quod ante Dei oculos operire debeant, quia omnino eſt impoſſibile, vt aut in opere, aut in locutione, aut in cogitatione nunquam delinquant.

Quòd peccata multis modis perpetrentur, & humili pœnitentia curentur. & de offenſis proximo dimittendis. VII.

SED ſciendum eſt quia tribus modis omnis culpæ nequitiam perpetramus, ſuggeſtione ſcilicet, delectatione, conſenſu. Primum itaque per hoſtem, ſecundum verò per carnem, tertium per ſpiritum perpetratur. Inſidiator enim praua ſuggerit, caro ſe delectationi ſubicit, atque ad extremum ſpiritus victus delectationi conſentit. Suggeſtione itaque peccatum agnoſcimus, delectatione vincimur, conſenſu etiam ligamur. Et quatuor modis peccatum perpetratur in corde, quatuor conſummatur in opere. In corde namque ſuggeſtione, delectatione, conſenſu, & defenſionis audacia perpetratur, & quod omni culpa fit grauius, etiam de commiſſo vitio ſuperbitur. Nam quamuis de virtute naſci elatio ſoleat, nonnunquam tamen ſtulta mens
Eſa.34.14. de perpetrata ſe nequitia exaltat. vnde dicit propheta, *Occurrent dæ-*
Moralium lib.VII.c.12 *monia onocentauris.* Quid verò onocentaurorum nomine niſi & lubrici figurantur & elati? Græco quippe eloquio ὄνος aſinus dicitur, & ap-
Ezech.23.20. pellatione aſini luxuria per prophetam deſignatur, qui ait, *Vt carnes aſinorum carnes eorum.* Tauri autem vocabulo ceruix ſuperbiæ demonſtratur, ſicut voce Dominica de Iudæis ſuperbientibus per Pſal-
Pſal.21.13. miſtam dicitur, *Tauri pingues obſederunt me.* Onocentauri ergo ſunt, qui ſubiecti luxuriæ vitiis, inde ceruicem erigunt, vnde humiliari debuerunt: qui carnis ſuæ voluptatibus ſeruientes, expulſa longè verecundia, non ſolùm ſe amittere rectitudinem non dolent, ſed adhuc etiam de opere confuſionis gaudent. Onocentauris autem dæmonia occurrunt, quia maligni ſpiritus valdè eis ad votum deſeruiunt, quos

de his gaudere conspiciunt, de quibus deflere debuerunt.] Et iis- Moralium lib.4.c.25.
dem quatuor modis peccatum consummatur in opere. Priùs namque latens culpa agitur, postmodum verò etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur, dehinc & in consuetudinem ducitur, ad extremum quoque vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur, ac per hoc & nulla culpa deuincitur, cùm alia per aliam perpetratur. Nam sæpè furto negotiationis fallacia iungitur, & sæpè fallaciæ periurij reatus cumulatur. Vnde scriptum est, *Vadent, & venient super eum horribiles*, id est super talem pec- Iob 20.15.
cantem vadent, & venient maligni spiritus, certis quibusque vitiis Moralium lib.15.c.16.
obsequentes, quia peruersi mentem & si alia deserunt, alia vitia occupant. Sæpe namque videas iniquum in terrena potestate constitutum graui furore commoueri, quidquid ira suggesserit exequi, & cùm furor abscesserit, mox eius mentem luxuria deuastat, cùm luxuria ad tempus intermittitur, elatio protinus quasi de continentia in eius cogitatione subrogatur, atque vt à ceteris timeatur appetit videri terribilis, sed cùm res exigit vt loqui quid dupliciter debeat, quasi postposito terrore superbiæ, remissa locutione blanditur, & cùm superbus videri desierit, duplex effici non pertimescit. qui quot vitiis decedentibus & succedentibus premitur, tot malignis spiritibus eius animus quasi euntibus ac redeuntibus deuastatur.] Et qui cuncta simul in effectu explet, cuncta quæ nocent in mente tacitus tenet. Tanto igitur arctiori manu pœnitentiæ mens tergenda est, quanto se per consensum conspicit sordidiùs inquinatam. Quoniam omnis culpa, quæ hìc per disciplinam pœnitentiæ non reprimitur, gehennæ ignibus ferietur. Vnde per Salomonem dicitur, *Si ascende-* Eccle.10.4
rit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne dimiseris. Ac si apertè dicat, si tentatorem spiritum contra te præualere consideras, humilitatem pœnitentiæ non relinquas. & verbis sequentibus ostendit dicens, *Quia curatio cessare faciet peccata maxima.* Quid est enim aliud Ibid.
humilitas lamenti, nisi medicina peccati? De qua humilitate la- Moralium lib. IX. cap.19.
menti scriptum est, *Si lotus fuero quasi aquis niuis.* Aquæ enim niuis Iob 9.30.
sunt lamenta humilitatis. quæ profectò humilitas, quia ante districti iudicis oculos ceteris virtutibus præminet, quasi per magni meriti colorem candet. Sunt namque nonnulli qui lamenta habent, sed humilitatem non habent, qui afflicti plangunt, sed tamen in ipsis fletibus, vel contra proximorum vitam superbiunt, vel contra ordinationem conditoris eriguntur. Hi nimirum aquas habent, sed niuis aquas non habent, & mundi esse nequeunt, quia humilitatis fletibus minimè lauantur. Aquis autem niuis à culpa se lauerat qui confidenter dicebat, *Cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Psal.50.19.
Qui enim lamentis affliguntur, sed murmurando rebelles sunt, mentem quidem conterunt, sed humiliari contemnunt.] Vnde per pro- Pastor. III. cap.XXV.
phetam Hieremiam dicitur, cùm Iudæorum singula delicta pensa-

Thren.3.48 rentur, *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus.* Diuisas quippe ex oculis aquas deducimus, quando peccatis singulis dispartitas lacrymas damus. Neque enim vno eodémque tempore æquè mens de omnibus dolet: sed dum nunc huius, nunc illius culpæ memoria acriùs tangitur, simul de omnibus in singulis commota purgatur.] Rixatur secum de his quæ malè egisse se recolit, & sibimetipsi displicet, cùm ei ille placere iam cœperit qui omnia creauit. Reprehendit se de cogitationibus, insequitur de verbis, & punit flendo de factis. Hinc enim in Apocalypsi voce Angelica dicitur, *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet & videant turpitudinem eius.* Turpitudo enim nostra nunc cernitur, cùm vita reprehensibilis, ante iustorum oculos in iudicio, nequaquam subsequentis boni operis tegmine velatur.]

Moralium lib.2.c.26.

Apoc.16.15

PROXIMIS DIMITTENDVM.

SED qui ad tegenda sua peccata per bona opera solerter inuigilat, necesse est vt ea quæ in eum peccantur proximis è corde dimittat, quia vitam animæ quælibet culpa polluit, seruatus verò contra proximum dolor occidit. Menti namque vt gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur. Qui scilicet à transfixo corde si priùs non educitur, nihil in precibus diuinæ opis obtinetur, quia & vulneratis membris imponi salutis medicamina nequeunt, nisi ferrum vulneri antè subtrahatur. Hinc est enim quòd per semetipsam veritas dicit, *Nisi remiseritis peccata hominibus, nec pater vester qui in cælis est remittet vobis peccata vestra.* Hinc admonet dicens, cùm stabitis ad orandum, dimittite siquid habetis aduersus alterum. Hinc rursus ait, *Date & dabitur vobis, dimittite & dimittetur vobis.* Huic constitutioni postulationis conditionem posuit dicens, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Vt profectò bonum, quod à Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo conuersi faciamus. Dimittamus ergo quod debetur nobis, vt dimittatur quod debetur à nobis. Nam si pro Christo corpus nō ponimus, salutem animæ nō impetramus. Placatur Deus isto sacrificio, approbat in iudicio pietatis suæ victoriã pacis nostræ. Certamen cordis nostri adspicit, & qui pòst vincentes remunerat, nunc decertantes iuuat. Et plerumque reluctantem animum vincimus, cùm etiam pro inimicis oramus. Fundimus pro aduersariis precem, sed vtinam cor teneat amorem. Nam sæpe & orationem inimicis nostris impendimus, sed hanc ex præceptione potiùs fundimus, quàm ex caritate. Nam & vitam inimicorum petimus, & tamen ne exaudiamur intùs optamus, & timemus. Sed quia internus iudex mentem potiùs considerat, quàm verba, pro inimico nihil postulat, qui pro eo ex caritate non orat. Sed ecce nobis inimicus grauiter deliquit, damna intulit, iuuantes læsit, amantes persecutus est. Retinenda hæc essent, si remittenda nobis delicta non essent. Aduocatus etenim noster pacem nobis in causa nostra composuit, & ipse eiusdem causæ iudex est qui

Matt.6.14.

Luc.6.37.

Luc.11.4.

qui aduocatus. preci autem, quam composuit, conditionem inseruit dicens, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Luc.11.4. Quia ergo iudex ipse venit qui aduocatus existit, ipse precem exaudit qui fecit. Aut ergo non facientes dicimus, Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & nosmetipsos hoc dicendo ampliùs ligamus: aut fortasse hanc conditionem in oratione intermittimus, & aduocatus noster precem quam composuit non recognoscit, atque apud se protinus dicit, Scio quid monui, non est ipsa oratio quam feci. Quid ergo nobis agendum est fratres, nisi vt veræ charitatis affectum impendamus fratribus, nulla in corde malitia remanente? Considerat omnipotens Deus erga proximum charitatem, vt nostris intendat iniquitatibus pietatem suam. Sed & peccantem in nos fratrem negligere, & sine correptione, vt ad satisfactionem redeat modo quolibet potuerimus prouocare, vt se recognoscat, & peccati quod in nos peccauit indulgentiam petendo accipiat, non debemus dimittere, qui proximum sicut nos iubemur diligere. Ait enim Dominus, *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum inter te* & reliqua. Matt.18.15 & item, *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum. si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Luc.17.3. Et in lege, *Cùm*, inquit, *debet tibi quidpiam frater tuus, & abstuleris pignus ab eo, ante solis occasum pignus restitue.* Deut.24.13 Moralium lib.16.c.2. Quid hoc loco pignoris nomine, nisi peccati confessio datur intelligi? Frater etenim noster debitor nobis efficitur, cùm quilibet proximus in nos aliquid deliquisse monstratur. Peccata quippe debita vocamus, vnde peccatori seruo dicitur, *Omne debitum dimisi tibi*, Matt.18. & in dominica quotidie precatione precamur, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos*, &c. Luc.11.4. A debitore autem nostro pignus accipimus, quando ab eo, qui in nos peccasse cognoscitur, peccati eius iam confessionem tenemus, per quam relaxare peccatum quod in nobis perpetratum est postulamur. Qui enim peccatum quod commisit fatetur & veniam petit, iam quasi pro debito pignus dedit. Quod nimirum pignus ante solis occasum reddere iubemur, quia priusquam in nobis per dolorem cordis sol iustitiæ occidat, debemus ei confessionem veniæ reddere, à quo confessionem accipimus culpæ, vt qui se deliquisse meminit in nos, à nobis mox se relaxatum sentiat quod deliquit.]

De intercessione Sanctorum, precúmque & sacrarum oblationum necessitate: déque domus Dei & diuinorum mysteriorum reuerentia, & quòd attentè, ac pro cælestibus præcipuè orandum sit. VIII.

QVÆRENDVM est etiam summopere Sanctorum adiutorium, Sanctorum inuocatio. qui iam in cælo cum Deo regnant, & in terris miraculis coruscant, ad quorum exstincta corpora viuentes ægri veniunt & sanantur, per-

iuri veniunt & dæmonio vexantur, dæmoniaci veniunt & liberantur. Quomodo ergo illi viuunt illic vbi viuunt, si in tot miraculis viuunt hîc vbi mortui sunt? Hos ergo in causa nostri examinis, quam cum districto iudice habebimus, patronos nobis facere debemus, hos in die tanti terroris illius defensores nobis adhibere satagere debemus. Certè si apud magnum iudicem causa quælibet nostra esset die crastina ventilanda, totus hodiernus dies in cogitatione duceretur. patronum quæreremus, magnísque precibus ageremus, vt apud tantum iudicem nobis defensor veniret. Ecce districtus iudex Iesus venturus est, tanti illius Angelorũ Archangelorúmque concilij terror adhibetur, in illo conuentu causa nostra discutitur, & tamen nobis patronos modò non quærimus, quos tunc defensores habeamus. Qui igitur de nullo nostro opere confidimus, ad Sanctorum protectionem currere, atque ad sacra eorum corpora fletibus insistere, & vt veniam promereamur eis intercedentibus necesse est nobis deprecari. Adsunt defensores nostri sancti Apostoli, beati Martyres, gloriosi Confessores, Sanctæ feminæ & virgines, rogari volunt, atque vt ita dixerim quærunt vt quærantur. Hos ergo adiutores nostræ orationis quæramus, hos protectores nostri reatus inueniamus: quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse qui iudicat, vnde & tam longo tempore comminatur iram, & tamen misericorditer expectat. Sic autem nos misericordia eius refoueat, vt nullomodo negligentes reddat: sic peccata nostra perturbent, vt mens in desperationem non proruat: quia & si præsumentes metuimus, & metuentes speramus, æternum regnum citiùs adepturi sumus, vbi sunt hymnidici Angelorum chori, societas supernorũ ciuium, dulcis solemnitas à peregrinationis huius tristi labore redeuntium. Ibi prouidi prophetarum chori, ibi iudex Apostolorũ numerus, ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus, tanto illic lætior, quanto hîc duriùs afflictus. Ibi Confessorum constantia præmij sui perceptione consolata. Ibi fideles viri, quos à virilitatis suæ robore voluptas sęculi emollire nõ potuit. Ibi sanctæ mulieres, quæ cum sæculo & sexum vicerunt. Ibi pueri, qui hîc annos suos moribus transcenderunt. ibi senes, quos hîc ætas debiles reddidit, & virtus operis non reliquit. Quæramus ergo hæc pascua, in quibus cum tantorum ciuium solemnitate gaudeamus. Ipsa nos lætantium festiuitas inuitet, & si quis nostrûm conscientiam habet auaritiæ, elationis, vanæ gloriæ, indignationis, iracundiæ, vel inuidiæ, ceterorúmve vitiorum sorde pollutam, sicut mulier Cananæa filiam habet profectò malè à dæmonio vexatam, pro cuius sanatione supplex ad Dominum currat. quia nimirum cogitationem suo corde progenitam diabolica tolerat arte dementatam, cuius emendationem à pio conditore crebris imò continuis debeat flagitare lamentis ac precibus. Si quis bona quæ gessit fortè periurij, furti, blasphemiæ, detractionis, rixæ, vel etiam corpo-

poralis immunditiæ, ceterorúmve huiusmodi peste fœdauit, filiam habet immundi spiritus furiis agitatam, quia videlicet actionem, quam bene laborando ediderat, iam diaboli fraudibus stultè seruiendo disperdidit. ideóque necesse est, talis vt reatum suum cognouerit, mox ad preces lacrymásque confugiat, Sanctorum creber intercessiones & auxilia quærat, qui pro animæ eius salute rogantes Domino dicant, Precamur Domine miserator & misericors patiens, & multæ miserationis, dimitte eam quia clamat post nos, dimitte reatum & dona gratiam, qui nostrum intimo affectu quærit pronus suffragium. Necesse est summissus humilitate non se iam ouium Israelitarum, id est mundarum consortio dignum iudicet animarum, sed potiùs Cain comparandum, & cælestibus indignum arbitretur esse muneribus, nec tamen desperando à precandi quiescat instantia. Sed in dubia mente de largitoris summi bonitate confidat, quia qui de latrone confessorem, de persecutore Apostolum, de publicano Euangelistam, de lapidibus potuit facere filios Abrahæ, ipse etiam canem impudentissimum conuertere Israelitam possit in ouem, cui merito donatæ castitatis etiam vitæ æternæ pascua largiatur, id est peccatorem conuersum à via sua mala iustum facere dignetur, quem merito bonæ actionis ad regnum cæleste perducat. Vidénsque Dominus tantum fidei nostræ ardorem, tam pertinacem orandi perseuerantiam, tandem miserebitur, & nobis quoque sicut volumus fieri concedet. vt videlicet expulsis vitiosarum tumultibus cogitationum, dimissis peccatorum nexibus, & pura nobis serenitas mentis, & perfectio boni redintegretur operis. Hi itaque, qui de nullo suo opere confidunt, ad Sanctorum protectionem currunt, atque ad sacra eorum corpora fletibus insistunt, promereri se veniam eis intercedentibus deprecantur. Quid ergo isti in hac humilitate faciunt, nisi quia bonæ actionis velamen non habentes lapides amplexantur?

SED nos peccatores, multis & maximis inuoluti peccatis, quibus lacrymis sperare veniam debemus, qui in illo tremendo examine, cum rege nostro ex æquo ad iudicium non venimus, quos nimirum conditio infirmitatis & causa inferiores exhibet? Sed fortasse iam mali operis culpas abscidimus, iam praua quæque exteriùs declinamus. numquid ad reddendam rationem cogitationis nostræ sufficimus? Nam cum viginti millibus venire ad bellum rex in Euangelio dicitur, contra quem minimè sufficit ille qui cum decem millibus venit. decem millia quippe ad viginti millia simplum ad duplum sunt. nos autem si multum proficimus, vix exteriora nostra opera in rectitudine seruamus. Nam & si iam luxuria carnis abscissa est, tamen adhuc à corde funditus abscissa non est. Ille autem qui iudicaturus venit exteriora, simul & interiora iudicat, facta pariter & cogitationes pensat. cum duplo ergo exercitu contra simplum venit, qui nos, vix in solo opere præparatos, simul de opere & cogitatione

Ho. XXXVII in Euang.

Luc. 14 31.

discutit. Quid ergo agendum est, fratres, nisi vt dum cum simplo exercitu contra duplum illius sufficere non posse conspicimus, dum adhuc longè est legationem mittamus, & rogemus ea quæ pacis sunt? Longè enim esse dicitur, qui adhuc per iudicium præsens non videtur. Mittamus ad hunc legationem lacrymas nostras, mittamus misericordiæ opera, mactemus in ara eius hostias placationis, cognoscamus nos cum eo in iudicio non posse contendere, pensemus virtutem eius fortitudinis, rogemus ea quæ pacis sunt. Hæc est nostra legatio, quæ regem venientem placat. Pensate, fratres, quàm benignum sit, quòd is qui suo aduentu valet opprimere tardat venire. Mittamus ad hunc, vt diximus, legationem nostram flendo, tribuendo, sacras hostias offerendo. Singulariter namque ad absolutionem nostram oblatio cum lacrymis & benignitate mentis, sacri altaris hostia suffragatur: quia is qui in se resurgens à mortuis iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus. Multos, vt arbitror, vestrûm, fratres carissimi, contigit nosse hoc quod volo ad memoriam vestram narrando reuocare. Non longè à nostris temporibus factum fertur, quòd quidam ab hostibus captus longè traductus est. Cúmque diu teneretur in vinculis, eum vxor sua, cùm ex eadem captiuitate non reciperet, extinctum putauit. Pro quo iam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerre. Cuius totiens vincula soluebantur in captiuitate, quotiens ab eius coniuge oblatæ fuissent hostiæ pro animæ eius absolutione. Nam longo pòst tempore reuersus, admirans valdè suæ indicauit vxori quòd diebus certis hebdomadibus singulis eius vincula soluebantur. Quos dies eius vxor atque horas discutiens, tunc eum recognouit absolutum, cùm pro eo sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo, fratres carissimi, hinc certa consideratione colligite, oblata à nobis hostia sacra quantum in nobis soluere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero soluere vincula corporis.] Relinquat ergo omnia qui potest. qui autē relinquere non potest, cùm adhuc rex longè est, legationem mittat, lacrymarum, eleemosynarum, hostiarum munera offerat. Vult enim placari precibus, qui scit quia portari non possit iratus. Quòd adhuc moram facit venire, legationem pacis sustinet. Venisset iam iámque si vellet, cunctos suos aduersarios trucidasset. Sed & quàm terribilis veniet indicat, & tamen ad veniendum tardat, quia non vult inuenire quos puniat, & qui per iram non potest ferri, per postulatæ pacis vult legationem placari Lauate ergo, fratres carissimi, lacrymis maculas peccatorum, eleemosynis tergite, sacris hostiis expiate.] Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam saluat, quæ illam mortem nobis vnigeniti per mysterium reparat. Qui licèt surgens à mortuis

In eadem Homilia sub finem.

Dialogor. lib. 4. c. 58.

iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur, tamen in seipso immortaliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quoddam ex visibilibus atque inuisibilibus fieri?]

VNDE magnopere nobis est attendendum, cum quanta reuerentia, & cum quanto timore ac tremore, diuinis mysteriis debemus assistere, ac sollicitè obseruare, ne quid ineptum ibidem geramus, ne cum Corinthiis ab Apostolo audiamus, *Numquid domos non habetis ad* agenda vel loquenda temporalia, *aut Ecclesiam Dei contemnitis?* & adeo cum Iudæis, *Dilectus meus in domo mea fecit scelera multa.* Et sollicitè considerare debemus, quid Dominus faceret, si rixis dissidentes, si fabulis vacantes, si risu dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret inretitos, qui hostias quæ sibi immolarentur ementes in templo vidit, & eliminare festinauit. Sed & nos recolentes scriptum, *zelus domus tuæ comedit me*, zelare debemus domum Dei, & quantum possumus, ne quid in ea prauum geratur insistamus. Si viderimus fratrem qui ad domum Dei pertinet superbia tumidum, si detractionibus assuetum, si ebrietati seruientem, si luxuria eneruatum, si iracundia turbidum, si alio cuiquam vitio substratum, studeamus in quantum facultas suppetit castigare, polluta ac peruersa corrigere: & si quem de talibus emendare nequimus, non sine acerrimo mentis sustinere dolore, & maximè in ipsa domo orationis, vbi Domini consecratur corpus, vbi Angelorum præsentia semper adesse non dubitatur, ne quid ineptum fiat, ne quid quod nostram fraternámve orationem impediat, totis viribus agamus. Hæc propter illos diximus, qui Ecclesiam ingressi, non solùm intentionem orandi negligunt, verùm etiam ea pro quibus orare debuerant augent, insuper & arguentes se pro huiusmodi stultitia conuitiis odiísque insequuntur, addentes videlicet peccata peccatis, & quasi sibi funem longissimum incauta eorum augmentatione texentes, nec timentes ex eo districti iudicis examinatione damnari. Nec latet crebrò Angelos electis inuisibili adesse præsentia, vt eos vel ab hostis callidi defendant insidiis, vel maioris cælestis desiderij gratia sustollant, Apostolo attestante qui ait, *Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis?* Maximè tamen Angelici nobis spiritus adesse credendi sunt, cùm diuinis specialiter mancipamur obsequiis, id est cùm

[Margin: DOMVS DEI REVERENTIA.]

[Margin: 1.Cor. 11. 22.]

[Margin: Hier. 11. 15.]

[Margin: Ioan. 2. 17.]

Ecclesiam ingressi, vel lectionibus sacris aurem accommodamus, vel psalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus, maximè autem cùm missarum solemnia celebramus. vnde & admonet Apostolus, *Mulieres in Ecclesia velamen super caput habere propter Angelos*, & Propheta ait, *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Nec dubitari licet, vbi corporis & sanguinis Dominici mysteria geruntur, supernorum ciuium adesse conuentus, qui monumentum quo corpus ipsum venerabile positum fuerat, & vnde resurgendo abscesserat, tam sedulis seruant excubiis. Vnde solerter studendum est, vt cùm Ecclesiam vel ad diuinæ laudis debita soluenda, vel agenda missarum solemnia intramus, semper Angelicæ præsentiæ memores, cum timore & veneratione competenti cæleste compleamus officium, in exemplum feminarum Deo deuotarum, quæ apparentibus ad monumentum Angelis *timuisse ac vultum declinasse narrantur in terram.* Sed & nobis typicum præbent exemplum, vt si Dominum inuenire, si Angelorum desideramus præsentia confortari, abiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus. Decet autem nos, sicut operum bonorum luce fulgidos, ita etiam spiritalium operationum refertos gratia, Dominum quærere. Vnde bene mulieres, quæ diluculo ad monumentum venerant, aromata quæ parauerant secum portasse referuntur. Aromata etenim nostra voces sunt orationis, quibus desideria cordis nostri Domino commendamus, attestante Apostolo Ioanne, qui mundissima Sanctorum præcordia mysticè describens, *Habebant*, inquit, *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Quæ enim Græcè aromata, Latinè odoramenta vocantur. Diluculo igitur aromata ad monumentum Domini huc vsque ferimus, cùm memores passionis ac mortis, quam pro nobis suscepit, & actionum bonarum proximis foris lucem monstramus, & suauitate puræ compunctionis intus in corde feruemus. Quod & omnibus horis, & tempore maximè fieri oportet cùm Ecclesiam oraturi ingredimur, cùm appropiamus altari Dominici corporis & sanguinis mysteria sumpturi. Si enim mulieres tanta cura corpus Domini mortui quærebant, quanto magis conuenit nos, qui eum resurrexisse à morte, qui ad cælos ascendisse, qui potentia diuinæ maiestatis vbique præsentem esse cognouimus, cum omni reuerentia eius adstare conspectibus, eius mystica celebrare? Bene autem dicitur, *Portantes quæ parauerant aromata.* Aromata namque, quæ ad obsequium Domini portamus, priùs parasse est, cor ante tempus orationis à superuacuis expurgare cogitationibus, vt in ipso tempore orandi nil sordidum mente recipere, nil rerum labentium cogitare, nulla præter ea quæ precamur, & ipsum cui supplicamus, meminisse nouerimus, iuxta eius exemplum qui ait, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, psalmum dicam Domino.* Nam qui ad adorandum Ecclesiam ingressus, inter verba orationis consuetudinem superfluæ

1.Cor.11.10. Psal.137.1. Luc.24.5. Luc.24.1. Apoc.5.8. Luc.24.1.

cogitationis ab animo repellere negligit, quasi Dominum quæsiturus minus parata secum aromata tulit.

MINISTRI quippe sancti altaris debemus attendere, quòd diuina voce præcipitur, vt in Aaron pectore rationale iudicij vittis ligantibus inprimatur: quatenus sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat, ne indiscretum quid vel inutile sacris mysteriis assistentes cogitemus: quia ad exemplum aliis constituti, ex grauitate vitæ semper debemus ostendere quantam rationem portemus in pectore. In quo etiam rationali vigilanter adiungitur, vt duodecim patriarcharum nomina describantur. Adscriptos etenim patres semper in pectore ferre est, antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos inreprehensibiliter graditur, cùm exempla patrum præcedentium indesinenter intuetur, cùm sanctorum vestigia sine cessatione considerat, & cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem tendat. Sed & in hoc quia mortuorum nomina adscripta portamus, intendere debemus quia mortis opera peccatores gerimus, & ipsi circumdati infirmitate propterea debemus, sicut pro populi, ita & pro nostris exorare peccatis. Adsistentes autem considerare debent, qualiter oporteat eos in conspectu diuinitatis & Angelorum eius adsistere: quia Dominus, qui humilia respicit & alta à longè cognoscit, non attendit ad pretiosas vestes & ad sæculares pompas, quibus quilibet tam viri quàm feminæ se exornare solent, sed ad cor contritum & humiliatum. Quantislibet enim auri & argenti molibus circumdetur, quibuslibet pretiosis vestibus induatur caro, quid est aliud nisi caro? Non ergo debemus attendere quid habemus, sed quid simus. Propheta enim dicit, *Verè fœnum est populus, & omnis caro fœnum, & gloria eius sicut flos fœni.* Multitudo enim generis humani, quæ per natiuitatem virescit in carne, per mortem arescit in puluere, fœnum dicitur rectè. Feminas enim sanctus Petrus admonet, *vt in timore castam conuersationem suam considerantibus monstrent. quarum non sit extrinsecùs capillorum implicatio, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. Sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Domino ornabant se subiectæ propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ dominum eum vocans, cuius sunt filiæ benefacientes & non timentes vllam perturbationem.*

MINISTRI ALTARIS.

ADSISTENTES.

Esa.40.6.

1.Pet 3.2.

SVNT etiam, qui intrantes Ecclesiam non de ornatu vestium, nec in qualibet pompa gloriantur: sed quasi humiliter multis psalmodiam vel orationem sermonibus compositis prolongant: cùm sicut beatus dicit Gregorius, veraciter est orare amaros in oratione gemitus, & non verba composita resonare. At contrà hi, qui sunt ore quidem orantes, sed mente foris vagantes, omni orationis fructu priuantur, putantes à Deo prece exaudiri,

quia nec ipsi qui fundunt audiunt. Quod antiqui hostis instinctu fieri quis animaduertere nequeat? Sciens enim vtilitatem orandi, & inuidens hominibus gratiam impetrandi, immittit orationibus multimoda cogitationum leuium & aliquando etiam turpium nocentiúmque phantasmata, quibus orationem impediat, adeo vt nonnunquam tales tantósque discurrentium cogitationum fluctus prostrati in oratione toleremus, quales nec in lecto resupini iacentes tolerare nouimus. Vnde necesse est, vt agnitum animum ab huiusmodi nebulis, quas hostis aspergere gaudet, in quantum possumus serenando, & pij defensoris perpetuum flagitando præsidium, qui potens est quamlibet indignis peccatoribus, & purè orandi & perfectè impetrandi concedere gratiam, si à precando non cessamus, imitantes cæcum illum, de quo in Euangelio dicitur, *Quia multo magis clamabat, fili Dauid miserere mei.* Quia quanto grauiore tumultu cogitationum carnalium premimur, tanto orationi insistere ardentiùs debemus. Quia nimirum necesse est, vt vox cordis nostri, quo duriùs repellitur, valentiùs insistat, quatenus inlicitæ cogitationis tumultum superet, atque ad pias aures Domini nimietate suæ importunitatis erumpat. Nam sæpe in ipso orationis nostræ sacrificio importunæ se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Sed si Deus in oratione non quæritur, citiùs animus in oratione lassatur: quia cùm illa quisque postulat, quæ fortasse iuxta occultum iudicium Deus tribuere recusat, ipsi quoque venit in fastidio qui non vult dare quod amatur. Sed se magis Dominus quàm ea quæ condidit vult amari, & æterna potiùs quàm terrena postulari, sicut scriptum est, *Quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.* Qui enim non ait dabuntur, sed adiicientur vobis, profectò indicat aliud esse quod principaliter datur, aliud quod superadditur: quia nobis in intentione æternitas, in vsu verò temporalitas esse debet. & illud datur à Deo, & hoc nimirum ex abundantia additur super, & tamen homines sæpe, dum bona temporalia postulant, æterna verò præmia non requirunt, petunt quod adiicitur, & illud non desiderant vbi adiciatur: nec lucrum suæ petitionis esse deputant, si hîc sunt temporaliter pauperes, & illic beatitudine diuites in æternum viuant: sed solis vt dictum est visibilibus intenti, labore postulationis renuunt inuisibilia mercari. Qui si superna quærerent, iam cum fructu laborem acciperent: quia cùm mens in precibus ad auctoris sui speciem anhelat, diuinis desideriis inflammata supernis coniungitur, ab inferioribus separatur, amorem feruoris sui aperit vt capiat, & capiens in flamma amoris iam sursum ire est. dúmque magno desiderio ad cælestia inhiat, miro modo hoc ipsum quod accipere quærit degustat. Vnde Abraham, cùm ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aues pertulit, quas studiosè ne oblatum sacrificium raperent abegit. Sic nos

Marc.10. 48.

Matt.6.33.

l. nichil.

Moralium lib.16 c.19.

Gen.15.11.

nos dum in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus & peruersæ cogitationes rapiant quod mens nostra offerre Domino vtiliter sperat.] Et sicut apud Isaac allophyli effossos puteos replere nituntur, ita nimirum immundi spiritus, cùm nos studiosè cor fodere conspiciunt, per congestas nobis tentationum cogitationes rapiunt quod mens nostra offerre se Domino sperat vtiliter. Vnde mens euacuanda est, incessantérque fodienda, ne si indiscussa relinquitur, vsque ad timorem peruersorum operum cogitationúmque super nos terra cumuletur. Et Iacob, qui cum Angelo contendit, vniuscuiusque perfecti viri & in contemplatione positi animam exprimit: quia videlicet anima, cùm contemplari Dominum nititur, velut in quodam certamine posita, modò quasi exsuperat, quia intelligendo & sentiendo de incircumscripto lumine aliquid degustat: modò verò succumbit, quia & degustando iterum deficit. quasi verò vincitur Angelus, quando intellectu intimo apprehenditur Deus.] Sed tamen ad semetipsam protinus reuerberatur, atque ab ea luce quam superauit recedit. Sic & qui certat, in luctamine aliquando superat, aliquando verò eo cum quo contendit se inferiorem inuenit.] Vnde & in Psalmo dicitur, *Exaudiui te in abscondito tempestatis.* Abscondita tempestas est, cùm in corde contrito cogitationum temporalium fluctus intumescunt, cùm contra amoris sancti studia curarum sæcularium se tumultus inlidunt. In abscondito ergo tempestatis exauditur, quia clamor deprecantis est hæc ipsa tribulationis fluctuatio.]

Gen. 26. 15. Gen. 32. 24. Hom. XIV. in Ezech. Psal. 80. 8. Moralium XXIII. cap. 10.

De prauis cogitationibus, cordísque munditia, & de castitate coniugali, & reconciliatione cum proximo. Quòd iis post mortem aliorum vota prosint qui hoc in vita meruerunt, déque diuerso morientium exitu atque statu. IX.

ET sciendum nobis est, quia triplex est cogitationum nequam modus. Vnus earum, quæ deliberatione & proposito peccandi mentem contaminant. quas cogitationes si iusta animaduersio districti iudicis respicit, non sunt iam cogitationes culpæ, sed operum: quia etsi rerum tarditates foris peccata differunt, intùs hoc confessionis opere voluntatis effectus impleuerunt. De qualibus scriptum est, *Manus in manu non erit innocens malus.* quia si malum quod vult ex deliberatione confessionis non explet in operatione, complet tamen illud in voluntatis deliberatione. Alius earum, quæ delectatione quidem peccati mentem perturbant, nec tamen ad peccandi consensum pertrahunt. Tertius earum, quæ naturali motu mentem percurrentes, non tam hanc ad patranda vitia illiciunt, quàm à bonis quæ cogitare debuit impediunt. veluti est, cùm phantasmata rerum, quæ aliquando superuacuè gesta vel dicta nouimus, ad memoriam reducimus. quarum crebra retractatio, quasi importuna muscarum impro-

COGITATIONES PRAVAE. Prou. 11. 21.

bitas, oculos cordis circumuolare ac ſpiritalem eius aciem inquietare magis quàm excitare conſueuit. Nihil quippe nobis eſt corde fugacius, quod à nobis totiens recedit, quotiens per prauas cogita-
Pſal.39.17. tiones defluit. Hinc etenim Pſalmiſta ait, *Cor meum dereliquit me.* hinc ad ſemetipſum rediens dicit, *Inuenit ſeruus tuus cor ſuum vt oret te.* Cùm ergo cogitatio per cuſtodiam reſtringitur, cor quod fugere conſueuit inuenitur. A cunctis autem his cogitationum nequam
Prou.4.23. generibus caſtigari monuit Salomon cùm dicit, *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit.* Cuius monita ſequentes, agamus ſolliciti, vt ſi quid conſenſu perpetrandi facinoris in animo deliquimus, cita hoc confeſſione & dignis pœnitentiæ fructibus abſtergamus. Si delectatione peccandi nos tentari ſenſerimus, mox eam delectationem crebris precibus ac lacrymis, crebræ amaritudinis perpetua recordatione pellamus. Et ſi nos ſolos ad hanc propulſandum ſufficere non poſſe viderimus, fratrum quæramus auxilia, vt quod noſtris viribus nequimus, illorum conſilio & interceſſio-
Iac.5.16. ne ſumamus. *Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua*, & ſicut idem
Ibid.15. præmiſit, *Oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit dimittentur ei.* Et quia ſuperuacuis cogitationibus ad integrum carere non valemus, has in quantum poſſumus immiſſione bonarum cogitationum, & maximè frequenti ſcripturarum medi-
Pſal.118.97 tatione fugemus, iuxta exemplum Pſalmiſtæ qui dicit, *Quomodo dilexi legem tuam Domine! tota die meditatio mea eſt.* Petamus ſupernam clementiam, quod eſt verè in nomine Saluatoris petere, vt cor noſtrum rigore odiorum conſtringi non permittat, ſed gratiam nobis puræ dilectionis infundat. vt infidelitatis nos interire venenis non ſinat, ſed fortitudinem fidei contra hoſtis antiqui tentamenta concedat. vt nos deſperatione futurorum retro reſpicere non permittat, ſed ſpem cæleſtium bonorum, per quam præſentia aduerſa ſimul & proſpera contemnere poſſimus, miſericorditer tribuat. Cordis quoque nobis munditiam & boni operis efficaciam præſtet. Multum autem iuuat orationis puritas, ſi in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus inlicitis, ſi ſemper ab otioſis ſermocinationibus auditum pariter caſtigemus & linguam, ſi in lege Domini ambulare & teſtimonia eius adſueſcamus toto corde ſeruare. Quæcumque enim ſæpiùs agere, vel loqui, aut audire ſolemus, eadem neceſſe eſt ſæpiùs ad animum quaſi ſolitam propriámque recurrant ad ſedem. Sicut ad volutabra porci, columbæ autem pura & limpida ſolent frequentare fluenta, ita cogitationes immundæ impuram mentem perturbant, & ſpiritales cogitationes caſtam men-
Prou 4.23. tem ſanctificant. Et cuſtodito corde, iuxta quod ſcriptura dicit, *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit*, neceſſe eſt nos etiam corpora in ſanctificatione & munditia cuſtodire. Cuſtodito namque & mundato à fluxu luxuriæ corpore, neceſſe eſt vt bona

opera subsequantur, sicut Dominus præcepit dicens, *Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Duo autem sunt quæ iubentur, & lumbos restringere, & lucernas tenere, vt & munditia sit castitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro vnum sine altero placere nequaquam potest, si aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deserit, aut is qui castitate præminet, necdum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquid sine castitate.] Quid enim illi prodest qui se diabolo & sua donat Deo, cùm scriptura dicat, *Miserere animæ tuæ placens Deo?* Misericordiæ enim opera quisque à se incipere debet, vt priùs se Deo & postea sua Domino tribuat, iuxta quod scriptura præcipit, *Declina à malo & fac bonum, & tunc inhabitabis in sæculum sæculi in domo Domini, in longitudinem dierum.*

Luc.12.35. Hom.XIII. Eccle.30. 24. Psal 36.27.

ET sciendum nobis est, quia non solùm est castitas in virginibus, & viduis, & continentibus, sed etiam castitas est coniugalis in legitimè coniugatis & legitima iura coniugij cõseruantibus. Quibus tamen scire necesse est, quia suscipiendæ prolis causa habentur coniuncti, & cùm immoderatæ commixtioni seruientes propagationis articulũ in vsum transferunt voluptatis, perpendant quòd libidini seruientes nimiæ, in ipso coniugio coniugij iura transcendunt. Vnde necesse est, vt crebris orationibus, & quotidianis eleemosynis, deleãt quòd pulchram copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant. Hinc est, quòd peritus medicinæ cælestis Apostolus, non tam sana instituit, quàm infirmis medicamenta monstrauit dicens, *De quibus scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat.* Qui enim fornicationis metum præmisit, profectò non stantibus præcepta contulit: sed ne fortasse in terram ruerent, lectum cadentibus extendit. vnde adhuc infirmantibus subdit, *Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro.* Quibus dum in magna honestate coniugij aliquid de voluptate largiretur, adiunxit, *Hoc autem dico secundùm indulgentiã, non secundùm imperium.* Culpa quippe esse innuitur, quod indulgeri perhibetur: sed quæ tanto citiùs relaxatur, quãto non per hanc illicitum quid agatur, si hoc quod est licitum sub moderamine nõ tenetur.] Vnde cùm Deo deprecatio funditur, nequaquam talis coniugum vita damnatur. De qua deprecatione quoque Paulus admonet dicens, *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus vt vacetis orationi.*] Quatinus mundiores & corde & corpore, abluti etiam carne & vestibus aqua, ad communionem corporis & sanguinis Domini veniant, ne ipsa inæstimabilis mysterij magnitudine grauentur. Nam & Dominus in Sina monte locuturus ad populum, priùs eundem populum abstinere à mulieribus præcepit, & ad Dauid de pueris suis à sacerdote dicitur, vt si à mulieribus mundi essent, panes propositionis acciperent. quos omnino non acciperent, nisi priùs mundos esse Dauid à mulieribus

CASTITAS CONIVGALIS. Pastoralis part.III. cap.28. 1.Cor.7.1. Ibid.6. Ibidem post alia. 1.Cor.7.5. Exod.19.15 1.Reg.21.4.

fateretur. Omnes autem in communione, mundo corde & corpore purificato sacris mysteriis assistentes, necesse est vt nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus, quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis hostia erit, cùm nos ipsos hostiam fecerit.

Dialogorū lib 4.c.59. RECONCILIATIO PROXIMI. SED inter hæc sciendum est, quia ille rectè sui delicti veniam postulat, qui priùs hoc quod in ipso delinquitur relaxat. Munus enim non accipitur, nisi antè discordia ab animo pellatur, dicente veritate, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus* Matt.5.23. *habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo & tunc veniens offeres munus tuum.* Qua in re pensandum est, cùm omnis culpa munere soluatur, quàm grauis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum, quamuis longè positum, longéque disiunctum, mente ire, eíque animum subdere, humilitate illum ac beneuolentia placare, vt scilicet conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis adspexerit, à peccato nos soluat qui munus pro culpa sumit. Veritatis autem voce attestante didicimus, quia seruus qui decem millia Matt.18.23 talenta debebat, cùm pœnitentiam ageret, absolutionem debiti à domino accepit: sed quia conseruo suo centum sibi denarios debenti debitum non dimisit, & hoc est iussus exigi quod ei fuerat iam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat, quia si hoc quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus, & illud rursus exigimur quod nobis iam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Igitur dum per indultum temporis spatium licet, dum iudex sustinet, dum conuersionem nostram is qui culpas examinat expectat, conflemus in lacrymis duritiem mentis, formemus in proximis gratiam benignitatis, & fidenter dico, quia salutari hostia per mortem non indigebimus, si ante mortem Deo ipsi hostia fuerimus.]

ET sciendum nobis est, qua illis sacra victima mortuis prodest, qui hìc viuendo obtinuerunt vt eos etiam post mortem bona adiuuent quæ hìc pro ipsis ab aliis fiunt. Ad hæc etiam veraciter credi debet, quia illum post mortem Deus non liberat, quem ante mortem gratia suam ad veniam non reformat. Hinc etenim Paulus dicit. 2.Cor.6.2. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Hinc Psalmista ait, Psal.117.1. *Quoniam in sæculum misericordia eius.* Quia nimirum, quem nequaquam modò misericordia eius eripit, sola post præsens sæculum iustitia ad- Eccle.11.3. dicit. Hinc Salomon ait, *Quia lignum in quocumque loco ceciderit, siue ad* MORIENTIUM DIVERSA CONDITIO. *austrum, siue ad aquilonem, ibi erit.* Quia cùm humani casus tēpore, siue sanctus, siue malignus spiritus egredientem animam claustris carnis acceperit, in æternum secum sine vlla permutatione retinebit, vt nec exaltata ad supplicium proruat, nec mersa æternis suppliciis vltra ad remedium ereptionis ascendat, relictis æternaliter condemnatis. Scire debemus, quia est differentia in electis de corpore egressis, vt egre-

dictibus seu egressuris. quoniam sunt qui mox vt à carnis corruptione soluti sunt aut soluuntur, ad Dei contemplationem Angelis sociandi perueniunt, sicut sancti Apostoli, martyres, & confessores, & virgines, ceterique arctioris & perfectoris vitæ viri ac feminæ, quorum vnus certaminum suorum conscius non dubitauit de ipso testari dicens, *Cupio dissolui & cum Christo esse.* Ceterùm sunt plures in Ecclesia iusti, qui post carnis solutionem continuò beata paradisi requie suscipiuntur, expectantes in magno gaudio, in magnis congaudentium choris, quando recepto corpore veniant & appareant ante faciem Dei. At verò nonnulli, propter bona quidem opera ad electorum societatem præordinati, sed propter mala aliqua, quibus polluti de corpore exeunt, per mortem seueriùs castigandi, excipiuntur flammis ignis purgatorij, & vel vsque ad diem Iudicij longa examinatione de vitiorum sorde mundantur, vel certè piis amicorum fidelium precibus, eleemosynis, ieiuniis, fletibus, & hostiæ salutaris oblationibus absoluti pœnis, & ipsi ad beatorum perueniunt requiem. Sed inter hæc pensandum est, quòd tutior via sit, vt bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse dum viuit pro se. Beatius quippe est liberum exire, quàm post vincula libertatem quærere. Debemus itaque præsens sæculum, vel quia iam conspicimus defluxisse, tota mente contemnere. quotidiana Deo lacrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius & sanguinis hostias immolare, in assiduis etiam fletibus, in quotidiana nostra pœnitentia.

Philip. 1.23

Quòd aduocatus noster in cælo sit Christus, qui Incarnationis & passionis suæ mysterio nos redemit, & corpus ac sanguinem suum nobis in sacramento reliquit. X.

HABEMVS sacerdotem in cælis qui interpellat pro nobis, de quo etiam per Ioannem dicitur, *Si peccauerimus, aduocatum habemus apud patrē Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ecce exultat animus, cùm aduocati nostri potentiam audiuimus: sed exultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse qui nobis aduocatus est dicitur iustus. Nos enim causas iniustitiæ habemus, iustus verò aduocatus iniustas causas nullomodo suscipit, nec verba dare pro iniustitia consentit. Quid ergo agimus, carissimi fratres mei? Sed ecce occurrit animo quid agamus. mala quæ fecimus & accusemus & deploremus. Scriptum est enim, *Iustus in principio accusator est sui.* Quilibet etenim peccator conuersus in fletibus iam iustus esse inchoat, cùm cœperit accusare quod fecit. Cur enim iustus non sit, qui contra suam iniustitiam iam per lacrymas sæuit? Iustus igitur aduocatus noster iustos nos defendet in iudicio, quia nosmetipsos & cognoscimus & accusamus iniustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in aduocati nostri allegatione confidamus, qui sine intermissione pro

1. Ioan. 2.1.

Prou. 18.17.

nobis holocaustum redemptor piissimus immolat, quia sine cessatione patri suam pro nobis incarnationem demonstrat. Ipsa quippe eius incarnatio nostræ est emundationis oblatio. Cúmque se hominem ostendit, delicta hominis interueniens diluit, & humanitatis suæ mysterio perenne sacrificium immolat, quia & hæc sunt æterna quæ mundat, sacerdos pro nobis factus, & sacrificium, & altare. Vnde
Exod.33.14 ad Israel dicitur, *Altare de terra facietis mihi.* Altare enim de terra Deo facere est, incarnationem mediatoris adorare. Tunc quippe à Deo nostro munus accipitur, quando in hoc altari, id est super Dominicæ incarnationis humanitatem, nostræ humilitatis fidem solidamus. Homo namque in libertate propriæ voluntatis ad vitam conditus, sponte sua diabolo consentiens, factus est debitor mortis. Delenda ergo erat talis culpa, sed nisi per sacrificium deleri non poterat, & pro homine videlicet peccatore & rationali, nisi rationalis hostia, id est homo, & sine peccato, qui de homine assumpsit naturam non culpam, ad emundationem offerri non potuit. Fecit ergo pro nobis sacrificium corpus suum, exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quæ & humanitate mori, & iniustitiam mundare potuisset. Finis scilicet, non qui consumit, sed qui perfecit eum, in carne apparuit, & factus sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, tunc nouum testamentum, quod nobis de pane & vino aqua mixto, ipso sacrificante & viuificante atque benedicente, in vero corpore & sanguine suo mysterium fidei, donec specietenus veniat tradidit, manifestè perficiet, cùm apertè diligentibus se, qui secundùm propositum vocati sunt sancti, per patefactam maiestatis suæ speciem ostendet, quomodo ipsi gignenti non impar oriatur, & quomodo vtriusque Spiritus, vtrique coæternus ac consubstantialis, simul ab vtroque procedat. quomodo is qui oriendo à patre est, ei de quo oritur subsequens non est. quomodo is qui processione producitur, à proferentibus non præitur. Quomodo & vnum diuisibiliter tria sint, & indiuisibiliter tria vnum: sed humanitatem veræ carnis animatæ rationali anima, vnà secum de Spiritu sancto & beata Maria semper virgine, in visceribus eius de carne ipsius conceptam, & mox sanctam in ciuitatem assumptam, suæ personæ, qui sine vllo initio perfectus Deus, vnigenitus æqualis patri, perfectus homo in fine sæculorum natus est, vnus Christus, verus filius Dei, per vterum eiusdem Virginis, quæ ancilla est ipsius hominis per di-
Moralium lib 18.c.27. uinitatem, & mater Verbi per carnem. Cui vt scriptum est, *Non*
Iob.28.19. *adæquabitur topazium de Æthiopia.* quoniam aliud est natos homines gratiam adoptionis accipere, aliud vnum singulariter per diuinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu prodiisse: nec æquari potest gloriæ vnigeniti habitæ per naturam ab aliis accepta per gratiam. Mediator quippe Dei atque hominum homo Christus Iesus, non est alter in humanitate, alter in deitate: quia non purus homo con-

conceptus atque editus, pòst per meritum vt Deus esset accepit: sed nuntiante Angelo, & adueniente Spiritu, mox Verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro, & manente incommutabili essentia, quæ ei cum patre & cum sancto Spiritu coæterna est, assumpsit intra Virginis viscera, vnde & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante sæcula temporalis posset esse in fine sæculorum. vt per ineffabile sacramentum, conceptu sancto, & partu inuiolabili, secundùm veritatem vtriusque naturæ eadem Virgo, vt diximus, & ancilla Domini esset & mater. Sic quippe ei ab Elisabeth dicitur, *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* & ipsa Virgo concipiens dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Et quamuis ipse aliud ex patre, aliud ex Virgine, sed ipse est æternus ex patre, ipse temporalis ex matre, ipse qui fecit, ipse qui factus est, ipse speciosus præ filiis hominum per diuinitatem, & ipse de quo dictum est, *Vidimus eum, & non erat aspectus, & non est ei species, neque decor*, per humanitatem. Ipse ante sæcula de patre sine matre, ipse in fine sæculorum de matre sine patre. ipse conditoris templum, ipse conditor templi: ipse auctor operis, ipse opus auctoris. manens vnus ex vtraque & in vtraque natura, nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus.] In natura diuinitatis æqualis & coæternus ac consubstantialis patri & Spiritui sancto: in natura humanitatis minoratus paulominùs ab Angelis. in qua resurgendo à mortuis gloria & honore coronatus est, & constitutus super omnia opera manuum patris, & data est ei omnis potestas in cælo & in terra, & clarificatus est claritate illa, quam in diuinitate habuit apud patrem priusquàm mundus fieret, vt iisdem dilectoribus suis palàm ostenderet, cùm absorpta esset mors in victoria, mortale hoc nostrum induere immortalitatem ad suam felicitatis sempiternæ beatitudinem. Eius beatitudinis perpetuæ felicitatem anxiè suspirantes & anhelantes, ingemiscimus grauati in hoc tabernaculo, habẽtes hunc fidei & spei ac dilectionis thesaurum in vasis fictilibus. Vnde nobis per Prophetam dicitur, *Constituite diem solemnem in cõfrequentationibus vsque ad cornu altaris.* Dies solemnis est Domino compunctio cordis nostri. Sed tunc in confrequentationibus dies solemnis constituitur, cùm in lacrymas amoris eius assiduè mens soluitur. At ne morientes, si non diceretur quandiu ista acturi sumus, tribulatione afficeremur, illico terminum quousque fieri debeat subiungit dicens, *vsque ad cornu altaris.* Cornu quippe altaris est exaltatio sacrificij interioris, vbi cùm venerimus, iam nulla necessitas erit vt solemnem diem Domino de nostra lamentatione faciamus. Ad quod altare interioris sacrificij non accedit nisi iustus, ad quod ille peruenit qui ad istud præsens & visibile accedit gratia Dei iustificatus, & illic inueniet vitam suam, qui ad istud accedens discreuerit causam suam, vnde dispensatur victima salutaris, qua deletum est

Luc 1.43. Ibid. 38. Esa. 53. 2. Psal. 117. 27

debitæ damnationis ac maledictionis nostræ chirographum quod erat contrarium nobis, & triumphatus est hostis computans nostra peccata, & quærens quid obiiciat, & nihil inueniens in illo in quo vincimus, credentes in eum qui pro nobis debitoribus mortis, mortis debitum quod non debebat exoluit, soluens inimicitias quas peccando contraximus in carne sua, bonus pastor animam suam ponens pro ouibus suis, vt in sacramento nostro corpus & sanguinem suum verteret, & oues quas redemerat carnis suæ alimento satiaret.

Quòd Christus pro nobis in altari quotidie immolatur, ad cuius participationem cum fide & bonis operibus accedendum est.

XI.

QVI quando hæc sacrosancta mysteria celebranda discipulis Luc.22.22. suis tradidit, inter cetera dixit, *Filius hominis secundùm quod definitum est vadit. Verumtamen væ illi homini per quem tradetur.* Sed & hodie & in sempiternum væ illi homini, qui ad mensam Domini malignus accedit, qui insidiis mente conditis, qui præcordiis aliquo scelere pollutus, mysteriorum Christi secretis participare non metuit. Etenim ille in exemplum Iudæ filium hominis tradit, non quidem Iudæis peccatoribus, sed tamen peccatoribus, membris scilicet suis, quibus illud inæstimabile & inuiolabile Domini corpus violare præsumit. Ille Dominum vendit, qui eius amore ac timore neglecto, terrena & caduca, imò etiam criminosa, plus amare & curare conuincitur. Væ, inquam, illi homini, de quo Iesus, qui altaribus sacrosanctis inter immolandum, vtpote proposita consecraturus, adesse non dubitatur, adstantibus sibi ministris cælestibus, queri cogitur, Ecce inquiens manus tradentis me mecum est in mensa. De 1.Cor.11.27. quibus dicit Apostolus, *Quicumque manducauerit panem vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans,* id est, non discernens debita veneratione à cibis ceteris, *corpus Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bi-* Ibid.28. & 26. *bat. Quotiens enim cumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* quia vt Ioannes dicit Apo- Apoc.1.15. stolus, *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Non solùm autem à peccatis in sanguine suo, quando sanguinem suum dedit in cruce pro nobis, sed & quando quisque nostrûm in mysterio sacrosanctæ passionis illius baptismi aquis ablutus est, quia pretium Christi sepultura nostra est. vnde ager de pretio sanguinis eius emptus vocatur acheldemach, id est ager sanguinis. videlicet ager Iudæorum, sed sepultura nostra est. Nos enim peregrini fuimus & aduenæ, non habuimus vbi requiesceremus: ille crucifixus est & mortuus, & nos consepulti sumus cum illo per baptismum in

in mortem. Quia *quicumque baptizati sumus in Christo Domino, in morte ipsius baptizati sumus.* qui non solùm quando in cruce sanguinem suum dedit pro nobis, vel quando in baptismate lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, verùm etiam quotidie tollit peccata mundi, lauátque nos à peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cùm eiusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cùm panis & vini creatura in sacramentum carnis & sanguinis eius ineffabili spiritus sanctificatione transfertur, sícque corpus & sanguis illius, non infidelium manibus ad perniciem suam funditur & occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem. Rom. 6. 3.

CVIVS rectè figuram agnus in lege paschalis ostendit, qui semel populum de Ægyptia seruitute liberans, in memoriam eiusdem liberationis per omnes annos immolatione sua eundem populum sanctificare solebat, donec ipse veniret, cui talis hostia testimonium dabat, oblatúsque patri pro nobis in hostiam odorémque suauitatis, mysterium suæ passionis oblato agno in creaturam panis viníque transferret, sacerdos factus in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Et sicut illi, qui etiam postquàm educti sunt in sanguine agni de terra Ægypti, & baptizati sunt in nube & in mari, exigentibus culpis, serpentium morsibus sternebantur, vt ex ordine flagelli exterioris agnoscerent quantam intùs perniciem peccando paterentur, exaltatum pro signo serpentem æneum adspiciebant, sicut sacra Numerorum narrat historia, sanabantur ad tempus à temporali morte & plaga, quam serpentium morsus intulerant: ita & qui mysterium dominicæ passionis credendo & confitendo sinceriter imitando adspiciunt, saluantur in perpetuum ab omni morte quam peccando in anima pariter & carne contraxerant, *vt omnis qui credit in Christum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et hoc inter illam figuram & istam veritatem distat, quia per illam figuram vita protelabatur temporalis, per hanc vita donatur sine fine mansura. Sed curandum solerter est, vt quod intellectus bene sentit operatio condigna perficiat, quatenus cum confessione rectæ nostræ fidei piè & sobriè conuersando ad perfectionem promissæ vitæ nobis mereamur attingere. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ad quam ille perueniet, quisquis in recta fide & bonis operibus perseuerarit vsque in finem, quia & fides sine operibus mortua est, illa videlicet fides, quæ per dilectionem non operatur, & sine fide impossibile est placere Deo. In quibus vnanimiter gratia Dei consistentibus perseuerantia necessaria est vsque in finem, quia nemo mittens manum in aratrum & adspiciens retro, aptus est regno Dei, in quo æternaliter viuunt Angeli & Sanctorum spiritus de ligno vitæ, sicut ipse dixit, *Sicut in me viuit pater, & ego viuo in eo propter patrem, & qui manducat me, & ipse viuit propter me. Ego sum panis vitæ, & ego*

AGNVS PASCHALIS

Serpens æreus.

Num. 20. 9.

Ioan. 3. 16.

Ioan. 3. 16.

Ioan. 6. 58.

ſum panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit non moriatur. Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane viuet in æ-
Ioan. 6. 54. *ternum, & panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro*
Ioan. 6. 56. *enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, manet in me & ego in eo. Hic eſt panis qui de cælo deſcendit. qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Et pridie quàm pateretur, cœnante eo cum diſcipulis ſuis, in nocte qua tradebatur, quando vetus in nouum & æternum paſcha noſtrum conuertit, in quo ipſe immolatus eſt Chriſtus, accepit panem, benedixit ac fregit, dedítque diſcipulis ſuis & ait, *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.* &, *accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Hæc ille dixit & dicit, & perficit qui dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt, & eo verbo quod eſt, & per quod facta ſunt omnia, & per prophetas ſuos hydriam farinæ & lecythum olei, & per vaſa non pauca diffuſum oleum multiplicauit, & Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, cùm in vtero virginali ſanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus, poteſt manum ponere in ambobus, & patrem ſcilicet diuinitatis æqualitate placare, & noſtræ fragilitatem ſubſtantiæ aſſumendo, eam ſine vllius culpæ contagio in vnitate ſuæ perſonæ compati & miſereri, & panes ac piſces iuxta veritatem Euangelicam ſua benedictione multiplicauit, & aquã in vinum tacito nutu vertit, & naturas rerum mutat vt ipſe volet. cuius
1. Cor. 10. 16. veridicis verbis indubitanter credens Apoſtolus dicit, *Calicem bene-*
1. Cor. 11. 23 *dictionis cui benediximus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus noſter Ieſus Chriſtus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit ac dixit, accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens, Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite quotieſcumque biberitis in meam commemorationem. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.*

QVÆ communicatio & participatio corporis & ſanguinis Domini ſicut ex omnibus recta fide offerentibus vna fit, ita & vna redit in omnes, nõ parte corporea, ſed virtute diuina. Qui enim vnus ſemper & idẽ intelligi participaliter non poteſt, tamen à ſuis fidelibus participari dicitur, cùm in eius ſubſtantiam pars nulla admittatur. Sed quia hunc exprimere perfectè ſermone non poſſumus, humanitatis noſtræ modulo quaſi infantiæ imbecillitate præpediti, eum aliquatenus balbutiendo reſonamus. Cuius corpus Iudæi perſequentes moliti ſunt

quasi consumendo extinguere, & gentiles esurientem mentem suam desiderant per quotidianum immolationis sacrificium de eius carnibus satiare, & ipsius redemptoris sanguinem, quem persecutores sæuientes fuderunt, postmodùm credentes biberunt, eúmque esse Dei filium prædicauerunt. De quo videlicet sanguine scriptum est, *Terra ne operias sanguinem meum, neque inueniat locum in te latendi clamor meus.* Peccanti enim homini dictum est, *Terra es & in terram ibis.* Quæ scilicet terra redemptoris nostri sanguinem non abscondit, quia vnusquisque peccator redemptionis suæ pretium sumens confitetur ac laudat, & quibus valet proximis innotescit. Terra etiam sanguinem eius non operuit, quia sancta Ecclesia redemptionis suæ mysterium in cunctis iam mundi partibus prædicat. Neque inuenit in terra latendi locum clamor eius. Ipse enim sanguis redemptionis qui sumitur, clamor nostri redemptoris est. Vnde etiam Paulus dicit, *Et sanguinem aspersionis melius loquentem quàm Abel.* De Abel sanguine dictum fuerat, *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Sed sanguis Iesu meliùs loquitur quàm Abel, quia sanguis Abel fratricidæ fratris mortem petiit, sanguis autem Domini vitam persecutoribus impetrauit. Vt ergo in nobis sacramentum Dominicæ passionis non sit otiosum, imitari debemus quod sumimus, & prædicare ceteris quod veneramur. Locum enim latendi clamor eius in nobis inueniet, si hoc quod mens credidit lingua tacet. Sed ne in nobis clamor eius lateat, restat vt vnusquisque iuxta modulum suum viuificationis suæ mysterium proximis innotescat.] credens & confitens & adnuncians, quia sanguis Christi ideo nouum est testamentum, quia noua dilectio, qua vsque ad mortem in nouissimis sæculorum temporibus nos dilexit. Dilectio ista nos innouat, vt simus homines noui, heredes testamenti noui, sicut & Apostolus dicit, *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? & ideo noui testamenti mediator est.* Per hunc ergo sanguinem noui testamenti, qui effusus est in remissionem peccatorum, emundabit, id est, innouabit conscientiam fidelium, & fiunt iidem fideles, iuxta eundem Apostolum, heredes secundùm spem vitæ æternæ, *& repromissionem accipiunt qui vocati sunt æternæ hereditatis.* Et ideo sanguis ille verè noui testamenti & æterni est, quia quos à vetustate innouat, ad æternam felicitatem perducit. Hinc Zacharias propheta velut ad ipsum Dominum loquens ait, *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Quia videlicet per huius sanguinis effusionem, & antiqui iusti spe futuræ redemptionis deuincti ab inferni claustris educti sunt, & per eundem etiam omnes credentes à peccatorum vinculis, & de lacu miseriæ, & de luto fæcis eripiuntur. Item quod hîc dicitur *mysterium fidei*, & in illis verbis Domini quibus mysterium corporis

Moralium lib. 13. c. 8.
Iob 16. 19.
Gen. 3. 29.
Heb. 12. 24
Gen. 4. 10.
Hebr. 9. 14
Ibid. 15.
Zach. 9. 11.

& ſanguinis ſui tradidit non legitur, videtur de alio loco Euangelij
Ioan.6.14. ſumptum eſſe, vbi ſecundùm Ioannem de hoc eodem ſacramento quibuſdam diſcipulis non credentibus loquens ait, *Verba quæ locutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt, ſed ſunt quidam ex vobis qui non crediderunt.* Oſtendit enim ſe magnum dixiſſe myſterium cùm ait,
Ibid.65. *Verba quæ ego locutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt*, cùm autem adiungit, *ſed ſunt quidam ex vobis qui non crediderunt.* Oſtendit enim magnum iſtud myſterium non eſſe niſi fidei & fidelium, qui verba audiũt, & ideo eis ſpiritus & vita ſunt, quia eos ſpiritaliter intellecta viuificant. Totum ergo quod in hac oblatione Dominici corporis & ſanguinis agitur, myſterium eſt. Aliud enim videtur, aliud intelligitur. quod videtur ſpeciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet ſpiritualem. Sciendum verò eſt, quòd eundem calicem Dominici ſanguinis, iuxta obſeruantiam Eccleſiæ catholicæ Apoſtolis traditam, niſi mixtum aqua offerri non licet, quia vnum fiunt
Matt.26.29 in redemptionis noſtræ myſterio cùm ait, *Non bibam amodò ex hoc genimine vitis*, & de latere eius, quod lancea transfixum eſt, aqua cum ſanguine egreſſa, vinum de vera carnis eius vite cum aqua expreſſum oſtendit. Hæc enim ſunt ſacramenta Eccleſiæ, ſine quibus ad vitam quæ vera vita eſt non intratur. Ille ſanguis in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, aqua illa ſalutare temperat poculum, hæc & lauacrum præſtat & potum. Hoc totum Dominicæ oblationis myſterium quanta pietate & amore agendum ſit, commendat ipſe Do-
1.Cor.11.25 minus dicendo, *Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis.*
Ibid.26. Quod exponens Apoſtolus ad Corinthios ait, *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Illius ergo panis & calicis oblatio mortis Chriſti eſt commemoratio & adnuntiatio, quæ non tam verbis quàm ipſis myſteriis agitur, per quæ noſtris mẽtibus mors illa pretioſa altiùs & fortiùs commendatur. Quid eſt enim mortis Chriſti commemoratio, niſi charitatis eius commendatio? quam nobis B. Euangeliſta commendans ait,
Ioan.13.1. *Sciens Ieſus quia venit hora eius vt tranſeat ex hoc mũdo ad patrem, cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Id eſt vſque ad mortem eum dilectio illa perduxit. Quia tantùm dilexit eos vt moreretur propter
Ioan.15.13. eos. Hoc enim teſtatus eſt dicens, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Propterea & iturus ad paſſionem, & per reſurrectionis & aſcenſionis gloriam diſceſſurus è mundo, hoc ſacramentum vltimum diſcipulis tradidit, vt memoriam tantæ charitatis, per quam ſolam ſaluamur, altiùs eorum mentibus infigeret. Quatenus ſemper memores ſimus, & quales, & quantum ab eo dilecti ſimus, ne de nobis gloriemur, quantum vt de illo ſperemus. Quod vtrumque diligenter ampliùs exponit & inculcat di-
Rom.5.6. cens, *Vt quid enim Chriſtus, cùm adhuc infirmi eſſemus, ſecundùm tempus pro*
Ibid.8. *impiis mortuus eſt?* Et poſt paululum dicitur, *Commendat autem*, inquit,

ſuam charitatem Deus in nobis, quoniam ſi cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo igitur magis iuſtificati nunc in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum. Hoc ergo agendum, hoc frequentandum commendauit Eccleſiæ, quouſque ipſe veniat in fine ſæculi, quando erit ſanctorum requies, non adhuc in ſacramento ſpei, quo in hoc tempore conſociatur Eccleſia, quandiu bibitur quod de Chriſti latere manauit, ſed iam in ipſa perfectione ſalutis æternæ, cùm tradetur regnum Deo & patri vt in illa perſpicua contemplatione incommutabilis veritatis nullis myſteriis corporalibus egeamus.

Quòd per Chriſti humilitatem panis Angelorum panis noſter factus ſit: quódque à Chriſto ipſo fiat conſecratio, & in imagine panis vera ſit caro Chriſti, à nobis cum pœnitentia & mundo corde manducanda. XII.

ERAT enim antea ſecundùm ordinem Iudæorum Aaron ſacrificium in victimis pecorum, & hoc in myſterio. Nondum namque erat ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod fideles norunt qui Euangelium legerunt. Quod ſacrificium nunc diffuſum eſt toto orbe terrarum per eum de quo ſcriptum eſt, *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Hoc de Domino noſtro Ieſu Chriſto dictum eſt, quia voluit eſſe ſalutem noſtram in corpore & ſanguine ſuo, quæ commendauit nobis de humilitate ſua. Niſi enim eſſet humilis, non manducaretur nec biberetur. Reſpice altitudinem ipſius, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* Ecce cibus ſempiternus. Sed manducant angeli, manducant ſupernæ virtutes, manducant cæleſtes ſpiritus, & manducant & ſaginantur, & integrum manet quod eos ſatiat & lætificat. Quis autem homo peruenire poſſet ad illum cibum? vnde cor idoneum illi cibo? Oportebat ergo vt menſa illa lacteſceret, vt paruulis proueniret. Vnde autem fit cibus lac? vnde cibus in lac conuertitur, niſi per carnem traiiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans: ſed quia minùs eſt idoneus infans qui pane veſcatur, ipſum mater incarnat, & per humiditatem mamillæ in lactis ſuccum de ipſo pane paſcit infantem. Quomodo ergo de ipſo pane paſcit nos ſapientia Dei? quia *Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis.* Videte ergo humilitatem, quia *panem Angelorum manducauit homo*, vt ſcriptum eſt, *Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Id eſt, Verbum illud quo paſcuntur Angeli ſempiternum, quod eſt æquale patri, manducauit homo, quia cùm in forma Dei eſſet, *non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualem ſe Deo.* Saginantur illo Angeli, ſed *ſemetipſum exinaniuit*, vt manducaret panem Angelorum homo. Formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & *habitu inuentus vt homo, humiliauit ſe factus obediens vſque ad mortem, mor-*

Pſal.109.4. CHRISTI HVMILITAS. Ioan.1.14. Pſal.77.25. Philip.2.7.

tem autem crucis, vt iam de cruce commendaretur caro & ſanguis Domini nouum ſacrificium. Quando loquebatur Dominus noſter Ieſus Chriſtus de corpore ſuo, *Niſi*, inquit, *manducauerit quis carnem meam & biberit ſanguinem meum, non habebit vitam in ſe. Caro enim mea verè eſt eſca, & ſanguis meus verè eſt potus.* Intellectus ſpiritualis
2.Cor.3.6. credentem alium facit, quia *littera occidit, ſpiritus eſt qui viuificat.* Diſcipuli enim eius qui eum ſequebantur expauerunt & exhorruerunt, ſermonem non intelligentes, & putantes neſcio quid durum dicere Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quòd carnem eius quem videbant manducaturi erant, & ſanguinem bibituri, & non potuerunt tolerare. Sed ipſe, cùm commendaret ipſum corpus ſuum & ſanguinem ſuum, accepit in manus ſuas quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo cùm diceret, *Hoc eſt corpus meum.* Quia cùm commendat corpus & ſanguinem ſuum, humilitatem ſuam commendat. Ipſam enim humilitatem ſuam docuit Dominus noſter in corpore & ſanguine ſuo. Sapientia Dei, quam videbimus facie ad faciem, & omnes videbimus, & nemo zelabit, omnibus ſe exhibet & integra eſt & caſta eſt omnibus. Illi mutantur in eum, & ipſe in eos non mutatur. Ipſe eſt veritas, ipſe eſt Deus. Veritas verbum Dei eſt, ſapientia Dei eſt, per quem facta ſunt omnia, qui dixit, *Poteſtatem habeo ponendi animam meam.* Ipſa eſt humilitas Domini noſtri Ieſu Chriſti, ipſa multùm commendatur hominibus, ad ipſam nos hortatur vt viuamus, ſicut dicitur in Canticis canticorum, *Venies & pertranſies.* Ab initio
1 Ioan.3.2. fidei venturi ſumus facie ad faciem, ſicut ſcriptum eſt, *Dilectiſſimi, filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Antequam ergo videamus facie ad faciem quod vident Angeli, opus eſt nobis accedere ad hanc humilitatem, & adhærere huic humilitati, quam commendat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cùm commendat corpus & ſanguinem ſuum celebrari, quam humilitatem pro nobis ſuſcipere dignatus eſt cùm Verbum caro factum eſt. Accedite ergo ad eum & illuminamini. Acceſſerunt Iudæi vt tenebrarentur: acceſſerunt enim ad illum vt crucifigerent. Nos ad eum accedamus vt corpus & ſanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati ſunt, nos manducando crucifixum & bibendo illuminamur. Ecce gentibus datur crucifixus Chriſtus. Vnde accedunt gentes? Fide ſectando, corde inhiando, caritate currendo. Pedes tui caritas eſt. Duos pedes, id eſt dilectionem Dei & proximi habe, vt non ſis claudus, & iſtis duobus pedibus curre ad Deum. Sed dicit aliquis, Quomodo ad eum accedo? Tantis malis, tantis peccatis oneratus ſum, tanta ſcelera clamant de conſcientia mea, quomodo audeo accedere ad eum? Quomodo? Si humiliaueris te per pœnitentiam, &
Matt.5.8. mundaueris cor tuum. *Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum vi-*

debunt. Aufer inde cupiditatum ſordes, aufer labem auaritiæ, aufer tabem ſuperſtitionum, aufer ſacrilegia & malas cogitationes, aufer odia, non dico ſolum aduerſus amicum, ſed etiam aduerſus inimicum. Aufer illa quæ dicit Dominus in Euangelio de corde procedere. *De corde*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, immunditiæ, periuria, falſa teſtimonia, & reliqua quæ coinquinant hominem.* &c. *age pœnitentiam.* Pœnitentia autem & munditia cordis facit te accedere ad Deum, & recipere ſtolam priorem, quam perdidit prodigus filius, ſubſtantia, quam à patre ſuo acceperat, diſſipata cum meretricibus viuendo luxurioſè. Hæc enim ſubſtantia nobis eſt à Deo donata, omne quod viuimus, ſapimus, cogitamus, in verba prorumpimus: & in diſſipatione huius ſubſtantiæ ſtolam perdidimus, id eſt veſtem Spiritus ſancti, veſtem nuptialem, veſtem innocentiæ, quam qui non habuerit, non poteſt regis intereſſe conuiuio. Quam bene conditus accepit homo, malè à ſerpente perſuaſus perdidit, quámque in baptiſmate recepimus. Sed & poſt baptiſma, per dignos pœnitentiæ fructus gratiam Dei recipimus, & occiditur nobis vitulus ſaginatus, qui pro pœnitentis immolatur ſalute, id eſt ipſe ſaluator, cuius quotidie carne paſcimur, cruore potamur. quotidie pater filium recipit, ſemper Chriſtus credentibus immolatur. De quo dicitur, *Ite, adducite vitulum ſaginatum*, id eſt prædicate occiſum, & offerte in ſuo myſterio immolandum, & quotidie pro vobis, id eſt pro peccatoribus mortuum credite. & quotieſcumque ei hoſtiam ſuæ paſſionis offertis, totiens ad abſolutionem veſtram paſſionem illius reparari confidite. Epulemur itaque, id eſt in remiſſionem peccatorum noſtrorum carnem & ſanguinem eius fideliter credentes ſumamus. Igitur ſicut ſcriptum eſt, *Guſtate & videte quàm ſuauis eſt Dominus*, qui dixit, Niſi quis manducauerit carnem meã, & biberit ſanguinem meũ, non habebit in ſe vitam. Si autem non intellexeris, quomodo non intellexerunt qui dixerũt, *Quomodo ipſe poterit nobis dare carnem ſuam manducare*, ſicut legitur in titulo Pſalmi XXXIII. immutabit faciem ſuam Dauid, id eſt Chriſtus, & recedet à te, & dimittet te, & abiet. Beatus autem vir qui ſperat in eum. Quiſquis non ſperat in Domino, miſer eſt. qui ſperat in ſe, aut in aliquo alio homine, & ille miſer eſt. Verè magnus Dominus & miſericordia eius. verè qui nobis manducare dedit corpus ſuum, in quo tanta perpeſſus eſt, & ſanguinem bibere, qui eſt propitiatio peccatorum noſtrorum, quia in peccatis ſuis moriuntur qui per eum non reconciliantur, & non delinquent omnes qui ſperant in eum. Iſte eſt modus iuſtitiæ humanæ, vt vita mortalis quantumlibet proficiat, quia ſine delicto eſſe non poteſt, in hoc non delinquat, dum ſperat in eum in quo eſt remiſſio delictorum, quæ non fit niſi per ſanguinem Chriſti. Grandis enim maieſtas & grandis potentia eſt ſanguinis Chriſti, quo ſoluit manum diaboli, & redemit nos de manu ipſius inimici. Sicut enim ſunt aliqua animalia, & ſtringunt ali-

Matt. 15. 13.
Luc. 15. 23.
Pſal. 33. 9.
Ioan. 6. 53.
SANGVIS CHRISTI OLEVM.

quid intra se inclusum, hoc dicunt & medici & physici, vt nisi fractum fuerit, à se non diuidetur, nec dimittit illud quod intrinsecùs clausum tenet: si autem missum fuerit oleum, statim dissoluitur, & quod strictum fuerat dissipatur & diuiditur in partes. sic & manum durissimam diaboli soluit sanguis Christi. Nolebat nos dimittere diabolus, sanguinem fudit Dominus quasi oleum misericordiæ, & per ipsum nos liberauit. De hoc oleo misericordiæ Christi per
Esa.10.27. prophetam dicitur, *Computrescit iugum à facie olei.* Sub iugo quippe tenebamur diabolicæ dominationis, sed vncti sumus oleo Spiritus sancti, quo de immaculata Virgine conceptus & natus est Christus, per cuius sanguinem & à iugo dominationis diabolicæ sumus redempti, & à peccatis omnibus emundati, vt dicit nobis Ioannes A-
1.Ioan.1.7. postolus, *Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato.* Sacramentum namque Dominicæ passionis, & præterita nobis omnia in baptismo pariter peccata relaxauit, & quidquid quotidiana fragilitate post baptisma commisimus, eiusdem nostri redemptoris nobis gratia dimittit, maximè cùm inter opera lucis quæ facimus humiliter quotidie nostros illi confitemur errores, cùm sanguinis illius sacramenta percipimus, cùm dimittentes debitoribus nostris nostra nobis debita dimitti precamur, cùm memores passionis illius libenter aduersa quæque toleramus. Fidelis enim est Deus, qui non permittet nos tentari supra id quod possumus sufferre. Quidquid enim homo passus fuerit pro nomine Christi, & pro spe vitæ æternæ, & permanens tolerauerit, maior ei merces dabitur: qui si cesserit diabolo, cum illo condemnabitur. Sed opera misericordiæ cum pia humilitate impetrant à Domino, vt non permittat seruos suos tentari plusquam possunt sustinere. Gustate & videte quàm suauis est Dominus, quàm beatus vir qui sperat in eo. Et audiamus veracē magistrum diui-
Augustinus serm.2. de verbis Apostoli. Ioan.6.51. num redemptorem commendantem nobis pretium nostrum sanguinem suum. Locutus est enim nobis de corpore & sanguine suo, cōmendans talem escam & talem potum, *Nisi manducaueritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Et hoc dixit de vita quis alius quàm ipsa vita? erit autem illi homini mors non vita, qui mendacem putauerit vitam. Ergo & de corpore ac sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem. Manducent ergo qui manducant, & bibant qui bibunt, esuriant & sitiant, vitam manducent, vitam bibant. Qui illud manducas reficeris, sed sic reficeris vt non deficiat vnde reficeris. Illud bibere quid est nisi viuere? Manduca vitam, bibe vitam: habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est, vita vnicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur.] Ad istam mensam quis nos inuitauit & quid præparauit? Inuitauit dominus seruos, & præparauit eis cibum seipsum. Quis audeat manducare dominum suum? & ta-

tamen ait, *Qui manducat me, & ipse viuit propter me.* Quando Christus manducatur vita manducatur, nec occiditur vt manducetur, sed mortuos viuificat. Quando manducatur reficit, sed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, ipsum panem manducare, ne fortè finiamus illum, & postea quid manducemus non inueniamus. manducetur Christus, viuit manducatus, quia resurrexit occisus. Nec quando manducamus de illo partes facimus. & quidem in sacramento sic fit, & norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi. Vnusquisque accipit partem suam. Per partes manducatur, & manet integer totus: per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cælo, manet integer in corde tuo. Totus enim erat apud patrem quando venit in Virginem implere illam, nec recessit ab illo. Veniebat in carnem vt eum homines manducarent, & manebat integer apud patrem vt Angelos pasceret. Et quando Christus factus est homo, panem Angelorum manducauit homo. Mysterium nostrum in mensa Domini positum est, mysterium nostrum accipitis, & ad id quod estis Amen respondetis, & respondendo subscribitis. Audis ergo corpus Christi, & respondes amen. Vtinam teneat cor quod dicit os, vtinam habeat fides quod verbo respondes. esto membrum corporis Christi, vt verum sit Amen. AMEN.

MYSTERIVM pacis vnitatis nostræ Christus in sua mensa consecrauit. & quis alius nisi ipse quotidie in sua mensa consecratur? Deus enim adest verbis suis Euangelicis, sine quibus sacramentum non consecratur, & ipse sanctificat sacramentum suum, & facit seipsum, sicut ipse dicit, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Sicut enim ad verbum illius, vt primùm iusserat, germinat terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, & impletur quotidie quod primum dixit, *Crescite & multiplicamini*, quæ benedictio etiam nec post peccatum hominis est abolita: ita & verba illius, qui totus vbique est, & semper est, etiam per peccatores prolata in sanctificatione corporis & sanguinis illius, per omnes mensas in catholica Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, perfectam vim obtinent consecrandi corpus & sanguinem eius qui dixit, *Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: & accipite & bibite, Hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotienscumque feceritis, in meî memoriam facietis.* Et sicut siue hæreticus, siue schismaticus, siue facinorosus, quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille qui ita baptizatus est à bonis catholicis rebaptizari, ne confessio & inuocatio tanti nominis videatur annullari, quia ipse est, vt scriptum est, qui baptizat, qui discipulis suis iussit dicens, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti.* Ita & cuiuscumque vel qualiscumque

MYSTERIVM. Gen.1.22.

meriti sacerdos officium consecrationis sacramentorum corporis & sanguinis Christi secundùm traditionem exerceat, ipse est qui eadem sacramenta consecrat per verba sua, qui dixit, *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, & accipite & bibite, Hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. hæc quotiescumque feceritis, in meî memoriam facietis.* Qui autem accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinísque Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicísque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc quod illud sacramentum viuificat inuenitur. Et panis ac calix Christi non qualibet sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Proinde quod non ita fit, quamuis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis. nisi quod benedicimus, gratiásque agimus Domino in omni munere eius, non solùm spiritali, verùm etiam corporali. Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum: sed aliud est sacramentum, quod præcessit in manna. Hunc panem significauit manna, hunc panem tribuit altare Dei. &, *Bibebant*, inquit, *de potu spiritali sequente eos petra, petra autem erat Christus.* Inde panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in verbo & carne. & quomodo biberunt? Percussa est petra de virga bis. Gemina percussio duo ligna crucis significat. Hic est ergo panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur. Vnde dicit Apostolus, *Calicem benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Si quis manducauerit*, inquit Dominus, *ex hoc pane viuet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quæ caro quibusdam est ad vitam, quibusdam ad exitium, sicut extitit Iudæ: non quia malum erat quod Iudas accepit, sed quia malus Iudas bonum malè accepit. Sacramentum quippe pietatis in iudicium sibi sumit indignus. Bene enim esse non potest malè accipienti quod bonum est. *Caro enim mea*, inquit, *verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Cùm enim in cibo & potu id appetant homines, vt non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur immortales & incorruptibiles facit. In hac enim mystica distributione spiritalis alimoniæ hoc impertitur, hoc sumitur, vt accipientes virtutem cælestis cibi, in carnem illius qui caro nostra factus est transeamus, quatenus vnum effecti cum illo, à mundi principe, à quo per peccatum rapti fuimus, non teneamur, facti vnum cum illo qui dixit, *Venit enim*

Lib. xx. contra Faustum.

1. Cor. 10. 6.

princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Qui rursum dicit, *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo.* Sicut enim verus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris, ita vera caro sicut ipse dixit quam accipimus, & verus est eius potus.]

SED fortè dicas, quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi, audientes dicentem, *Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habet vitam æternam,* fortè dicas, quomodo? qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Primò omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur vt possit mutare & conuertere genera instituta naturæ, sicut de virga Moysi quæ mutata est in serpentem, & rursus in virgam, & flumina Ægypti mutata sunt in sanguinem, & rursus in aquam, & alia multa signa quæ in scripturis leguntur. Deinde vbi non tulerunt sermonem Christi discipuli eius, sed audientes quòd carnem suam daret manducare, & sanguinem suum daret bibendum recedebant, solus tamen Petrus dixit, *Verba vitæ æternæ habes*, & ego à te quomodo recedam? Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutémque consequeris. *Ego sum*, inquit *panis viuus qui de cælo descendi.* Sed caro non descendit è cælo, quo ergo descendit panis è cælo, & panis viuus? quia idem Dominus noster Iesus Christus consors est & diuinitatis & corporis, & tu qui accipis carnem diuinæ eius substantiæ, in illo participaris alimento. Qui manducauerit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum. Ergo non otiosè dicis tu Amen, iam in spiritu confidens quòd accipias corpus Christi. Cùm tu petieris, dicit tibi sacerdos, corpus Christi, & tu dicis Amen, hoc est verum. quod confitetur lingua, teneat affectus. Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? nempe Domini Iesu. panis est ante verba sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Qui pridie quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad cælum, ad te sancte pater omnipotens æterne Deus, gratias agens benedixit, fregit, fractúmque discipulis & Apostolis suis tradidit dicens, Accipite & edite ex hoc omnes, hoc est corpus meum quod pro multis confringetur. Similiter & calicem postquam cœnatum est, respexit ad cælum, ad te sancte pater omnipotens æterne Deus, gratias agens benedixit, Apostolis & discipulis suis tradidit dicens, *Accipite & bibite ex hoc omnes. hic est enim sanguis meus.* Vide illa omnia verba Euangelistæ sunt vsque ad accipite, siue corpus siue sanguinem, inde verba sunt Christi. Antequam consecretur, panis & vinum aqua mixtum est, vbi autem verba Christi accesserunt, corpus & sanguis

Ioan. 6. 54

Ioan. 6. 70

Ambrosius de mysteriis & de sacramentis.

est Christi, aduertimus igitur maioris esse gratiam quàm naturam.
3.Reg.18. 38. Quod si tantùm valuit sermo Heliæ vt ignem de cælo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? De totius mundi
Psal.118.5. operibus legisti, quia *ipse dixit & facta sunt*. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potuit quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est nouas dare res, quàm mutare naturas. Sed quid argumẽtis vtimur? Suis vtamur exemplis, incarnationísque astruamus mysterij veritatem. Numquid naturæ vsu processit, cùm Iesus Dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta femina generare consueuit. Liquet igitur quòd præter naturæ ordinem virgo generauit. Et hoc quod conficimus corpus Christi ex virgine est. quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam ipse Dominus Iesus ex virgine Maria carnem sumpserit, quæ crucifixa est, quæ sepulta est? Verè ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus, *Hoc est corpus meum*. Ergo didicisti quòd ex pane fiat corpus Christi, & quod vinum aqua mixtum in calice fiat sanguis consecratione Verbi cælestis.] Deinde ipse Dominus Iesus testificatur nobis quòd corpus suum accipiamus & sanguinem, nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare? Corpus enim Dei corpus spiritale, corpus Christi corpus est diuini spiritus, qui spiritus Christi, vt legimus, spiritus ante faciem vestram Christus
1.Pet.3.18. Dominus. & in Petri epistola habemus, *Christus pro nobis mortuus est.*
1.Cor.11. Et Paulus dicit, *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens benedixit, fregit ac dixit, accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens, hic calix nouum testamentum est in sanguine meo, hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Denique, *cor nostrum esca ipsa confirmat, & potus ipse lætificat cor hominis,*
Psal. 103.15 vt propheta memorauit. Cuius spiritalis escæ figura præcessit in manna, de quo qui plus collegit quàm iussum est, ampliùs non habuit, quia totus Christus in singulis, totus in omnibus est. Et huius
Num.20.11 spiritalis potus figura præcessit, cùm iussit Deus Moysi vt tangeret petram de virga. Tetigit petram, & petra vndam maximam fudit,
1.Cor.10. 4. sicut Apostolus dicit, *Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra, petra autem erat Christus.* Non immobilis petra, quæ populum sequebatur, & tu bibe, vt te Christus sequatur. Vide mysterium Dei, Moyses, hoc est petra sacerdos verbo Dei tangit petram & fluit aqua, & bibit populus Dei. Tangit ergo sacerdos, redundat aqua in calice, saliet in vitam æternam: & bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est. & vnus de militibus post mortem Chri-
Sanguis & aqua de latere Christi. sti lancea tetigit latus eius, & de latere eius aqua fluxit. aqua autem vt mundaret, sanguis vt redimeret. Hic est qui venit per aquam

& ſanguinem Ieſus Chriſtus. De cuius ſponſi carne Eccleſia prodiit, quando ex latere crucifixi, manante ſanguine & aqua, ſacramentum redemptionis & regenerationis accepit. Et quotidie lauacro rigatur ac poculo, baptiſmatis ſcilicet abluta myſterio, corpus crucifixi in ara crucis torridum ſumens, vnà cum eius cruore roſeo de latere crucifixi profuſo. Aliter enim in ſancta Eccleſia, quæ corpus eſt Chriſti, nec rata ſunt ſacerdotia, nec vera ſacrificia, niſi in noſtræ proprietate ac veritate naturæ nos verus pontifex reconciliet, & verus immaculati agni ſanguis emundet, qui licèt ſit in patris dextera conſtitutus, eadem tamen carne, quam aſſumpſit ex Virgine, ſacramentum propitiationis exequitur, dicente Apoſtolo, *Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immo qui & reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et item Ioannes Apoſtolus, *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* & item, *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Habentes ergo*, vt dicit prædicator egregius, *Pontificem magnum, qui penetrauit cælos Ieſum filium Dei, teneamus confeſſionem. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam eius conſequamur, & gratiam inueniamus, in auxilio opportuno.* Vnde nihil dubitantes, ſed corde credentes ad iuſtitiam, & ore confitentes ad ſalutem, quando corpus & ſanguinem illius ſumimus, quod & Petrus quando hinc alij dubitauerunt Domino dixit, Domino cum Petro dicamus, *Domine verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, quia tu es Chriſtus filij Dei viui.* Cuius caro fidelium vita eſt, ſi corpus ipſius eſſe non negligant. Fiant ergo corpus Chriſti, ſi volunt viuere de ſpiritu Chriſti, de quo non viuit niſi corpus Chriſti. Nam eſcam vitæ accipit, & poculum æternitatis bibit, qui in Chriſto manet, & cuius Chriſtus inhabitator eſt. Qui autem à Chriſto diſcordat, nec carnem Chriſti manducat, nec ſanguinem bibit ad vitam, etiam ſi tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſuæ præſumptionis quotidie indifferenter accipiat.

Rom. 8.34. 1.Ioan.2.1. 1 Ioan.1.9. Hebr.4.14. Ioan.6.70.

IN cuius acceptione ſequenda eſt nobis diſcretio, quam ſanctum Domini Aaron ſecutum fuiſſe didicimus, qui mente lugubri ſe non debere ſumere ſacrificium pro peccato oblatum nobis oſtendit. Dicamúſque debitæ humilitatis confeſſione, Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Quod Apoſtolus commonet dicens, vt non iudicium ſibi manducet & bibat. quatinus à ſeipſo iudicatus per pœnitentiam non iudicetur à Domino. Quæ actio pœnitentiæ tunc erit perfecta & Deo acceptabilis, ſi aſcenderit homo aduerſum ſe tribunal mentis ſuæ, & conſtituerit ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat ſicut comminatur Dominus peccatori: atque ita conſtituto in corde iudicio, adſit accuſatrix cogitatio, te-

Ex Auguſt. Hom.50.

ſtis conſcientia, carnifex timor, deinde ſanguis animæ per lacrymas profluat, poſtremò ab ipſa mente talis ſententia proferatur, vt ſe indignum homo iudicet participatione corporis & ſanguinis Domini, verſetur ante oculos imago futuri iudicij, vt cùm alij accedunt ad altare Dei, quò ipſe non accedit, cogitet quàm ſit contremiſcenda illa pœna, qua percipientibus aliis vitam æternam, alij iudicium ſibi manducant & bibunt. In qua actione pœnitentiæ magnopere cauenda eſt antiqui hoſtis aſtutia, qui ſæpè cùm mens à culpa reſipiſcit, atque admiſſum flere conatur, ſpes ac ſecuritates vacuas ante oculos vocat, quatinus vtilitatem pœnitentiæ ſubtrahat. Modò enim aliorum facta grauiora, modò nihil eſſe quod perpetratũ eſt, modò miſericordem Deum loquitur, modò adhuc tempus ſubſequens ad pœnitentiam pollicetur, vt dum per hæc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ ſuſpendatur, quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contriſtant, & tunc pleniùs obruatur ſuppliciis, quæ nunc etiam gaudet in delictis. Et memores vindictæ, quam ſunt paſſi qui ignem alienum in conſpectu Domini obtulerunt, ſicut in Heptateucho legitur, prouidendum nobis eſt, ne cum affectu peccandi, vel cum delectatione peccati, ad altare Domini accedamus, nec hoc quod oſtendit Apoſtolus in epiſtola ad Corinthios
1.Cor.11.39 incurramus, *Ideo*, inquit, *multi inter vos infirmi & imbecilles ſunt, & dormiunt multi.* Et poſtquam flamma cuiuſque peccati & cordis delectatio à corde deferbuerit, atque poſt pœnitentiæ ſatisfactionem, ſequamur quod de Zacchæo publicano in Euangelio legimus, quia
Luc.19.6. *excepit gaudens Dominum in domum ſuam*, & fecit ei magnum conuiuium. Cuius domus ſumus nos, & cui cogitatio hominis confitetur, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agunt illi. Dies enim feſtus eſt Domino compunctio cordis noſtri, cùm in lacrymas pro amore eius aſſiduè mouetur. Cùm igitur redemptoris noſtri corpus & ſanguinem accipimus, debemus nos pro peccatis noſtris in fletibus affligere, quatenus ipſa amaritudo pœnitentiæ abſtergat à mentis noſtræ ſtomacho peruerſæ humorem vitæ. Et poſt orationis & communionis tempora, quantum iuuante Deo poſſumus, in ipſo animum ſuo pondere & vigore ſeruemus, ne pòſt cogitatio fluxa diſſoluat, ne vana menti lætitia ſubrepat, & lucra compunctionis anima per incuriam fluxæ cogitationis perdat. Sic quippe quod popoſcerat Anna obtinere meruit, quia ſe poſt lacrymas in eodem men-
1.Reg.1.18. tis vigore ſeruauit. De qua nimirum ſcriptum eſt, *Vultúſque eius non ſunt amplius in diuerſa mutati.* Quia igitur non eſt oblita quæ petiit, non eſt priuata munere quod popoſcit.

HÆC rex clariſſime atque cariſſime, accepta opportunitate de epiſtola, quam vobis mitti iuſſiſtis, ex ſenſu ac verbis Catholicorum dulcioribus ſuper mel & fauum, ſagittis quoque potentis acutis cum carbonibus deſolatoriis, & fulgurantibus haſtis iræ Dei, & ma-

ximè de dictis faui, vt ita eum appellemus, diuini eloquij, scilicet beati Gregorij, qui veraciter dicere potuit, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, super mel & fauum ori meo*, qui quod Domino ori eius infundente suscepit nobis dulcissimè ministrauit, quasi in vno fasciculo & vobis & nobis, sed & omnibus legere & intelligere & seruare volentibus, colligere studui pro modulo meo, ad instar illorum, qui ad complanandum Domini saluatoris iter ramos cædebant de arboribus. Insuper etiam scripsi per quæ vitia præcipuè, non solùm generis humani fluuium absorbet, verùm & vineam Domini Sabaoth, id est fideles quosque, aper de sylua & singularis ille ferus diabolus exterminare quantum potest non cessat, & de quibus cetera vitia oriuntur, sicut quilibet scire volens in libro Moralium tricesimo primo potest legere. Quatenus & sapientia vestra, diaboli insidiis cognitis, iter ad regnum æternum faciliùs carpere, & ne simplicium fidelium Christi deuotio in via veritatis erret ædificari, & indignitas mea, pro imposito sibi ministerio, sermonis sonitum exhibens iram Domini quoquo modo possit effugere. Hinc enim Moysi præcipitur, vt tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur: vt videlicet voces prædicationis habeat, ne superni inspectoris iudicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est, *Vt audiatur sonitus quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.* Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur: quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Sed quia, nisi sit intus qui doceat, doctoris lingua exteriùs in vacuum laborat, obsecranda est nobis diuina clementia, vt quod per nos loquitur in auribus vestris, per sancti Spiritus organum infundat cordibus vestris, qui cum coæterno patre suo, in vnitate eiusdem Spiritus sancti, viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 118. 35.

Exod. 28. 35

LECTORI.

Libri sequentis Flodoardus inter Hincmari opera non meminit, nec in vetusto exemplari auctoris nomen exprimit inscriptio, quæ sic habet, *Collectio cuiusdam sapientis ex libris sancti Augustini, de diuersa & multiplici ratione animæ.* Hincmari tamen esse multa persuadent, & Carolo Caluo regi ea soli conueniunt, quæ in Præfatione continentur.

III.

DE DIVERSA ET MVLTIPLICI ANIMÆ ratione, ad Carolum Caluum Regem.

Nunc primùm ex Codice Sancti Remigij Remensis.

PRÆFATIO.



RISCORVM sententia est virorum, vtilia semper quærentium, & posteritati inuenta commendantium, felices fore Respublicas, si eas aut sapientes regerent, aut eas regentes sapientiæ studerent. Quam sententiam præcessores nostri fauorabiliter susceperunt, vtiliter dictam approbauerunt, & quia salubris visa est, etiam & litteris posteritati cognoscendam mandauerunt. Cui & nos fauemus, & Deo gratias referimus, vt pote qui te, ô bone rex, & nostræ Reipublicæ præfecit, & menti vt veram sapientiam perquireres radios sui amoris infundit. Et quia tam nostra quàm & illorum sententia est, Sapientis animum in inquisitione summi boni semper debere versari, dicente Propheta: *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper*, meritò gratulamur te illas Philosophiæ partes & colere, quæ noscuntur ad arcem veræ soliúsque sapientiæ tendere. Meminisse enim semper oportet mentem principis, quid Spiritus sanctus eum admoneat per clarissimos eosdémque principes & verè sapientes: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* itémque, *Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Probamus quoque acrimoniam ac viuacitatem ingenij, vt quia summum bonum quærere niteris, viam inquirendi purgare conaris, per quam ad cupita peruenire possis. Neque enim vel gressibus corporis Deo propinquatur, vel oculis eius diuina natura corporis maiestásque perspicitur, sed illis passibus atque luminibus vel adgreditur, vel cernitur, de quibus Propheta, *Accedite ad eum*, inquit, *& inluminamini.* Animo ergo Deus quæritur, animo Deo propinquatur, animo Deus cernitur, in cuius visione tota inquisitio summi boni adimpletur, in cuius cognitione tuum nobilissimum ingenium occupari à nobis probatur, & rectè omninò. Neque enim plenè potest nosse superiorem se qui non curat scire se. Et quia mens humana vicina est Deo, non autem quod Deus est hoc ipsa est, agit congruenter, vt quæ vult scire summa, curet

Psal. 104. 4. Psal. 2. 10. Sap. 1. 1. Psal. 33. 6.

curet antè ſcire ſummis vicina. Et indignum valde eſt vt perſcrutetur diuina, qui non curat noſſe quæ ſint ipſius humana. Reddis ergo te generi auito hæc agens, qui corda mortalium ab ſcientia diuina & humana torpentia excitarunt. Auum & homonymum tuum dicimus, Eccleſiæ ſanctæ doctrinæ & fidei propugnatorem: ſed & genitorem, totius bonitatis atque pietatis decus inſigne. Et honeſtè atque vtiliter tibi proſpicis. Inhoneſtum namque eſt, eum qui præeſt in ſcientia deturpari. Porrò vtile atque honeſtum eſt, principem & ſenſus venuſtate excellere, & per ſapientiam atque morum probitatem tam ſibi quàm & ſubditis proſpicere. Scedulam ergo Capitulorum nobis allatam ſtudioſè perſpeximus, enucleatímque conſiderauimus, & ad ſingula pro captu ingenioli noſtri, fautrice diuinitate, adiunctis etiam ſanctorum exemplis doctorum, reſpondere diſponimus, non noſtra intelligentia nitentes, ſed in Deo confidentes, qui digna ſe quærenti non negabit, & vt confidimus pro tuo deſiderio ſatisfaciendo vias noſtræ tarditatis reſerabit.

TITVLI CAPITVM.

CAPVT I.

Vtrum anima corporea ſit.

PRIMA ergo propoſitio eorumdem Capitulorum eſt, Vtrum anima corporea ſit. Porrò nobis anima tanto minus corporea videtur, quanto minus ex illis, quibus cuncta corpora conſtant, elementis compacta dinoſcitur. Neque enim eam ex aëre, aut igni, vel aqua, terráque conſiſtere credimus: ſed à Deo conditam dicimus, quantum quidem ad corpus ſpectat quod his elementis ſubſiſtit ſimplicem; ſi autem Creatori conferatur, multiplicem. Simplex enim eſt quantum ad corporis qualitatem ſpectat, quia creatio eius, vt dictum eſt, ex nullis ſubſiſtit elementis: collata tamen Deo multiplex, quia variis obnoxia paſſionibus, modò cupiens, modò concupita faſtidiens, modò læta, modò triſtis, modò ſapit, modò deſipit. Quod in Deum nullomodò cadere ſobrius capit intellectus, qui Spiritum ſanctum intendit à creatura diſcernentem Creatorem, qui per Pſalmiſtam dicit Deo, *Mutabis ea, & mutabuntur. Tu autem idem ipſe es.* & iterum Pſal. 101. 27

Malac.3.6. ipsum loquentem, *Ego Dominus & non mutor.* Interea & si creatio hominis intenditur, non eam esse corpus facilè deprehenditur. Ficto Gen.2.7. namque ex luto corpore à Deo, dicit scriptura, *Insufflauit Deus in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Si enim corpus corpori necteret, quid duorum corporum alterum viuificaret? Nunc autem dum dicitur quia insufflauerit Deus in faciem hominis plasmati spiraculum vitæ, qualiscumque insufflatio illa fuerit, spiraculum tamen illud vitæ non corpus, sed spiritus fuit, qui potentior & melior terra est, & qualicumque corpore. Cuius coniunctione, & infra torpentia membra commixtione, factus est homo in animam viuentem. Non ergo eam corpus dicimus, sed spiraculum, imò spiritum vitæ, atque animam auctoritate scriptu- Zach.12.1. rarum freti pronuntiamus. Propheta namque dicit, *Ego Dominus extendens cælos, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.* Hinc est quòd Psalmista, cùm conspiceret omnes homines subtracta anima morte dissolui, receptísque animabus in fine sæculi denuò reui- Psal.103.29 uiscere, ait, *Aufer spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Hinc iterum idem Propheta de quibusdam principibus in hac vita Psal.145.4. superuenientibus ait, *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam.* Nec tamen dicimus animam propriè spiritum nominari, cùm Deus Ioan.4.24. dicatur spiritus, sicut in Euangelio habes, *Deus spiritus est*, & sancti Psal.103.4. Angeli spiritus vocentur, vt est, *Qui facit Angelos suos spiritus.* Quod nomen etiam malignis aptari solet spiritibus. Vocatur etiam anima Eccle.12.7. spiritus hominis. vnde dicitur per Salomonem, *Donec reuertatur puluis in terram suam vnde sumptus est, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Sed & aër commotus vento spiritus nuncupatur, sicut scri- Psal.148.8. ptum est, *Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Sed eadem substantia corpori viuificando atque regendo Creatoris munere attributa, anima propriè dicitur vocari, quasi anæma, id est à sanguine longè discreta. Videlicet quia non sicut in ceteris animantibus de- Leuit.17.11. ficiente sanguine etiam & anima deficit, sicut scriptura dicit, *Anima omnis carnis in sanguine est:* sed potiùs quòd deficiente corpore, magnum cuius sustentaculum est sanguis, anima nequaquam intereat. Dicitur etiam à quibusdam anima ab eo nominata, quòd animet, id est viuificet substantiam corporis. Vt autem quid de ea sentiamus pleniùs aperiamus, non nostris, verùm Creatoris credatur dictis, qui animam spiritus vocabulo à corpore seiungens, naturam & dignitatem potestatémque eius à corpore distinxit, cùm ait, Ioan.6.64. Ioan.3.6. *Spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quicquam.* itémque, *Quod natum est de carne, caro est: & quod natum ex spiritu, spiritus est.* Quanquam etsi non cum corpore, tamen cum similitudine corporis cernit vel cernitur, vel cùm se abducit & remouet à sensibus corporis, quod fit in somnis cùm multiplicibus visis occupatur, vel cùm per

ecstasin, id est mentis excessum, in diuersa abducitur, seu cùm tota separatur à corpore, quod fit in morte, & vel ad pœnas perpetuas, vel ad gloriam transfertur æternam. In his namque, etsi non corpus quod non est ipsa cernitur, tamen similitudinem corpoream habere creditur.

II. *Vtrum anima localiter teneatur in corpore.*

SECVNDVM capitulum est, Vtrum localiter teneatur in corpore. Dicimus quidem, & firmiter retinemus, vt superiori Capitulo respondimus, animam non esse corpus sed spiritum, & spiritum non localiter, vt moris est corporibus, determinari, vt alibi maior, alibi sit minor. At verò animam, cùm sit spiritus, corpore contineri mirabili atque ineffabili modo, Scripturarum nouimus auctoritate sacrarum. Vt est in Iob, *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea?* Itémque in oratione Heliæ, *Domine Deus, reuertatur oro anima pueri huius in viscera eius.* & post paululum, *Et reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit.* Paulus quoque de se & similibus sibi loquitur, *Sed licèt is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem.* & item, *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.*] Itémque, *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eo quòd nolumus exspoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita.* Et post non multa, *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Deum.* Item ipse, *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Demonstrat etiam Euangelista mortis tempore animam à corpore prodire, cùm de Domino dicit, *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Quem locum exponens pater Augustinus dicit, Quo significata est mors corporis anima exeunte.] De qua re meliùs Patrum auctoritati, quàm nostræ credatur assertioni. B. enim Ambrosius in libro Hexameron VI. ita dicit, Quid enim est caro sine animæ gubernaculo, mentis vigore? Caro hodie sumitur, cras deponitur. caro temporalis, anima diuturna. caro amictus est animæ, quæ se induit quodam corporis vestimento. Non igitur tu vestimentum es, sed qui vestimento vteris.] Item ipse in Epistola ad Orontianum, Vnaquæque anima, videns se corporeo isto clausam gurgustio, quæ tamen terrenæ huius habitationis consortio non degenerarit, ingemiscit grauata corporis huius coniunctione, quia corruptibile corpus grauat animam, & inclinat terrenum habitaculum mentem multarum cogitationum.] Ecce qualis & quantus vir amictum animæ corpus nominat, & intra corpus quasi quoddam gurgustium clausam asseuerat. B. porrò

Marginal notes: Iob 4.18. — 3. Reg. 17. 21. — 2. Cor. 4.16 — 2. Cor. 5.1. — Ibid. 4. — Ibid. 8. — 2. Cor. 4.7. — Ioan. 19.30. — Cap. VI. — Epist. XXI.

Augustinus, vir cautissimus atque disertissimus, in libro de Quantitate animæ definitionem eius mirabili breuitate & veritate expressit, Cap.XIII. dicens, Nam mihi videtur esse, subauditur anima, substantia quædam Cap.XIV. rationis particeps, regendo corpori accommodata.] Et post non multa, Quid mirum, si anima neque corporea sit, neque vlla aut longitudine porrecta, aut latitudine diffusa, aut altitudine solidata, & tamen tantùm valeat in corpore, vt penes eam regimen sit omnium membrorum, & quasi cardo quidam in agendo cunctarum corporalium motionum?] Superiùs porrò, cùm sciret Deum omnia in mensura & numero & pondere disposuisse, spatium eius, quod Deus penes se no- Cap.eodē. tum habet, à corporali distinxit, cùm ait: Nam profectò quoniam corpus non est, (neque enim aliter in corpore vlla cernere valeret, vt superior ratio demonstrabat,) proculdubio caret spatio quo corpora metiuntur, & hoc rectè credi, aut cogitari, aut intelligi talis eius Cap.VI. quantitas non potest.] Quem sensum pleniùs in libro sexto de Trinitate isdem doctissimus vir multo manifestiùs excolit, dicendo, Ideo simplicior est corpore, subauditur anima, quia non mole diffunditur per spatium loci, sed in vnoquoque corpore & in toto tota est, & in qualibet eius parte tota est. Et ideò cùm fit aliquid in quauis exigua particula corporis, quod sentiat anima, quamuis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non Cap.III. latet.] Item ipse in libro de Ciuitate Dei vigesimo primo, Prima mors animam nolentem pellit de corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore. Ab vtraque morte communiter id habetur, vt quod non vult anima, de suo corpore patiatur.] Idem ipse in eodem. Iste alius modus, quo corporibus adhærent spiritus & animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, Cap.VI. & hoc ipse homo est.] Ipse in libro vigesimo secundo, Si enim animæ tantummodo essemus, id est sine vllo corpore spiritus, & in cælo habitantes terrena animalia nesciremus, nobísque futurum esse diceretur, vt terrenis corporibus animandis quodam vinculo mirabili necteremur, nonne multo fortiùs argumentaremur id credere renuentes, & diceremus naturam non pati, vt res incorporea ligamento coporeo vinciretur? Et tamen plena est terra vegetantibus animis hæc membra terrena miro sibi quodam modo connexa & impli- Cap.XI. cita.] Idem ipse in eodem libro, In terreno ergo quid facit corpore? subauditur anima, in hac mole quid agit subtilior omnibus? in hoc pondere quid agit leuior omnibus? in hac tarditate quid agit celerior omnibus? Itáne per huius tam excellentis naturæ meritum non poterit effici vt corpus eius leuetur in cælum? & cùm valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorsum, aliquando & animæ leuare sursum terrena corpora Cap.24. non valebunt?] Idem in libro septimo de Genesi ad litteram, Credatur ergo, si nulla Scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio con-

tradicit, hominem ita factum ſexto die, vt corporis quidem humani ratio cauſalis in elementis mundi, anima verò iam ipſa crearetur ſicut primitus conditus eſt dies, & creata lateret in operibus Dei, donec eam ſuo tempore ſufflando, hoc eſt inſpirando, formato ex limo corpori inſereret.] Sed & vir maximæ auctoritatis Hieronymus in Epiſtola ad Paulam conſolatoria ita ponit, Poſtquam autem ſarcina carnis abiecta ad ſuum anima reuolauit auctorem, & in antiquam poſſeſſionem diu peregrinata conſcendit, ex more parantur exequiæ.] Idem ipſe in Epitaphio Nepotiani. Vbi nunc decora illa facies? vbi totius corporis dignitas, quo veluti pulchro indumento pulchritudo animæ veſtiebatur? Marcebat, prò dolor, flante auſtro lilium, & purpura violæ in pallorem ſenſim migrabat.] Beatus quoque Gregorius in libro v. Moralium ita dicit, Cùm enim corporeas imagines deſerit, in ſemetipſam mens veniens non modicum adſcendit. Sed quamuis incorporea ſit anima, quia tamen corpori inhæret, ex ipſa ſui qualitate localis agnoſcitur, quæ carnalibus locis detinetur. Quæ dum obliuiſcitur ſcita, cognoſcit incognita, meminit obliuioni mandata, hilareſcit poſt triſtitiam, addicitur poſt lætitiam, ipſa ſui diuerſitate indicat quantum à ſubſtantia æternæ & incommutabilis naturæ diſtat, quæ ſemper vt eſt idem eſt, vbique præſens, vbique inuiſibilis, vbique tota, vbique incomprehenſibilis.] Idem ipſe in conſequentibus. Luteas quippe domos habitamus, quia in corporibus terrenis ſubſiſtimus. Quæ benè Paulus conſiderans, ait: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.*] Et poſt non multa, Tinea autem de veſte naſcitur, & eandem veſtem de qua oritur, oriendo corrumpit. Quaſi verò quædam veſtis animæ caro eſt. Sed hæc nimirum veſtis habet tineam ſuam, quia ab ipſa carnalis tentatio oritur, ex qua laceratur.] Caſſiodorus quoque, vir acerrimi ingenij & inſignis eruditionis, in libro quem de Anima conſcripſit, magiſtros ſanctæ Eccleſiæ in hac re, ſicut & in aliis, ſe ſequi oſtendit, cùm dicit poſt alia, Mirum præterea videtur, rem incorpoream, membris ſolidiſſimis conligatam, & ſic diſtantes naturas in vnam conuenientiam fuiſſe adductas, vt nec anima ſe poſſit ſegregare cùm velit, nec retinere cùm iuſſionem creatoris agnouerit. Clauſa illi ſunt vniuerſa cùm præcipitur inſidere, aperta quoque redduntur cùm iubetur exire. Nam ſi acerbus dolor vulneris infligatur, ſine auctoris imperio non amittitur, ſicut nec ſine ipſius munere cuſtoditur. Hinc eſt quòd frequẽter grauiter vulneratos videmus euadere, & rurſus leuibus occaſionibus interire.] Ecce quot & qualibus non argumentis, ſed documentis, oſtenditur nobis animas corporibus vel indutas, vel conligatas, vel vinctas. Quorum auctoritati periculoſum videtur nobis refragari. Reſtat ergo, ſi his non creditur, multa de diuinis libris abradi, & cum ipſis mulcatis tantorum virorum doctrinam labefactari, aut quod eſt ratius, contradictorem horum ab Eccleſiæ ſocietate ſecerni.

Epiſt. 25. de obitu Blæſillæ.

Epiſt. 3. ad Heliodorũ.

Cap. xxv.

Cap. 28.

2. Cor. 4. 7.

Ibidem.

Cap. vi.

III. *Vtrum anima cum corpore moueatur per loca.*

TERTIVM Capitulum eſt, Vtrum anima cum corpore moueatur per loca. Hoc Capitulum videtur eſſe ſubobſcurum, quoniam non apertè oſtendit, vtrum perquirat, ſi anima cum aliquo corpore exeat ex hoc quod geſtat corpore, an cum iſto, quod ei diuinitùs adiudicatum eſt, moueatur per loca. Sed ſi requiritur vtrum anima cum aliquo corpore exeat è corpore, beatus Auguſtinus ad hoc reſpondet in epiſtola ad Euodium, Si autem, inquit, breuiter vis audire, quid mihi videatur, nullo modo arbitror animam è corpore exire cum corpore, & cetera quæ in eadem epiſtola continentur.] Si autem quæritur ſi cum corpore moueatur per loca, id eſt cum iſto corpore quod geſtat, mirum quomodo dicatur moueri, cùm non moueatur à corpore, ſed ipſa moueat corpus. Nam ſine eius præſentia vel nutu nullatenus corpora moueri, qui ſuperiora intendit, manifeſtè cognoſcit. Quam ſi abſcedere contigerit, fiet quod ſcriptum eſt, *Vt reuertatur puluis in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Attamen ſicut eius cum corpore copulam incomprehenſibilem dicimus, ita etiam poteſtatem & nutum illius, quo corpus viuificatur, vegetatur, & regitur, ſpiritalem & ob id nobis incomprehenſibilem dicimus. Viderit tamen aliquis, cùm alicunde digreditur, & aliò peruentum fuerit, vtrum animam ſe vegetantem & viuificantem aliquo reliquerit, ſine cuius, vt dictum eſt, præſentia moueri corpus nequiuerit. Quam circumſcriptam eſſe auctoritate Patrum conſtat, ſicut & Angelicos ſpiritus. Qui vtique maioris nunc ſunt dignitatis, & crebrò ad miniſteria mittuntur humana, dicente Paulo, *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis?* Vnde & beatus Papa Gregorius in libro ſecundo Moralium ita dicit, In hoc itaque eſt nunc natura Angelica à naturæ noſtræ conditione diſtincta, quòd nos & loco circumſcribimur, & cæcitatis ignorantia coartamur: Angelorum verò ſpiritus loco quidem circumſcripti ſunt, ſed tamen eorum ſcientia longè ſuper nos incomparabiliter dilatatur.] Nec ignoramus beatum Auguſtinum quibuſdam argumentationibus ad hoc penè perueniſſe, vt diceret animas moueri tempore, & non loco. At verò, vt nobis videtur, conſiderans multa ſibi obiici poſſe, quæ iſti viderentur ſententiæ contraire, more ſuo quod aſſerere viſus eſt, moderatè ſtuduit temperare, dicendo in libro de Geneſi octauo, Vt dicere, inquit, cœperam, ſi de anima quiſque hoc non vult credere, non nimis vrgendus eſt.] Porrò autem quid anima in ſenſibus operetur corporis, & quia inter cetera etiam motu delectetur, idem beatus Auguſtinus atteſtatur in libro de Quantitate animæ, Nunc quod inſtitueram intende, quæ ſit vis animæ in ſen-

Epiſt. 100. — Eccle. 12. 7. — Hebr. 1. 14. — Cap. 2. — Cap. 21. — Cap. 33.

ſibus, atque in ipſo motu manifeſtioris animantis, quorum nobis cum his quæ radicibus fixa ſunt nulla poteſt eſſe communio. Intendit ſe anima in tactum, & eo calida, frigida, aſpera, lenia, dura, mollia, leuia, grauia ſentit atque diſcernit. Deinde innumerabiles differentias ſaporum, odorum, ſonorum, formarum, guſtando, olfaciendo, audiendo, videndóque diiudicat. Atque in his omnibus ea quæ ſecundùm naturam ſui corporis ſunt adſciſcit atque appetit, reicit fugítque contraria. Remouet ſe ab his ſenſibus certo interuallo temporum, & eorum motus quaſi per quaſdam ferias reparans, imagines rerum, quas per eos hauſit, ſecum cateruatim & multipliciter verſat. Et hoc totum eſt ſomnus & ſomnia. Sæpè etiam geſtiendo ac vagando facilitate motus delectatur, & ſine labore ordinat membrorum concordiam. Pro copulatione ſexus agit quod poteſt, atque in duplici natura ſocietate atque amore molitur vnum. In fœtibus non iam gignendis tantummodò, ſed etiam fouendis, alendíſque conſpirat. Rebus inter quas corpus agit, & quibus corpus ſuſtentat, conſuetudine ſeſe innectit, & ab eis quaſi membris ægrè ſeparatur.]

IV. *Vtrum omnis creatura corporea ſit, & ſolus Deus incorporeus.*

QVARTVM locum tenet percontatio, vtrum omnis creatura corporea ſit, & ſolus Deus incorporeus. Iam quidem in ſuperioribus ſatis ſupérque vt putabamus oſtenſum eſt, nec Deum eſſe corporeum, neque angelicam dignitatem, ſed nec humanarum ſubſtantiam animarum: maximè cùm filius Dei ipſe Deus dicat de Deo & patre ac Spiritu ſancto, *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*, id eſt, non in templo, neque in monte, quæ ſunt corpora, ſed in ſpiritu & veritate, id eſt in mente, & non in aliqua imaginatione, quam ſibi humanus animus de Deo ſolet confingere. Quod autem ſancti Angeli ſpiritus ſint, & non corpora. Spiritus ſanctus per Pſalmiſtam loquitur, de Deo dicens, *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus.* Videlicet oſtendens quia eos, quos Deus in miniſterio ſuo ſemper ſpiritus habet, mittendo Angelos id eſt nuncios facit. Nomen enim Angelorum officium eſt, non natura. Sed & humanarum animarum ſubſtantiam non eſſe corpus, ſed ſpiritum, teſtatur Paulus qui dicit, *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?* Itaque & Deum, & Angelorum animarúmque humanarum ſubſtantiam, non corpus dicimus, ſed ſpiritum. Sed ſpiritum Deum tanquam creatorem: Angelos autem & animas ſpiritus quidem, ſed tanquam à Deo creatos. Sed meritò mouet quomodo beatus Paulus Apoſtolus Deum laudans, immortalem & inuiſibilem ſolum Deum dicit cùm ait, *Regi autem ſæculo-*

Ioan. 4. 24
Pſal. 103. 4.
1. Cor. 2. 11.
1. Tim. 1. 17.

rum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen, cùm conſtet & Angelos immortales, animáſque humanas, atque inuiſibiles, quantum ad naturam ſpectat, conditas. Itémque
1.Tim.6.15 in eadem epiſtola ad Timotheum, *Quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens, rex regum, & dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, lucem habitans inacceſſibilem.* Quomodo enim ſolus beatus ille, cùm dicatur & *Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum*, &c.
Pſal.1.1. Pſal.111.1. Matt.24.46. Pſal.111.2. & *Beatus eſt vir qui timet Dominum*, & *Beatus ille ſeruus, quem cùm venerit dominus eius inuenerit vigilantem*? Quomodo ſolus potens, ſi *beati viri ſemen potens erit in terra*, quam intelligimus viuentium? Quomodo ſolus habet immortalitatem, cùm nec Angeli mori poſſint, & animæ humanæ immortales ſint creatæ? Sed intelligimus, quantum quidem ad naturam ſubſtantiámque earum attinet, inferiorúmque creaturarum quæ ſunt vtique corporales, eas & inuiſibiles atque ſapientes, necnon & beatas & potentes & immortales munere Creatoris: conlatas tamen Creatori, propter excellentem magnitudinem nihil horum habere. Ipſe enim hæc tanquam ſolus habet, qui à nullo accepit vt haberet. Porrò autem, ſiue Angelici ſpiritus, ſiue humanæ animæ, ex eius fonte tanquam riuuli acceperunt, vt in eos hæc vena dignitatis emanaret. Porrò in epiſtola ad Hebræos ita etiam dicit, *Viuus eſt enim Dei ſermo & efficax, & penetrabilior omni*
Hebr.4.12. *gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda ſunt & aperta oculis eius.* Quæ teſtimonia conlata nodum quæſtionis propoſitæ perfectè abſoluunt: quia qui ſolus eſt inuiſibilis, & ſolus lucem inhabitat inacceſſibilem, & quem vidit hominum
1.Ioan.4.12 Philip.4.7. nemo, ſed nec videre poteſt, & qui exſuperat omnem ſenſum, de eodem item dicitur, quòd non ſit vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, & omnia nuda ſunt & aperta oculis eius. Cùm ergo, vt iam dictum eſt, ipſe dicatur inuiſibilis, & inuiſibilia omnia nuda & aperta ſint oculis eius, id eſt, quia ipſe quidem omnia tanquam nuda adſpiciat, à nulla autem creatura, niſi quantum ipſe gratuito munere permittit, videatur, certum eſt quòd ea quæ natura ſunt incorporea, comparatione illius habeantur quaſi corporea. Vnde beatus Papa Gregorius in libro Moralium ſecundo, dum de his loque-
Cap.2. retur ait, Angelorum itaque ſcientia comparatione noſtræ ſcientiæ valdè dilatata eſt, ſed tamen comparatione diuinæ ſcientiæ anguſta. Sicut & ipſi illorum ſpiritus comparatione quidem noſtrorum corporum ſpiritus ſunt, ſed comparatione ſummi & incircumſcripti ſpiritus corpus. Et mittuntur igitur, & aſſiſtunt: quia & per hoc quòd circumſcripti ſunt exeunt, & per hoc quòd intùs quoque præſentes ſunt, nunquam recedunt.] Poteramus quidem & plura exempla ponere, in quibus ſancti Patres ſolent Angelorum ſpiritus

ritus corpora nominare: ſed breuitati ſtudentes de his ſtuduimus reticere, dum hæc ſola putamus ſufficere.

V. *Vtrum natura animæ terminos corporales excedat.*

DEINDE ordine ſuo ponitur Capitulum, Vtrum natura animæ terminos corporales excedat. In qua re anceps noſter fluctuat intellectus, quos terminos dicere velit corporales: vtrúmve iſtos quibus circumdata eſt, membris ſcilicet carnalibus, an omnia corpora, vt ſunt cælum, & terra, & quæ his continentur. Sed ad vtrumque reſpondemus pro captu noſtro. Anima namque terminos corporis ſui excedit, dum longiùs per oculos corporis videt, quàm ipſum corpus ſpatiatur, longiùs audit, longiùs odoratur, & extra ſe tactum porrigit. Dum ergo hos ſenſus vltra corpus extendit, & his aliquando aut delectatur placitis, aut aſperatur ingratis, manifeſtum eſt eam hos terminos corporales excedere. Si autem de omni corpore quæritur, vtrum ſcilicet omnia corporalia excedat, manifeſtum eſt hæc non per ſenſus corporis ſibi ſubiectos, ſed per ſuos agere proprios, cogitatione ſcilicet, memoria, & coniectura. Hinc beatus Ambroſius ait, Non ergo caro poteſt eſſe ad imaginem Dei, ſed anima noſtra quæ libera eſt, & diffuſis cogitationibus atque conſiliis huc atque illuc vagatur, quæ conſiderando ſpectat omnia. Ecce nunc ſumus in Italia, & cogitamus quæ ad Orientales aut Occidentales partes ſpectare videntur, & cum illis verſari videmur, qui in Perſide ſunt conſtituti, & illos videmus quid agant in Africa. Si quos cognitos nobis ea terra ſuſceperit, ſequimur proficiſcentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur abſentibus, alloquimur ſeparatos. Defunctos quoque ad colloquium ſuſcitamus, eóſque vt viuentes complectimur & tenemus, & vitæ officia his vſúmque deferimus. Ea igitur eſt ad imaginem Dei, quæ non corporea æſtimatur, ſed mentis vigore quæ abſentes videt, tranſmarina viſu obit, percurrit adſpectu, ſcrutatur abdita, huc atque illuc vno momento ſenſus ſuos per totius orbis fines & mundi ſecreta circumfert. Quæ Deo iungitur, Chriſto adhæret. Deſcendit in infernum, atque aſcendit, libera verſatur in cælo. denique audi dicentem, *Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt.* Auguſtinus epiſtola ad Euodium, Viſiones autem illæ, futurorúmque prædictiones quomodo fiant, ille iam explicare conetur, qui nouit qua vi efficiantur in vnoquoque animo tanta cùm cogitat. Videmus enim, planéque cernimus, in eo fieri multarum rerum viſibilium, & ad ceteros corporis ſenſus pertinentium, innumerabiles imagines: quæ non intereſt quàm ordinatè vel turbidè fiant, ſed tantùm quia fiunt, quod manifeſtum eſt, qua vi & quomodo fiant, quiſquis potuerit explicare, quæ omnia certè quotidiana ſunt atque continua, audeat præſumere aliquid ac definire,

Lib. VI. Hexamer. Cap. VIII.

Philip. 3. 20

Epiſt. 100.

etiam de illis rarissimis visis. Ego autem tanto minùs hoc audeo, quanto minùs id quoque in nobis, quod vita continua vigilantes dormientésque experimur, quo pacto fiat explicare sufficio. Nam cùm ad te dictarem hanc epistolam, te ipsum animo contuebar, te vtique absente atque nesciente, & quomodo possis his verbis moueri, secundùm notitiam quæ mihi de te inest imaginabar: atque id quonam modo in animo meo fieret, capere ac inuestigare non poteram, certus tamen non fieri corporeis molibus, nec corporeis qualitatibus, cùm corpori simillimum fiat.] Ex libro de Ciuitate Dei decimo quinto, Fieri ista in animo, vel ab animo nostro nouimus, & certissimi sumus. Quomodo autem fiant, quanto attentiùs valuerimus aduertere, tanto magis noster & sermo succumbit, & ipsa non perdurat intentio, vt ad liquidum aliquid nostra intelligentia etsi non lingua perueniat: & putamus nos, vtrum Dei prouidentia eadem sit quæ memoria, & intelligentia, qui non singula cogitando adspicit, sed vna & æterna, & immutabili atque ineffabili visione complectitur cuncta quæ nouit, tanta mentis infirmitate posse comprehendere? In hac igitur difficultate & angustiis libet
Psal. 138. 6. exclamare ad Deum viuum, *Mirificata est scientia tua ex me, inualuit & non potero ad illam.* Ex me, inquit, intelligo quàm sit mirabilis & incomprehensibilis scientia tua qua me fecisti, quando nec meipsum comprehendere valeo quem fecisti: & tamen in meditatione mea exardescit ignis, vt quæram faciem tuam semper.

VI. *Vtrum Deus per tempora & loca moueatur.*

Sextvm Capitulum succedit, Vtrum Deus per tempora & loca moueatur. Mirum & valdè mirabile est, si aliquis tam stolidus reperiatur, qui putet Deum per tempora moueri cõditorem temporũ. Quomodo enim moueri potest per tempora qui condidit tempora, quæ sunt mutabilitati obnoxia? Nam propheta Dauid, considerans eum nec initium
Psal. 101. 26 habere, nec termino angustari, ait, *Initio tu terram fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnia vt vestimentum veterascent. Et sicut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Quisquis ergo considerat in his dictis, quòd initio, id est temporibus incipientibus, terram & cęlum Dominus fundauerit, & quod his mutatis idem ipse sit, facilè videt, non eum vel initium cepisse cum tempore, vel finem sortiri cum temporibus, quibus incipientibus ipse fuerit, & quibus occidentibus idem ipse incommutabilis permaneat. Et quidem creaturam per tempora moueri iussit, dum & quædam sidera in motu constituit, temporáque ipsa sibi succedere iussit, aëris qualitatem variari voluit, terræ faciem diuerso modo vicissim atque alternatim succedere statuit, hominémque per ætates varias vsque ad vlti mum vitæ tempus vol-

luere iudicauit, seipsum tamen nulla mutabilitatis lege constrinxit. Vnde ad Moysem ait, *Ego sum qui sum, & dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos.* Mouentur per tempora quæ sunt creata cum tempore. Solus porrò ille cum tempore non potest moueri, quem constat nulla mutabilitatis lege vinciri. Porrò per loca quis moueri Deum putet, cùm ipse de semetipso dicat, *Cælum & terram ego impleo?* & item, *Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ? nonne manus mea fecit hæc omnia?* Itémque Salomon sapientissimus ait loquens ad Deum, *Si enim cælum & cæli cælorum te capere non possunt, quantò magis hæc domus quam ædificaui?* & iterum de Sapientia, quæ Deus est, scribitur, *Attingit autem à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Si ergo eius vis omnia penetrat, & angusta est creatoris magnitudini creatura per eum condita, Psalmista dicente, *Magnitudinis eius non est finis,* quis credere possit eum per locum moueri, cui non patet locus alibi secedendi? Si enim omnia implet, nullus vacuus locus remanet. Vnde patet implere omnia qui condidit vniuersa. Augustinus in libro de Genesi ad litteram octauo, Dicimus itaque ipsum summum, verum, vnum ac solum Deum, patrem & filium & Spiritum sanctum, id est Deum, Verbúmque eius, & vtriusque Spiritum, Trinitatem ipsam, neque confusam, neque separatam, Deum qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest, nec locorum vel finito vel infinito spatio contineri, nec temporum vel finito vel infinito volumine variari. Neque enim est in eius substantia qua Deus est, quod breuius sit in parte quàm in toto, sicut necesse est esse in iis quæ in locis sunt: aut fuit in eius substantia quod iam non est, vel erit quod nondum est, sicut in naturis quæ possunt temporis mutabilitatem pati. Hic ergo incommutabili æternitate viuens creauit omnia simul, ex quibus currerent tempora, & implerentur loca, temporalibúsque & localibus rerum motibus sæcula voluerentur. In quibus rebus quædam spiritalia, quædam corporalia condidit. formans materiam, quam nec alius, nec nullus, sed omninò ipse informem ac formabilem instituit, vt formationem suam non tempore, sed origine præueniret.] Isidorus in libro Sententiarum, quòd Deo nulla temporum successio adscribatur ita dicit, Omnia tempora præcedit diuina æternitas. Nec in Deo præteritum, præsens, futurúmve aliquid creditur, sed omnia præsentia in eo dicuntur, quia æternitate sua cuncta complectitur. Alioquin mutabilis est Deus credendus, si ei successiones temporum adscribuntur. Si semper aliqua essent cum Deo tempora, non esset tempus, sed esset æternitas, nec mutarentur tempora, sed starent.]

[Margin notes: Exod.3.14. — Hier.23.24 — Act.7.49. — 3.Reg.8.27. — Sap.8.1. — Psal.144.3. — Cap.xix. — Cap.xx. — Lib.1.c.8.]

VII. *Vtrum anima ſola tempore moueatur.*

SEPTIMVM in ordine Capitulorum locum tenet, Vtrum anima ſola tempore moueatur. De qua in ſuperiori Capitulo dictum continetur. Stupemus autem, cur quæſitum ſit, vtrum anima ſola tempore moueatur, cùm omnia quæ viuunt quidem ſucco & viriditate, ſed & ea quæ viuunt quidem anima & carent ratione, ſubiecta ſint motui per tempus. Fruſtra igitur de anima ſola vtrum tempore moueatur requiritur, quod ei cum pluribus creaturis commune eſſe probatur. In hoc tantùm diſtans, quod ea mutabilitas temporis, quæ aliis accidit plurimis increſcendo, imminuendo, corporalibus vtique modis, huic accidit ſpiritaliter, ſicut eſt ſapere & deſipere. In his namque ſolis creſcere & decreſcere dicitur anima. Nam temporaliter mouetur, ſicut iam præfatum eſt, cùm de aliis ad alia transfertur, non cremento aut diminutione, ſicut ſe habent plurimæ creaturæ, quæ mouentur corporali conuerſione. Sed motio eius maximè conſiſtit in morum voluntatíſque permutatione. Ipſa tamen locum cardinis tenens, cùm ſit ſpiritus, viuificat ac mouet localiter ſuis nutibus corpus. Motionem namque eius propriam pater Auguſtinus more ſuo excellenter inſinuat, in expoſitione Pſalmi centeſimi quadrageſimi quinti dicens, Ecce homo ſtat, cantat Deo aliquanto prolixiùs, & ſæpè labia mouentur ad cantum, cogitatio autem per neſcio quæ deſideria volat. Stabat ergo mens noſtra quodam modo ad laudem Dei, & anima noſtra per diuerſas cupiditates vel curas negotiorum hac atque illac fluitabat. Quaſi deſuper attendit ipſa mens ad fluitantem hac atque illac, & eius inquietudine moleſtiarum quaſi conuerſa alloquitur, *Lauda anima mea Dominum*, quid eſt quod de aliis rebus ſatagis? quid eſt quod te occupat cura rerum terrenarum atque mortalium? Sta mecum, lauda Dominum. Et quaſi ipſa anima prægrauata, & non valens ita conſiſtere vt dignum eſt, reſpondet menti, *Laudo Dominum in vita mea.* Quid eſt in vita mea? quia modo in morte mea ſum. Ergo priùs exhortare te, & dic, *Lauda anima mea Dominum.* Reſpondet tibi anima tua, Laudo quantum poſſum, tenuiter, exiliter, infirmiter. Quare? quia quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino. Quare ſic laudas Dominum, non perfectè, non ſtabiliter? Interroga ſcripturam, quia *corpus quod corrumpitur adgrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Tolle mihi corpus quod aggrauat animam, & laudo Dominum. Tolle mihi terrenam habitationem deprimentem ſenſum multa cogitantem, & à multis in vnum confluam vt laudem Dominum. Quandiu autem ita ſum, non poſſum, prægrauor. Quid ergo? ſilebis, & non laudabis perfectè Dominum? *Laudabo Dominum in vita mea.*]

Non longè à principio

Sap. 9. 15.

VIII. *Vtrum substantia diuinitatis corporalibus oculis post resurrectionem corporum videatur.*

OCTAVVM Capitulum, quod & vltimum est, requirit, Vtrum substantia diuinitatis corporalibus oculis post resurrectionem corporum videatur. Scimus quidem Sanctorum desideria in hac vita positorum ad hoc potissimum anhelare, vt Deum mereantur videre. Et hoc totum est, propter quod hîc carnem macerant ieiuniis & vigiliis, aliísque afflictionum generibus, sicut Paulus Apostolus dicit. propter quod & emolumenta cuncta contemnant temporalia, quantum fieri potest: & si necessitas exegerit, etiam & corpus suum multimodæ tradunt passioni. Et quia hîc positi, id est carnis onere prægrauati, eum videre nequeunt, sicut Dominus Moysi ait, *Non enim videbit me homo, & viuet*, satagunt hîc corda mundare, & quantum posse est ad hoc purificare, vt ad ipsius visionem mereantur pertingere, hîc interim per speculum in ænigmate, & pòst facie ad faciem. Dicentes Deo intimis suspiriis, *Domine, dilexi decorem domus tuæ, locum habitationis gloriæ tuæ.* itémque, *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me, nec declines in ira à seruo tuo.* Sed & illud, *Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei?* Certissimè enim sciunt, quia remuneratio laborum eorum est visio conditoris sui. Quod ostendit Psalmista cùm dicit Domino, *Satiabor dum manifestabitur gloria tua.* Quod etiam ipse Dominus, qui summam beatitudinis constare demonstrat in adspectu Dominicæ visionis, dicendo, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* itémque promittendo illis, *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo meipsum illi.* Et non solùm se, sed etiam patrem & Spiritum sanctum, inseparabilem scilicet trinum Deum, dilectoribus suis promittit adfuturum, cùm dicit, *Qui diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sed & de Spiritu sancto promittit quòd apud eos maneat, & in eis sit. Sed hæc visio vtrum per oculos corporeos fiat, an incorporeos, multo quæsitu inuestigatum est; & à sanctis patribus res tanta, eo quòd sit obscurissima, maxima disputatione pulsata. Dicentibus aliis, quòd Deus inuisibilis non posset videri per creaturam visibilem atque corpoream: sed quod Apostolus dicit, *Nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, hoc sit quod ait, *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Alij verò asserunt congruè, vt corpori spiritali id adtribuatur muneris, vt quamuis corpus sit, quia spiritali tamen præditum est dignitate, ipsam Redemptoris sui mereatur gloriam contueri, pro cuius amore non dubitauit in hoc sæculo diuersis cruciatibus atque laboribus ad-

Exod.33.20 · Psal.25.8. · Psal.26.8. · Psal.41.3. · Psal.16.15. · Matt.5.8. · Ioan.14.21. · Ibid.23. · 1.Cor.13.12 · Ibidem.

fici. De qua re vnius hoc est beati Augustini dicta ponimus, qui præcessorum suorum sensus relegens quid de hoc senserit videa-
Lib.xxii. de Ciuit. cap.9. mus. Quapropter cùm ex me, inquit, quæritur quid acturi sint sancti in illo corpore spiritali, non dico quod iam video, sed dico quod
Psal.115.1. credo, secundùm illud quod in Psalmo lego, *Credidi propter quod locutus sum.* Dico itaque quòd visuri sunt Deum in ipso corpore. sed vtrum per ipsum, sicut per corpus nunc videmus solem, lunam, stellas, mare, ac terram, & quæ sunt in ea, non parua quæstio est. Durum est enim dicere, quòd sancti talia corpora tunc habebunt, vt non possint oculos claudere atque aperire cùm volunt. durius autem, quòd ibi Deum quisquis oculos clauserit non videbit. Si enim propheta Helisæus puerum suum Giezi absens corpore vidit acci-
4.Reg.5.26 pientem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus, quem propheta memoratus à lepræ deformitate mundauerat, quod seruus nequam domino suo non vidente latenter se fecisse putauerat, quanto magis in illo corpore spiritali videbunt sancti omnia, non solùm si oculos claudant, verùm etiam vnde sunt corpore absentes? Tunc enim
1.Cor.13.9. erit pefectum illud, de quo loquens Apostolus, *Ex parte enim cognoscimus*, inquit, *& ex parte prophetamus. cùm autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est euacuabitur.* Deinde vt quomodo posset aliqua similitudine ostenderet, quantum ab illa quæ futura est distet hæc vita, non qualiumcumque hominum, verùm etiam qui præcipua hîc sanctitate sunt præditi, *Cùm essem*, inquit, *paruulus quasi paruulus sapie-*
1.Cor.13.11 *bam, quasi paruulus loquebar, quasi paruulus cogitabam. Cùm autem factus sum vir, euacuaui quæ paruuli erant. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* Si ergo in hac vita, vbi hominum mirabilium prophetia ita comparanda est illi vitæ quasi paruuli ad iuuenem, vidit tamen Helisæus accipientem sibi munera seruum suum vbi ipse non erat, itáne cùm venerit quod perfectum est, nec iam corpus corruptibile aggrauabit animam, sed incorruptibile nihil impediet, illi sancti ad ea quæ videnda sunt oculis corporeis, quibus Helisæus absens ad seruum suum videndum non indiguit, indigebunt? Nam secundùm Interpretes Septuaginta, ista sunt ad Giezi verba Prophetæ, *Nonne cor meum iit tecum, quando conuersus est vir de curru in obuiam tibi, & accepisti pecuniam?* &c. sicut autem ex Hebræo interpretatus est presbyter Hieronymus, *Nonne cor meum*, inquit,
4.Reg.5.26 *in præsenti erat, quando reuersus est homo de cursu suo in occursum tui.* Corde suo ergo se dixit hoc vidisse Propheta, adiuto quidem mirabiliter nullo dubitante diuinitùs. Sed quanto ampliùs tunc omnes munere isto abundabunt, cùm Deus erit omnia in omnibus? Habebunt tamen etiam illi oculi corporei officium suum, & in loco suo erunt, vtetúrque illis spiritus per spiritale corpus. Neque enim & ille Propheta, quia non eis indiguit vt videret absentem, non eis vsus est

ad videnda præsentia, quæ tamen spiritus videre posset, etiamsi illos clauderet, sicut vidit absentia vbi cum eis ipse non erat. Absit ergo vt dicamus illos sanctos in illa vita Deum clausis oculis non visuros, quem spiritu semper videbunt. Sed vtrum videbunt etiam per oculos corporis, cùm eos apertos habebunt, inde quæstio est. Si enim tantum poterunt in corpore spiritali, eo modo vtique etiam ipsi oculi spiritales, quantum possunt isti quales nunc habemus, proculdubio per eos Deus videri non poterit. Longè itaque alterius erunt potentiæ, si per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed vbique tota est. Non enim quia dicimus Deum & in cælo esse & in terra, ipse quippe ait per Prophetam, *Cælum & terram ego impleo*, aliam partem dicturi sumus eum in cælo habere, & in terra aliam: sed totus in cælo est, totus in terra, non alternis temporibus, sed vtrumque simul, quod nulla natura corporalis potest. Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, non vt acriùs videant, quàm quædam perhibentur videre serpentes & aquilæ, (quantalibet enim acrimonia cernendi eadem quoque animalia nihil aliud possunt videre quàm corpora,) sed vt videant & incorporalia. Et fortasse ista virtus magna cernendi data fuerit ad horam, etiam in isto mortali corpore, oculis sancti viri Iob, quando ait ad Deum, *In obauditu auris audiebam te priùs, nunc autem oculus meus videt te. Propterea despexi memetipsum, & distabui, & existimaui me terram & cinerem.* Quamuis nihil hîc prohibeat oculum cordis intelligi, de quibus oculis ait Apostolus, *Inluminatos oculos habere cordis vestri.* Ipsis autem videri Deum cùm videbitur, Christianus ambigit nemo, qui fideliter accipit quod ait Deus ille magister, *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sed vtrum etiam corporalibus ibi oculis videatur, hoc in ista quæstione versamus. Illud enim quod scriptum est, *Et videbit omnis caro salutare Dei*, sine vllius nodo difficultatis sic intelligi potest, ac si dictum fuerit, & videbit omnis homo Christum Dei, qui vtique in corpore visus est, & in corpore videbitur quando viuos & mortuos iudicabit. Quòd autem ipse sit salutare Dei, multa sunt & alia testimonia scripturarum, sed euidentiùs venerandi illius senis Simeonis verba declarant, qui cùm infantem Christum accepisset in manus suas, *Nunc*, inquit, *dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Illud etiam quod ait suprà memoratus Iob, sicut in exemplaribus quæ in Hebræo sunt inuenitur, *& in carne mea videbo Deum*, resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetauit, non tamen dixit, per carnem meam. Quod quidem si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur. Nunc verò potest & sic accipi, *in carne mea videbo Deum*, ac si dixisset, in carne mea ero cùm videbo Deum. Et illud quod ait Apostolus, *facie ad faciem*, non cogit vt Deum per faciem

Hier. 23. 24. Iob 42. 5. Ephes. 1. 18. Matt. 5. 8. Luc. 3. 6. Luc. 2. 29. Iob 19. 26. 1. Cor. 13. 12.

hanc corporalem, vbi ſunt oculi corporales, nos viſuros eſſe credamus, quem ſpiritu ſine intermiſſione videbimus. Niſi enim eſſet
2.Cor.3.18. etiam interioris hominis facies, non diceret idem Apoſtolus, *Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur de gloria ad gloriam, tanquam à Domini ſpiritu.* Nec aliter in-
Pſal.33.6. telligimus & quod in Pſalmo canitur, *Accedite ad eum, & inluminamini, & facies veſtræ non erubeſcent.* Fide quippe acceditur ad Deum, quam cordis conſtat eſſe, non corporis. Sed quia ſpiritale corpus neſcimus quantos habebit acceſſus, de re quippe inexperta loquimur, vbi aliqua, quæ aliter intelligi nequeant, diuinarum ſcripturarum non occurrit & ſuccurrit auctoritas, neceſſe eſt vt contingat
Sap.9.14. in nobis quod legitur in libro Sapientiæ, *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Ratiocinatio quippe illa Philoſophorum, qua diſputant mentis adſpectu intelligibilia videri, & ſenſu corporis ſenſibilia, id eſt corporalia, vt nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per ſeipſa mens valeat intueri, ſi poſſet nobis eſſe certiſſima, profectò certum eſſet per oculos corporis, etiam ſpiritales, nullo modo poſſe videri Deum. Sed iſtam ratiocinationem & vera ratio, & prophetica inridet auctoritas. Quis enim ita ſit auerſus à vero, vt dicere audeat Deum corporalia iſta neſcire? Numquid ergo corpus habet, per cuius oculos ea poſſit addiſcere? Deinde quod de propheta Heliſæo paulo antè diximus, nonne ſatis indicat etiam ſpiritu, non per corpus, corporalia poſſe cerni? Quando enim ſeruus ille munera accepit, vtique corporaliter geſtum eſt, quod tamen Propheta non per corpus, ſed per ſpiritum vidit. Sicut ergo conſtat videri corpora ſpiritu, quid ſi tanta erit potentia ſpiritalis corporis, vt corpore videatur & ſpiritus? Spiritus enim eſt Deus. Deinde vitam quidem ſuam, qua nunc viuit in corpore, & hæc terrena membra vegetat, facítque viuentia, interiore ſenſu quiſque non per corporeos oculos nouit. Aliorum verò vitas, cùm ſint inuiſibiles, per corpus videt. Nam vnde viuentia diſcernimus à non viuentibus corpora, niſi corpora ſimul vitáſque videamus, quas niſi per corpus videre non poſſumus? Vitas autem ſine corporibus corporeis oculis non videmus. Quamobrem fieri poteſt, valdéque credibile eſt, ſic nos eſſe viſuros mundana tunc corpora cæli noui & terræ nouæ, vt Deum vbique præſentem, & vniuerſa etiam corporalia gubernantem, per corpora quæ geſtabimus, & quæ conſpiciemus quaquauerſum oculos duxerimus, clariſſima perſpicuitate videamus. Non ſicut nunc inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur per ſpeculum in ænigmate, & ex parte, vbi plus in nobis valet fides qua credimus, quàm rerum corporalium ſpecies, quam per oculos cernimus corporales: ſed ſicut homines, inter quos viuentes motúſque vitales exercentes viuimus, mox vt adſpicimus, non credimus viuere, ſed videmus: cùm eorum vitam
ſine

ſine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remota omni ambiguitate conſpicimus. Ita quacumque ſpiritalia illa lumina corporum noſtrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem etiam per corpora contuebimur. Aut ergo per illos oculos ſic videbitur Deus, vt aliquid habeant in tanta excellentia menti ſimile, quo & incorporea natura cernatur. quod vllis exemplis, ſine ſcripturarum teſtimoniis diuinarum, vel difficile eſt vel impoſſibile oſtendere. Aut quod eſt ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conſpicuus, vt videatur ſpiritu à ſingulis nobis in ſingulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in ſeipſo, videatur in cælo nouo & terra noua, atque in omni quæ tunc fuerit creatura, videatur & per corpora in omni corpore, quocumque fuerint ſpiritalis corporis oculi acie perueniente directi. Patebunt etiam cogitationes noſtræ inuicem nobis. Tunc enim implebitur quod Apoſtolus cùm dixiſſet, *Nolite ante tempus quicquam iudicare*, mox addidit, *quoad vſque veniat Dominus, & inluminet abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*] Huic Capitulo ſufficere credidimus tanti ac talis viri auctoritatem, cauentes epiſtolaris ſcedulæ prolixitatem. Nam metuentes veſtrum animum circa multa occupatum, & materiam reſponſionum, ſic inter vtrumque medium inceſſum librare conati ſumus, vt & veritas ad interrogata pateret, & occupatum animum longitudo non tæderet. Nam nec iſtius viri alia opera tangere modò libuit, & cauſa prælibata aliorum doctorum Opuſcula ponere interdixit. Maluimus namque appetenti cibos ſpiritales auiditatem concitare, quàm nimietate noſtra tædium excitare. Adſunt ergo plurima in ſanctis libris de his documenta, quæ & quærentem exerceant, & inuenientem dapſili conuiuio reficiant. Hæc itaque delibauimus parua, vt dictum eſt, vt animum diſcendi auidum prouocemus ad maiora.

1. Cor. 4. 5.

Quæ ſequuntur in veteri Codice poſt ſuperiora ſubiiciebantur.

QVOD ANIMA SIT IN CORPORE.

AVGVSTINVS in ſermone VIII. Euangelij Ioannis, Numquid hæc corpus, & non anima, id eſt habitatrix corporis agit? nec tamen videt oculis, & ex his quæ agit admirationem mouet. Quanta agit per corpus adtendite. cùm ſubtrahitur corpori, cadauer iacet.]

Item in ſermone XVIII. Ibi eſt imago Dei, in interiore homine habitat Chriſtus, in interiore homine renouaris ad imaginem Dei, in imagine ſua cognoſce auctorem eius. Vide quemadmodum omnes corporis ſenſus cordi intronuncient quid ſenſerint foris. Vide quàm multos miniſtros habeat vnus interior imperator. Renunciant oculi cordi alba & nigra, & cetera quæ ibi ſequuntur.]

In ſermone XIX. Eſt ergo ipſa, etiam ſi ſit inſipiens, iniuſta, impia, vita corporis. Quia verò vita eius eſt Deus; quomodo cùm ipſa eſt in corpore, præſtat illi vigorem, & reliqua.]

eodem de anima quòd in inferno. Quid euidentius, quid expressius? Iusti anima in sinu Abrahæ fuit, iniqui anima apud inferos torquebatur.]

In sermone XXIX. Est homo interior, est & exterior. & ille quidem interior inuisibilis, exterior autem visibilis: sed melior interior, quàm exterior.]

In sermone XLIII. Quid est ista mors? relictio corporis, depositio sarcinæ grauis. sed si alia sarcina non portetur, qua homo in gehennam præcipitetur.] Item ibi, Inest corpus, sed nullus est sensus. habitatio iacet, habitator abscessit.] Item ibi, Nam cùm illi lapides tollerent vt mitterent in eum, quid magnum erat, vt eos continuò dehiscens terra sorberet, & pro lapidibus inferos inuenirent?]

In sermone XLIV. In illa nocte diues ardebat, & stillam aquæ de digito pauperis requirebat. dolebat, angebatur, fatebatur, nec ei subueniebatur.
Luc. 16. 28. & conatus est bene facere dicens, *Et dicat illis, ne & ipsi veniant in locum tormentorum.*]

Sub mediũ. In sermone XLVII. Mori carni tuæ est amittere vitam tuam: mori animæ tuæ, est amittere vitam suam. Vita carnis tuæ anima tua, vita animæ tuæ Deus tuus. Quomodo moritur caro amissa anima, quæ vita est eius: sic moritur anima amisso Deo, qui vita est eius. Certè ergo immortalis est anima? planè immortalis, quia viuit & mortua est. Quod enim de vidua deliciosa dixit Apostolus, etiam de anima si Deum
1 Tim. 5. 6. suum amiserit dici potest, *viuens mortua est.*] Item post alia, Mortuus est enim pro nobis in cruce, sine dubio caro ipsius expirauit animam. ad tempus exiguum anima deseruit carnem redeunte anima resurrecturam.] & post aliquanta, Omnes enim homines quando moriuntur ponunt animam, sed non omnes in Christo ponunt, & nemo habet potestatem sumere quod posuerit. Christus autem & pro nobis posuit, & quando voluit posuit, & quando voluit sumpsit. Ponere ergo animam mori est. caro ergo ponit animam suam exspirando.] & post paululum, Quid est, caro illum tradidit? caro illum emisit, caro illum exspirauit. Ideo dicitur enim exspirare extra spiritum fieri. Quomodo est exsulare extra solum fieri, exorbitare extra orbitam fieri, sic exspirare extra spiritum fieri, qui spiritus anima est. Cùm ergo exit anima à carne, & remanet caro sine anima, tunc homo ponere animam dicitur.] & post aliquanta, Quære vbi est Apostolus modò. Si quis respondeat in requie cum Christo, verum dicit. Iterum si quis respondeat, Romæ in sepulcro, & ipse verum dicit. Illud mihi de anima, hoc de eius carne respondit. Nec tamen ideo duos dicimus Apostolos Paulos, vnum qui requiescit in Christo, alterum qui est positus in sepulcro.] & post paululum, Sed ex quo consortium carnis & animæ hominis nomen accepit, iam & singulum atque separatum vtrumlibet eorum nomen hominis tenuit.]

In sermone XLVIII. Ingressi sumus credendo, egrediemur moriendo. Sed quomodo per ostium fidei ingressi sumus, sic fideles de corpore exeamus.]

In sermone XLIX. Dormit ergo omnis mortuus, & bonus & malus. Sed quomodo interest in ipsis qui quotidie dormiunt & exsurgunt, quid quisque videat in somnis. alij sentiunt læta omnia, alij torquentia, ita vt euigilans dormire timeat, ne ad ipsa iterum redeat. Sic vnusquisque hominum cum causa sua dormit, cum causa sua surgit: & interest quali custodia quisque recipiatur, ad iudicem postea producendus. Nam & receptiones in custodiam pro meritis causarum adhibentur. Alios iubentur custodire lictores, humanum & mite officium atque ciuile. alij traduntur optionibus, alij mittuntur in carcerem, & ipso carcere non omnes, sed pro meritis grauiorum causarum, in ima carceris contruduntur. Sicut ergo diuersæ custodiæ agentium in officio, sic diuersæ custodiæ mortuorum, & diuersa merita resurgentium. Receptus est pauper, receptus est diues, sed ille in sinu Abrahæ, ille vbi sitiret, & guttam non inueniret. Habent Luc. 16. 24. ergo omnes animæ, vt ex hac occasione instruam caritatem vestram, habent omnes animæ, cùm de sæculo exierint, diuersas receptiones suas. Habent gaudium bonæ, malæ tormenta: sed vt fa-

ćta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur. Recepti sunt in pacem sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, boni fideles. omnes tamen in finem accepturi sunt quod promisit Deus. Promissa est enim resurrectio etiam carnis, mortis consumptio, vita æterna cum Angelis. Hoc omnes simul accepturi sumus. Nam requiem quæ continuò post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cùm moritur. Priores acceperunt Patriarchæ, videte ex quo requiescunt, posteriores Prophetæ, recentiùs Apostoli, multo recentiores sancti Martyres, quotidie boni fideles. Et alij in ista requie iam diu sunt, alij non tam diu, alij paucioribus annis, alij recenti tempore. Cùm verò de hoc somno euigilabunt, simul omnes quod promissum est accepturi sunt.]

Sub finem. In sermone LVII. Sed in eis qui iam de corpore exierunt, & carnis indumento exspoliati sunt, neque enim ab ea separati sunt, respondet Ecclesia, *Exui me tunicam meam, quomodo induar eam?* Recipietur quidem illa tunica, & in eis qui iam exuti sunt rursus carne vestietur Ecclesia.] Cant.5.3.

Sub mediū. In sermone LXV. Si enim mors est, quando de corpore anima exit, quomodo non est mors quando de mundo amor noster exit? Valida est ergo sicut mors dilectio.] Cant.8.6.

Ioan.19.17. In sermone CXIX. *Inclinato capite tradidit spiritum.* Quis itaque vestem ponit quando voluerit, sicut se carne exuit quando voluit?]

Sub finem. Augustinus in quarto libro de Trinitate capite decimo tertio, Nescit diabolus quomodo illo & insidiante & furente vtatur ad salutem fidelium suorum excelsissima sapientia Dei, à fine superiore, quod est initium spiritalis creaturæ, vsque ad finem inferiorem, quod est mors corporis, pertendens fortiter, & disponens omnia suauiter. Adtingit enim vbique propter suam munditiam, & nihil inquinatum in eam incurrit. A morte autem carnis alieno diabolo, vnde nimium superbus incedit, mors alterius generis præparatur in æterno igne tartari, quo non solùm cum terrenis, sed etiam cum aëreis corporibus excruciari spiritus possint.]

Idem in libro de vera Religione, Quid igitur restat, vnde non possit anima recordari primam pulchritudinem quam relinquit, quando de ipsis suis vitiis potest? Ita enim sapientia Dei *pertendit à fine vsque ad finem fortiter.* Ita per hanc summus ille artifex opera sua in vnum finem decoris ordinata contexuit: ita illa bonitas à summo ad extremum nulli pulchritudini quæ ab ipso solo esse posset inuidit, vt nemo ab ipsa veritate deiciatur, qui non excipiatur ab aliqua effigie veritatis. Quare in corporis voluptate quid teneat nihil aliud inuenies quàm conuenientiam. Nam si resistentia pariunt dolorem conuenientia pariunt voluptatem. Recognosce igitur quæ sit summa conuenientia. noli ire foras, in te ipsum redi. in interiore homine habitat veritas.] Idem in eodem, Si nos miracula spectaculorum & pulchritudo delectat, illam desideremus videre sapientiam, quæ *pertendit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Quid enim mirabilius vi incorporea mundum corporeum fabricante & administrante, aut quid pulchrius ordinante & ornante?] Cap.18. Sap.8.1. Cap.31. Sap.8.1.

Idem in libro de Quantitate animæ, Illud quod pati non potest oculus nisi adsit anima, id est quod videndo patitur. hoc solùm ibi patitur vbi non est. ex quo cui non videatur nullo loco animam cōtineri?] Idem in eodem, Cur ergo non, cùm tam multis argumentis superiùs editis, atque abs te firmissimè comprobatis, planum tibi factum sit, non loco animam contineri, atque ob hoc nullius esse talis quantitatis, qualem in corporibus cernimus?] Idem in eodem, Animæ natura, nec terra, nec maria, nec sidera, nec luna, nec sol, nec quicquam omninò quod tangi aut oculis videri possit.] Cap XXX. Cap.XXXI. Cap.XXXIV

Augustinus in libro XIII. de Trinitate, Modus autem iste, quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri iusserit, sed quod tantùm permiserit, iustè tamen. Illo enim deserente peccantem, peccati auctor Cap.XII.

illico inuasit. Nec ita sanè Deus deseruit creaturam suam, vt non se illi exhiberet Deum creantem & viuificantem, & inter pœnalia mala etiam bona malis multa præstantem. Non enim continuit in ira sua miserationes suas, nec hominem à lege suæ potestatis amisit, quando in diaboli potestate esse permisit.]

Lib. I. cap. III. Idem in I. Arbitror sanè nonnullos tardiores in quibusdam locis librorum meorum opinaturos me sensisse quod non sensi, aut non sensisse quod sensi. Quorum errorem mihi tribui non debere quis nesciat, si velut me sequentes, neque adprehendentes, deuiauerint in aliquam falsitatem, dum cogor per quædam densa & opaca viam carpere: quandoquidem nec ipsis sanctis diuinorum librorum auctoritatibus vllomodo quisquam rectè tribuerit tam multos & varios errores hæreticorum, cùm omnes ex eisdem scripturis falsas atque fallaces opiniones suas conentur defendere?]

Cap. X. Idem in eodem, Vt in quantum Deus est cùm illo nos subiectos habeat, in quantum sacerdos nobiscum illi subiectus sit. Quapropter cùm filius sit & Deus & homo, alia substantia Deus, alia homo, homo potiùs in filio, quàm filius in patre: sicut caro animæ meæ, alia substantia est ad animam meam, quamuis in vno homine, quàm anima alterius hominis ad animam meam.]

Cap. XII. Item idem in eodem, Plerumque dicit filius, *dedit mihi pater.* In quo vult intelligi quòd eum genuerit pater: non vt tanquam existenti & non habenti dederit aliquid, sed ipsum dedisse vt haberet, genuisse est vt esset. Non enim sicut creatura, ita Dei filius, ante Incarnationem & ante assumptam creaturam vnigenitus per quem facta sunt omnia, aliud est & aliud habet, sed hoc ipsum est quod est id quod habet.]

Lib. III. de Trin. c. I. Idem in tertio, Illud nunc videndum est, vtrum Angeli tunc agebant, & illas corporum species apparentes oculis hominum, & illas voces insonantes auribus, cùm ipsa sensibilis creatura ad nutum seruiens conditoris, in id quod opus erat pro tempore vertebatur. sicut in libro Sapientiæ dictum est,

Sap. 16. 24. *Creatura enim tibi factori deseruiens extenditur in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad bene faciendum his qui in te confidunt. Propter hoc & tunc in omnia se transfigurans, omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat ad voluntatem hominum, qui ad te desiderabant.* Peruenit enim potentia voluntatis Dei per creaturam spiritualem, vsque ad effectus visibiles atque sensibiles creaturæ corporalis. Vbi enim non operatur quod vult Dei omnipotentis sapientia, quæ pertendit à fine vsque ad finem fortiter? & reliqua.]

In Leuitico tertio, *Anima quæ iurauerit & protulerit labiis suis, vt vel malè quid faceret, vel bene, & idipsum iuramento & sermone firmauerit, & protulerit labiis suis, vt vel malè quid faceret, vel bene, & id ipsum iuramento & sermone firmauerit, oblitáque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato, & offerat agnam de gregibus siue capram, orabítque pro eo sacerdos, & pro peccato eius.*] Leuit. 5. 4.

In eodem IV. *Anima quæ peccauerit, & contempto Domino negauerit depositum proximo suo, quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, siue rem perditam inuenerit, & inficians insuper periurarit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus peccare solent homines, conuicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere integra, & quintam insuper partem domino, cui damnum intulerat. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum sacerdoti iuxta æstimationem mensuràmque delicti. Qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccauit.*] Leuit. 6. 2.

In eodem XXXVI. *Non facietis furtum, Non mentiemini, nec decipiat vnusquisque proximum suum. Non periurabis in nomine meo, nec polluès nomen Dei tui. ego Dominus.*] Leuit. 19. 11

In Deuteronomio III. *Non vsurpabis nomen Domini tui frustra, quia non erit impunitus qui super re vana nomen eius adsumpserit.*] Deut. 5. 11.

In libro Regum II. cap. XCII. *Facta est quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter. consuluítque Dauid oraculum Domini, dixítque Dominus, Propter Saül, & domum eius, & sanguinem, quia occidit Gabaonitas. Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos, (porrò Gabaonitæ non erant de filiis Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum: filij quippe Israel iurauerant eis, & volui Saul percutere eos* 2. Reg. 21. 1.

zelo, quasi pro filiis Israel & Iuda.) Dixit ergo Dauid ad Gabaonitas, Quid faciam vobis, & quod erit vestri piaculum, vt benedicatis hereditati Domini? Dixeruntque ei Gabaonitæ, Non est nobis super argento & auro quæstio, sed contra Saul, & contra domum eius, neque volumus vt interficiatur homo de Israel. Ad quos ait rex? Quid ergo vultis vt faciam vobis? Qui dixerunt regi, Virum qui attriuit nos & oppreßit iniquè, ita delere debemus, vt ne vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israel. Dentur nobis septem viri de filiis eius, vt crucifigamus eos in Gabaath Saul quondam electi Domini. & ait rex, Ego dabo. Pepercitque rex Miphibosethe filio Ionathan filij Saul, propter iusiurandum Domini quod fuerat inter Dauid & inter Ionathan filium Saul.] In fine huius sententiæ dicitur, *Et repropitiatus est Dominus terræ post hæc.*] Salomon in Prouerbiis, *Egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* In Hieremia propheta Hieronymus lib. I. *Et iurabis, Viuit Dominus in veritate & iudicio & iustitia, & benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt.* & quomodo Euangelium iurare nos prohibet? Sed hic iurabis pro confessione dicitur, & ad condemnationem idolorum, per quæ iurabat Israel. Denique auferuntur offendicula, & iurat per Dominum. Quódque dicitur, *viuit Dominus*, in Testamento veteri, iusiurandum est ad condemnationem mortuorum, per quos iurat omnis idololatria. Simúlque animaduertendum, quòd iusiurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque iustitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed periurium.] Libro secundo, *Ecce vos confiditis vobis in sermonibus mendacij, qui non proderunt vobis, furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter.* Frustra eos in templo habere fiduciam sequentia peccata demonstrant. Quid enim prodest audacter ingredi limen domus Dei, erecta stare ceruice, non solùm cor, sed & manus habere pollutas, furto, homicidio, adulterio, periurio, sacrilegio?] Hieronymus in Ezechiel. vol. I. lib. V. Numquid prosperabitur vel consequetur salutem qui fecit hæc? & qui dissoluit pactum, numquid effugiet? *Viuo, dicit Dominus Deus, quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cuius fecit irritum iuramentum, & soluit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.* Qui dissoluit, ait, pactum, numquid effugiet? Ex quo discimus etiam inter hostes seruandam fidem, & non considerandum cui, sed per quem iuraueris. Multò enim fidelior inuentus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, & deceptus est, te qui per occasionem diuinæ maiestatis hosti tuo, imò amico, es molitus insidias. *Ecce*, inquit, *dedit manum suam* regi Ægypti, & tradidit se, & periurij contra Deum commisit sacrilegium. Numquid, ait, proderit ei? & cùm omnia hæc fecerit non effugiet. Sententia sæcularis est,

—Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?

Quam solent nobis opponere qui dicunt hostes fraude decipiendos. Cui vt adquiescamus, multo peius fecit Sedechias. Non enim hostem decepit, sed amicum, cui fœdere Domini fuerat copulatus. Ergo quamdiu non iures, & pactum ineas sub nomine Dei, prudentiæ est & fortitudinis, vel decipere vel superare aduersarium vtcumque potueris. Cùm te constrinxeris iuramento, nequaquam aduersarius, sed amicus est qui tibi credidit, & sub occasione iurisiurandi, id est Dei nuncupatione deceptus est. Propterea scriptura nunc dicit, *Iuramentum quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est, ponam in capite eius.* Ac ne putaremus iuramentum & fœdus & pactum regis esse Babylonij, vel Sedechiæ qui fecerat, sequitur, *In præuaricatione qua despexit me.* Ergo qui contemnit iuramentum, illum despicit.

2. Reg. 21. 14. — Prou. 30. 9. — Hier. 4. 2. — Hier. 7. 8. — Ezech. 17. 16. — Ezech. 17. 19. — Ibid. 20.



IV.

ADMONITIO AD LVDOVICVM Germaniæ Regem, ab Hincmaro aliísque Episcopis ad eum missa, cùm ad occupandum Caroli fratris sui regnum venisset anno DCCCLVIII.

Ex Capitularibus Caroli Calui, cap. XXIII.

DOMINO HLVDOVVICO REGI GLORIOSO Episcopi Remorum diœceseos atque Rotomagensis qui adesse potuimus.

CAPVT I.

Excusant cur ad conuentum Remensem venire non potuerint.



LITERAS dominationis vestræ quique nostrûm habuimus, quibus iussistis, vt vobis VII. Kalendas Decembris Remis occurreremus: quatenus ibi nobiscum & cum ceteris fidelibus vestris de restauratione sanctæ Ecclesiæ, & de statu ac salute populi Christiani tractaretis. Sed nos ad placitum illud occurrere non potuimus, & propter incommoditatem & breuitatem temporis, & propter inconuenientem loci, & quod est lugubrius, propter confusionem tumultus exorti. Sed & diuinis legibus, quas & vos obseruaturos cum vestris fratribus nobis denuntiastis, cautum esse dinoscitur, quia sicut nec Archiepiscopi sine Coepiscopis, ita nec Episcopi sine Archiepiscoporum consensu vel iussu, nisi quæ ad proprias pertinent parochias debent præsumere: & in tam angusto tempore Archiepiscoporum litteras non valuimus de conuentu habere. Quapropter nouerit vestra sublimitas, quia mandatum vestrum nostra non contempsit humilitas: sed sicut longè est ante nos dictum, Qui iubet impossibilia, facit se contemptibilem.

II. *Queruntur quòd eorum monitis & consiliis hactenus non paruerit.*

SED & tractatum de restauratione sanctæ Ecclesiæ, & statu ac salute populi Christiani, quòd nunc vos nobiscum habere velle dicitis, iustiùs & rationabiliùs illud haberi potuisset, si nostris, quin potiùs diuinis consiliis, & obseruationibus atque obtestationibus, superno respectu obtemperare voluissetis. quia non nostra scripsimus,

mandauimus, diximus: sed quæ dictante caritate, quæ Deus est, in litteris sacris inuenimus, & quæ naturæ insita recognoscimus. Ceterùm quæ contra illa quæ scripsimus, mandauimus, diximus, acta sunt vel aguntur, naturalis legis morbus & vitium etiam à minus sapientibus esse dinoscitur. Qua de re prudens quisque resipiscat & sapiat quàm granditer Deus offenditur, quando in sic grandibus & apertis non ignoranter peccatur. Vnde scriptum est, *Descendant in infernum viuentes*, id est labantur in peccatum scientes. Quæ diuina permissione merito, mundi patientis, propter communia peccata nostra, pastorum scilicet & gregum, propter delicta regis & regni eueniunt, sicut scriptum est, *Immissiones per Angelos malos, viam fecit Dominus semitæ iræ suæ.* Tamen sicut veritas protestatur, non erit sine vltione vindictæ nec ipsa virga furoris Domini. Sic legimus, sic audiuimus, sic vidimus, & pro certo sic citò videbimus. quoniam licèt peccatores simus, sed pœnitentes, & in diuina clementia fortiter confidentes, ministerium sacrum operante Spiritu sancto suscepimus sine quo sacra non ministramus, & nobis dictum à veritate veraciter scimus, *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Psal. 54. 16.
Psal. 77. 49
Matt. 10. 20

III. *Quòd sæpiùs illum ad ineundam cum fratre concordiam hortati sint.*

Et licèt dominatio vestra meliùs nouerit de quibus scriptis, mandatis, & dictis dicamus, tamen non ab re est, si etiam & nos illa ad memoriam vestram reducamus. Primò quidem per Hildegarium venerabilem Episcopum scriptis & dictis, secundò per Æneam honorabilem Episcopum litteris & verbis, deinde per Hincmarum Remensem, & Wenilonem Rotomagensem Archiepiscopos, iterum per eosdem cum aliis quos ipsi vocastis, ea quæ saluti fuerunt congrua sufficienter audistis. Quando sicut & antè petiuimus vt frater vester & omnes fideles illius ante vestram fideliúmque vestrorum præsentiam in rationes loco & tempore congruo venissemus, & quæ malè gesta forent vestro consilio & auxilio cum Dei adiutorio fierent emendata. Pro quibus omnibus dictis valde non obaudientibus timemus quod dicitur, *Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt*, & reliqua, quæ Dominus comminatur. Et si illa non sunt exaudita, putari potest & nec ista, quæ vos dicitis apud nos velle quærere & audire, exaudientur. Videtúrque quibusdam, vt sicut Dominus, quando quæsiuit ficus in ficulnea cui maledixit, cùm non esset teste Euangelio tempus ficuum, aliud voluerit significari: ita in hoc citato & incongruo conuentu, remota dominationis vestræ sinceritate, de qua nihil contra puritatem volumus autumare, alia quædam possint intelligi. Et quia beatus Petrus om-

Ioan. 15. 20.
Matt. 21.
1. Pet. 5.

nem monet Episcopum, vt paratus sit ad satisfactionem omni poscenti se rationem, quæ nunc videmus pro tempore damus fideliter dominationi vestræ consilia.

IV. *Vt consideret cur in fratris regnum venerit, & vtrum talia sustinere velit, qualia facit.*

Psal.75.11. PRIMO quidem in ipsa radice cordis aduentum vestrum in hoc regnum inspicite, & coram oculis Domini, cui secundum Psalmistam cogitatio hominis confitetur, statera æquitatis ponderate. & quicquid hortatores, & consiliarij ac laudatores vestri vobis dicant, ad cor redite: & quicquid ad accusationem & commendationem aduentus vestri inuenire & dicere potueritis, vestram conscientiam interrogate, & si talia sustinere vultis qualia facitis iudicate. Et illam horam, quam certi estis quia nullo modo poteritis effugere, quando anima vestra de corpore exiet, ante mentis oculos ponite, quando totum mundum, & omnem potestatem, & omnes diuitias, & ipsum corpus derelinquet. & sine adiutorio vxoris ac filiorum, & sine solatio & comitatu drudorum atque vassorum, nuda & desolata exibit, & quicquid cogitauit & ordinare disposuit infecta dimittet, Psal.145.4. sicut dicit scriptura, *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* & videbit omnia peccata sua, & sentiet videns diabolos se constringentes & coartantes. & quicquid contra caritatem, & fidem debitam cogitauit, parabolauit, & fecit in isto sæculo, & per dignos pœnitentiæ fructus non emendauit, ante oculos semper habebit, & effugere volet & non valebit. Nam certum est, quia ad omnes homines, quando egrediuntur de corpore, veniunt diaboli, & ad iustos, & ad peccatores. sed & ad ipsum Christum venit, in quo suum nihil in- Ioan.14.30. uenit, sicut scriptum est, *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Et crede nobis veraciter, Rex vtinam semper bone & Christiane, nec longè est, sed satis & plusquam speretur propè tibi est illa hora. Propterea non te seducant ista quæ vides. In tempore quippe patris vestri vidimus per aliquos incepta & facta, quæ in tempore isto per istos qui ista conficiunt videmus fieri, & per alios videbuntur compleri. Et quando tibi adueniet hora exitus tui, sicut rident nunc, quando per te obtinent quæ volunt in hora voluntatis suæ, sic ridebunt & in hora exitus tui, & quærent quomodo per alium teneant quæ per te obtinuerunt. Quod & fieri potest vt quidam etiam quærant in tempore tuo. Sed & illi, nisi dignam pœnitentiam egerint, miserabiliter ad illam horam venient exitus sui, sicut venerunt & illi qui defecerunt à patre tuo cum fratre tuo. Nam vt illi ordinantes seditiones in paternam reuerentiam, sic & isti vos excitantes in fraternam dilectionem, nomen pacis & statum Ecclesiæ & salutem ac vnitatem populi obtendere studuerunt: & latebat sub melle

melle venenum. Et completum est in illis; completúrque in istis Psalmistæ dictum, *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*, & reliqua quæ sequuntur. Et receperunt illi in sæculo isto quæ nota sunt: & receperunt in sæculo altero, quæ in iudicio plenius cognoscentur. Quorum isti intuentes exitum timere debuerant actionem. & facient, si illos respexerit Dominus, qui respicit humiles, & custodit paruulos. Et sic *pestilente flagellato*, vt scriptum est, *sapientior erit paruulus*. & sapient quia non repellet Dominus plebem suam, nec obliuiscetur in finem. quoniam *propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus*. Alioqui sicut tunc dixit illis, ita & nunc dicit Dominus istis, *Tacui, numquid semper tacebo? quasi parturiens clamabo*. Nondum venit hora mea, sed nunc est hora vestra. & potestas tenebrarum. Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia venient dies in te. Roga tibi, quæsumus in tali loco, vbi bene possis intendere, Homiliam sancti Gregorij legere in lectione Euangelij, *Videns Iesus ciuitatem fleuit super illam*. Precamur vos, Domine, vt & diem ante mentis oculos habeatis, quando cum omnibus anima vestra proprium corpus recipiet, & venietis ante faciem æterni iudicis in conspectu omnium Angelorum & hominum. In qua die, sicut dicit sanctus Paulus, iudicabit Dominus vnumquemque, non per alienum testimonium, sed occulta vniuscuiusque per cogitationes accusantes, aut etiam defendentes, quando recipiet vnusquisque propria corporis provt gessit, siue bonum, siue malum. Et non despicientur tunc nostra verba, quæ scripsimus, ab eis qui nunc illa contemnunt, quando sine dubio replicata erunt in testimonium in ipso tremendo iudicio. & nullus illorum te tunc adiuuabit, qui nec seipsum adiuuare sufficiet, quando ibunt qui talia agunt in ignem æternum, & isti qui iniusta patiuntur in viam æternam.

Psal. 27. 3. | Prou. 19. 25. | Psal. 11. 6. | Esa. 42. 14. | Hom. 39. in Euang. | Hebr. 10.

V. *De iis quæ crudeliter & impiè quà transibat fiebant, vt ea prohibeat & compescat.*

QVIA tanta & talia crudelia & abominanda fieri per parochias quas pertransitis audiuimus, & quædam sentire timemus, & illis qui senserunt & sentiunt dolemus, quæ calamitatem & miseriam quam à paganis patimur superent, quoniam à Christianis in Christianos, à parentibus in parentes, à rege Christiano in regem Christianum, à fratre in fratrem, contra omnes leges diuinas & humanas aguntur. Contra quos clamat Ecclesia à paganis afflicta, *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Et nos omnes, cunctique patientes *sustinuimus pacem & non venit, quæsiuimus bona, & ecce turbatio*. Propterea talia prohibete, compescite, & sedate. quoniam palatium

Psal. 68. 27. | Hier. 14. 19.

vestrum debet esse sacrum, & non sacrilegum. Palatium enim regis dicitur, propter rationabiles homines inhabitantes, & non propter parietes insensibiles, siue macerias. & rex à regendo dicitur, vt se sub Deo, & bonos cum Deo, puritate cordis, veritate oris, firmitate stabilitatis regat, & prauos à prauitate corrigat, & in rectitudinem dirigat. Et si quæ malè facta sunt emendare venistis, peiora quàm viderimus à Christianis in Christianos fieri ingerere non debetis. & si pacem facere aduenistis, pacem pacificè ab auctore pacis obtinere debetis. & si discordiam effugere, & caritatem redintegrare venistis, illam quam Christus per
1.Cor.13.5 Paulum docuit monstrare debetis. Ait enim, *Caritas non est ambitiosa, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* quæ est de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. quæ operatur per dilectionem, & non per potestatem & indebitam cupiditatem. Sine qua caritate, sicut scriptum est, etiam si quis tradiderit corpus suum vt ardeat, nihil illi prodest. quam omnibus Dominus in signum dedit, vt sciant, si quisque est
Ioan.13.35. Christianus, aut si intrabit in regnum Dei an non, dicens, *In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Nam qui in primordio fidei discipuli appellabantur, nunc Christiani dicuntur. Et ipsa est vestis nuptialis, quam qui non habuerit, de nuptiis cælestis conuiuij in futuro iudicio eiicietur in tenebras exteriores, & in ignem æternum. Ibi erit fletus, & stridor dentium.

VI. *Ut contra paganos potiùs arma conuertat, & eos qui ab illis fugiunt vexari à suis non sinat.*

IPSA caritas vos contra paganos accendat: vt quia tunc moti non sunt ad pietatem, vt nobiscum irent contra eos, qui de isto regno amplos habebant & habent honores, quòd si facerent, & zelo recto accensi vnanimiter vellent, expelli aut disperdi pagani adiuuante Domino poterant, vel nunc quacumque intentione à dominatu illorum per vestram ordinationem sancta liberetur Ecclesia, & regnum quod contra eos redimitur, à tributo indebito eripiatur. Sed & qui fugiunt à facie paganorum, cùm in illas partes venerint in quibus degitis, refugium tranquillum inueniant, & non talem deprædationem, vt nec incolæ viuere, nec fugientibus solatium possint præbere. Quia nunc peccatis nostris exigentibus completur quod olim di-
Iob 20.24. Amos 5.19. ctum est per prophetam, *Qui fugerit à facie furoris, inruet in vrsum: & cùm intrauerit domum, & innisus fuerit super parietem, mordebit eum coluber: & cùm effugerint arma ferrea, inruent in arcum æreum.* In omni enim parte miseri, pro dolor, afflictionem inueniunt.

VII. *Vt priuilegia & immunitates Ecclesiarum conseruet; rectorésque illarum non inquietet; nec possessiones diripi permittat.*

Et si Ecclesiam Dei, sicut nobis scripsistis, quæritis restaurare, debita Episcopis & sibi commissis Ecclesiis priuilegia intemerata, sicut diuinitùs constituta sunt, custodite. Præcepta & immunitates, & honorem earum, sicut auus & pater vester conseruauerunt; conseruare curate: & quæ frater vester, dominus noster, qui & paterna donatione, & vobiscum, cum vestris vestrorúmque fidelium mutuis firmitatibus, regni partem accepit, pro cultu & honore Ecclesiarum egit, similiter conseruate. & rectores ac pastores Ecclesiarum, vt patres & Christi vicarios colite, sicut sancta scriptura præcipit dicens, *Sacerdotes Dei sanctifica, & magnatis humilia caput tuum.* Eccli. 7. 31. & 4. 7. eorúmque spiritalia consilia obaudite, iterum dicente scriptura, *Interroga patres tuos, & adnuntiabunt tibi: maiores tuos, & dicent tibi.* Deut. 31. 7. & item, *Interroga sacerdotes meos legem meam.* Aggæi 2. 12. Et Dominus per Malachiam prophetam, *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Malac. 2. 7. Eósque tempore incongruo & inopportuno nolite inquietare: sed liceat eis ministerium sacrum, ad quod ordinati sunt, in populi salutem peragere. sibíque domestica cura subiectos nolite concutere. & non sinatis dehonestare, siue opprimere. Vt presbyteris honor congruus, & iura debita, quæ canones & capitula aui & patris vestri statuerunt, conseruentur satagite. Vt Episcopi quietam libertatem suas parœcias circumeundi, & prædicandi, ac confirmandi, atque corrigendi habeant ordinate. Vt missus reipublicæ, id est minister Comitis, cum ipsis si iusserint eat, qui liberos homines incestuosos, si per admonitionem presbyterorum venire ad Episcopum noluerint, eos ad Episcopi placitum venire faciat, commendate. Vt si Episcopus pro quacumque necessitate Ecclesiastica ad vos direxerit, ad quem suus missus veniat, per quem quæ rationabiliter petierit obtineat, in palatio vestro, sicut Comes palatij est in causis reipublicæ, ministerio congruum constitutum habete. Vt temporibus à sacris regulis constitutis comprouinciales Synodos cum Episcopis, & speciales cum presbyteris habere quietè possint annuite. Res & facultates Ecclesiasticas, quæ sunt vota fidelium, pretia peccatorum, stipendia ancillarum & seruorum Dei, deprædari & ab Ecclesiis discindi nolite sustinere: sed fortiter, vt rex Christianus & Ecclesiæ alumnus, resistite atque defendite. De quibus consecratis Deo rebus, quod habent liberi homines Ecclesiis seruientes, per dispositionem rectorum ipsarum Ecclesiarum ideo constituerunt Apostolorum successores hoc ordinari, vt quia creuerunt fidelium vota,

& increuerunt infidelium mala, augeretur per dispensationem Ecclesiasticam regni militia ad resistendam malorum nequitiam: quatenus ipsæ Ecclesiæ defensionem haberent & pacem, & Christianitas obtineret tranquillitatem. Quapropter sicut & illæ res ac facultates, de quibus viuunt clerici, ita & illæ sub consecratione immunitatis sunt, de quibus debent militare vassalli, & pari tuitione à regia potestate in Ecclesiarum vsibus debent muniri. Quia verò Carlus princeps, Pippini regis pater, qui primus inter omnes Francorum reges ac principes res Ecclesiarum ab eis separauit atque diuisit, pro hoc solo maximè est æternaliter perditus. Nam sanctus Eucherius Aurelianensium Episcopus, qui in Monasterio sancti Trudonis requiescit, in oratione positus ad alterum est sæculum raptus, & inter cetera quæ Domino sibi ostendente conspexit, vidit illum in inferno inferiore torqueri. Cui interroganti ab Angelo eius ductore responsum est, quia sanctorum iudicatione, qui in futuro iudicio cum Domino iudicabunt, quorúmque res abstulit & diuisit, ante illud iudicium anima & corpore sempiternis pœnis est deputatus, & recepit simul cum suis peccatis pœnas propter peccata omnium, qui res suas & facultates in honore & amore Domini ad sanctorum loca in luminaribus diuini cultus, & alimoniis seruorum Christi, ac pauperum, pro animarum suarum redemptione tradiderant. Qui in se reuersus, sanctum Bonifacium, & Fulradum Abbatem Monasterij Sancti Dionysij, & summum Capellanum regis Pippini, ad se vocauit, eísque talia dicens in signum dedit, vt ad sepulcrum illius irent, & si corpus eius ibidem non reperissent, ea quæ dicebat vera esse concrederent. Ipsi autem pergentes ad prædictum Monasterium, vbi corpus ipsius Carli humatum fuerat, sepulcrúmque illius aperientes, visus est subitò exisse draco, & totum illud sepulcrum interiùs inuentum est denigratum, ac si fuisset exustum. Nos autem illos vidimus, qui vsque ad nostram ætatem durauerunt, qui huic rei interfuerunt, & nobis viua voce veraciter sunt testati quæ audierunt atque viderunt. Quod cognoscens filius eius Pippinus, Synodum apud Liptinas congregari fecit, cui præfuit cum sancto Bonifacio Legatus Apostolicæ sedis, Georgius nomine. Nam & Synodum ipsam habemus, & quantumcumque de rebus Ecclesiasticis quas pater suus abstulerat potuit, Ecclesiis reddere procurauit. Et quoniam omnes res Ecclesiis, à quibus ablatæ erant, restituere propter concertationem, quam cum Waifario Aquitanorum principe habebat, non præualuit, precarias fieri ab Episcopis exinde petiit, & nonas ac decimas ad restaurationes tectorum, & de vnaquaque casata duodecim denarios ad Ecclesiam vnde res erant beneficiatæ, sicut in libro Capitulorum regum habetur, dari constituit, vsque dum ipsæ res ad Ecclesiam reuenirent. Vnde & domnus Carolus Imperator, adhuc in regio nomine constitutus,

Lib. v. c. 3.

edictum fecit, vt neque ipse, nec filius eius, neque successores huiusmodi rem agere adtentarent; quod manu propria firmauit: cuius plenitudinem habemus, & de quo Capitulum excerptum in libro Capitulorum eius, quicumque librum illum habet & legere voluerit, inuenire valebit. Hanc etiam relationem, & in scripturis habemus, & quidam nostrûm etiam viua voce domnum Hludouuicum Imperatorem patrem vestrum referre audiuimus. Sed & sacri canones Spiritu sancto dictati eos qui facultates Ecclesiasticas diripiunt, & res Ecclesiasticas indebitè sibi vsurpant, Iudæ traditori Christi similes computant: & sancti, qui cum Deo in cælo regnant, & in terris miraculis coruscant, diuino iudicio tamquam necatores pauperum ab Ecclesiæ liminibus, & à cælesti regno secludunt. De quibus sacrilegis in prophetia Psalmi prædictum est, *Qui dixerunt hereditate possideamus sanctuarium Dei; Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. & sicut ignis qui comburit siluam, & sicut flamma comburens montes, ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos. imple facies eorum ignominia.* Psal. 82. 13.

VIII. *Vt Monasteria laïcis à Carolo concessa religiosis personis restituat.*

MONASTERIA etiam religiosa, atque præcipua canonicorum, & monachorum, atque sanctimonialium, quæ ab antiquo tempore sub religiosi habitus rectore vel rectrice fuerunt, & quando parentes vestri primatum regni tenuerunt, & etiam quando sanctus Remigius Francos ad fidem operante Domino conuertit, & cum rege ipsorum baptizauit, & frater vester domnus noster partim iuuentute, partim fragilitate, partim aliorum callida suggestione, etiam & minarum necessitate, quia dicebant petitores, nisi eis illa loca sacra donaret, ab eo deficerent, & ipse aliquando per vos, sicut nunc paret, aliquando per fratrem vestrum regnum destitutus ab eis perderet; talibus sicut scitis personis commisit, debito priuilegio restituite. Nam idem frater vester, & diuina inspiratione, & sacerdotali redargutione, & etiam ab Apostolica sede commonitus, ex aliqua parte quæ perperè egit correxerat, quæ autem adhuc incorrecta erant, quomodo emendare posset gemebundus quærebat. Absit autem vt vos, qui pro restauratione sanctæ Ecclesiæ huc venistis; aut illa quæ ipse emendauit deterioretis, & sicut ille offendit & vos offendatis, aut quæ ipse necdum emendare potuit, inemendata sinatis. Qui sæpè, sicut & nos testes sumus, fratres vestros de talibus monuistis, & in omni adnuntiatione, quam communiter faciebatis, promptissimè inde disputabatis. sicut & secus Teudonis villam, in loco qui Iudicium dicitur, Capitula quæ habemus cum vestris fratribus acceptastis, & in chirographo apud Marsnam ma-

nu propria confirmastis. Contra quod si fortè aliquis egit, non propterea vos immunes eritis, si illud, quod teste Domino pepigistis & confirmastis, obseruare quod absit non studueritis. Neminem quippe adiuuat qui aliena mala reprehendit, nisi & ipse illa caueat. quod demonstrat Paulus dicens, *Putas, ô homo, quòd tu euades iudicium Dei, qui eadem agis quæ iudicas?*

Rom.2.3.

IX. *Vt rectores Monasteriorum sollicitè prouideant, vt serui & ancillæ Dei secundùm ordinem viuant.*

RECTORES etiam Monasteriorum, quibus Monasteria committitis, firmiter & obnixè præcipite, vt secundùm ordinem, & habitum, & sexum, quo inhabitantes constituti sunt, sollicitè & sollerter prouideant, vt secundùm debitum ordinem serui vel ancillæ Domini viuant, & necessaria stipendia in victu & vestitu & ceteris quibusque habeant, & domos ac seruitores, prout competit, sicut religiosi & habitus & conuersationis rectores, eis prouideant. Susceptionem etiam hospitum & pauperum nullo modo negligant. Et quia inconuenientes personæ, & res tales quæ religioni non congruunt, Monasteria non introducantur, non dicimus: quoniam religiosi rectores prouidentiam & curam debitam inde sumere debere non ignoramus.

X. *Vt hospitalia peregrinorum ad hoc ad quod deputata sunt Episcoporum consilio à rectoribus suis administrentur.*

HOSPITALIA peregrinorum, sicut sunt Scottorum, & quæ tempore antecessorum vestrorum regum constructa & constituta fuerunt, vt ad hoc ad quod deputata sunt teneantur, & à rectoribus Deum timentibus ordinentur, custodiantur, & dispensentur obtinete. Sed rectoribus Monasteriorum & Xenodochiorum, id est hospitalium, præcipite, vt sicut canonica docet auctoritas, & Capitula aui & patris vestri præcipiunt, Episcopis propriis sint subiecti, & Monasteria atque hospitalia sibi commissa ipsorum regant consilio. Qui Episcopi paternam sollicitudinem eis secundùm ministerium illorum studebunt impendere. Et quia sæpè vnicuique in omni ordine competentem legem & iustitiam, vnà cum fratribus vestris frequenti adnuntiatione perdonastis, Ecclesiastici & religiosi habitus viri ac feminæ, atque peregrini & pauperes, in quibus specialiter Christus suscipitur, perdonationem vestram sibi sentiant semper adesse.

XI. *Quòd regem ita vitam instituere conueniat, vt omnibus sit exemplo.*

Et quia de statu & salute populi Christiani, sicut nobis scripsistis, vultis quærere, primò à vobis ipsis incipite, qui alios debetis corrigere, sicut scriptum est, *Medice cura temetipsum.* & munda debet Luc.4.23. manus à sordibus esse, quæ alienas sordes curat detergere. & quæ in aliis debetis corrigere, nemo in vobis iustè valeat reprehendere. Super quantos enim estis in regni culmine, super tantorum moribus debetis seruire, & sicut lucerna super candelabrum in domo posita, bonitatis exempla monstrare. quia omnium oculi in vos debent intendere. quos si malo exemplo destruxeritis, qui per vos & à vobis in bonum debuerant ædificari, sub tantis sine dubio in futuro sæculo in pœnis vos necesse erit torqueri. Propterea oportet vt qui rex estis, & dominus appellamini, in illum semper suspenso corde suspiciatis, à quo videlicet regum rege & domino dominorum nomen regis & domini mutuatis. Et sicut ille disponit orbem terræ in æquitate, & ad hoc, sicut in libro Sapientiæ dicitur, constituit hominem, vt Sap 7. ipse similiter faciat, imitamini illum, si vultis regnare cum illo. quia qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare, qui dicit, *Estote & vos perfecti, sicut & pater vester cæ-* Matt.5.48. *lestis perfectus est.* Et si dixeritis, quomodo possum esse perfectus, cùm alia scriptura dicat, *Si quis in verbo non offendit, ille perfectus est vir?* Iac.3.2. non cadit à perfectione, qui non peccat malitiæ cupiditate. *Septies* Prou 24.16 *enim cadit iustus & resurgit: impij autem corruunt in malum.* &, *Iustus cùm* Psal.36.24. *ceciderit non conlidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Qualitercumque verò quis peccat, cupiditatis voluntate, aut fragilitatis necessitate, nemo illi meliùs præualet indicare, quàm conscientia sua, quæ non potest latere oculos inspectoris sui. Propterea ita oportet vos viuere, iudicare, & agere, etiam in occulto, quasi sitis semper in publico. quia sæpè talis vos verbo laudabit, qui corde acriter reprehendet: sæpè etiam illa quæ vobis & in vobis laudauerit, apud alios de vobis reprehensibilia iudicabit. Sic autem, vt dicimus, adiuuante Domino viuere, iudicare, & agere præualebitis, si vos non stimulauerit amor priuatus, si non vos inflammauerit cupiditas gloriæ, diuitiarum, possessionum, & potentatus, si non plus credideritis alienæ linguæ, quàm propriæ conscientiæ, si vos non roserit tinea adulationis, si non vos vsserit liuor alienæ felicitatis, si vos non vexauerit neglectus animæ & amor carnis, si credideritis regem Christum non pro se, id est non pro sua necessitate mortuum, sed pro nobis, vt viueremus qui mortui eramus. & vos rex plus studeatis aliis viuere in salutis suæ vtilitatibus, quàm vobis ipsis in propriis voluntatibus. si scieritis vos esse morituros, & vos credideritis

de factis propriis rationem Domino reddituros, & quæ dignè receperitis, sine fine & immutatione aliqua habituros.

XII. *Quomodo domesticos regere, quid Deo, quid subditis reddere, & quales palatij ac reipublicæ ministros constituere debeat.*

DOMVM vestram domesticam sic nutrite, regite, & disponite, vt quando regni populus ad vos conuenerit, in vobis & in domesticis vestris videant, qualiter se atque domum, cum quanta humilitate atque castitate, quàm sobriè, quàm iustè, quàm piè nutrire, disponere debeant, & gubernare. quia sicut quidam sapiens dixit, Secundùm mores domini erit familia custodita. Et ideo domus regis schola dicitur, id est disciplina. quia non tantùm scholastici, id est disciplinati & bene correcti sunt sicut alij, sed potiùs ipsa schola, quæ interpretatur disciplina, id est correctio, dicitur, quæ alios habitu, incessu, verbo, & actu, atque totius bonitatis continentia corrigat. Et vos, sicut paxillus non bene infixus, nisi in Domino virtutum innixi fortiter fueritis, & vos cadetis, & qui in vobis pendent labentur. Quapropter sicut Dominus sub potestate constitutos ex tentatorum occasione docuit reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo: ita & vos qui sub Deo estis, & super homines estis, reddite quæ sunt Dei Deo, & sicut Cæsar æquus, quæ subditorum sunt subditis reddite. Reddite Deo puram & immaculatam fidem, & sincerissimum cultum in sacerdotibus, in Ecclesiarum priuilegiis, in sacris locis, in Ecclesiasticis & religiosis viris ac feminis, in defensione Ecclesiæ & Christianitatis, in æquitate & iustitia populi Christiani, in subleuatione & tranquillitate, & consolatione omnium indigentium, sicut præmisimus. Reddite illi quotidianum pensum in quotidiana oratione, in iustis & assiduis eleemosynis. offerte illi deuotionem vestram in sacris oblationibus, & lacrymis secundùm magnitudinem ac multitudinem quotidianorum peccatorum profusis. Reddite subditis iudicium cum misericordia, iustitiam cum æquitate. Studete exaltare humiles & Deum timentes, & debellare atque humiliare superbos. Studete à bonis plus diligi, quàm timeri. Curate vt mali, si non propter Deum, vel propter timorem vestrum, malum agere metuant. Non plus apud vos lingua dolosa, manus plena, obsequium indebitum valeat, quàm veritas, æquitas, & sinceritas, scientes scriptum, *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.* vnde consequenter intelligi debet, Et non alius. Munus est enim à lingua fauor, munus à manu dominatio, munus ab obsequio, indebita subiectio. Constituite ministros palatij, qui Deum cognoscant, ament, & metuant: qui maximam curam gerant, quatenus quicumque necestuosi palatium

Esa. 33. 15.

tium

latium adierint, & per quos perrexeritis, patrem & consolatorem mirantes, gaudendo vos videre accurrant, non qualem dicere nolumus gemendo & maledicendo refugiant. Constituite Comites & ministros reipublicæ, qui non diligant munera, qui odiant auaritiam, qui detestentur superbiam: qui non opprimant, neque dehonestent pagenses: qui messes & vineas, & prata, & siluas eorum nequaquam deuastent. qui eorum pecora & friskingas, vel quæque illorum sunt, non prædentur atque diripiant; & per violentiam ac mala ingenia quæ illorum sunt nullo modo auferant. Qui Episcoporum suorum consilio, quæ Dei sunt & Christianitati conueniunt faciant. Qui placita non pro adquisitione lucri teneant, sed vt casæ Dei, & viduæ, ac pupilli, & populus iustitiam habeant: & plus litigantes ad concordiam salua iustitia reuocare studeant, quàm committere vt ipsi inde aliquod lucrum possint habere. Quos si pacificare non potuerint, tunc sicut rectum est, iustum iudicium decerni cum magna sollicitudine faciant: scientes scriptum esse, *Indicabo tibi homo quid sit bonum, id est facere iudicium & iustitiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* id est, vt quod illi placet, tibi placeat & facias, quod illi displicet, tibi displiceat & non facias. Quòd si per fragilitatem feceris, non contumaciter vel pertinaciter in tuo malo facto perseueres: sed statim pedem sicut à ferro calido reuoca, & in viam voluntatis Domini tui dirige. Et sicut scriptum est, *Quia sunt viæ, quæ videntur hominibus bonæ, & ducunt ad interitum*, fac sicut scriptura tibi præcipit, quicumque es homo, *interroga de via bona & ambula per eam.* quia sicut dicitur in Euangelio, ampla via est quæ ducit ad perditionem, & multi vadunt per eam: & arcta & angusta via est quæ ducit ad vitam, & pauci inueniunt eam. Propterea quicumque es homo, audi Prophetam, & ora cum Propheta, *Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper.* &, *Deduc me in semita mandatorum tuorum, & viam iniquitatis amoue à me, & à lege tua miserere mei.* quia sicut Hieremias propheta dicit, *Non est hominis via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos: sed à Domino diriguntur gressus viri, & viam eius volet.* Ipsi Comites similiter, quantum potuerint, similes sibi timentes Deum & iustitiam diligentes per se ministros constituant, qui sicut seniores suos benignos & affabiles pagensibus suis viderint, & ipsi pro modulo suo illos imitari in omni bonitate & iustitia certent.

Mich. 6. 8. Prou. 16. 25. Hier. 6. 16. Matt. 7. 13. Psal. 118. Hier. 10. 23.

XIII. *Vt eos qui propter has seditiones excommunicati sunt, ad Ecclesiæ pacem reuocare studeat.*

HOMINES etiam & potentes sæculi, qui inter istas seditiones legis iugum & iustitiam æquitatis refugerunt, & talia ac tanta fecerunt, pro quibus Ecclesiasticam & Episcopalem excommunicatio-

nem meruerunt, ad leges & iustitiæ tramitem reuocate, & vt ad ſuos Epiſcopos humiliter, ſicut eis neceſſe eſt, veniant iubete vel cogite: & vt Eccleſiæ in quam peccauerunt, aut cum debita neceſſaria humilitate ſatisfaciant, aut humiliter & veraciter ſe excuſent, qualiter abſolui à Domino per miniſterium Epiſcopale valeant, ſuadete atque regia poteſtate præcipite. Et ſi fortè vos, vel quicumque alij de eorum ſocietatis & coniunctionis communione infecti & condemnati ſunt, pœnitentiam quiſque ſe recognoſcendo faciat: quia teſte ſacra auctoritate, non poterit abſolui à ſuis, qui peccatis damnabiliter grauatur externis, ſicut orans Dominum ſanctus propheta Dauid demonſtrat dicens, *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.*

XIV. *Iudices villarum regiarum quales conſtituendi ſint.*

IVDICES denique villarum regiarum conſtituite, qui non ſint cupidi, & non diligant auaritiam, & vſuras nec ipſi faciant, nec pecunias regias vel ſuas ad vſuras donent, neque à ſuis ſubditis vſuras fieri ſinant. Quæ omnia vos ſuper omnes miniſtros veſtros odire debetis & fugere. Et ſeruos regios iudices non opprimant, nec vltra quod ſoliti fuerunt reddere tempore patris veſtri ab eis exigant: neque per angarias in tempore incongruo illos affligant, neque per dolos, aut per mala ingenia, ſiue inconuenientes precationes, colonos condemnent. quia ſi per tales, vel alias huiuſmodi factiones, pondus argenti vel auri habueritis in arca, maius & grauius pondus erit peccati, quod habetis in conſcientia veſtra & anima. Ædificent villas veſtras moderatis caſtitiis, vt & honeſtas neceſſaria ſit, & familia non grauetur. Laborent & excolant vineas in tempore cum debita ſollicitudine: ſoluant & diſpenſent laborata cum fideli diſcretione. faciant nutrimenta congrua & neceſſaria. cuſtodiant ſiluas, vnde habeant paſtionem: defendant & excolant prata, vnde habeant pabula. quatinus non ſit vobis neceſſe per quaſcumque occaſiones quorumcumque hortatibus circuire loca Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, & Comitum, & maiores quàm ratio poſtulat paratas exquirere, & pauperes Eccleſiaſticos, & fidelium veſtrorum manſuarios, in carricaturis & parauerediſ contra debitum exigendis grauare, & peccatum de facultatibus indebitè conſumptis in animam veſtram congerere. Neque à Comitibus vel fidelibus veſtris plus ſtudeatis, quàm lex & conſuetudo fuit tempore patris veſtri, de hoc quod de Francis accipiunt exquirere. Quin potiùs habeatis vnde ſufficienter & honeſtè cum domeſtica curte veſtra poſſitis viuere, & legationes palatium veſtrum adeuntes recipere, & ſicut ſcriptum eſt, vnde poſſitis de iuſtis laboribus neceſſitatem patientibus tribuere. quia rex & largus debet eſſe, & non quod largitur de iniuſtitia vel iniquitate debet conquirere. Iu-

dices verò villarum colonos distringant, & non Ecclesiasticos homines, vel Francos pauperiores, aut alienos seruos, propter priuilegium regium opprimant, aut siluas vel quæque aliorum sunt in sua vicinitate deuastent. Quia rex iustus, qui iustitiam debet diligere, ministros aut colonos impios & iniquos non debet habere, sed omnibus in se & in suis debet imitationem debitam demonstrare. Quia si ipse Deum dilexerit, omnes boni diligent illum: & si ipse Deum timuerit, omnes mali timebunt illum. Et rex atque sui ministri per amorem Dei bonum faciant, & omnes bona facere doceant, & per timorem Dei mala fugiant, & omnes in illis mala fugere discant. Missos etiam tales per regnum constituite, qui sciant qualiter Comites, & ceteri ministri reipublicæ, iustitiam & iudicium populo faciant. qui sicut Comitibus præponuntur, ita scientia & iustitia ac veritate eis præmineant.

XV. *Ut Synodus Episcoporum regni expectetur, in qua quid facto ipsis opus sit deliberent. Quanta reuerentia regibus debeatur: & quòd Episcopi ad sacramenta adigendi non sint.*

ET quia litteris vestris significastis, quòd nobiscum de restauratione sanctæ Ecclesiæ, & statu ac salute populi Christiani tractare velletis, dominationi vestræ scripto respondere curauimus, quia & pro inclementia aëris, & pro inconuenientia temporis, & propter imminentem diem Domini nostri Natalis, venire ad præsentiam vestram nequiuimus. Operamini vos interim ista, quæ cum fidelibus vestris sine nostra corporali præsentia operari valetis: & cùm tempus congruum, & sacris canonibus designatum aduenerit, quando & pro paganorum infestatione, & pro exorti tumultus ac deprædationum atque rapinarum miserrima nimis confusione, nobis licuerit cum domnis & fratribus ac comprouincialibus Archiepiscopis & Episcopis Synodum faciente Domino celebrare, quæ his sunt residua cum eis sicuti cum magistris & patribus tractare, & vestræ dominationi debitum consilium dare studebimus. Et si Deus soliditatem & salutem Ecclesiæ atque regni in manu vestra adunare & prosperari decreuerit, quæ cum Archiepiscopis & Episcopis nostris plus congruere diuinis dispositionibus viderimus, agere sub famulatu recti regiminis vestri studebimus. Potens est enim Deus minùs bonum initium in perfectè bonum commutare processum, cui noscitur esse possibile quod impossibile solent homines iudicare. Si enim sapientia vestra dignum iudicat loqui & tractare cum vicino rege eiúsque fidelibus, secedente de ista parte regni domno nostro, fratre videlicet vestro, multo magis nos oportet expectare tempus canonicum vt cum fratribus & comprouincialibus Archiepiscopis & Episcopis

loquamur, quia generalis causa imminet totius Cisalpinæ Ecclesiæ. Maximè autem nobis necesse est loqui cum illis Archiepiscopis & Episcopis, qui consensu & voluntate populi regni istius, domnum nostrum fratrem vestrum vnxerunt in regem sacro chrismate diuina traditione: quémque sancta sedes Apostolica mater nostra litteris Apostolicis vt regem honorare studuit & confirmare. Legite libros regum, & inuenietis quanta reuerentia reprobatum & abiectum à Domino Saül ducere dignum duxit sanctus Samuël, cuius locum in Ecclesia nos licèt indigni tenemus. Et attendite quàm magni pendit sanctus Dauid, in loco illius electus & vnctus à Domino, mittere manum in Christum Domini: cùm Saül non solùm ex alia progenie, verùm ex alia tribu erat, & illum reiectum & se electum à Domino cognoscebat, & nihil firmitatis Saüli Dauid fecerat, sed plurimum adiutorium & deuotam seruitutem ei impenderat. Et neque bello auferre, neque ingenij dolo illi regnum subripere adtemptauit. Et cùm multos ad hoc suasores & auxiliarios habuisset, nulli aurem vt hoc moliretur accommodauit, quamuis multas persecutiones, & morti proximas ab eo sæpissimè sustinuerit. Insuper & bene scitis quid de illo iusserit, qui licèt mendaciter, pro illius tamen gratia acquirenda se manum misisse in Christum, id est vnctum Domini, nuntiauit. Nam si est aliquis qui hæc ignoret, nos ei dicimus, quia gladio eum interficere iussit. Sic & qui infideliter & contumaciter in vnctum qualemcumque Domini manum mittit, dominum christorum Christum contemnit, & in anima proculdubiò spiritalis gladij animaduersione perit. Hæc dicimus, non vt exaggerationes contra dominationem vestram incongruas exquiramus: sed vt euidentiùs pro qualitate nostri ministerij quid excepta debita fide & beneficentia, nobis in fratre vestro reuerendum sit, demonstremus. Talem vos nempe debemus & volumus credere, vt nec vos regni augmentum cum animæ vestræ detrimento velitis habere: neque nos cum tali dedecore ad adiutorium Ecclesiastici regiminis & gubernationis recipere, vt sine sacerdotio simus, quo priuati erimus si contra Deum & rationis auctoritatem nos Ecclesiásque nostras vobis studuerimus committere. Ecclesiæ siquidem nobis à Deo commissæ non talia sunt beneficia, & huiusmodi regis proprietas, vt pro libitu suo inconsultè illas possit dare vel tollere. Quoniam omnia quæ Ecclesiæ sunt, Deo consecrata sunt. Vnde qui Ecclesiæ aliquid fraudatur aut tollit, sacrilegium secundùm sanctam scripturam facere noscitur. Et nos Episcopi Domino consecrati, non sumus huiusmodi homines sæculares, vt in vassallatico debeamus nos cuilibet commendare, seu ad defensionem & adiutorium gubernationis in Ecclesiastico regimine nos Ecclesiásque nostras committere, aut iurationis sacramentum, quod nos Euangelica & Apostolica atque canonica auctoritas vetat, debeamus quoquō

modo facere. Manus enim chrismate sacro peruncta, quæ de pane & vino aqua mixto per orationem & crucis signum conficit corporis & Christi sanguinis sacramentum, abominabile est, quicquid ante ordinationem fecerit, vt post ordinationem Episcopatus sæculare tangat vllo modo sacramentum. Et lingua Episcopi, quæ facta est per Dei gratiam clauis cæli, nefarium est, vt sicut sæcularis quilibet, super sacra iuret in nomine Domini, & Sanctorum inuocatione. nisi fortè, quod absit, contra eum scandalum acciderit Ecclesiæ suæ: & inde sic temperanter agat, sicut Domino docente constituerunt rectores Ecclesiæ Synodali Concilio. Et si aliquando sacramenta ab Episcopis exacta aut acta fuerunt, contra Deum, & Ecclesiasticas regulas, quæ Spiritu sancto dictatæ, & Christi sunt sanguine confirmatæ, acta sanctæ scripturæ paginis declarantur, & exigentes atque facientes medicamento exinde salutaris pœnitentiæ indigent. Propterea expectate Domine patienter, sicut princeps Christianus, & Ecclesiæ filius, & honorate Ecclesiæ sanctæ rectores, vt vos honoret qui nobis dixit, *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit.* &, *honorantes me honorabo, & qui temnunt me, erunt ignobiles.* &, *qui vos tangit tangit pupillam oculi mei.* Et in Psalmo, *Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* quoniam *qui malignantur,* id est maligna agunt, *exterminabuntur: sustinentes autem Dominum ipsi hereditabunt terram*, hoc est regnum Dei. Et cùm venerit tempus & locus, sicut superiùs diximus, loquemur cum nostris confratribus, & sicut Domini iustis dispositionibus viderimus, sine dubio faciemus. Et non est rationabilis causa, quæ contra hoc quod petimus vos debeat stimulare. quia non sumus huiusmodi homines, vt cùm cognouerimus voluntatem Domini, velimus aut debeamus quoquo modo resultare, & rixas, & dissensiones, seu seditiones, quas vulgus Werras nominat, debeamus commouere, conserere, vel tenere, quos Dominus pacis prædicatores voluit ordinare. & peccata nostra, atque nobis commissorum, & etiam totius populi, constituit plangere & curare, & bellum cum vitiis, & pacem cum fratribus iussit habere. Nos siquidem pacem & quietem non rixas & bella optamus & quærimus. quia sicut dicit Apostolus, *Non sunt nobis carnalia arma, sed spiritalia, & potentia Deo*, quibus sumus calciati pedes in præparatione Euangelij pacis, induti lorica iustitiæ, & galea salutis, accincti lumbos in veritate, habentes scutum fidei & gladium Spiritus sancti. quia non est nobis conluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Et non militamus terreno regi, sed cælesti, pro salute & nostra, & terreni regis, & totius populi nobis commissi. quorum officium est nulli nocere, contra neminem infideliter agere, omnibus autem velle prodesse. Tandem, domne nobis rex, contra Deum & contra animam ve-

Luc.10.16. 1.Reg.2.30. Zach.2.8. Psal.104.15 Psal.36.9. 1.Cor.10.4

ſtram non audiatis illos qui dixerint, ſi fortè vobis dixerint, Non tibi ſit curæ, rex, quæ tibi referunt illi fellones atque ignobiles: hoc fac quod tibi dicimus, quoniam cum noſtris, & non cum iſtorum parentibus tenuerunt parentes tui regnum. Nos autem obſecramus dominationem veſtram, adtendite potiùs, ſi Chriſtianus rex eſtis, ſicut & Deo gratias eſtis, & in illum creditis, & per illum regnare
Prou.8.15. vultis, *per quem*, ſicut ſcriptum eſt, *reges regnant*, & cuius eſt regnum immo orbis terræ & plenitudo eius, quia idem Deus in carne veniens, qui ſolus rex fieri potuit & ſacerdos, & in cælum aſcendens, ſuum regnum, id eſt Eccleſiam, inter pontificalem auctoritatem & regiam poteſtatem gubernandum diſpoſuit, & non elegit ad hoc diuites & nobiles, ſed pauperes & piſcatores. & ſicut ſcri-
1.Cor.1.17. ptum eſt, *Ignobilia & contemptibilia mundi elegit, vt confundat fortia.* Et fieri poteſt, vt tales vobis iſta dicant, ſi fortè minus neceſſariò Deum timentes vobis dixerint, cum quorum parentibus diabolus,
Iob 41.25. qui ſecundum ſcripturam *eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ*, regnum Chriſti quod eſt Eccleſia conturbauerit, & nunc eos in regno ſuo, id eſt in inferno retineat, & ſecum in ſæcula retinebit. Pro certo autem ſciatis, quia cum noſtris parentibus, id eſt cum Apoſtolis Chriſtus rex regum regnum ſuum, id eſt Eccleſiam conquiſiuit, ampliauit, & rexit, & per nos, & nobiſcum, vtinam non ad iudicium noſtrum dicamus, eandem Eccleſiam, id eſt regnum ſuum quotidie adquirit, auget, atque gubernat idem Dominus Ieſus Chriſtus, ſicut dictum eſt à
Pſal.44.17. Domino Eccleſiæ per prophetam, *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij*, id eſt pro Apoſtolis creaui tibi Epiſcopos, qui te regant & doceant. Cum qua Eccleſia nobis à Deo commiſſa, rex Chriſtiane & domne, ſicut literis veſtris iuſſiſtis, ieiuniis & orationibus ac litaniis Dominum ſummum gubernatorem in naui ſanctæ Eccleſiæ fluctuante in hoc mare, id eſt in ſæculo naufragoſo, peccatis noſtris communibus dormientem pulſare & excitare, & pro vobis deprecari ſtudebimus, vt quantocius pro ſua ineffabili pietate euigilet, & imperet ventis & mari, id eſt tentationibus diabolicis, & inquietudinibus ſæcularium hominum, & redeat quantulacumque tranquillitas, gratia & miſericordia eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui eſt & ſit poteſtas, & honor, & gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

V.

DE COERCENDIS MILITVM RAPINIS, ad Carolum Caluum Regem.

Cùm in procinctu belli esset, vt Ludouici fratris impetum retunderet, anno DCCCLIX.

Nunc primùm edita ex Codice S. Remigij Remensis.

Domino glorioso salus & vita.



SCIO vos dolere de istis malis, quæ non solùm à Paganis, sed quod magis timendum & dolendum est, à Christianis in regno vestro fiunt, & quod sine comparatione plus horrendum & detestandum atque reprehendendum est, in palatio vestro, quod sacrum appellari & esse debet, & in locis vbi vos estis, & per quæ ambulatis. Non enim sine pauore cor vestrum transire potest quod Dominus per Esaiam dicit, *Rapina pauperis in domo vestra.* Esa.3.14. &, *causa viduæ non ingreditur ad eos.* Esa.1.23. &, *à planta pedis vsque ad verticem non est in eo*, Esa.1.6. id est in regno isto, *sanitas.* & item, *Adulterium & homicidium & rapinæ inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Osee 4.2. id est crimen crimini se adiunxit. Et manifestum est quia vbi talia sunt, Deus nisi ad iudicium esse non potest. Qui item per Prophetam dicit ad eos qui in medio talium erant, *Propter quod*, inquiens, *exite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & inhabitabo inter vos, & ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in filios & filias.* 2.Cor.6.16 17.18. Nihil enim est aliud quod isti faciunt, nisi præcursio exercitus Antichristi, cuius voce dictum est, *Non mouebor à generatione in generationem sine malo.* Psal.10.6. id est, tanta mala faciam in vno loco, vt antequam ad alium locum veniam, aduentum meum ibi habitantes timeant, sicut & postea sentient. Vnde timere vos scio, quod omnis propter hoc deprecatur Ecclesia, *Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua*, Ibid.12. id est, ad vindictam ne obliuiscaris pauperem populum. & Dominus qui non mentitur repromittit dicens, *Propter misericordiam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus.* Psal.11.6. id est, iam iámque in proximo vindictam exercebo. Et pro talibus & his similibus, vos contristantem sciens, simul cum peccatis meis, & cum afflictionibus populi mihi indigno commissi, gemitibus vestris compatior & gemisco. sed inuenire non possum qualiter me, nimis anxium pro vestro & meo periculo, & totius populi perditione atque afflictione, aliter valeam consolari, nisi quia viua voce non possum, vos

litteris inde commoneam, territus à pastore pastorum, qui dicit,
Ioan.10.12 *Mercenarius & qui non est pastor, videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit.* Fugit autem, quia vidit iniquitatem & tacuit: vidit raptores & rapinas, & ceteras miserias in plebe sibi commissa crassari, & ab admonitione reticuit. Propterea, Domine, quod solum ex hoc valeo facio, id est Dei misericordiam inde peto, & vos exinde commoneo, & per villas, in quibus non solùm homines caballarij, sed etiam ipsi cocciones rapinas faciunt, admonitiones presbyteris vt eas raptoribus relegant dirigo. quarum exemplar dominationi vestræ transmitto, vt secretè eum teneatis, & ad aliquem diem iubeatis venire fideles vestros, dicentes quia eis adcognitare vultis vndecumque vobis placet dicere, & antequam de paramento vestro ad mansiones redeant, commonete eos secundùm sapientiam vobis à Deo datam. Et habeatis auunculum vestrum RODVLFVM, qui Deum timet & malum odit, & vos ac regnum vestrum carum habet, de hoc commonitum, vt vos adiuuet, & alios tales fideles vestros, sicut scitis. Et cum mansuetudine intermiscendo, sicut nunc tempus se habet, rarò & non nimis duriter, comminationes si vobis videtur, non alias minas intentando, nisi quia in hoc videbitis qui Deo fidelis est, & vos carum habet, & de vobis ex regno vestro bene habere cupit, & illi mereri hoc studebitis, si vobis adiutor extiterit ad communem saluationem, vt ista mala de isto regno recedant. Et qui in talibus Dei adiutor, & vester amicus ac suus non fuerit, non poteritis habere delectamentum, vt illud bonum ei faciatis, quod faceretis si veraciter eum amicum cognouissetis. Vel isto, aut alio modo, quod meliùs scitis quàm ego vobis possim dicere, & meliùs cognoscitis fidelium vestrorum qualitates quàm ego, & ideo secundùm quod scitis vnicuique conuenire, temperate sermonem. Scimus enim, quia lenis sibilus, qui equorum ferocitatem mitigat, canum sagacitatem instigat. Et ad tales homines, quos modò non est vobis necesse tenere vobiscum, & qui ideo cum omni propè familia sua de suis mansionibus mouent, vt de alienis laboribus viuant, commendate quæ vobis sunt placita & necessaria, & redeant ad domos suas, vel cum paucis vobiscum stent, vt cum iustitia viuere possint, quia in solidiore regni vestri loco degitis, vsque dum plenitudo fidelium vbi condixeritis ad vos veniat, quando in aliquam necessitatem ire volueritis. Sed multum timeo, quia talis populus, qui sic Deum offendit & non se corrigit, nec vos nec seipsum, quando necesse fuerit, adiuuare valebit. Et mittite homines secundùm consuetudinem prædecessorum vestrorum, qui in longiùs pergant propter fodrarios, & curam de pace accipiant. & tales mittite, qui non sint de his de quibus dicit Apostolus, *Qui prædicas non furandum*
Rom. 2.21. *furaris.* Transmitto vobis, sicut dixi, exemplar admonitionis nostræ, quam per villas direxi, vt si vobis placet, post admonitionem vestram,

in conspectu vestro eam fidelibus vestris iubeatis relegere, & prædicetis illis, quia ista verba Dei sunt, & missi Dei sunt, & non ea debent in se vel in suis negligere. Et sic custodite ea quæ suggero & transmitto, vt antè nihil sciant nisi per vos: quia si scierint, potest fieri vt non eos pleniter habeatis. Vos tamen inde debetis consilium prendere, vt iubeatis alicui qui vestra vice quotidie eos admoneat, vt si tales sunt qui antea hanc admonitionem non audierint, eis quotidie quando ad paramentum vestrum venerint relegat: quatenus & ipsi inexcusabiles sint, & vos aliquam excusationem coram Deo habere possitis, si tantum facitis quantum per rationem potestis. Et nolite negligere illa Capitula, quæ Synodus de Carisiaco per Wenilonem & Erchanraum transmisit ad hunc Attiniacum præterito anno Hludouuico fratri vestro, & me transmittente Hincmarus filius meus vobis dedit, quando vobiscum in Burgundia fuit. sed relegite ea diligenter, quia mihi credite plus pro vobis quàm pro illo facta fuerunt. Credebam enim quòd Dei misericordia vos reuocare debuisset, & illa admonitio vobis necessaria & vtilis esse valeret. Ceterùm Domine, tria ad me peruenerunt, quæ reticere vobis disposui, ne inter alia inde plus vester animus moueretur. Sed recogitaui melius esse vt vobis illa significem: quoniam quæ ad vestram notitiam non perueniunt, non potestis corrigere. & quantumcumque diuinum iudicium, quia etiam in non leuibus causis de ignorantia vapulauimus, si illa ignoretis ad quem pertinet quod à subditis vestris in generali causa committitur, non potestis effugere: & sciens quæ vobis vtile est ad sciendum, si ad vestram notitiam non pertulero, periculum sine dubitatione incurro. De his tribus quæ audiui duo credere nolui, tertium satis inuitus credidi. Quorum primum est, quia per plurimorum ora vulgatur vos dicere, quoniam de istis rapinis atque deprædationibus nihil vos debeatis misculare, vnusquisque sua defendat vt potest. Quod licèt mendacium esse cognouerim, nolui vobis abscondere, vt demonstretis opere quòd falsum est quod aut maliuoli aut dolentes diffamant rumore. quia cùm regis ministerium sit, se & suos qui bene agunt in melius semper dirigere, & prauos à malis corrigere, impium est de regno sibi subiecto dona & seruitia à subiectis exigere, & eis vt quæ debentur & exiguntur habeant vnde reddere possint non prouidere, & ea quæ illi placent iubere atque disponere, & quæ Deo displicent non prohibere & amouere. Quod ideo suggerere vestræ dominationi præsumo, quia regno patris & aui vestri in multis diuiso, capitalia loca de regno vestro multa perdunt, & vobis pro regio honore qui vos condecet, necesse est vt nihil imminuatur de his quæ prædecessores vestri ex eisdem locis solebant habere, & Pagani ac falsi Christiani maximam partem de parte regni vestri absumptam vsurpant. Et si portiuncula, in qua vestri fideles vobiscum degere debent, ita ad-

nihilata perfuerit, nec vos nec illi ibidem poteritis conducere. Alterum est quia dictum est mihi, quoniam clamatores qui ad palatium vestrum veniunt, nullam consolationem, nec etiam bonum responsum ibi accipiant. quod similiter credere nolui, sciens vos corde retinere quod Dominus dicit, *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.* Et quando huiusmodi clamantes non exaudientur demonstrat Euangelium dicens, *Venient dicentes Domine Domine aperi nobis, & ille respondens dicet, Amen dico vobis nescio vos.* Nescire enim Dei quem nihil latet, reprobare est, quia ibi iam à Deo non potest mereri quod petit, qui hîc noluit audire quod iussit, & qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, frustra ante regni ianuam cum precibus venit. Tertium est, quod satis inuitus credidi, quia post percepta omnia, quæ ad victum & potum necessaria sunt, de Ecclesiis raptores aut redemptionem exigunt, aut eas infringunt. Vnde cum gemitu graui dico quid de talibus poterit esse Christianis. Paulus enim ad testimonium deducit quæ inter grauissima peccata grauiora putauit dicens, *Qui abominaris idola sacrilegium facis*, & isti cum omnibus aliis accumulant sacrilegium, & non abominantur idola, quia & idem sanctus Paulus, dicit, *Et auaritia, quæ est idolorum seruitus.* Deus omnipotens secundum eundem Apostolum det vobis & velle & perficere pro bona voluntate quod vobis & nobis ac regno vobis commisso est opus.

Prou. 21. 13. — Matt. 25. 11. — Rom. 2. 22. — Ephes. 5. 5.

VI.

DE EADEM RE AD CLERICOS PALATII, vt hominum suorum rapinas reprimant.

Ex eodem Codice sancti Remigij Remensis.

Hincmarus Remorum Episcopus fratribus nostris, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & ceteris Clericis in palatio domno nostro Regi & domnæ Reginæ, ac illorum fidelibus Ecclesiastico ministerio consulentibus.



AVDIO de hominibus vestris, quia multa mala, rapinas scilicet & deprædationes, & fornicationes, & adulteria in parochia mea faciunt, & etiam de vobis audio, quia illis rapinis consentitis, vt videlicet qui de illis viuitis, & vestros homines atque caballos exinde pascitis. Vnde timendum est, ne & de vobis dicat Dominus per prophetam, *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* Sed mihi non est necesse multum laborare admonendo in vobis, qui & ministerio & doctrina tales estis, vt non solùm vos abstinere à malo, sed etiam alios à malo diuertere & bonum facere debere admonere sciatis & debeatis. Tamen pro mini-

Esa. 24. 2.

ſterio impoſito admoneo vos cum Paulo Apoſtolo, & obteſtor in Chriſto & per Chriſtum, qui per Paulum locutus eſt, *vt exhibeatis vos ſicut Dei miniſtros, ne vituperetur miniſterium noſtrum.* Et qui ieiunia paſchalia inchoaſtis, ante oculos habete quid in Paſcha, id eſt in tranſitu ſuo ex hoc mundo ad patrem, Dominus Ieſus tradendo corpus & ſanguinem ſuum diſcipulis ſuis de reprobo diſcipulo dixit, *Ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa. væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur.* Hoc paſcha quotidie ſacerdotes immolãdo, diaconi miniſtrando, ſubdiaconi obſequendo, & ceteri clerici Amen reſpondenpo, celebratis pleno ore de rapina, pleno corde de iniquitate. An obliti eſtis quod ſcriptum eſt in Euangelio, *poſt buccellam introiuit in Iudam Satanas?* id eſt, in quem introierat priùs vt dominum traderet ſuadendo, tunc in eum introiit pleniſſimè poſſidendo. ſicut ſcriptum eſt, *Intrauit autem Satanas in Iudam qui dicitur Scarioth*, & item, *Iam enim miſerat diabolus in cor Iudæ, vt traderet Dominum.* ac deinde dictum eſt, *poſt buccellam introiuit in eum Satanas.* Quia cùm intrauit ſanctus panis in plenum de iniquitate ventrem, intrauit hoſtis antiquus, qui dicitur diabolus & Satanas, in crudelem & impiam mentem. & ad quem finem illa communicatio ei peruenit, quam ideo accepit, vt malam conſcientiam mentiretur atque celaret, ipſi melius ſcitis. Et ille enim, ſicut ipſi legitis in ſcripturis, in exemplum Iudæ filium hominis tradit, non quidem Iudæis peccatoribus, ſed tamen peccatoribus, membris videlicet ſuis, qui illud inæſtimabile Domini corpus violare præſumit. Et væ illi homini, qui ad menſam Domini malignus accedit, qui inſidiis mente conditis, qui præcordiis rapina aut aliquo ſcelere pollutis, myſteriorum Chriſti ſecretis participare non metuit. Væ, inquam, illi preſbytero, væ illi diacono, væ illi ſubdiacono, væ illi clerico, væ illi homini, de quo Ieſus, qui altaribus ſacroſanctis inter immolandum, vt pote propoſita conſecraturus munera, adeſſe non dubitatur, adſtantibus ſibi miniſtris cæleſtibus, queri cogitur quod in cœna diſcipulis de Iuda dixit, *Ecce*, inquiens, *manus tradentis me mecum eſt in menſa.* & væ illi, de quo dicit Paulus Apoſtolus, quod quaſi ſpeciali priuilegio in cœna Domini quando hæc ſunt tradita legimus, *Quicumque manducat panem hunc aut calicem Domini bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit non diiudicans corpus Domini.* Sed ſic ad menſam Domini accedat ſine reuerentia & timore de peccatis ſuis, ſicut lætus accedit, quando ſocius ſuus illum plena menſa paſcit de rapinis ſuis. Et quod idem dicit Apoſtolus, *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt*, id eſt moriuntur, *multi*, hoc monſtratur in exemplo de infirmitatibus & mortibus corporalibus aliquorum, quod fit in anima in ſpiritalibus infirmitatibus atque mortibus omnium inreuerendorum. Et qua fronte accedit ſacerdos immolare, & diaconus miniſtrare, ad ſanctum altarium, vt pro aliorum peccatis Dominum pla-

2.Cor 6.3. & 4.

Luc.22.21.

Ioan.13.27.

Luc.22.3.

Ioan.13.2.

Luc.22.21.

1.Cor.11.29

Ibid.30.

catum faciant, qui non solùm de præteritis suis peccatis illi non satisfaciunt, sed insuper quotidianis ac recentibus illum ad iracundiam prouocant? & cum quali fiducia aliquis homo talem intercessorem pro se ad Deum in altario ministrando transmittit, qui Deum quotidie non mediocriter offendit, quando si ad suum parem illum transmitteret qui ipsi intercessori iratus existeret, plus illum ad iracundiam quàm ad placationem excitaret? Hoc enim Pascha, quod tunc Dominus in nouo mysterio egit, quotidie celebratis, quotiescumque missam agitis, sicut ipse tunc omnibus Episcopis & presbyteris & ceteris fidelibus celebrantibus atque adstantibus ad hoc terribile sa-
1.Cor.11.25 cramentum in Apostolis suis dixit, *Hæc quotienscumque* inquit *feceritis, in meam memoriam facietis.* Videte quales cum Domino ad Domini passionem celebrandam acceditis, qui de talibus miseriis coinquinati estis, si tamen ita vt audiui vestris hominibus consentitis. Vnde nisi vos correxeritis, quicumque de mea diœcesi sunt, sine dubio vsque ad Synodum ab officio & communione priuabo: & qui de mea diœcesi non sunt, de mea parochia & diœcesi eos excommunicabo, & ad suos Episcopos, qui eos corrigant atque diiudicent, diuina auctoritate redire mandabo. Quod vt necesse non sit fieri, fratres & filij, & vos ac vestros corrigite, & alios admonete. quia sicut maius peccatum vos peccantes habetis quàm populus, sic maiorem gloriam apud Deum habebitis, si vos ac vestros custodieritis, & alios admonueritis, scientes quia qui conuerti facit vnum peccatorem ab errore viæ suæ, quid inde sequitur. quanto magis si vobis & vestris, de quibus rationem reddetis, ad salutem consulere studueritis? Domino etiam nostro Regi & amabiliores & venerabiliores eritis, & securiùs vos ille Ecclesiis præficere, quando locus euenerit, & nos vos audaciùs & amabiliùs, nutu Dei & ipsius Domini nostri fauore, ordinare valebimus.

VII.

DE EADEM RE, AD PRESBYTEROS diœcesis Remensis, vt excommunicationem denuntient iis qui à deprædationibus admoniti non abstinuerint.

Ex eodem codice sancti Remigij Remensis.

Hincmarus Remorum Episcopus omnibus presbyteris in parochia nostra consistentibus,



SICVT vobis sæpè dixi, sacerdotes medici sunt spiritales, & infirmi homines sunt peccatores. Et licet nos peccatores simus, tamen dignatione Dei officium sanandi peccatores suscepimus: sicut sæpè medici corpore infirmi per magisterium medicinæ infirmos solent sanare. Et quando vsitata in-

firmitas venit in aliquo, vsitatam faciunt medicinam, quando autem inusitata infirmitas nascitur infirmo, de medicinæ exprimento inusitatam medici faciunt medicinam. Propterea, fratres, vnusquisque vestrûm quotiescumque cantat Missam, vsque dum ista quam patimur miseria in parochia nostra cessauerit, quoniam tales homines sunt, qui non propter salutem, sed propter consuetudinem, ad Ecclesiam veniunt, & vsque ad Euangelium, iuxta quod ista prædicare debueratis, in Missa stare solent & recedunt, statim post Apostolum, id est post Epistolam, hanc admonitionem nostram ab initio vsque ad finem, cùm verbis Prophetæ vel Apostoli legite, quia vtinam non ad iudicium nostrum dicamus, & nos Dei Apostoli, id est Dei missi sumus. Vt quoniam ipse per corporalem præsentiam eis qui in parochia nostra tanta mala faciunt adnuntiare non possum, verbum Dei per nos ad illos transmissum, quod alligari quacumque infirmitate non potest, illis eorum salutem adnuntiet. Et orate pro illis & pro nobis omnibus, vt ipsi resipiscant à laqueis diaboli, à quo capti tenentur ad Dei voluntatem, & Deus nobis patientiam sufferendi donet, & liberet nos à malis quæ patimur propter peccata nostra, & det pacem in diebus nostris. & admonitio nostra ad illos talis est, PRECOR vos omnes in amore Dei, legationem eius portans, per Christum, qui pro vobis crucifixus est, & per Spiritum sanctum, per quem in baptismate sanctificati estis, tam qui de parochia mea estis, quàm & vos qui de aliis parochiis in parochiam istam venistis & venitis, vt abstineatis vos ab istis deprædationibus & fornicationibus, & aliis criminibus, quæ mergunt eos qui illa faciunt in infernum, & de illis quæ in mea parochia facta habetis, confessionem puram & dignam pœnitentiam faciatis. Quæ mala vobis & omnibus Christianis Paulus Apostolus enumerat dicens, *Nolite errare, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*, si vel in vno de istis peccatis quicumque homines vitam istam finierint. Et iterum idem Paulus Apostolus dicit, *Si quis frater*, id est si quis Christianus, *nominatur, & est fornicator, aut auarus aut idolis seruiens, aut ebriosus, aut maledicus, aut rapax*, cũ tali homine nec cibum debet verus Christianus accipere. Et iterum dicit, *Non solùm qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.* Quoniam sicut demonstrat sanctus Ioannes Apostolus, qui alicui consentit talia mala facere, id est si in eum emendare potest, aut illi potest vetare vt non faciat, aut si talem non potest corrigere, & ab illius se potest communione separare, & non facit, *communicat* & particeps est *operibus illius malignis.* Et ideo, fratres & filij, videte quantæ miseriæ & de paganis & de aliis malis Christianis super nos veniunt, & quotidie qui ista mala faciunt, de isto sæculo ex maiori parte ad tormenta, quæ sine fine, pro malefactis quæ in paruo tempore fecerunt

1.Cor.6.9.
1.Cor.5.11.
Rom.1.32.
2.Ioan.11.

mortui vadunt. & timentes Dei iudicium retrahite vos ab ista rapina, & à ceteris malefactis. Maximè in isto tempore, quando alia peccata, quæ per totum annum sicut fragiles homines committitis, pœnitere & satisfacere Deo inde debetis, vt communionem corporis & sanguinis Domini in sanctissimo die redemptionis nostræ, non ad iudicium, sed ad salutem accipere possitis. Quia si quis de istis peccatis plenus ad illam sanctam communionem accesserit, sine dubio suam perditionem accipiet, sicut & Iudas fecit, qui Dominum tradidit, & laqueo strangulatus quo se suspendit medius crepuit, & diffusis visceribus in infernum perrexit. Quoniam sicut ille Dominum Iudæis tradidit, ita iste corpus & sanguinem Christi accipiens peccatoribus suis membris in condemnationem tradit. Et de hoc quod ille passus est in anima simul & corpore, multos expectat Dominus ad pœnitentiam, vt non patiantur in corpore. Omnes autem malè hanc communionem accipientes patiuntur in anima, & peribunt in æternum, nisi Dei gratia fuerint liberati per pœnitentiam. De istis quæ dico potest fieri vt diabolus humanæ salutis inimicus immittat in corda vestra, cùm auditis quòd tale periculum sit hanc sanctam communionem accipere, si ab iniquitatibus vestris vos non vultis retrahere, & dicatis, Si tale periculum est nobis, sicut iste Episcopus dicit, communicare, abstinebimus nos ab illa communione, quia non retrahimus nos à mala operatione. Vnde iterum audite quibuscumque diabolus ista susurrat. Quoniam sicut Dominus dixit de bapti-
Ioan.3.5. smo quòd nullus potest fieri saluus, *nisi qui renatus fuerit ex aqua &*
Ioan.6.54. *Spiritu sancto*: ita de hac sancta communione dixit, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam*
Marc.16.16 *in vobis*. Et sicut dixit, *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit*, id est, si quod promisit in baptismate, diabolo & eius operibus abrenuntiando, & in Deum fide quæ per dilectionem est credendo, quod est vt in fide & bonis operibus permaneat, & si post baptismum peccauerit, per confessionem & dignam pœnitentiam illis qui in eum peccauerunt dimittendo, & bonis operibus insistendo, hoc quod malè fecit emendet. Ita etiam de hac sancta communione dixit,
Ioan.6.57. *Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet & ego*
Ibid.52.55. *in eo*. &, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die*. Propterea attendite omnes Christiani, quia sine ista communione nec remissionem peccatorum potestis accipere, nec de inferno liberari, nec ad regnum Dei potestis peruenire. Et qui istam communionem cum odio & corde pleno de iniquitate, sicut dixi, & cum voluntate peccandi acceperint, iudicium & condemnationem sibi accipient. Et ideo nullum consilium aliud restat ei quicumque vult saluus fieri, nisi vt ab iniquitatibus cesset, & inde pœniteat & offerat Deo confessionem de præteritis peccatis, & professionem, vt in reliquum cesset à peccatis, quantum ei Deus adiutorium dederit, & bonis

insistat operibus, & confisus de misericordia Dei, mundo corpore & pura conscientia & contrito corde accipiat communionem corporis & sanguinis Domini. Et tunc non erit ei in condemnationem, sed in remissionem omnium peccatorum, & in fortitudinem, vt possit resistere diabolo, & ad regnum Dei peruenire. Quoniam sicut qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur, ita qui dignè communicat de ista communione vnus spiritus est cum Domino & in quo Deus habitat & ipse in Deo, & in tali homine in quo Deus habitat, & qui in Deo habitat, non habebit peccatum & peccati auctor atque hortator diabolus, damnabiliter locum. & si ita perseuerauerit, post mortem in refrigerio erit, & post resurrectionem in sanctorum Angelorum consortio cum Christo sine fine regnabit. Et nolite sperare, quia tãtùm ad terrorem vestrum, & non ex veritate hoc dicam. Testis est Deus, quia sicut ex ore Dei per scripturas accepi, ita & hîc ad salutem & correctionem vestram scripsi. Et sciatis, quia nisi vos correxeritis vt ista mala dimittatis, omnes qui in ista mea parochia ista mala facitis excommunicabo, & presbyteris mandabo vt nulli communionem scienter donent, qui ista mala post istam admonitionem relectam in mea parochia fecerit, neque illi qui facienti voluntariè communicauit, aut facienti mala consensit. Et omnibus ad communionem accedentibus presbyter quiscumque denuntiet, vt qui post istam admonitionem ab his malis non cessauit ad communionem non accedat, sciens quia condemnationem accipiet. Et ex verbo Dei mandabo, vt nullus presbyter in mea parochia de alia parochia veniens illis missam cantet qui se ab istis malis non correxerint, sicut in Christi amore vos deprecor. Et nemo despiciat dicens, Quid si iste Episcopus talia commendauerit? Sciat pro certo quia qualiscumque ego sim, Deus verax & omnipotens est qui dixit nobis, *Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Matt.18.18 Et si aliquis dixerit, ad illos dies in alteram ibo parochiam, sciat quiscumque ille, non hominis sed Dei illusor & suus ipse deceptor, quia si in alteram parochiam communicare sic excommunicatus perrexerit, quoniam maius etiam iudicium coram Deo sustinebit, quia putat se illum effugere posse qui vbique est, & cuius verbo, non mea potestate secundum hominem, sed secundum diuinum ministerium, illum excommunicabo. Et non irascimini, dilecti fratres & filij, quia paterna dilectione vos moneo. Sed corrigite vos, attendentes comminationem Dei & ad me & ad vos factam. Ait enim Dominus vnicuique qui officium sacerdotale suscepit, *Si adnuntiaueris iniquo iniquitatem suam, & conuersus fuerit ille* Ezech.3.19 *iniquus ab impietate sua, ille vita viuet, & tu animam tuam liberasti. Et si non adnuntiaueris iniquo iniquitatem suam, & non fuerit conuersus ille impius ab impietate sua, ipse iniquus in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Quapropter fratres & filij attendite, quia Deus omnipotens est qui ista dixit, & ipse nos fecit, & ipse nos

redemit, & ante illius iudicium omnes adſtabimus, & ibi iudicati erimus nos ſacerdotes, & principes ac ſeniores, qui vos admonere & caſtigare debemus, & pro noſtris ac veſtris pecatis: & vos etiam iudicati eritis, non ſolùm de peccatis quæ feciſtis, & non pœnituiſtis, ſed etiam de admonitionibus & caſtigationibus quas contempſiſtis. Deus omnipotens, qui per me iſta loquitur in auribus veſtris, per ſe hæc loquatur in cordibus veſtris.



VIII.

DE VERBIS PSALMI, HERODII DOMVS dux eſt eorum, ad Ludouicum Germaniæ Regem,

Nunc primùm edita ex Codice S. Remigij Remenſis.

Domino Hludouuico regi glorioſo Hincmarus nomine non merito Remorum Epiſcopus plebis Dei famulus.



NVPER quando in Tuſiaco cum domino meo rege Karo lovnico fratre veſtro locuti eſtis, ſicut bene reminiſci valetis, quadam die, accerſito Altfrido venerando Epiſcopo, apud exiguitatem meam, ſecundùm ſapientiam vobis à Deo datam, de quibuſdam ſacræ ſcripturæ abditis & difficilioribus ſententiis quærere & ſubtiliter inueſtigare cœpiſtis, de quibus, prout Dominus dedit, & opportunitas temporis ac loci permiſit, reſpondere curaui. Sed inquiſitio veſtra eouſque proceſſit, vt & quæſitum atque diſſertum
Gen.1.31. foret, cùm iuxta veritatem ſcripturæ Geneſis omnia opera Dei
Tit.1.15. 1.Tim.4.4. bona ſint valde, quod & confirmat Apoſtolus dicens, *Omnia ſunt munda mundis, &, nihil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur,*
Leuit.11.4. cur in lege quædam immunda & non percipienda Dei populo deſcribantur. Et cùm quæſtio traditione catholicorum extitit abſoluta,
Pſal.103.18 interrogaſtis quid ſibi vellet quod in Pſalmo canitur, *Herodij domus dux eſt eorum.* Ad quæ præoccupans vocem meam, vt Saxo genere ac per hoc naturalis prudentiæ ſuatim me paratior in ſermone, Altfridus venerandus Epiſcopus dixit, quòd interpretum Septuaginta tranſlatio diceret, *Fulicæ domus eſt eorum.* Poſt quem cùm reſpondere inciperem, quia duo ſunt genera herodiorum, ſicut & duo ſunt genera pellicanorum, vnde in centeſimo primo Pſalmo ad diſcretionẽ cum additamen-
Pſal.101.7. to canitur, *Similis factus ſum pellicano ſolitudinis*, quia eſt & alterius generis, fluuialis ſcilicet pellicanus, ſuperuenit dominus meus rex Karolus vnicus frater veſter, & commonente illo perrexiſtis ad annuntiandum veſtris fidelibus, quapropter conuentus veſter extiterit: & in eundo ſeruituti meæ veſtris bonis deſideriis iniungere placuit, & promiſiſſe

ſiſſe me memini, vt quod tunc inde reſpondere debueram, ſcripto alligare, & dominationi veſtræ ſtuderem tranſmittere. Quòd quia anteà exequẽdi opportunitatem non habui, nunc breuiter quæ ex magnorum inde traditione didici, veſtræ ſapientiæ auribus intimare, & promiſſionis meæ debitum exſoluere procuraui. De hoc vnde agitur, interpretante beato Hieronymo, Hebraica veritas ita habet, *Saturabuntur ligna campi, cedri libani quas plantaſti, ibi aues nidificabunt, milui abies domus eius.* Pſal.103.16 Septuaginta autem interpretum tranſlatio, quàm tertiò, plurimis eam falſantibus, beatus emendauit Hieronymus, primò quidem Romæ, ſecundò Bethleem ad Paulam & Euſtochium ipſis petentibus, deinde ad Sunniam & Fretelam ſcribens, ſicut in eius inuenitur epiſtolis, & quam ipſe expoſuit, quáue Hieroſolymitæ & Orientis Eccleſiæ, ſed & nunc Galli vtuntur, ita dicit, *Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani quas plantauit, illic paſſeres nidificabunt, herodij domus dux eſt eorum.* Tranſlatio verò communis, quæ & vulgata, ſic habet: *Saturabuntur omnia ligna campi, & cedri Libani quas plantaſti, illic paſſeres nidificabunt, fulicæ domus dux eſt eorum.* De qua tranſlatione Beatus Hieronymus in præfata epiſtola ad Sunniam & Fretelam ita dicit, Epiſt.135.in principio. Breuiter admoneo, vt ſciatis aliam eſſe editionem, quam Origenes & Cæſarienſis Euſebius, omnéſque Græciæ tractatores κοινὴν, id eſt communem appellant atque vulgatam, & à pleriſque nunc Λουκιανὸς dicitur, aliam Septuaginta interpretum, quæ in hexaplis codicibus reperitur, & à nobis in Latinum ſermonem fideliter verſa eſt, & Hieroſolymæ atque in Orientis Eccleſiis decantatur.] Et item idem in eadem epiſtola. κοινὴ autem iſta, hoc eſt communis editio, ipſa eſt quæ & Septuaginta. Sed hoc intereſt inter vtramque, quòd κοινὴ, pro locis & temporibus, & pro voluntate ſcriptorum, vetus corrupta editio eſt: ea autem quæ habetur in hexaplis, & quam nos vertimus, ipſa eſt quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata Septuaginta interpretum tranſlatio reſeruatur. Quidquid ergo ab hac diſcrepat, nulli dubium eſt quin ita & ab Hebræorum auctoritate diſcordat.] Hanc autem communem editionem, quæ dicit *Fulicæ domus dux eſt eorum*, qua tunc temporis omnes pene vtebantur Latini, Pſal.103.17 expoſuit B. Auguſtinus, & poſt eum Proſper, deinde Caſſiodorus. De qua volucre dicit B. Auguſtinus, Concione tertia verſus finem. Fulica ſicut omnes nouimus marina auis eſt, vel in ſtagnis eſt, vel in mari eſt. habet quandam domum, non facilè in littore terræ, aut nunquam, ſed in iis quæ in media aqua ſunt, plerumque ergo in petris quas aqua circumdat.] S. quoque Proſper, Domus, inquit, fulicæ quæ marina eſt auis, non eſt in terræ foraminibus, neque in ramis arborum, ſed in petra quæ aqua ſit circumdata. petra verò intelligitur Chriſtus.] Et Caſſiodorus ex B. Auguſtini & Proſperi in expoſitione ſenſibus, Fulica manſueta auis & nigra eſt, anate quidem paruior, ſed corporis poſitione conſimilis, quæ in ſtagnis delectabiliter commoratur. Hæc ad baptizandos

bene refertur, qui in sacratissimi fontis gratia perseuerant. Horum itaque mansiones, id est baptismatis perseueratio, dux est passerum qui in cedris nidificant: scilicet quia omnium Christianorum sacer fons dux est, dum eos ad cælorum regna perducit.] In libris denique Physicorum, qui de naturis volucrum, animalium, & serpētium, & arborum, atque herbarum scripserunt, de eadem aue ita relegi. Fulica, inquiunt, dicta est quòd caro eius leporinam sapiat. Lagoos enim lepus dicitur. vnde & apud Græcos λαγωός vocatur. Est enim auis stagnensis, habens nidum in medio aquæ, vel in petris quas aquæ circumdant, maritimóque semper delectatur profundo, quæ dum tempestatem persenserit, fugiens in vado ludit.] Sed & in eisdem libris legi quæ subiungere procurabo, vnde puto, sicut & vos poteritis coniicere, quia Symmachus fulicam pro herodio transtulit. Scribunt enim iidem Physici, dicentes Diomedias aues à sociis Diomedis appellatas, quos ferunt fabulæ in easdem volucres fuisse conuersos, forma fulicæ similes, magnitudine agnorum, colore candido, duris & grandibus rostris. Sunt autem circa Apuliam, in insula Diomedia inter scopulos littorum & saxa volitantes. Iudicant inter suos & aduenas. Nam si Græcus est, propiùs accedunt & blandiuntur: si alienigena, morsu impugnant & vulnerant, lacrymosis quasi vocibus dolentes vel suam mutationem, vel regis interitum. Nam Diomedes ab Illyriis interemptus est. Hæ autem aues Latinè Diomediæ vocantur, Græci eas herodios dicunt. Hinc beatus Hieronymus in præfata epistola ad Sunniam & Fretelam dicit, Pro herodio, quod in Hebræo dicitur ASIDA, Symmachus ἰκτῖνον id est miluum interpretatus est. Denique & nos ita vertimus in Latinum, *Ibi aues nidificabunt, milui abies domus est.* quòd scilicet semper in excelsis & arduis arboribus nidos facere consueuerit. Vnde & sexta editio manifestiùs interpretata est, *Miluo cupressus ad nidificandum.* Pro abietibus autem & cupressis in Hebræo ponitur BARVSIM, quod magis abietes quàm cupressos significat.] Et quia duo sunt, sicut vobis tunc dixi, herodiorum genera, demonstrant beatus Hieronymus atque sanctus Gregorius. Vnum videlicet maius, quod nunc ex verbis Physicorum ostendi, de quo & B. Hieronymus in expositione huius versus dicit, Illic inquiens passeres nidificabunt, sapientes ædificabunt herodij, hoc est herodius domus dux est eorum. Maior est enim omnium volatilium, qui aquilam vincit & comedit. Alterum minus, de quo est in libro Iob scriptum, *Penna struthionis similis est pennis herodij & accipitris.* Vnde beatus dicit Gregorius. Quis herodium & accipitrem nesciat aues reliquas quanta volatus sui velocitate transcendant? Struthio verò pennæ eorum similitudinem habet, sed volatus eorum celeritatem non habet. A terra quippe eleuari non valet, & alas quasi ad volatum specie tenus erigit, sed tamen nunquam se à terra volando suspendit.] Et item, Accipitris quippe & herodij parua sunt corpora, sed pennis densioribus fulta, & idcirco cum celeritate trans-

[Marginal notes: "versus finē epistolæ." beside "fata epistola ad Sunniam"; "Iob 39.13. Moralium xxxi.c.v." beside "de quo est in libro Iob"; "Ibid. post pauca." beside "volando suspendit."]

uolant, quia eis parum ineſt quod adgrauat, multum quod leuat. At contra ſtruthio raris pennis induitur, & immani corpore grauatur, vt etſi volare appetat, ipſa pennarum paucitas molem tanti corporis in aëre non ſuſpendat. Hæc quoque ipſa ſtruthionis penna ad pennas herodij & accipitris ſimilitudinem coloris habet, virtutis verò ſimilitudinem non habet. Illorum namque concluſæ & firmiores ſunt, & volatu aërem premere virtute ſuæ ſoliditatis poſſunt. at contrà ſtruthionis pennæ diſſolutæ, & volatum ſumere nequeunt, quo ab ipſo quem premere debuerant aëre tranſcenduntur.]

Hinc iuxta litteram de fulica & herodiorum generibus ex magnorum ſcriptis veſtræ dominationi ſecundum iuſſionem veſtram ſcribere ſtudui. Ceterùm quia nec vos iuſſiſtis, nec indigetis, quem Dominus docet qui docet hominem ſcientiam, & à cuius facie eſt ſapientia & intellectus, iuxta typicam vel moralem intelligentiam quæ hinc catholici doctores tractauerunt, vobis latiùs ſcribere non præſumpſi, ne referretur mihi illud poëticum, *Tu ne fortè feras in ſiluam ligna viator.* Sed ne in totum præteriſſe myſticum ſenſum viderer, quædam potiùs ſignificare quàm exponere cenſui. *Saturabuntur* Pſal. 103, 17.
inquit Pſalmus, *ligna campi*, id eſt plebes populorum, gratia ſpiritali, *& cedri libani*, id eſt nobiles atque ſublimes mundi, *quas Dominus plantauit*, qui etiam de diuitibus & inluſtribus multos iuſtificauit, qui dicunt, Ipſe fecit nos & non ipſi nos, quia ſicut nos homines & illuſtres, ita nihilominus & iuſtos fecit, *Illic paſſeres nidificabunt.* ſcilicet in iſtis cedris Libani, quas gratia Dei plantat & ſatiat, nidificabunt paſſeres, hi videlicet qui elegerunt humilitatem, & relictis quæ habebant aut venditis, nihil ſibi in hoc ſæculo reſeruarunt, ſed diuitum Chriſtianorum domibus agríſque ſuſceptis neceſſariis ſolatiis adiuuantur. Qui tamen licèt in cedrorum altitudine requieſcant, non ipſis cedris ducibus vtuntur, ſed domus herodij dux eſt eorum. Herodius enim maioris generis, vt verbis Hieronymi diximus, maior eſt omnium volatilium, qui aquilam, quæ rex volatilium ſicut leo eſt beſtiarum, vincit & comedit. Sæpe enim in Scripturis per aquilam ſignificatur diabolus, & iuxta Euangelicam veritatem, fortem armatū cuſtodientem atrium ſuum, & in pace ſua poſſidentem, id eſt fortem diabolum, mundum qui in maligno poſitus eſt, vſque ad aduentum Saluatoris malè pacato potientem imperio, fortior ſuperueniens Chriſtus vicit, & vniuerſa eius arma in quibus confidebat abſtulit, & ſpolia eius quod eſt inſigne triumphantis diſtribuit, quoniam aſtutias eius deſtruxit, & hominibus deceptis ab eo ſaluatis, captiuam ducens captiuitatem dona diſtribuit, id eſt Spiritus ſancti dona, quæ Apoſtolus enumerat, pro vniuſcuiuſque captu donauit. Cuius herodij domus, id eſt rectores Eccleſiæ, dicente Paulo quæ domus ſumus nos, duces paſſerum, mundi videlicet contemptorum, ſuper egenum & pauperem intelligentium, ſumptibus ſuſtentatorum eſſe noſcuntur. Et

nec in minore herodij genere hæc intelligentia abhorret à vero, cùm dicitur, *Herodij domus dux eorum.* Quia iuxta Apostolum, Christus cùm diues esset propter nos pauper factus est, vt nos ipsius inopia ditaremur. Et propheta de illo dicit, *Vidimus eum & non erat aspectus*, & cetera, vsque dum, *nec reputauimus eum.* Qui nobis reliquit exemplum vt sequamur vestigia eius. Cuius herodij domus dux est passerum, id est mundi contemptorum. quia sæpe etiam in sæcularibus, in quorum cordibus per fidem habitat Christus, & in quorum opere ipsius lucent exempla, non solùm Ecclesiastici vel monachi, in subditis prælati, in priuatis regia potestate præcelsi, videre valent quod imitentur: verùm & vnde se reprehendant & erubescant, quia sunt interdum minores merito, qui sunt maiores nomine, & laudabiliores sanctitatis infructuoso honore. Vnde propheta dicit, *Erubesce Sidon. ait enim mare fortitudo maris dicens.* Per Sidon quippe, religionis nomine quasi quadam fortitudine muniti & decorati, per mare autem sæculares intelliguntur, qui vt verus herodius velocitate volatus & magnanimitate virtutis, quasi capiens volucres semen iuxta viam comedentes, id est dæmones verbum de corde audientium tollentes ne credentes salui fiant, coërcet & cōprimit, ne tantùm possint tentare homines, velut docet, *Discite* inquiens *à me, quia mitis sum & humilis corde*; parui sunt apud se in corde, & apud homines laude. Qui etsi cura rei familiaris ac terrena fragilitate aggrauati, quandiu in hac vita sunt sine culpæ contagio esse non possunt, tamen cùm eis inest quod deprimat, multa virtus bonæ actionis suppetit quæ illos in superna sustollat. Vnde cum maximo timore ac tremore, cúmque maxima sollicitudine continuè considerare atque timere debemus, ne nos qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi grauiùs inde iudicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior atque ad seruiendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. Sciens quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur, & iuxta scripturæ sententiam, *Potentes potenter tormenta patientur, exiguo concedetur misericordia.*

2.Cor.8.9. Esa.53.3. Esa.23.4. Matt.11.29 Sap.6.7.

Accipite ista succinctiùs dicta. Si autem iusseritis, & de hoc & de aliis scripturæ sacræ sententiis, & pro imposito ministerio, & pro debita vobis obedientia, quoniam Apostolica auctoritas obedire in Christo & subiectos regi nos esse debere commendat, sciens scriptum vobis, *Interroga sacerdotes legem meam*, & nobis, *Audiens ex ore meo sermonem, nuntiabis eis ex me*, quæ ad salutem & instructionem eruditionis vestræ proficere poterunt, libentissimè quantum ipse dederit, qui fideli seruo promittit, *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*, & verbis & litteris disserere & vobis explanare curabo.

Aggæi 2.12 Ezech.33.7. Psal.80.11.

Tempora concedat Christus felicia regni
Huius & æterni rex tibi care mihi.
Floreat æternis tecum sapientia donis,
Vt tibi permaneat laus, honor, atque salus.
Dextera te Christi semper defendat vbique.
Viue Deo felix, & sine fine vale.



IX.

AD EPISCOPOS ET PROCERES PROVINCIÆ Remensis, cùm Ludouicus iterum Caroli, fratris sui regnum illo absente impeteret anno DCCCLXXV.

Ex editione Moguntina Ioannis Busæi.

HINCMARVS EPISCOPVS AC PLEBIS DEI famulus dilectis fratribus & venerabilibus Episcopis Remorum diœceseos.

CAPVT I.

DE communi anxietate nostra, de qua exiguitatem meam dilectio vestra consuluit, proponens mihi verba sancti Bonifacij Papæ, quibus dicit ad Hilarium Narbonensem Archiepiscopum, exponens capitulum Nicæni Concilij de priuilegiis singularum prouinciarum; Aduertat, inquiens, caritas tua, adeò nos canonum præcepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet,] quæ donante Domino ex doctrina Patrum nostrorum sentio scriptis vestræ caritati respondeo. Sanctus Ambrosius in Epistola ad Theodosium Augustum inter cetera dicit. Non Ep. xxix.
est imperiale, libertatem dicendi negare: neque sacerdotale, quid sentias non dicere. Nihil enim in vobis Imperatoribus tam populare & tam amabile est, quàm libertatem etiam in his diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Siquidem hoc interest inter bonos & malos Principes, quòd boni libertatem amant, seruitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non liberè pronuntiare. Siquidem scriptum est, *Et loquebar de testimoniis tuis in* Psal. 118. 46
conspectu Regum, & non confundebar. & alibi, *Fili hominis, speculato-* Ezech. 3. 17.
rem te posui domus Israel. In eo, inquit, vt si auertatur iustus à iustitiis suis, & fecerit delictum quia non distinxisti ei, id est non dixisti quid sit cauendum, non retinebitur memoria iustitiæ eius, & san-

guinem eius de manu tua exquiram. Tu autem si dixeris iusto vt non peccet, & ipse non peccauerit, iustus vita viuet quia dixisti ei, & tu animam tuam liberabis.] Et Dominus in Euangelio. *Qui*, inquit, *me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum Angelorum.*

Luc.9.26.

II. IGITVR dicamus liberè Domini Sacerdotes, quæ dicuntur notabilia & reprehensibilia de Rege nostro, & quæ dicuntur laudabilia promissa de fratre eius domno rege Hludouuico, qui venturus asseueratur in hoc regnum fratris sui, vt quæ frater eius in eo perperam egit ipse corrigat, & quod per negligentiam frater eius admisit, ipse per diligentiam emendare procuret. Quatenus si Rex noster ea legerit quæ de illo dicuntur, si vera sunt illa corrigat, si autem vera non sunt, de cetero admittere caueat. Si autem & frater eius domnus Hludouuicus ea legerit, quæ de fratre illius dicuntur notabilia caueat, & quæ de illo laudabilia promittuntur exequi studeat. Nos autem Episcopi & regni primores, secundùm ordines nostros, in maiorum doctrina seu exemplis, quid nobis sequendum, quídve cauendum sit, conspiciamus.

III. ET prætermissis aliis vicissitudinibus altercationum de regno, inter principes nostros temporibus nostris habitis ante hos sexdecim annos, quando rex noster domnus Carolus & domnus Hludouuicus cominùs, præparatis vtrinque armatorũ cuneis & erectis vexillis, secus locum qui Breona dicitur conuenerunt, populus qui cum domno Karolo erat ex parte maxima illum reliquit, sícque eundem regem Karolum pridie Idus Nouembris inde abire coëgit. Tertio autem mense Karolo reuertente, qui cum domino Hludouuico erant, ab eo separati, & solitario penè relicto, insequente illum Carolo, de pago Laudunensi ad propria redire destitutione sua fecerunt. Nunc autem, quia domnus Karolus nos & regnum istud spontè reliquit, & in Italiam perrexit, domnus noster Hludouuicus multorum oribus accipere regnum istud hostiliter venturus asseueratur, & domnus Carolus bellatorum acies, quas vulgari sermone scaras vocamus, dispositas, & eisdem aciebus primores deputatos ad resistendum fratri suo, ne regnum illius occupare valeat, habere dicitur, qui iussione vxoris suæ, cum filio suo Hludouuico, regnum suum ab omnibus tam Christianis quàm Paganis hostibus, cum consilio & auxilio Episcoporum ac ceterorum consiliariorum suorum defendant, donec ipse adepto regno ad quod accipiendum iuit, auxiliante Domino reuertatur in pace.

IV. QVA de re nobis Episcopis satis agendum est, ne in consilio, quod à nobis reipublicæ ministri secundùm domni regis mandatum petierint, à nostro ministerio excidamus, & ne de auxilio, quantum Deus vnicuique nostrûm posse dederit, abscedamus, sequentes sententiam Domini dicentis, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæ-*

Matt.22.1.

ſari, & quæ ſunt Dei Deo. In auxilio igitur præbeamus arma diuina, ieiunia, orationes, lacrymas, implorationes ad Sanctorum ſuffragia, & auxilia diuina per nos noſtráſque parochias, vt non effundatur ſanguis Chriſtianus ſeditionali certamine inter fratres & cognatos atque propinquos, ſicut iam fuiſſe factum in Fontanido dolemus, & de omnibus hoſtibus tam Chriſtianis, quàm paganis, per Sanctorum merita & interceſſiones, det Dominus propitius pacem in diebus noſtris, vt ope miſericordiæ ſuæ adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri.

V. Si enim contra Paganos bellum immineret, conſilium daremus bellatoribus noſtris, & hortaremur eos adhortationibus, quas in litteris Eccleſiaſticis legimus. Nunc autem, quia ciuile, & pluſquam ciuile bellum inter Chriſtianos inſtare opinamur, Patrum innitentes veſtigiis, videamus quid ad hæc ſit nobis agendum. Sanctus Ambroſius in epiſtola ad ſororem ſuam hiſto- Ep. xxxiii. riam perſecutionum ſuarum narrans inter cetera dicit, Dominica, poſt lectiones atque tractatum, dimiſſis cathecumenis ſymbolum aliquibus competentibus in baptiſteriis tradebam baſilicæ. Illic nunciatum eſt mihi, comperto quòd ad Portianam baſilicam de Palatio Decanos miſiſſent vt vela ſuſpenderent, populi partem eò pergere. Ego tamen manſi in munere, Miſſam facere cœpi. Dum offero, raptum cognoui à populo Caſtulum quendam, quem presbyterum dicerent Arriani. Hunc autem in platea offenderant tranſeuntes. Amariſſimè flere, & orare in ipſa oblatione Deum cœpi vt ſubueniret, ne cuius ſanguis in cauſa Eccleſiæ fieret, certè vt meus ſanguis pro ſalute non ſolùm populi, ſed etiam pro ipſis impiis effunderetur. Quid multa? Miſſis preſbyteris & diaconibus eripui iniuriæ virum.]

VI. Paria & beatum Auguſtinum de Donatiſtis fidelium perſecutoribus ſenſiſſe legimus. Et ſanctus Gregorius in homilia Hom. 27. in Euang. Euangelij, Vna, inquit, & ſumma eſt probatio caritatis, ſi & ipſe diligitur, qui aduerſatur. Hinc eſt, quòd ipſa veritas & crucis patibulum ſuſtinet, & tamen ipſe ſuis perſecutoribus affectum dilectionis impendit dicens, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Luc. 23. 34. Quid ergo mirum ſi inimicos diligant dum viuunt, quando & tunc diligit magiſter inimicos cùm occiditur?] Sic & Stephanum Romanæ ſedis Pontificem egiſſe in geſtis eius legimus, quando ad Pippinum in Franciam venit pro S. Petri iuſtitiis ſuper Haiſtulphũ regem nefandiſſimum obtinendis. Nam cùm inclytus Rex Pippinus nec precibus, nec munerum oblationibus poſſet obtinere apud præfatum regem quiddam de ſancti Petri iuſtitiis, exercitum aduerſus eum mouit. Sed Papa ſanctus, ne ſanguis effunderetur Chriſtianorum, admonitiones & obſecrationes Apoſtolicas exhibuit, & apud domnum Pippinum obtinuit. Sed Haiſtulfus ſuperbia elatus ſuper

Francos, qui ad custodiam propriarum secundum iussionem Pippini clusarum venerant, fidens in sua ferocitate subitò aperiens clusas, super eos diluculò cum plurimis irruit exercitibus. Sed iustus iudex dominus Deus & saluator noster Iesus Christus victoriam paucissimis illis tribuit Francis, & multitudinem illam Langobardorum superantes trucidauerunt, & Haistulfus fugam arripuit, & à Pippino superatus Deo auspice fuit.

VII. EXHIBEAMVS etiam vnusquisque nostrûm pro viribus contra omnes hostes sanctæ Ecclesiæ & Principis nostri milites de Ecclesiis nostris, qui cum primoribus ad hoc deputatis dimicent, prout Dominus auxilium dederit, & cooperari dignatus fuerit, vnde sicut fuerit voluntas in cælo sic fiat. Consilium autem in huiusmodi congressione, si à nobis requisierint primores acierum, quia
Psal.32.10. scriptum est, *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum, consilium autem Domini in æternum manet*, quod salubrius illis consilium dare possimus, quàm
Luc.14.31. quod Dominus in Euangelio monstrat, inuenire nequimus. *Quis*, inquit, *rex iturus committere bellum aduersus alium regem, nonne sedens prius computat, si possit cum decem milibus occurrere ei, qui cum viginti milibus venit ad se? alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt.*

VIII. QVIA longè ante nos de his qui anxietatibus & ingentibus malis premuntur, etiam apud nationes tritum vulgi sermone prouerbium, *Inter malleum sunt & incudem*, legimus, & nos de frequentibus paganorum infestationibus & ceteris anxietatibus, quibus diutiùs premimur, verbis taceamus, & gemitibus ac suspiriis exclamemus. Inter duos Reges carne fratres, de hoc regno in quo degimus satagentibus, velut inter malleum & incudem, Episcopi sumus. Si enim, quia secessit longiùs in regnum aliud rex noster, in aduentu superuenturi regis, Ecclesias nostras quaquauersum nemine persequente, vel præiudicium, vt dicitur, inferre moliente, fugientes discesserimus, & nos ad superuenturi tutelam regis non contulerimus, præsertim, cùm superuenturus rex, vt fertur, dicat se non venire ad regnum inuadendum, sed ad destitutum restituendum & defendendum, & pacem ac iustitiam in eo procurandam, & sanctæ Ecclesiæ ac eius sacerdotibus debitum honorem ac defensionem exhibendam, & nos & oues nobis commissæ periclitari videbimur. Nos quidem, quia non pastores sed mercenarij & apud Deum & apud homines iudicabimur: oues autem nobis commissæ, quia sine pastore errabunt vel dispergentur, & facultates Ecclesiasticæ, quibus sustentari debent, velut relictæ sine custodibus, diripientur ac vastabuntur, si de fuerit virtus Principis, cuius potestate defendantur, vel custodes, qui pro ouibus & earum alimoniis Principi & defensori ac tutori Ecclesiæ suggerant.

IX.

IX. SI autem rex noster reuersus fuerit, infidelitatis nos arguet, sicut quosdam fecit, quando à Breona pergens, & nos desolatos relinquens, post aliquod tempus reuersus fuit: licèt causa nostra à causa illorum, quos tunc redarguit, satis habeatur dissimilis. Nam nos quacunque ducti cupiditate, vel turpi lucro inlecti, regem alium in regnum istud, sicut illi fecerunt, non inuitauimus, neque regem nostrum reliquimus, & alteri nos absque necessitate contulimus, sed à rege nostro relicti, & alterius potestati expositi, nos iudicio regis regum expectantes commisimus. Sed inter hæc & vndique nos circumstant angustiæ. Si enim relicti à rege nostro superuenientis regis potestati nos contulerimus, mors nobis est: si autem non egerimus, Ecclesiarum nostrarum & ouium nobis commissarum custodiæ inuigilare nequibimus, & aut nunc in manum superuenturi regis, aut si rex noster reuersus fuerit, in manus illius incidemus.

X. ET quid ad Apostoli Ioannis verba respondebimus dicentis, *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare?* qui dicit, *Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis?* ac si apertè, inquit Gregorius, dicat, in hoc constat quia & cognosco patrē & cognoscor à patre, quia animā meā pono pro ouibus meis, id est, ea caritate, qua pro ouibus morior, quantū patrem diligam ostēdo. Et idem præfatus Apostolus Ioannes dicit. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Melius est igitur nos incidere in manus hominū, si Deus ita permiserit, quàm derelinquere legē, id est, mandatum Dei, vt non deseramus oues nobis à Deo cōmissas, qui animam suā posuit pro ouibus suis. In quo ostensa est nobis via, quā sequamur, apposita forma cui imprimamur. Debemus ergo & nos, si necesse fuerit, pro fratribus nostris animas nostras ponere, & nō oues nostras deserere.

1. Ioan. 2. 6. — Ioan. 10. 15. — Hom. 14. in Euang. — 1. Ioan. 2.

XI. NVNC autem qualiter Regnum istud vndique à Paganis & falsis Christianis, scilicet Britonibus, sit circumscriptum, & vt ita dicamus, viscerali commotione de his, qui aliquandiu in eo fideles ac vtiles visi fuerant extitisse, sit perturbatum: & quæ conditio de regnis nepotum suorum inter illum & fratrem eius sit sacramento firmata, vtinam aut ignoraretur, aut inter eos ipsa conditio seruaretur, & neque discordia Ecclesiarum Præsules, & serui ac ancillæ Domini inquietarentur, & Christianus populus affligeretur, ac inter regni primores viscerale bellum insurgeret, & rapinæ ac deprædationes rerum Ecclesiasticarum, atque diuitum seu pauperum conflagrarent. At si pro his dictis, (quæ non pro infidelitate Principum nostrorum ad suggillationem eorum, sed pro periculo eorum cum dolore ac gemitu dicimus) nobis sacerdotibus vis aliqua à quocumque fuerit inlata, sicut quidam Sapiens dixit, feramus æquo animo, & vtamur foro, donec inuicta felicitas finem malis imponat.

XII. SCIMVS enim dicente Apostolo, quoniam *Omnes qui piè volunt viuere persecutionem patiuntur.* Sed *non sunt condignæ passiones hu-* 2. Tim. 3. 12. — Rom. 8. 18.

ius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et Dominus *beatos* eos dicit *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Neque enim dubitandum est, quia beatus Ioannes Baptista, vt pro Redemptoris nostri quem præcurrebat testimonio, carcerem & vincula sustinuit, pro ipso & animam posuit, cui non est dictum à persecutore vt Christum negaret, sed veritatem reticeret, & tamen pro Christo occubuit. Quia enim Christus ipse ait, *Ego sum veritas*, ideo vtique pro Christo, quia pro veritate sanguinem fudit, constanter dicens regi, *Non licet tibi habere vxorem* viuentis *fratris tui.* Et nos, si quia dicimus, quod & à plebeiis conqueri audimus, quoniam non oportuerat regem nostrum regnum istud, à paganis vndique circumdatum, & intrà commotum & non solidum, inconsultè dimittere, ac quos regendos & defendendos iudicio Dei suscepit, & qui ad hoc illi se commendauerunt, relinquere ac deserere, & quia dicimus, non debere fratrem suum regnum eius, post præstita inter eos sacramenta, quæ rex noster, quantum ex ipso est, seruare se velle dicit, inuadere, aliquod incommodum passi fuerimus, patienter inlata portemus pro Christo, quia pro veritate illa sustinebimus, imitatores pro modulo nostro eorum, qui *ibant gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Matt.5.10. Ioan.14.6. Marc.6.18. Act.5.41.

XIII. VERVM, quia, vt prædiximus, inter malleum & incudem positi sumus, & quod inter malleum & incudem ponitur, aut frangitur vel conquassatur, vel producitur & formatur, sicut in Numerorum libro legimus præcepisse Dominum Moysi, vt faceret tubas argenteas inter malleum & incudem productiles, quæ clangore suo ad solemnitates Dei populum excitarent, atque audientium animos ad bellum accenderent. Et sanctus Dauid dicit, *Psallite Domino in tubis ductilibus.* & Apostolus dicit, *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* &, *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem.* Quæramus tubas argenteas inter malleum & incudem productas, id est eloquia Domini, quod est *argentum igne examinatum, purgatum septuplum,* relucentes & virtute vigentes, quorum doctrina ad bellum necessarium & imminens discamus in perturbationis nostræ angore quid nobis agendum sit, ne inter malleum & incudem frangamur vel conquassemur, sed producamur atque formemur, vt per eorum vestigia inoffenso pede gradientes non aberremus.

Num.10.1. Psal.97.6. Rom.15.4. Heb.13.7. Psal.11.7.

XIV. SANCTVS AMBROSIVS in libello, quem obtulit Valentiniano Imperatori contra Auxentium, inter cetera ita dicit ad locum, Vtinam Imperator non denunciasses vt quò vellem pergerem. Quotidie prodibam, nemo me asseruabat. Debuisti me quò volueras destinare, quem ipse omnibus offerebam. Nunc mihi à sa-

Ep.XXXII.

cerdotibus dicitur, non multum interesse, vtrum volens relinquas an tradas altare Christi: cùm enim reliqueris, trades.] Et hinc in sermone ad populum in Ecclesia, Video vos præter solitum subitò esse turbatos atque obseruantes meî. Miror quid hoc sit, nisi fortè quia per tribunos me vidistis aut audistis imperiali mandato esse conuentum, vt quò vellem abirem hinc; & si qui vellent sequendi potestatem haberent. Metuistis ergo, ne Ecclesiam desererem, & dum saluti meæ timeo, vos relinquerem? Sed quid & ipse mandauerim potuistis aduertere, deserendæ Ecclesiæ mihi voluntatem subesse non posse, quia plus Dominum mundi, quàm sæculi huius Imperatorem timerem. Sanè si me vis aliqua abduceret ab Ecclesia, carnem meam exturbari posse, non mentem: paratum me esse, vt si ille faceret quod solet esse regiæ potestatis, ego subirem quod sacerdotis esse consueuit. Quid ergo turbamini? Volens nunquam vos deseram, coactus repugnare non noui. dolere potero, potero flere, potero gemere: aduersus arma, milites, Gothos quoque, lacrymæ meæ arma sunt. talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere. fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo, ne quis grauioris pœnæ metu factum interpretetur. Scitis & vos ipsi, quòd soleam Imperatoribus deferre, non cedere: suppliciis me libenter offerre.] *Et post aliquanta*, Petrus quoque Apostolus vtriusque rei vobis edit exemplum. Nam vbi eum Herodes quæsiuit & cepit, recepit in carcerem. Non enim recesserat Dei seruulus, sed steterat timoris ignarus. Orabat pro eo Ecclesia, sed Apostolus in carcere quiescebat, quod est indicium non timentis. Missus est Angelus qui dormientem excitaret, per quem Petrus productus è carcere mortem ad tempus euasit. Idem Petrus postea victo Simone, cùm præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos gentilium, quibus eum quærentibus Christianæ animæ deprecatæ sunt vt paulisper cederet: & quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim, vt ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbémque ingredi, ait, Domine, quò vadis? Respondit Christus, Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione susceptæ mortis exuerat. *Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo.* Intellexit ergo Petrus, quòd iterum Christus crucifigendus esset in seruulo. Itaque sponte remeauit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statímque correptus per crucem suam honorificauit Dominum Iesum. Videtis igitur, quòd in seruulis suis pati velit Christus. *& paulo pòst*, Ego ipse non quotidie vel visitandi gratia prodibam, vel pergebam ad

Orat. in Auxētium lib. 5. epist.

Actor. 12.

Rom. 6. 10.

Martyres? non regiam palatij prætexebam eundo atque redeundo? & tamen nemo me tenuit, cùm exturbandi me haberent vt prodiderunt postea voluntatem, dicentes, Exi de ciuitate, & vade quò vis. Expectabam, fateor, magnum aliquid: aut gladium pro Christi nomine, aut incendium. At illi delicias mihi pro passionibus obtulerunt: sed athleta Christi non delicias, sed passiones suas exigit. Nemo ergo vos turbet, quòd aut carrum præparauerant aut dura, vt videbatur sibi, Auxentij ipsius qui se dicit Episcopum ore iactata. Plerique narrabant percussores præmissos, pœnam mortis esse decretam. Nec illa timeo, & ista non desero. Quò enim abibo, vbi omnia plena gemitus sint atque lacrymarum?] In historia Theo-

Lib. IX. c. 20 doriti legitur, quia dum de Ecclesia Ambrosius iuberetur exire ait, Ego sponte hoc non ago, ne lupis ouium septa contradere, aut blasphemantibus Deum videar. Hîc si placet occide. hoc loco mortem prona suscipio voluntate.

XV. IGITVR nobis non solùm sequendum, sed & amplectendum est pro fide ac veritate, si contigerit, quod de se beatus dicit

Orat. in Auxent. Ambrosius loquens ad Ecclesiam suam, Volens nunquam vos deseram, coactus repugnare non noui. dolere potero, potero flere, potero gemere. aliter nec debeo, nec possum resistere. fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo.] Sic enim egerunt sancti prædecessores nostri, vt in Ecclesiasticis historiis legimus, beatus Hilarius Pictauensis, Paulinus Treuerensis, Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, Ioannes Constantinopolitanus, & multi alij, quorum dicta & exempla vsque hodie in sancta florent Ecclesia, quorum,

Heb. 13. 7. iuxta Pauli vocem, *Intuentes exitum conuersationis imitari debemus fidem atque exempla.* Et de ita expulsis à sedibus suis Episcopis pro fide & veritate, sicut præfati sancti Episcopi expulsi Imperiali crudelitate fuerunt,

Can. XXI. sacri canones Sardicenses dicunt, Vt si aliquis Episcopus vim perpessus est, & iniquè expulsus pro disciplina & catholica confessione, vel pro defensione veritatis, effugiens pericula innocens & deuotus ad aliam venerit ciuitatem, non prohibeatur immorari, quamdiu aut redire possit, aut iniuria eius remedium acceperit, etiam & larga benignitate humanitas ei est exhibenda.

Lib. I. epist. XLIII. XVI. ET hinc sanctus Gregorius ad vniuersos Episcopos per Illyricum, Fratres, inquit, coepiscopósque nostros, quos & captiuitatis diuersarúmque necessitatum angustiæ comprimunt, debetis consolandos conuictorósque vobiscum in Ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere: non quidem vt per communionem Episcopalis throni dignitas diuidatur, sed vt ab Ecclesia iuxta possibilitatem sufficientiæ debeant alimenta percipere. Sic enim & proximum in Deo, & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesiis auctoritatem tribuimus, sed tamen eos vestris contineri summopere hortamur.] Qualiter etiam, vel pro quibus cau-

ſis Epiſcopi Eccleſias ſuas ſine detrimento ordinis ac animæ ſuæ ad tempus deſerere valeant, ſanctus Auguſtinus in epiſtola ad Honoratum Epiſcopum inter cetera oſtendit, dicens. Reſtat vt nos, quorum miniſterium quantulæcumque plebi Dei vbi ſumus manenti ita neceſſarium eſt, vt ſine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino, *Eſto nobis in Deum protectorem, & in locum munitum.* Sed hoc conſilium propterea tibi non ſufficit vt ſcribis, ne contra Domini præceptum vel exemplum facere nitamur, vbi fugiendum eſſe de ciuitate in ciuitatem monet. Recolimus enim verba dicentis, *Cùm autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.* Quis autem credat ita hoc Dominum fieri voluiſſe, vt neceſſario miniſterio, ſine quo viuere nequeunt, deſerantur greges quos ſuo ſanguine comparauit? Numquid hoc fecit ipſe, quando portantibus parentibus in Ægyptum paruulus fugit, qui nondum Eccleſias congregauerat, quas ab eo deſertas fuiſſe dicamus? Numquid quando Apoſtolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per feneſtram in ſporta ſubmiſſus eſt, & effugit manus eius, deſerta eſt quæ ibi erat Eccleſia neceſſario miniſterio, & non ab aliis fratribus ibidem conſtitutis quod oportebat impletum eſt? Eis quippe volentibus hoc Apoſtolus fecerat, vt ſeipſum ſeruaret Eccleſiæ, quem propriè perſecutor ille quærebat. Fugiant omnino de ciuitate in ciuitatem, quando eorum quiſquam ſpecialiter à perſecutoribus quæritur, vt ab aliis, qui ita non requiruntur, non deſeratur Eccleſia, ſed præbeant cibaria conſeruis ſuis, quos aliter viuere non poſſe nouerunt. Cùm autem omnium, id eſt, Epiſcoporum & clericorum eſt commune periculum, ij qui aliis indigent non deſerantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes tranſeant, aut qui habent remanendi neceſſitatem, non relinquantur ab eis, per quos illorum eſt Eccleſiaſtica ſupplenda neceſſitas, vt aut pariter viuant, aut pariter ſufferant, quod eos paterfamilias volet perpeti. Quòd ſi contigerit, vt ſiue alij maius, alij minus, ſiue omnes æqualiter patiantur, qui eorum ſint qui pro aliis patiuntur apparet, illi ſcilicet, qui cùm ſe poſſent talibus malis eripere fugiendo, ne aliorum neceſſitatem deſererent manere maluerunt. Hinc maximè probatur illa caritas, quam Ioannes Apoſtolus commendat dicens, Sicut Chriſtus animam ſuam pro nobis poſuit, ſic & nos debemus animas pro fratribus ponere. Nam qui fugiunt, vel ſuis deuincti neceſſitatibus fugere non poſſunt, ſi comprehenſi patiuntur, pro ſe ipſis non pro fratribus vtique patiuntur. Qui verò propterea patiuntur, quia fratres, qui eis ad Chriſtianam ſalutem indigebant, deſerere noluerunt, ſine dubio ſuas animas pro fratribus ponunt.]

Ep. clxxx. in princip. — Pſal. 30. 3. — Matt. 10. 23. — Matt. 2. — Actor 9. — 2. Cor. 11. — 1. Ioan. 3. 15.

XVII. SIC enim fecit ſanctus Nicaſius Remorum Epiſcopus, qui tempore Wandalorum in perſecutione generali ſuam non deſeruit ciuitatem, & intra parietes Eccleſiæ martyrio meruit coronari. Sic

eodem tempore sanctus Anianus, sicut in sacris historiis legitur. Sic beatus Lupus, vt in eius hymno canitur, Dum bella cuncta perderent, orando Trecas muniit. Sic sanctus Remigius Remorum Episcopus, superuenientibus Francis paganis in Belgicam diœceseos suæ prouinciam, Ecclesiam suam non deseruit, sed orationibus, & sanctis exemplis ferocitatem gentis perdomuit, & in verbis suis monstra placauit: & non solùm prouinciam suam à gladio gentili eripuit, verùm & gentem paganam ad fidem Christi cooperante gratia conuertit, & tria milia paganorum vnà cum rege in vigilia sancti Paschæ ad gratiam baptismi perduxit, ritè obseruans quod sanctus Gregorius in Homilia Ezechielis prophetæ Danielis exponens sententiam, *Thronus eius flamma ignis, rotæ eius ignis accensus.* Hi enim, inquit, qui animarum custodes sunt, & pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minimè permittuntur: sed quia vno in loco positi diuinitatis in se præsentiam portant & ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur.] Et hinc sanctus Augustinus in præfata epistola ad Honoratum Episcopum ad locum dicit, Cur enim sibi putant indifferenter obediendum præcepto, vbi legunt de ciuitate in ciuitatem esse fugiendum; & mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non est ei cura de ouibus? *& paulo pòst.* Fugit Apostolus, cùm à persecutore propriè ipse quæreretur, aliis vtique necessitatem similem non habentibus, à quibus illic ministerium absit vt desereretur Ecclesiæ. Sic fugit sanctus Athanasius Alexandriæ Episcopus, cùm eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator.

Hom.v.in Ezech.

Epist.180.

XVIII. LEGIMVS etiam in epistolis magni Leonis Papæ, quòd cùm Eutychiana hæresis in Orientalibus partibus conflagraret, ab Imperatore idem Apostolicus Pontifex, sed & Hesperiarum partium Pontifices ad vniuersalem synodum fuerint euocati. Vnde idem sanctus Leo, vt propriè ipsius verba ponamus, inter cetera rescripsit ad Theodosium Augustum, Quamuis ad diem Concilij Episcopalis, quē pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, quum nec aliqua ex hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere ciuitatem.] Et ad Pulcheriam Augustam, Nam, inquit, illud quòd pietas Imperatoris etiam me credidit debere interesse Concilio, etiamsi secundum aliquod prçcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri, quia rerum præsentium nimis incerta conditio à tantæ Vrbis populis me abesse non fineret, & in desperationem quandam animi tumultuantium mitterentur, si per occasionem causæ Ecclesiastiçæ viderer patriam & Apostolicam sedem velle deserere. Quia igitur ad publicam vtilitatem pertinuisse cognoscitis, vt salua clementiæ vestræ venia, caritati me & precibus ciuium non negarem, &c.] Et in epistola ad Martianum Augustum. Sacerdotes prouinciarum omnium congregari præsentis tem-

Ep.xvii.

Epist.xiii.

Epist.xliv.

poris neceſſitas nulla ratione permittit, quoniam illæ prouinciæ, de quibus maximè ſunt euocandi, inquietante bello, ab Eccleſiis ſuis eos non patiuntur abſcedere. Et in Canonibus Africæ prouinciæ legimus Epiſcopos de Numidia prouincia iuſtè & rationabiliter excuſatos, quia Legatos ad vniuerſale Concilium etiam pro communibus & Eccleſiaſticis negotiis non miſerunt, quoniam tumultu tironum propriis neceſſitatibus in ciuitatibus ſuis, aut impediti, aut excuſati remanſerunt. Cap.LVII. de Epiſcopis Numid.

XIX. HINC ergo eſt colligendum, ſi cauſæ fidei & generali Eccleſiaſticarum definitionum negotio ciuium caritas, quæ atteſtante Apoſtolo maior eſt fide, præponi debet, ſicut verbis ſancti Leonis & ſacrorum canonum demonſtratur, vtrum pro quacumque alia cauſa Eccleſias & oues nobis commiſſas ſine periculo valeamus dimittere, & in alias quaſcumque partes ſecedere. Denique cùm partem Imperij contra Theodoſium & Valentinianum Maximus vſurpauit, & cogeret Epiſcopos vel contra fidem agere, vel Eccleſias ſuas deſerere, aut alio quolibet modo perſequi, ſanctus Martinus eiuſdem Maximi præſentiam & colloquium non declinauit, minimè autem Eccleſiam ſuam deſeruit. Sed cùm plures ex diuerſis partibus Epiſcopi ad Maximum ferocis ingenij virum & bellorum ciuilium victoria elatum conueniſſent, & fœda circa principem omnium adulatio notaretur, in ſolo Martino Apoſtolica auctoritas permanebat. Nam etſi pro aliquibus ſupplicandum regi fuit, imperauit potiùs quàm rogauit, & à conuiuio eius frequenter rogatus abſtinuit, dicens ſe menſæ eius participem eſſe non poſſe, qui Imperatores, vnum regno, alterum vita expuliſſet. Poſtremò, cùm Maximus ſe non ſponte ſumpſiſſe imperium affirmaret, ſed impoſitam ſibi à militibus diuino nutu regni neceſſitatem armis defendiſſe, & non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili euentu victoria fuiſſet, nullúmque ex aduerſariis niſi in acie occubuiſſe, tandem victus vel ratione vel precibus ad conuiuium venit.] 1.Cor.13.

XX. ET item in vita illius ſcriptum eſt ita, Quo tempore primùm Epiſcopus datus eſt, fuit ei neceſſitas adire comitatum. Valentinianus tum maior rerum potiebatur. Is cùm Martinum ea petere cognouiſſet, quæ præſtare nolebat, iuſſit eum palatij foribus arceri. Etenim ad animum illius immitem ac ſuperbum vxor acceſſerat Arriana, quæ totum illum à ſancto viro, ne ei debitam reuerentiam præſtaret, auerteret. Itaque Martinus, vbi ſemel atque iterum ſuperbum principem fruſtra adire tentauit, recurrit ad nota præſidia. Cilicio obuoluitur, cinere conſpergitur, cibo potúque abſtinet, orationes diebus noctibúſque perpetuat. *Et poſt aliquanta,* Nec expectatis Martini precibus, priùs omnia præſtitit quàm rogaretur. Colloquio illum atque conuiuio frequenter adſciuit. *& paulo pòſt.* Maximus Im- Seuerus dial. II. cap VI.

Cap.VII. perator Rempublicam gubernabat, vir omni vitæ merito prædicandus, si ei vel diadema non legitimè tumultuante milite impositum repudiare, vel armis ciuilibus abstinere licuisset. Sed magnum imperium nec sine periculo renui, nec sine armis potuit teneri. Hic Martinum sæpiùs euocatum receptúmque intra palatium venerabiliter honorabat. totus illi cum eo sermo, de præsentibus, de futuris, de fidelium gloria, de æternitate Sanctorum, cùm interim diebus ac noctibus de ore Martini regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo, pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla vnquam femina contigisset, istius assiduitatem, immo potiùs seruitutem, non poterat euadere. Non illa opes regni, non imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: diuelli à Martini pedibus solo strata non poterat. postremò à viro suo poposcit, deinde Martinum vterque compellunt, vt ei remotis omnibus ministris, præberet sola conuiuium. nec potuit vir beatus obstinatiùs reluctari. Componitur castus reginæ manibus apparatus: sellulam ipsa consternit, mensam admouet, aquam manibus subministrat, cibum quem ipsa coxerat apponit. & reliqua, quæ Lector in suis locis pleniùs inuenire valebit.

XXI. SANCTVS AMBROSIVS cum Imperatoribus suis Theodosio & Valentiniano agebat, & legationem ad Maximum ab Ep.XXVII. Imperatore suo Valentiniano suscepit. Quam qui voluerit scire quomodo strenuè peregerit, & qualiter Maximum redarguerit, nec tamen eius colloquium declinauerit, legat librum ipsius, quem de legatione sua executa ad eundem Valentinianum conscripsit. Verùm, sicut in vita beati Ambrosij à sancto Paulino postea Nolano Episcopo scripta legitur, egresso Theodosio de Italia, & Constantinopoli constituto, Valentiniano Augusto intra Gallias posito, Eugenius tyrannicè imperium vsurpauit, & aram Victoriæ, & sumptus cæremoniarum, quod Valentinianus augustæ memoriæ adhuc in minoribus annis constitutus petentibus denegauerat, oblitus fidei suæ concessit. Hoc vbi Ambrosius cognouit, relicta ciuitate Mediolanensi, ad quam Eugenius festinatò veniebat, ad Tusciam vsque descendit, declinans magis aspectum sacrilegi viri, quàm formidans imperantis iniuriam. Nam & epistolam ad eundem dedit, in qua conuenit conscientiam illius de sacrilegio: cuius aspectum atque colloquium non declinauit pro vsurpato imperio, sed pro admisso sacrilegio.

XXII. SIC secuti sunt beatus Martinus, atque S. Ambrosius Ephes.5.11. sententiam Apostoli Pauli dicentis, *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem & redarguite*. Hinc beatus Augusti- De verbis Domini serm.XVIII. nus, Duobus inquiens modis non te maculat malus: si ei non consentias, & si redarguas. hoc est non communicare, non consentire. communicatur quippe, quando facto eius consortium voluntatis vel approbationis adiungitur. Videte quemadmodum Apostolus

lus vtrumque complexus est, Nolite communicare, magis autem & redarguite. Quid est, nolite communicare? nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est, magis autem & redarguite? reprehendite, corripite, coërcete. Deinde in ipsa correptione, vel coercitione alienorum peccatorum cauendum est, ne se extollat, qui alterum corripit, & Apostolica illa cogitanda sententia, Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat. Foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio. Neque ergo consentientes simus malis vt approbemus, neque superbientes vt insultanter arguamus.] Hæc sunt quæ sancti prædecessores ac patroni nostri secundùm tramitem sanctarum scripturarum iuxta Episcopale ministerium egerunt, & nobis in huiusmodi anxietatibus positis agenda atque sequenda suis posteris reliquerunt. 1. Cor. 10.

XXIII. Ceterum qualiter & per quos agendum sit erga eos, qui regnum regis inuadunt, veridicæ monstrant historiæ. Ait enim Theodoretus, Cúmque audisset Maximus, quæ rursus contra Ambrosium magniloquum prædicatorem veritatis agerentur, scripsit Valentiniano, vt bellum quod agebatur contra Ecclesias soluere-tur, monens vt paternam non amitteret pietatem, adiecítque etiam minas belli, & nisi quiesceret, verba operibus adimpleret. Quamobrem sumens exercitum venit Mediolanum, vbi tunc ille degebat. Porrò Valentinianus agnoscens eius inuasionem fugit in Illyricum, experimento cognoscens quæ mala matris consilio sustineret. Porrò Theodosius audiens quæ à Iustina fuerant gesta, & à tyranno scripta, fugienti Valentiniano rescripsit, non esse mirandum, si Imperatori quidem terror, tyranno verò potestas accresceret, cùm Imperator impietati rebellis extitisset, tyrannus autem ei auxilia commodaret, & propterea ille quidem fugeret nudus, iste verò armaretur aduersus nudum.] Et Socrates, Verùm Imperator Theodosius dum tyrannum aggrederetur, cognoscentes Maximi milites præsentiam instructionis Imperialis, & signorum eius aduentum, ne famæ quidem ipsius impetum sustinere valuerunt, sed apprehendentes tyrannum vinctum ei protinus obtulerunt, qui eorum Consulatu peremptus est septimo & vicesimo die Augusti mensis.] Tripart. lib. IX. cap. XXI. Ibid. cap. XXII.

XXIV. Et in historia vitæ beati Ambrosij à sancto Paulino conscripta legitur, Profectus itaque sacerdos de Thusciæ partibus Mediolanum reuertitur, iam inde egresso Eugenio contra Theodosium Imperatorem, ibíque Christiani Imperatoris præstolabatur aduentum, securus de Dei potentia, quòd non traderet credentem in se hominibus iniustis, nec relinqueret virgam peccatorum super sortem iustorum, ne extenderent iusti ad iniquitatem manus suas. Promiserat enim Argobastes tunc Comes, & Fabianus Præfectus, Mediolano egredientes, cùm victores reuerterentur, stabulum se esse facturos in Ecclesia Mediolanensi, atque clericos sub armis pro-

turos. Sed miserandi homines, cùm dæmonibus malè creduli sunt, & aperiunt os suum in blasphemiam contra Deum, spem sibi victoriæ ademerunt. Causa autem commotionis hæc fuit, quia munera Imperatoris, qui se sacrilegio commiscuerat, ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur. Sed Dominus, qui Ecclesiam suam tueri consueuit, de cælo iaculatus est iudicium, atque omnem victoriam ad religiosum Imperatorem transtulit Theodosium.]

XXV. Si quærit denique aliquis, cur sanctus Martinus ac beatus Ambrosius Maximum, qui duos Imperatores, alterum vita, alterum regno expulit, à corpore & sanguine Domini non excommunicauerint, sed tantùm redarguerint, & beatus Ambrosius Eugenium tyrannum & sacrilegum non excommunicarit, sicut religiosum & Christianum Imperatorem Theodosium pro excessu notissimo, accipiat de catholicorum & notissimorum virorum doctrina sibi redditam rationem. Ait enim beatus Ambrosius de obitu Theodosij inter cetera, Dilexi inquiens virum, qui magis arguentem quàm adulantem probaret. Strauit omne, quo vtebatur, insigne regium, defleuit in Ecclesia publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat, gemitu & lacrymis orauit veniam. Quod priuati erubescunt, non erubuit Imperator, publicè agere pœnitentiam: neque vllus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Quid quòd præclaram adeptus victoriam, tamen quia hostes in acie strati sunt, abstinuit à consortio sacramentorum, donec Domini circa se gratiam filiorum experiretur aduentu.]

XXVI. Ex hoc manifesta ratio satisfacit quærenti, videlicet, quia pœnitentia non coacta sed voluntaria proficit pœnitenti, sicut scriptum est, *Voluntariè sacrificabo tibi.* &, *ex voluntate mea confitebor illi.* Et in Exodo legimus, quia viri cum mulieribus, quicquid in cultu, in ornamento tabernaculi necessarium erat, voluntariè obtulerunt: intérque donaria & pili caprarum dinumerantur. Per pilos enim caprarum, quibus cilicium conficitur, pœnitentia designatur, sicut in Euangelio Dominus demonstrat, dicens ciuitati reprobæ, *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* In cilicio quippe asperitas & punctio peccatorum, in cinere autem puluis ostenditur mortuorum. Et idcirco vtrumque hoc ad pœnitentiam adhiberi solet, vt in punctione cilicij cognoscamus quod per culpam fecimus, in fauilla cineris perpendamus quid per iudicium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens iusta pœna vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicij superbiendo quid fecit, videat in cinere quousque peccando peruenit.

Psal. 53. 8.
Psal. 27. 7.
Exod. 25.
Matt. 11. 21.

XXVII. Cvr autem sanctus Martinus & sanctus Ambrosius prædictos inuasores Imperij non excommunicauerint à corpore & sanguine Domini, & communem cibum cum eis sumpserint, sanctus Augustinus respondeat in libro de Pœnitentia, Nos, inquit, à communione quenquam prohibere non possumus, quamuis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo siue sæculari, siue Ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum. Quis enim sibi vtrumque audeat assumere, vt cuiquam ipse sit accusator & iudex? Cuiusmodi regulam etiam Paulus Apostolus in epistola ad Corinthios breuiter insinuasse intelligitur, cùm quibusdam talibus commemoratis criminibus Ecclesiastici iudicij formam ad omnia similia ex quibusdam daret. Ait enim, *Scripsi vobis in epistola, non commisceri fornicariis. non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut raptoribus, aut idolis seruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exisse.* Non possunt enim homines in hoc mundo viuentes nisi cum talibus viuere: nec eos possunt lucrifacere Christo, si eorum colloquium, conuictúmque vitauerint. Vnde & Dominus cum publicanis & peccatoribus comedens, *Non est opus*, inquit, *sanis medicus, sed malè habentibus. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Et ideo sequitur Apostolus, & adiungit, Nunc scripsi vobis non commisceri, si quis frater nominatur in vobis aut fornicator, aut idolis seruiens, aut auarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cùm huiusmodi nec quidem cibum simul sumere. Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? nonne de his qui intùs sunt vos iudicatis? de his autem qui foris sunt Deus iudicabit. Auferte malum à vobisipsis. Quibus verbis satis ostendit non temerè & quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione: vt si per iudicium auferri non possunt, tolerentur potiùs, ne peruersè malos quisque euitando, ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur vinciat ad gehennam. Quia & ad hoc nobis sunt in scripturis sanctis exempla proposita, vel in messe, vt paleæ sufferantur vsque ad vltimum ventilabrum, vel intra illa retia, vbi pisces boni cum malis vsque ad segregationem, quæ futura est in littore, hoc est in fine sæculi, æquo animo tolerentur.]

Homil. 50. · 1. Cor. 5. · Matt. 9. 12.

XXVIII. Et in libro de Baptismo, Ioannes dicit alienæ doctrinæ hominibus Aue non esse dicendum, Paulus autem Apostolus vehementiùs dicit, *Si quis frater nominatur inter vos, aut auarus, aut ebriosus, &c. cum huiusmodi nec quidem cibum simul sumere.* Et tamen cum collegis fœneratoribus, insidiosis, fraudatoribus, raptoribus, non priuatam mensam, sed Dei altare habebat commune Cyprianus.] Et in Tractatu Psalmi, Diligamus inimicos, corripiamus, castigemus, & excommunicemus cum dilectione, à nobis etiam separemus. Videte enim quid dicat Apostolus, *Si quis autem non obedit verbo nostro, per epistolam hunc*

Lib. VII. cap. XIV. · 2. Ioan. 1. 10. · 1. Cor. 5. 11. · In Psal. LIV. · 2. Thess. 3.

notate, & nolite commiſceri cum eo. Sed ne ſubriperet tibi ex hoc iracundia, & turbaret oculum tuum, Non, inquit, vt inimicum eum exiſtimetis, ſed corripite vt fratrem, vt erubeſcat à quo indixit ſeparationem, non præcidit dilectionem.] *Et alibi, Superbo,* inquit, *oculo & inſatiabili corde, huic non conueſcebar.* id eſt, non cum illo manducabam. Quomodo nobis proponit hæc quando ipſe non fecit? Ad imitationem ſuam nos hortatur. videmus eum conuiuatum eſſe cum ſuperbis, quomodo nos prohibet ne conuiuemur cum eis? Nos quidem, fratres, propter correptionem aliquam tenemus nos etiam à fratribus noſtris, & non cum eis conuiuamur, vt corrigantur. Cum extraneis potiùs conuiuamur, & cum paganis, quàm cum his qui nobiſcum erant, & nobis adhærent, ſi viderimus eos malè viuere, vt erubeſcant & corrigantur, ſicut dicit Apoſtolus, Si quis non obaudit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate, & nolite commiſceri cum eo, & non vt inimicum eum exiſtimetis, ſed corripite vt fratrem. Facimus hoc plerumque propter medicinam, & tamen cum extraneis multis & cum impiis ſæpe veſcimur.]

Pſal.100. 5. Auguſt. in Pſal. c. — 1.Cor.5.

XXIX. Et item in tractatu Pſalmi, Reſpice ad munera ipſius Eccleſiæ, munus ſacramentorum in baptiſmo, in Euchariſtia, in ceteris ſanctis ſacramentis, quale munus eſt? hoc munus adeptus eſt & Simon magus. Prophetia quale munus eſt? prophetauit & Saul malus rex, & tunc prophetauit cùm Dauid ſanctum perſequeretur.] Et item in ſerm. Euang. Ioannis. Talis erat Iudas, & tamen cum ſanctis diſcipulis vndecim intrabat & exibat. Ad ipſam cœnam Dominicam pariter acceſſit, conuerſari cum eis potuit, eos inquinare non potuit. De vno pane & Petrus accepit & Iudas, & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Iudas ad mortẽ. quomodo enim ille odor bonus, ſic ille cibus bonus. Sicut ergo odor bonus, ita & cibus bonus, bonos viuificat, malos mortificat. Qui enim manducauerit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, iudicium ſibi, non tibi. Si iudicium ſibi, non tibi, tolera malum bonus, vt venias ad præmium bonorum, ne mittaris in pœnam malorum.]

In Pſal. c. Conc. 11. — Serm. L. in Ioannẽ.

XXX. Et in tractatu Pſalmi, Quàm multos Iudas implet Satanas, indignè accipientes buccellas ad iudicium ſuum? qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Non malum eſt quod datur, ſed bonum malè in iudicium datur. bene eſſe non poteſt malè accipienti quod bonum eſt.] Et in ſermone de verbis Apoſtoli, Illud etiam quod ait, *Qui manducat meam carnem, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo, quomodo intellecturi ſumus?* Numquid etiam illos hîc poterimus accipere, de quibus dicit Apoſtolus quòd iudicium ſibi manducent & bibant, vt ipſam carnem manducent, & ipſum ſanguinem bibant? Nunquid & Iudas magiſtri venditor, & traditor ipſius, quamuis ipſum primum manibus eius confectum ſacramentum carnis & ſanguinis eius cum

Auguſt. in Pſal. XLVII. — 1.Cor. 11. — Serm. de ſpiritu blaſphemiæ. — Ioan. 6 57.

ceteris discipulis, sicut apertiùs Lucas Euangelista declarat, manducaret & biberet, mansit in Christo, & Christus in eo? Multi denique, qui vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt, vel cùm manducauerint & biberint apostatæ fiunt, numquid manent in Christo, aut Christus in eis? Sed profectò est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducauerit & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocumque modo quisque manducauerit carnem Christi, & biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus, sed certo quodam modo, quemadmodum vtique ipse videbat, quando ista dicebat.

XXXI. Et in epistola Concilij ad Donatistas. Quisquis in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia vnusquisque in ea proprium onus portabit, sicut Apostolus dicit, Et quicumque in ea corpus Christi manducauerit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Nam etiam hoc ipse Apostolus scripsit. Cùm autem dicit, Iudicium sibi manducat, satis ostendit, quia non alteri iudicium manducat, sed sibi, quia communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam, & personam suam, nec præiudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis.] Tom. VII. S. August. Epist. 152.

XXXII. Vervmtamen legimus in vita beati Ambrosij à beato Paulino scripta, eum à communionis consortio Maximum segregasse, & admonuisse illum, vt effusi sanguinis domini sui, & quod est grauius innocentis, ageret pœnitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cùm pœnitentiam declinat superbo spiritu, non solùm futuram, sed etiam præsentem salutem amisit, regnúmque, quod malè arripuerat, femineo quodam timore deposuit, vt procuratorem se reipublicæ nomine præfuisse confiteretur.] Et in epistola ad Eugenium scripsisse beatum Ambrosium, Quomodo, inquiens, meis vocibus, & apud Deum, & apud omnes homines teneor? Aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere, nisi consulerem mihi, quia non potui tibi.] Cuius verba decretissima atque saluberrima sequentes nos Episcopi domni nostri Karoli, si acciderit vt consulere ei non possimus, sicuti cupimus, in temporali sui regni defensione atque tuitione, & consulamus illi in debitæ fidei obseruatione, consulamus & nobis, Dei cooperatione, in debitæ fidei erga illum obseruatione, & continua mentis deuotione, atque pro eo apud Deum & sanctos eius obsecratione. consulamus & nobis, ne pro quacumque cupiditate, vel temporali emolumento, ab illius debita fide exorbitantes, quemquam in illius regnum, missis vel Episcopis vel quibuscumque internuntiis, inuitemus, nec pro Abbatiis vel honoribus temporalibus, atque rebus vel facultatibus In eadem vita.

nos venundemus, Iudæ similes effecti, qui abiens ad Iudæos dixit,
Matt.26.15. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?*

XXXIII. Est etiam, quoniam ab alio quocumque iustè & rationabiliter credi non poterimus neque debemus, si quocumque terreno lucro vel illata iniuria, salua in Deum fide, seniori nostro fidem non seruauerimus. In veteri namque populo Samuel propheta, cuius locum in Ecclesia nunc tenent Episcopi, adeò, vt sacra prodit historia, Saul regem pro peccatis suis à Domino reprobatum
1.Reg.16.1. luxit, vt dixerit ei Deus, *Vsquequo tu luges Saul, cùm ego abiecerim eum?* Et Dauid vir bellicosus, & vnus de primoribus Saul, & etiam gener eius, qui in multis non solùm regi, sed & regno profuit, & non tantùm bellis contra aduersarios Saul & regni eius egit, sed & ipsum regem vexatum à maligno spiritu blandis obsequiis delinibat, quæsitus frequentissimè à rege vt occideretur, seruans fideliter quod
Psal.65.12. de proposito rege & domino dixerat, *Imposuisti homines super capita nostra*, dominum & regem ipsum persecutorem suum vocabat, & cùm sæpè habuerit opportunitatem vt illum posset occidere, non solùm non occidit, sed & socios ab eius occisione compescuit, dicens,
1.Reg.24.11. *Absit, vt mittam manum in christum Domini, quia vnctus Domini est.* Et quia, vt signum posset ostendere, quem locum habuerit, vt valeret illum occidere, abscidit oram chlamydis eius, & in se reuersus percussit cor suum, eo quòd fœdauerat vestem domini sui.

XXXIV. Vnde beatus Gregorius in regula Pastorali dicit;
Past.3.c.5. Admonendi sunt subditi, ne cùm culpas Præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed sic, si qua valdè sunt eorum praua, apud semetipsos diiudicent, vt tamen diuino timore constricti, ferre sub eis iugum reuerentiæ non recusent. Quod meliùs ostendimus, si factum Dauid ad medium deducamus. Saul quippe persecutor cùm ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis Dauid inerat, qui iam tam longo tempore persecutionis eius mala tolerabat. Cúmque eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in christum Domini non deberet. Qui tamen occultè surrexit, & oram chlamydis eius abscidit. Quid enim per Saul nisi mali Rectores, quid per Dauid nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est prauos præpositos conceptam in corde malitiam vsque ad opera miseri odoris extendere, & cogitata apud se noxia factis exterioribus exequendo monstrare. & quasi oram chlamydis præsaliti silenter incidunt, quia videlicet, dum prælatæ dignitati saltem innoxiè & latenter derogant, quasi regis superpositi vestem secant. Nam cùm in Præpositis delinquimus, eius ordinationi qui eos nobis prætulit obuiamus.]

XXXV. Consvlamvs etiam, quantum adiuuante Domino poterimus, sociis & commilitonibus nostris, exhortantes eos, vt

fidem debitam erga eum obſeruent, & ſi qui fuerint, vt audimus, qui dicant, quòd omne regnum in manu ſua & ſuorum ſpecialium tenet, de quibus nemo per ſeruitium, vel per defenſionem & vtilitatem regni niſi per pretium obtinebit, & niſi per pretium obtenta tenebit: & nemo, ſicut nec de honoribus, ita nec de familiaritate, in eum poteſt habere fiduciam, cùm omnes quos delicioſos & familiares habuerit, exoſos dehonorauerit atque abiecerit: & qui improperant Eccleſiaſticis viris, quòd nemo ſic Eccleſias per diuerſa ingenia oppreſſerit, atque deſpoliauerit, licèt quædam de rebus pretio ſuſcepto contulerit, & regnum ſic omne vendiderit, de Domini ſiſi miſericordia pro eo talia quærentibus proponamus, quia, ſi illum Deus reuerti cum proſperitate fecerit, quod bene cœpit & egit perficiet. &, *quia non eſt homo in terra, qui faciat bonum, & non peccet,* Eccleſ.7.21 mutabitur in virum alium, & hæc erit mutatio dexteræ excelſi. Scriptum eſt enim, *Verte impios, & non erunt.* non quia non erunt in eſſentia, ſed quia non erunt in impietatis culpa, ſicut Paulus Apoſtolus de ſeipſo dicit, *Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.* Gal.2.20. Extinctus quippe fuerat ſæuus ille perſecutor, & viuere cœperat pius prædicator.

XXXVI. CONSVLAMVS etiam ei, ſi fortè quis fuerit, qui in abſentia eius regnum ipſius moliatur ſubripere, vt moneamus eum de ſacramentis inter ſe & ſeniorem noſtrum factis, quæ rex noſter ſe ſeruare velle fatetur, & proponamus ei ſententiam Domini prolatam per Ieremiam prophetam contra Sedechiam, qui iurauit Nabuchodonoſor gentili regi in nomine Domini, *Propterea,* Ezech.17.19. inquit ſcriptura, *iuramentum quod ſpreuit, & fœdus quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius.* Vnde Hieronymus, Ne putaremus, inquit, iuramentum, & fœdus, & pactum, regis eſſe Babylonij, vel Sedechiæ qui fecerat, ſequitur, *In præuaricatione qua deſpexit me.* Ergo qui contemnit iuramentum, illum deſpicit, per quem iurauit: illíque facit iniuriam, cuius nomini credidit aduerſarius. Propter quam cauſam, Expandam, inquit, ſuper eum rete meum, & comprehendetur ſagena mea, & adducam eum in Babylonem, & iudicabo eum illic. Quicquid igitur contra Sedechiam fecit Nabuchodonoſor, non ſuis fecit viribus, ſed ira Dei, in cuius nomine fuerat peieratum.] Legimus enim Sedechiam captum ductum eſſe in Reblatha, 4 Reg.25. ibíque interfectis filiis excæcatum, & inſtar feræ clauſum cauea tranſlatum in Babylonem. & de grauiſſima periurij vindicta manifeſtum eſt grauiſſimum peccatum eſſe periurium, ſicut & ſanctus Ep xxcix. in fine. Auguſtinus in libro ad conſulta Hilarij monſtrat.

XXXVII. SI autem & contra Præpoſitum ſuum agentibus conſulere non potuerimus, ſecundùm verba B. Ambroſij conſulamus nobis, ne faciamus quacumque cupiditate, vel adulatione, vel deceptione, vel communicatione, vnde vituperetur miniſterium no-

ſtrum, & perdamus nomen bonum, quod Apoſtolica regula habe-
1.Tim.3.7. re iubet Epiſcopum, etiam ab his qui foris ſunt. Videlicet, ſi ſuperuenerit Rex alius in regnum Senioris noſtri, & non fuerit militaris manus quæ ei reſiſtat, ſequamur nos Epiſcopi, & in ordinatione ordinis noſtri, & in conſeruatione fidei erga ſeniorem noſtrum, patrum veſtigia, & in receptione, & in ceteris, munus placationis erga ſuperuenturum Regem, videlicet in receptione. Legimus enim ſanctum Baſilium cum Clero ſuo ſuperuenientem etiam Iulianum apoſtatam honorabiliter recepiſſe, & non ob id ab orthodoxæ fidei regula deuiaſſe, ſed quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & Deo quæ Dei ſunt reddidiſſe. Sed & de Miſſarum ſollemniis ac ſacra altaris communione, verùm & de communis menſæ, atque altaris ſacramentorúmque participatione ſatis ſufficienter ſupra de Patrum dictis oſtendimus.

XXXVIII. De militia quoque ac vectigalibus, quæ iuxta morem antiquum & ſolitum, ſecundum quantitatem ac qualitatem Eccleſiarum nobis commiſſarum, ſolet exigere, beati Ambroſij verbis vti, & acta ſequi debere putamus, quibus dicit in ſermone,
Orat. in Auxentium de Baſilicis. quem de perſecutione ſua ad populum orſus eſt, dicens, Videte quanto peiores Arriani ſunt quàm Iudæi. Illi quærebant, vtrum ſoluendum putaret Cæſari ius tributi, iſti Imperatori volunt dare ius Eccleſiæ. Sed vt perfidi ſuum ſequuntur auctorem, ita & nos quæ nos Dominus & auctor noſter docuit reſpondeamus. Conſiderans enim Ieſus dolum Iudæorum dixit ad eos, Quid me tentatis? oſtendite mihi denarium. Et cùm dediſſent, dixit, Cuius imaginem habet & inſcriptionem? Reſpondentes dixerunt, Cæſaris. Et ait illis
Matt.22.21 Ieſus, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Ergo & ego dico illis, qui mihi obiciunt, Oſtendite mihi denarium. Ieſus Cæſaris denarium vidit, & ait, Reddite Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & quæ Dei ſunt Deo. Numquid de Eccleſiæ baſilicis occupandis poſſunt denarium offerre Cæſaris? Sed in Eccleſia vnam imaginem noui, hoc eſt,
Gen.1.26. imaginem Dei inuiſibilis, de qua dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* Illam imaginem, de qua ſcriptum
Hebr.1.3. eſt, Quia Chriſtus ſplendor gloriæ, & imago ſubſtantiæ eius. In iſta
Ioan.14.9. imagine Patrem cerno, ſicut dixit ipſe Dominus Ieſus, *Qui me vidit, vidit & patrem.* Non enim hæc imago à patre eſt ſeparata, quæ vnitatem me docuit Trinitatis, dicens, *Ego & pater vnum ſumus.* Et infrà,
Ioan.10.30. *Omnia quæcumque habet pater, mea ſunt.* Et de Spiritu ſancto dicens, quia Spiritus Chriſti ſit, & de Chriſto accepit, ſicut ſcriptum eſt,
Ioan.16.14. *Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quid igitur? non humiliter reſponſum à nobis eſt? Si tributum petit, non negamus. agri Eccleſiæ ſoluunt tributum. Et ſanctus Auguſtinus in libro de Catechizan-
Cap.xxi. dis rudibus, Dicit & Apoſtolica, inquit, doctrina, vt omnis anima
Rom.13.1. ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, & vt reddantur omnibus omnia,

nia, cui vectigal vectigal, & cetera, quæ ſaluo Dei noſtri cultu conſtitutionis humanæ Principibus reddimus, quando & ipſe Dominus, vt nobis huius ſanæ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis quo erat indutus, tributum ſoluere non dedignatus eſt. Iubentur autem etiam ſerui Chriſtiani, & boni fideles, dominis ſuis temporalibus æquanimiter fideliterque ſeruire: quos iudicaturi ſunt, ſi vſque in finem inimicos inuenerint, aut cum quibus æqualiter regnaturi ſunt, ſi & illi ad verum Dominum conuerſi fuerint. Omnibus tamen præcipitur ſeruire humanis poteſtatibus atque terrenis, quouſque poſt tempus præfinitum, quod ſignificant ſeptuaginta anni, ab iſtius ſæculi confuſione, tanquam de captiuitate Babyloniæ, ſicut Hieruſalem liberetur Eccleſia.] Et ſanctus Ambroſius in ſermone ad populum, Allegatur, inquit, Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa. Reſpondeo, noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina ſunt imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, ſed ſi vis diutiùs imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt, *Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari.* Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſia. Publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum.]

Matt.17.26 Epheſ.6.5 Ep.XIII. ad Marcellin. Matt.22.21

XXXIX. Et ſanctus Gelaſius in epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem, Duo ſunt, inquit, Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas: in quibus tanto grauius pondus eſt ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in diuino reddituri ſunt examine rationem. Noſti enim, fili clementiſſime, quòd licèt præſideas humano generi dignitate, rerum tamen Præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis: ínque ſumendis cæleſtibus ſacramentis, eíſque vt competit diſponendis, ſubdi te debere cognoſcis religionis ordine potiùs, quàm præeſſe. Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.] Et ſanctus Ambroſius in ſermone ad populum de perſecutione ſua, Conuenior ipſe à Comitibus & Tribunis, vt baſilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem iure ſuo vti, eo quòd in poteſtate eius eſſent omnia. Reſpondi, ſi me peteret quod meum eſſet, id eſt fundum meum, argentum meum, ius huiuſmodi meum non refragaturum, quanquam omnia quæ mea ſunt eſſent pauperum: verùm ea quæ diuina, Imperatoriæ poteſtati non eſſe ſubiecta.] Et in alio ſermone, Me, ſi de meis aliquid poſceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris eſſet libenter offerre: templo Dei nihil poſſe decerpere, nec tradere illud, quod cuſtodiendum non tradendum acceperim. Deinde conſulere me etiam Imperatoris ſaluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi ſacerdotis, ſi vult ſibi eſſe conſultum, recedat à Chriſti iniuria. Hæc plena humilitatis ſunt,

Epiſt.10. Epiſt. XIII. Orat. in Auxent.

& vt arbitror, plena affectus eius, quem Imperatori debet Sacerdos.]

XL. In his beati Ambrosij sententiis attendenda est discretio canonica de facultatibus, tam Episcopi, quàm Ecclesiæ. Aiunt enim sacri canones, vt quæ sunt Ecclesiæ, sub omni sollicitudine, & conscientia bona, & fide quæ in Deum est, qui cuncta considerat iudicátque, seruentur: quæ etiam dispensanda sunt iudicio & potestate Pontificis, cui commissus est populus, & animæ quæ intra Ecclesiam congregantur. Manifesta verò sunt quæ pertinere videntur Ecclesiæ, cum notitia Presbyterorum & Diaconorum, qui circa ipsum Episcopum sunt, ita vt cognoscant, nec ignorent, quæ sint Ecclesiæ propria, nec eos aliquid lateat. vt si contigerit Episcopum migrare de sæculo, certis existentibus rebus quæ sunt Ecclesiæ, nec ipsæ collapsæ depereant, nec quæ propria probantur Episcopi sub occasione rerum peruadantur Ecclesiæ. Iustum namque & acceptum est coram Deo & hominibus, vt sua Episcopus quibus voluerit derelinquat, & quæ Ecclesiæ sunt eidem conseruentur Ecclesiæ, vt nec Ecclesia aliquod patiatur incommodum, nec Episcopus sub occasione proscribatur Ecclesiæ.

XLI. Et sicut Episcopus & suas & Ecclesiasticas facultates sub debita discretione in vita sua dispensandi habet potestatem, ita facultates Ecclesiæ viduatæ post mortem Episcopi penes Oeconomum integræ conseruari iubentur futuro successori eius Episcopo, quoniam res & facultates Ecclesiasticæ, non in Imperatorum atque regum potestate sunt ad dispensandum, vel inuadendum, siue diripiendum, sed ad defensandum atque tuendum. Sunt enim sanctuaria, & hereditas Domini, sicut & in veteris & noui testamenti sanctarum Scripturarum paginis legimus. Sunt vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum. Et non solùm in vectigalibus stipendiariis militiæ & Ecclesiis debitis Regibus deseruire iubemur, verùm & in orationibus, sicut sanctus Augustinus in libro de ciuitate Dei ostendit. Quandiu, inquiens, permixtæ sunt ambæ ciuitates, (scilicet Hierusalem, hoc est Ecclesia, & Babylon, quæ est mundana potestas) vtimur & nos pace Babylonis: ex qua ita per fidem Dei populus liberatur, vt apud hanc interim peregrinetur. Propter quod & Apostolus admonuit Ecclesiam, vt oraret pro Regibus eius atque sublimibus, addens & dicens, vt quietam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & castitate. Et propheta Hieremias cùm populo veteri Dei venturam prænunciaret captiuitatem, & diuinitùs imperaret, vt obedienter in Babyloniam irent Deo suo etiam ista patientia seruientes, monuit & ipse, vt oraretur pro illa, dicens quia *in pace eius erit pax vestra*, vtique interim temporalis, quæ bonis malisque communis est. Pax autem nostra propria & hîc est cum Deo per fidem, & in æternum erit cum illo per speciem.] Pro quibus Apostolus Paulus iubet orari, etiam cùm persequerentur Ecclesiam. Sic

Lib. xix. c. 26 & 27.

Ierem. 29. 7

enim dicit, Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Itaque per ipſos data pax eſt Eccleſiæ, quamuis iſta non eſſe facienda æſtimaret humanæ cogitationis infirmitas pro his à quibus perſecutionem patiebatur Eccleſia, cùm membra Chriſti ex omni eſſent hominum genere colligenda. Vnde adiungit, & dicit, *Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1.Tim. 1.3

XLII. Si denique rex noſter fuerit annuente Deo reuerſus, recipiamus eum cum gaudio, & de ſibi ac Eccleſiæ atque regno neceſſariis in poſtmodum procurare Epiſcopaliter illum commoneamus, & proſperitati ſuæ congaudeamus. Si verò, quod non optamus, aliter iudicio Dei contigerit, deuotionem ac fidem debitam erga illum ſinceriter cuſtodientes, ſicut ſcriptum eſt, dicamus corde, dicamus & ore Domino, *Exultauerunt filiæ Iudæ*, id eſt confeſſionis humillimæ, *in omnibus iudiciis tuis Domine.* Ibid.3.



X.

AD LVDOVICVM BALBVM REGEM.

Noui regis inſtructio ad rectam regni adminiſtrationem.

Ex editione Moguntina Ioannis Buſæi.

DOMINO HLVDOVVICO REGI GLORIOSO *ſit ſemper ſalus & vita.*

CAPVT I.

DOMINATIO veſtra mihi mandauit, vt ad vos feſtinarem venire, quia mecum de veſtris, & ſanctæ Eccleſiæ, ac regni vtilitatibus tractare velletis: vnde vobis humili ac certa reſponſione ſatisfactionem exhibeo. Sanctus Apoſtolus dicit, Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Legimus in antiquis hiſtoriis, quia ſæpe, quando reges conſtituti ſunt, inter regni primores diſcordia orta eſt, quoniam aliqui ſine aliorum conſilio eius conſtitutionem vindicare ſibi voluerunt. Quæ diſcordia non ſine impedimento fuit pacificata. Legimus quia boni reges conſtituti bonos ſibi conſiliarios adhibuerunt, & per bonos reges & bonos conſiliarios regnorum populi multa bona habuerunt, & per malos reges & malos conſiliarios regnorum populi multa mala ſuſtinuerunt. Rom.15.4.

II. Vt de recentioribus historiis vobis proponam exempla, Quando Pippinus abauus vester ægrotauit, in infirmitate de qua & mortuus est, apud monasterium sancti Dionysij regni sui primores conuocauit, & eorum consilio dispofuit, qualiter post eum filij sui Carlomannus & Carolus, qui cum eo erant, regnum eius pacificè gubernarent. Mortuo autem illo, & cum magna deuotione sepulto, Carlomannus ad Suessiones, & Carolus ad Nouiomum venerunt, & decimoquinto die post illius obitum consilio & auxilio regni primorum in reges leuati sunt, & vnusquisque de regni primoribus sine vlla contentione ad regem suum conuenit. Post tres circiter annos mortuo Carlomanno in Salmontiaco, venit Carolus ad Corbennacum, & regni primores, qui cum Carlomanno fuerunt, illuc ad eum conuenerunt, exceptis paucis, de quibus non est modò necessarium dicere.

III. Mortvo autem Carolo Imperatore, & sepulto in Aquis palatio, regni primores, qui cum eo erant, miserunt ad Hludouuicum auum vestrum, qui erat in Teutuado: qui trigesimo die post mortem patris sui venit Aquis, & cum regni primorum consilio pacificè regnum dispofuit, donec causa emergente, quam non oportet nunc dicere, inter illum & filios eius est orta discordia, pro qua magna pars de regni primoribus cum Hlothario perrexit in Langobardiam.

IV. Mortvo Hludouuico Imperatore auo vestro, quidam de istius regni primoribus euocauerunt Hlotharium, & primores qui cum illo erant, de Longobardia in istud regnum. Et quidam de regni primoribus fuerunt cum Carolo patre vestro, & quidam cum Hludouuico patruo vestro. Interea cœperunt regni primores, qui cum tribus fratribus erant, singillatim certare de honoribus, quique illorum, vnde maiores & plures possent obtinere: & parui pendentes sacramenta de diuisione regni facta, & plus certantes de illorum cupiditate, quàm de seniorum suorum & de sua salute, & de sanctæ Ecclesiæ ac populi pace, qui cum Hlothario erant, immiserunt illum in hoc, vt fratres suos exheredaret, & regni primores qui cum illis erant adnullaret, quoniam ipse primogenitus & in nomine Imperatoris erat. Illi autem qui erant cum Carolo & Hludouuico, dicebant, quia seniores illorum Hlotharij fratres erant, & per sacramenta regnum inter eos diuisum fuerat, & illi nec genere, nec potestate inferiores erant, quàm illi qui cum Hlothario erant, & ideò non se contra illos concrederent. Vnde mala multa & maxima increuerunt in terra, vsque dum inter carne propinquos & Christianos tantum malum & tam grande periculum in Fontanido deuenit, quantum inter Christianos non accidit ex eo tempore, quo primùm Carolus cum Raganfredo in Vinciaco pugnauit. Sed non pro illa occisione, quæ facta fuit

in Fontanido, pax in regno prouenit. ſed tamdiu illa miſeria inter Chriſtianum populum & carne propinquos manſit, donec, vellent nollent, & ſeniores & regni primores in tres partes regnum diuiſerunt, & per ſacramenta ipſam diuiſionem ſtabilem eſſe debere confirmauerunt.

V. MORTVO Hlothario, filij eius regnum illius inter ſe diuiſerunt. Vnde adhuc illis viuentibus facta eſt firmitas per ſacramentum inter patrem veſtrum & patruum veſtrum Hludouuicum. Mortuo autem Hlothario filio Hlotharij, poſt multas controuerſias facta eſt diuiſio inter patrem veſtrum, & patruum veſtrum Hludouuicum, de parte regni Hlotharij. Mortuo autem Hludouuico fratre Hlotharij in Langobardia, requiſita eſt patri veſtro à fratre ſuo & à filiis eius pars de regno illius. vnde adhuc viuente Hludouuico, ſed & anno præterito, tales deuenerunt miſeriæ, ſicut vobis ſunt notæ, & hoc anno talis prouenit lugenda infelicitas, quæ per vniuerſum penè mundum, & per futura tempora meritò erit in opprobrium.

VI. PROPTEREA videtur exiguitati meæ, veſtrum eſſe conſilium, vt de antiquis hiſtoriis quantum poteſtis attendatis, ne in exordio regni veſtri inter primores regni de veſtro regimine oriatur diſcordia, quæ non ſine impedimento poſſit eſſe ſedata: & regni primores, qui vobiſcum ſunt, ſic ſeipſos & ſuas voluntates contemperent, ne alios iſtius regni primores ad ſcandalum per ſuam cupiditatem aut negligentiam prouocent. Præſertim cùm non habeatis fratrem, ad quem populus debeat ſe diuidere, ſicut nec diuiſus eſt Carolo Imperatore mortuo, ſed ſe vniuit cum Hludouuico illius vnico filio. Nam ſi illi boni Barones poſt mortem Pippini, cum duobus fratribus ſic ſano conſilio egerunt, vt pax inter fratres reges & inter regni primores ac populum eſſet, multo faciliùs, niſi ſe inuidia & cupiditas intermiſerint, vobiſcum Deo adiuuante ſe ad Dei voluntatem, & ſuam ſalutem venire valebunt, attendentes quanta miſeria accidit de diſcordia, quæ facta eſt inter tres fratres poſt mortem Hludouuici Imperatoris.

VII. VOS ſcitis, quia pater veſter priùs Remis de conſtitutione veſtra poſt illum in regimine regni cum primoribus regni ſui diſpoſuit: vbi, quantum recordor, maximè omnes regni primores fuerunt, excepto venerabili Abbate Hugone, & Bernardo Comite Aruernenſe: & omnes ſecundum diſpoſitionem patris veſtri in veſtra regia conſtitutione conſenſerunt. Et quando proximè in Cariſiaco inde diſpoſuit, & nomina vobis deſcripta dedit, quorum conſilio & auxilio regni negotia diſponere deberetis, (inter quos & Boſo adſcriptus eſt) omnes præſentes adfuerunt, excepto ipſo Boſone, & Hugone Abbate, & Bernardo Comite Aruernico: & omnes qui adfuerunt in regia veſtra conſtitutione conſenſerunt, ſed & illi qui cum patre veſtro perrexerunt. Propterea ſub celeri-

tate mittite ad Hugonem & Gozlenum Abbates, & ad Bosonem, & Conradum, & Bernardum, itémque Bernardum, Comites: & petite, vt talem locum, sicut eis commodius visum fuerit vobis & eis qui in istis partibus sunt, sed & ipsis qui in illis partibus sunt, conuenire prouideant, & vobis mandent, vt illuc veniatis cum primoribus qui in istis partibus sunt. Et taliter quique conueniant, vt regnum non deprædetur, nec deuastetur, vt communi consilio de communi necessitate & vtilitate tractetis, qualiter illa capitula, quæ pater vester proximè in Carisiaco adnuntiauit, ad effectum peruenire possint, quæ interim relegite & vos & illi qui vobiscum sunt, & mente recondite.

VIII. Credo etiam, quia pater vester, postquam sciuit se de sua infirmitate non posse conualescere, non dimisit vt vobis de regni dispositione, quæ ad Dei voluntatem & sanctæ Ecclesiæ statum & vestrum honorem ac primorum regni, & populi necessitatem, & vtilitatem sciuit, quædam specialiter non mandauerit. Propterea necesse est, & bonum videtur, vt illi etiam intersint qui cum illo fuerunt, & omnes communiter de communi necessitate & vtilitate tractent. Ego etiam, licèt minimus illorum, & debilis ac infirmus, in Dei & vestrum seruitium, & illorum obsequium Domino annuente libenter conueniam, &, si aliquid vtilitatis valuero conferre, voluntariè faciam, quia necesse est vt cum Dei & vestris fidelibus tractetis & disponatis.

Primò, qualiter vos in regimine regni cum honore & saluamento, ac supplemento de his, quæ necessaria sunt, cum regno ac domo vestra possitis consistere. Secundò, vt præfatum capitulum à patre vestro nuper in Carisiaco denuntiatum, de honore sanctæ Ecclesiæ, & sacerdotum ac seruorum Dei debito priuilegio, ad effectum perduci possit: & vt Ecclesiæ in isto regno per occasionabiles circadas & per indebitas consuetudinarias exactiones, quæ tempore Pippini, Caroli, & Hludouuici non fuerunt, ante annos viginti impositas non affligantur. Tertiò, qualiter regni primores cum debita securitate ac honore erga vos consistere possint, & ceteri nobiles homines in regno securitatem habeant, ne per diuersa ingenia à suis opibus quas habere potuerint despolientur: quia postquam radix omnium malorum cupiditas in regno isto exarsit, vt nullus aut penè nullus honorem aut aliquod bonum sine pretio posset adquirere, aut tenere, aut securitatem habere, pax & cõsilium, & iustitia, atque iudicium, sicut necesse fuerat, locum in isto regno non habuerunt. Quartò, vt inueniatis cum Dei & vestris fidelibus, qualiter istæ rapinæ & deprædationes in isto regno cessent, & miser iste populus, qui iam per plures annos deprædationes diuersas & continuas, & per exactiones ad Nortmannos repellendos affligitur, aliquod remedium habeat, & iustitia & iudicium, quæ quasi emortua apud nos sunt, reuiuiscant, vt virtutem

nobis Deus reddat contra paganos: quia vſque modò iam ante plures annos locum in iſto regno defenſio non habuit, ſed redemptio & tributum, & non ſolùm pauperes homines, ſed & Eccleſias quondam diuites iam euacuatas habent. Quintò, vt concordiam, quæ ſecundum Deum eſt, de qua nuper in Cariſiaco pater veſter mentionem habuit, inter fideles Dei & veſtros haberi & vigere quantum potueritis ſatagatis, & vos talem erga eos præparetis, vt verum conſilium vobis dare poſſint & audeant. Quia, ſicut per multos audiui, multum deperiit de vtilitate in iſto regno, pro eo quia conſiliarij quod ſciebant bonum & vtile, dicere non audebant, nec vt dicerent locum habebant. Nullus enim homo eſt ſic ſapiens, vt alterius non indigeat conſilio, ſicut ſcriptum eſt, *Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit*, &, *qui confidit cogitationibus ſuis impiè aget.* Sextò, vt inueniatis cum Dei & veſtris fidelibus, qualiter pacem & amicitiam ſecundùm Deum cum veſtris ſobrinis patrui veſtri filiis habeatis, & mutuum adiutorium vobis ad Dei voluntatem, & ſanctæ Eccleſiæ ac veſtrum honorem, atque communium fidelium veſtrorum ſaluationem exhibeatis. Prou.1.5.& cap.12.2.

IX. CETERVM, qualiter hæc ad effectum perueniant, & cetera neceſſaria inueniantur & aſſequantur, Deus eſt exorandus, qui vnicuique deuoto promittit, *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, & dabitur illi.* & item dicit, *Indicabo tibi homo, quid ſit bonum, & quid Deus requirat à te. id eſt, facere iudicium & iuſtitiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Facienda eſt iuſtitia, non pro vllo terreno lucro, ſed pro eo ipſo quia iuſtitia eſt. ſicut ſcriptum eſt, *Iuſtè quod iuſtum eſt exequeris.* Faciendum eſt iudicium pro iniquorum correctione, & pro iniuriam ſuſtinentium directione, non pro maleuolentiæ vltione, nec pro iuſtam cauſam habentium oppreſſione. Nam qui iniuſtè iudicant, non iudicant iudicium, id eſt, iure ac legaliter dictum, ſed præiudicium. Vnde, ſicut Dominus dicit, *qui iniuſtè iudicant, iuſtè iudicati condemnabuntur.* Sollicitè vnicuique ambulandum eſt cum Deo ſuo, & Regi præcipuè, qui ſub tantis erit pœnis in futuro ſæculo, ſi malus fuerit, ſuper quantos fuit in iſto ſæculo, in quo ſe à malitia non correxit, & non fecit iudicium & iuſtitiam, & non ambulauit ſollicitè cum Deo ſuo. Sicut enim homo ſubiectus vadit ſollicitè cum ſeniore ſuo, vt ea faciat quæ illi placeant ſecundùm Deum ad ſalutem, & ſecundùm ſæculum ad honorem & profectum, & ſi in aliquo fecerit quod ſeniori ſuo diſpliceat, hoc ſtatim emendare feſtinat, vt ad gratiam illius reueniat: ſic vobis neceſſe eſt, vt ſollicitè ambuletis cum ſeniore veſtro rege regum, vt de præteritis, quæ contra illius voluntatem feciſtis, illi per confeſſionem & cordis contritionem, & per opera bona ſatisfaciatis, & ab illius mandatis de cetero non declinetis. & ſi per fragilitatem in aliquo lapſi fueritis ſicut ille qui lubricat de

Iac.1 5. Mich.6.8. Deu.16.20.

vno pede, de altero pede vel manu ſibi ſubuenit vt reſtituatur: ſic iterum per deuotionem & bonam operationem certate, vt ad gratiam ſenioris veſtri Domini Dei reueniatis. quia peccantes, & non pœnitentes, Dominus diu vt conuertantur tolerat, ſed non conuerſos duriùs damnat. Sicut etiam in veſtra ætate audire & videre poteſtis, & de vobis, ne ſimilia vobis eueniant, timere & cauere debetis. Et talem vos erga cultum diuinum, & ſanctam Eccleſiam, ac ſacerdotes & ſeruos Dei, ceteróſque fideles veſtros in omni ſtatu manentes, & erga populum vobis à Deo commiſſum exhibete, vt vos diligant, & eos delectet tam in ſpiritali ſeruitio, quàm in temporali adiutorio, vbicumque vobis neceſſe fuerit, debitum obſequium exhibere. & plus vos delectet Chriſtiana religio, & cordis humilitas, quàm vanæ pompæ & voluptates carnis. quoniam quantiſlibet molibus argenti & auri circumdetur, quibuſlibet pretioſis veſtibus induatur caro, quid eſt aliud quàm caro? id eſt, putredo, & filius hominis vermis, & puluis, ac cinis? Non vos tantùm delectet per venationes inſequi beſtias ſilueſtres, quantum pugnare contra carnis voluptates, & Dei ac ſanctæ ipſius Eccleſiæ inimicos, tam corporales, quàm ſpirituales: quia ſicut dicit Dominus per Apoſtolum, *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* &, *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus ſpiritales nequitias.* Non vos delectent tantùm diuitiæ poſſeſſionum auri & argenti atque gemmarum, vt inter eos computemini qui idola adorant, quoniam ſicut dicit Apoſtolus, *Auaritia idolorum ſeruitus eſt,* quantum fides, ſpes, & charitas, iuſtitia, veritas, & iuſtum iudicium, quæ perducunt hominem in eis perſeuerantem ad æternum regnum, & angelorum conſortium.

Gal. 5. 17. Epheſ. 6. 12. Coloſſ. 3. 5.

X. QVÆ nunc verbis dominationi veſtræ dicerem, ſi corpore præſens adeſſem, hæc litteris ſuggero: quia de generalibus Eccleſiæ ac de Regni negotiis, ſine generali primorum regni conſilio & conſenſu, ſpeciale dare conſilium neſcio, & conſenſum deliberare non valeo, nec præſumo. Propterea mihi iam & ætate & infirmitate ac debilitate attrito, non neceſſe eſt à dominatione veſtra imponi, vt ſine cauſa laborem, antequam ad placitum veſtrum Dei & veſtri fideles conueniant, & ego, qualitercumque potuero fauente Domino, ſicut prædixi, in Dei & veſtrum ſeruitium, & illorum obſequium veniam. Si autem, quod Deus auertat, interim alicuius perturbationis cauſa euenerit, & mihi notum facere dominationi veſtræ placuerit, pro ſcire & poſſe, & conſilio & auxilio in veſtro obſequio fideliter laborabo.

XI.

XI.

AD CAROLVM III. IMPERATOREM, vt Ludouici Balbi sobrini sui filiis Regibus idoneos educatores & consiliarios constituat.

Ex editione Moguntina Ioannis Busæi.

DOMINO CAROLO IMPERATORI GLORIOSO Hincmarus Episcopus ac plebis Dei famulus præsentem & futuram optat prosperitatem & gloriam.

AVDIENS laudabilis fidei vestræ benignitatem erga filios sobrini vestri Hludouuici, quondam senioris nostri, gratias Deo retuli, petens vt qui dedit vobis velle, donet quæ cœpistis perficere pro bona voluntate: & hoc tam per me, quàm per familiares & subiectos mihi Domini misericordiam oro, vt vestra potestas atque prosperitas in sua voluntate corroboretur, & vt in fide recta & operibus bonis perseuerantem de temporali regno quandoque ad æternum perducat.

CAP. I. PRECAMVR, Domine carissime, vt respectu Dei adiutoris & protectoris vestri regiminis, Regni huius Ecclesiam, quam Christus acquisiuit sanguine suo, sicut & per vniuersum orbem diffusam, apud nos in multis conlapsam, vestro sapienti consilio & potestatis auxilio releuetis, & regni diuisionem consolidetis, ac primores ipsius compaginetis, & quæ in hoc regno propter dissensiones perperam aguntur, euelli faciatis, & istos iuuenes, Reges nostros, propinquos vestros, & pupillos sine patre loco filiorum teneatis, & eis regnum ab antecessoribus illorum successione dimissum per suggestionem primorum regni huius disponatis, & qui de primoribus cuique illorum conuenient ordinetis. Et si fortè fuerint ex nostratibus, qui potiùs quæ suæ voluntatis sunt, quàm quæ ad honorem & defensionem sanctæ Ecclesiæ, ac ministrorum eius, & ad regum ac regni pacem & tranquillitatem pertineant, facere velint, sapientia & potestate vestra eos reuocate, vel si fuerit necesse comprimite, atque exteros aduersantes istis vestris filiis, & nobis omnibus vestræ dominationi fidelibus defensionem solatij exhibete, quatenus & apud Deum debitam inde remunerationem, & apud sæculum nomen celebre habeatis.

II. ET quia legimus de Alexandro Magno, cuius pædagogus Leonides nomine fuit, quòd citatos mores & inhonestum incessum habens in pueritia idem Alexander, ex præfato pædagogo

ſuo eadem accepit vitia, quæ adultus in ſeipſo corrigere voluit, & cùm omnia regna vicerit, ſeipſum in hoc vincere non potuit, quoniam, vt quidam ſapiens ſcripſit, *Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu*, & de filio Salomonis regis legimus, quia relicto ſenum, & iuuenum vſus conſilio, magnam partem regni perdidit, & non ſuo, ſed aui ſui Dauid merito, paruam partem regni ei Dominus reſeruauit: iſtis iuuenibus fidelibus filiis veſtris, Regibus noſtris, maturos ac prudentes atque ſobrios baiulos ſingulis conſtituite, qui oderint auaritiam, & eos verbo & exemplo iuſtitiam diligere doceant, ſecundùm ſcripturam dicentem, *Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram.* quoniam, *qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

Horat. 1. epiſt. 2. — 3. Reg. 12. — Sap. 1. 1. — Pſal. 10. 6.

III. DOCEANT eos verbo & exemplo, ſanctam Eccleſiam & miniſtros eius honorare, dicente Scriptura, *Presbyteris humilia animam tuam, & magnatis inclina caput tuum.* Quibus Dominus dicit, *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et, *Honorantes me honorificabo, & qui contemnunt me erunt ignobiles.* Doceant eos verbo & exemplo, Eccleſiæ ſanctæ rectoribus atque miniſtris debita priuilegia, ſpiritu Dei condita, & totius mundi reuerentia conſecrata ſeruare, Scriptura docente, *Lex Domini irreprehenſibilis, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.* Et in Euangelio Dominus, *Qui diligit me, mandata mea cuſtodit.* &, *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* Et Apoſtolus. *Qui dicit quia diligo Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.* Et item Dominus in Euangelio contemptoribus mandatorum ſuorum, *Qui eſt*, inquit, *ex Deo, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.*

Eccli. 4. 7. — Luc. 10. 16. — 1. Reg. 2. 30. — Pſal. 18. 8. — Ioan. 14. 15. — 1. Ioan. 4. — Ioan. 8. 47.

IV. DOCEANT eos verbo & exemplo, regni primoribus & ceteris regni fidelibus, atque ſanctæ Eccleſiæ defenſoribus, vnicuique in ſuo ordine competentem legem & iuſtitiam conſeruare, dicente Scriptura, *Iuſtitia Regis exaltabit ſolium eius, & veritate ſolidantur gubernacula populorum.* Cuſtodiant, & doceant eos caſtè ac ſobriè & piè viuere, quia, ſicut dicit Scriptura, *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & non habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

Prou. 1. 16. — Sap. 1. 5.

V. PROPONANT eis frequenter verba ſancti Cypriani, qui regis miniſterium in nono gradu abuſionum apertè oſtendit, Regem inquiens, non iniquum, ſed correctorem iniquorum eſſe oportet. Vnde in ſemetipſo nominis ſui dignitatem cuſtodire debet. Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, vt ſubiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui ſint, non corrigit? Iuſtitia verò regis eſt, neminem iniuſtè per potentiam opprimere, ſine acceptione perſonarum inter virum & proximum ſuum iudicare, aduenis & pupillis & viduis defenſorem eſſe, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & hiſtriones non nutrire, impios de ter-

ra perdere, parricidas & periurantes viuere non ſinere, Eccleſias defendere, pauperes eleemoſynis alere, iuſtos ſuper regni negotia conſtituere, ſenes & ſapientes & ſobrios conſiliarios habere, magorum & ariolorum, pythoniſſarúmque ſuperſtitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & iuſtè contra aduerſarios defendere, per omnia in Deo viuere, proſperitatibus animum non eleuare, cuncta aduerſa patienter ferre, fidem catholicam in Deum habere, filios ſuos non ſinere impiè agere, certis horis orationibus inſiſtere, ante horas congruas cibum non guſtare. *Væ enim terræ, cuius rex puer eſt, & cuius principes mane comedunt.* Eccleſ.10. Hæc regni proſperitatem in præſenti faciunt, & regem ad regna cæleſtia meliora perducunt. Qui verò ſecundùm hanc legem regnum non diſpenſat, multas nimirum aduerſitates imperij tolerabit.] Et ſi rex his quæ præſcripta ſunt contraria ſenſerit vel egerit, & in his contrariis perſeuerauerit, ſicut in throno hominum primus conſtitutus eſt, ſic omnes quoſcumque peccatores ſub ſe in præſenti habuit ſupra ſe modo implacabili in illa futura pœna habebit. Et non ſolùm regi, ſed & omni qui in dominationis eſt poteſtate, tria neceſſariò habere oportet, terrorem ſcilicet, ordinationem, & amorem. Niſi enim ametur Dominus, & metuatur, ordinatio illius conſtare minimè poterit. Per beneficia ergo & affabilitatem procuret vt diligatur, & per iuſtam vindictam, non propriæ iniuriæ ſed legis Dei, ſtudeat vt metuatur. Et in his & aliis omnibus princeps ſemper Deum cogitet, & illi adhæreat: quia, niſi conditori ſuo pertinaciter adhæſerit, & ipſe, & omnes qui ei conſentiunt, citò deperient. Omnis igitur qui præeſt hoc primitus tota animi intentione procuret, vt per omnia de Dei adiutorio omnino non dubitet. Si namque cœperit in actibus ſuis auxiliatorem habere Dominum, nullus hominum contemptui habere poterit eius dominatum. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Ipſe eleuat de ſtercore egenum, & ſedere facit cum principibus populi ſui. Deponit potentes de ſede, & exaltat humiles.

VI. Ipsi autem baiuli magnopere prouidere debent, ne ſuper ſocios ſuos ſe extollant, ſed iuxta Scripturam dicentem, *quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Eccli.3.20. Et, ſicut de Ioiada legimus, quia Ioas Regem puerum eleuauit, & vnxit in regem, imponens ei diadema, & dans legem in manu eius, vt ſecundum illam viueret, & populum regeret, & docuit ipſum iuuenem Regem vſque ad ætatem adultam. 4.Reg.11.& de quo ſcriptum eſt, quia bene regnauit ipſe Ioas, *quandiu docuit eum Ioiadas.* Et ſanctus Gregorius Lib.6.ep.23 admonet nutritores filiorum Imperatoris Græcorum, vt ea illis loquantur, quæ eorum mentes in charitate circa ſe inuicem, & erga ſubiectos in manſuetudine coniungant, ne ſi quid odij inter ſe pueri conceperint, in aperto poſtea erumpat. Verba, inquiens, nutrientium, aut lac erunt ſi bona ſunt, aut venenum ſi mala. Talia

ergo in pueritia eis ſuggerant, quæ poſtmodum oſtendant quàm bona fuerint, quæ à nutritorum ſuorum ore ſuxerunt.

VII. Debent etiam prouidere, ne tales illis in familiaritate iungantur, per quorum ſuggeſtiones ad iniqua opera, vel ad diſcordias inter ſe & illorum ſubiectos corda illorum perrrahantur, quia ſcriptum eſt, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Debent autem illis baiuli eorum perſuadere, vt non ſint inuicem inuidentes, inuicem prouocãtes, ſed mutua dilectione coniuncti, & ad inuicem ſe adiuuare parati, quia, vt ſcriptum eſt, *Frater fratrem adiuuet, & ambo conſolantur.* Si enim, Domine mi rex, huius regni Eccleſia, & miniſtri eius ac populus, hæc per vos obtinuerint, quantam mercedem & remunerationem inde apud Deum, & bonum nomen apud ſæculum habebitis, ex verbis Apoſtoli penſare poteſtis, qui dicit, *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum ſuorum.* Si ergo Apoſtolus ſpiritu Dei plenus de vno peccatore conuerſo tantam remunerationem promittit, colligat ſapientia veſtra, quantam de tantorum ſalute ac profectu remunerationem apud Deum habebitis.

1. Cor. 15. 33 — Prou. 18. 19. — Iacob. 5. 20.



XII.

AD LVDOVICVM III. REGEM BALBI filium, vt liberam Epiſcopi electionem in Bellouacenſi Eccleſia fieri permittat.

Collata cum antiquo exemplari Virdunenſi.

DOMINO HLVDOVVICO REGI GLORIOSO Hincmarus Epiſcopus ac plebis Dei famulus.

Capvt I.



Episcopi qui apud Martyrium ſanctæ Macræ in nomine Chriſti conuenimus, non pro vlla indebita voluntate, ſed pro ſanctæ Eccleſiæ ac veſtro & regni vobis commiſſi honore ac ſaluamento, ſicut ſcripta demonſtrant, quæ vobis per conſacerdotes noſtros tranſmiſimus, relecta præſumptione cleri & plebis Eccleſiæ Beluacenſis, qui perſonam regulis ſacris incongruam, cum decreto ſingulorum manibus roborato, nobis præſentauerunt in Synodo, veluti iam fuit actum, quando Fromoldum quendam elegerunt, & reiecto illo propter inſipientiam & improbitatem, Hodo ex vicina parochia ibidem cum decreto canonico fuit electus, relectis coram omnibus qui affuerunt ſacris canonibus, ſecundùm

easdem sacras leges constituimus designatos ex nomine dilectos fratres & venerabiles Coepiscopos nostros, per quos vestræ dominationi litteras direximus, in quibus inter cetera hæc continentur, Vt sicut sacræ leges & regulæ præcipiunt, Archiepiscopis & Episcopis conlimitanearum diœceseon electionem concedere dignemini, vt vndecumque, secundùm formam regularem electionis, Episcopi talem eligant, qui & sanctæ Ecclesiæ vtilis, & regno proficuus, & vobis fidelis ac deuotus cooperator existat: & consentientibus clero & plebe eum vobis adducant, vt secundum ministerium vestrum res & facultates Ecclesiæ, quas ad defendendum & tuendum vobis Dominus commendauit, suæ dispositioni committatis, & cum consensu ac litteris vestris eum ad Metropolitanum Episcopum ac Coepiscopos ipsius diœceseos, qui eum ordinare debent, transmittatis, & sic sine scandali macula ad sanctum sacerdotium prouehatur.] & reliqua, quæ inde ibi sequuntur.

II. In quibus verbis nulla indebita cuiuscumque voluntas, nihil contra Domini voluntatem, nihil contra vestrum honorem, nihil contra regni vobis commissi resonat saluamentum: sed ordinis plenitudo, qualiter electus vitæ merito & sapientiæ doctrina à Metropolitano & prouinciæ Coepiscopis debeat iuxta Nicænum sanctum & magnum Concilium regulariter ordinari, vbi inter alia scriptum est, Illud, inquit, generaliter clarum est, quòd si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus diffiniuit Episcopum esse non posse. firmitas autem eorum quæ geruntur per vnamquamque prouinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.] Et de hac mystica Nicæna Synodo sedes Apostolica contestatur, Quia tanto diuinitùs priuilegio est consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Episcopos, Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum quicquid ab illius fuerit constitutione diuersum.] Debetis igitur incunctanter aduertere, sicut sanctus Papa Leo ad Leonem Augustum scripsit, regiam potestatem vobis non ad solum mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendatis, & veram pacem his quæ sunt turbata restituatis. Quod & optare & quærere atque seruare debetis, sicut antecessores vestri Imperatores & Reges fecerunt. Et non debetis inflexibilem Dei voluntatem, qui si mutat sententiam, non mutat consilium, ad humanam & fragilem voluntatem vestram velle inflectere, quod fieri non potest: sed vestram voluntatem Dei voluntati subdere, sicut Christus nobis & omnibus Christianis, ex humanitate sua loquens, sequendum dedit exemplum, dicens, *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem eius qui misit me patris*. Et, *Fiat non sicut ego volo, sed sicut tu vis, pater*. Si enim à diuina voluntate humana voluntas vestra perseueranter, quod non permittat Dominus, discordauerit, re-

[Margin notes: Can. 6. — Can. 5. — Leo ep. 56. ad Anatol. — Epist. 81. — Ioan. 5. 30. & 6. 38. Matt. 26. 39]

Act.5.29. spondenda sunt ministerio Episcopali Apostolorum verba, *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* &, *Si iustum est in conspectu Dei,*
Act.4.19. *vos potiùs audire quàm Deum, iudicate. Non enim possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.*

III. NAM si quod à quibusdam dicitur, vt audiui, quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Episcopi & clerus ac plebs eligere, quem vos vultis, & quem iubetis, (quæ non est diuinæ legis electio, sed humanæ potestatis extorsio) si ita est, vt dici à quibusdam audiui, ille malignus spiritus, qui per serpentem primos parentes nostros in paradiso decepit & inde illos eiecit, per tales adulatores in aures vestras hæc sibilat: quia hoc in scripturis tam veteris quàm noui testamenti non continetur, neque in catholicorum dictis, vel sacris canonibus, nec etiam in legibus à Christianis Imperatoribus & regibus promulgatis hoc scriptum vel decretum inuenitur, sed talia dicta infernus euomuit. Christus enim
Tit.1,9. per Apostolum loquens, talem iubet eligere, *Qui potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt reuincere.* Et si quis contra hoc loquitur, iniquitatem contra Dominum loquitur, & inter blasphemos à sancto Spiritu computatur. Sic enim atauus vester Karolus & abauus Hludouicus Imperatores intellexerunt, & ideo in primo
Cap.84.de Episcopis eligendis. libro Capitulorum suorum promulgauerunt scribentes, Sacrorum, inquiunt, canonum non ignari, vt in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberiùs potiatur honore, adsensum ordini Ecclesiastico præbemus, vt scilicet Episcopi per electionem cleri & populi, secundum statuta canonum, de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, vt exemplo & verbo sibi subiectis vsquequaque prodesse valeant.] Notandum est sanè quod dicitur, Secundùm statuta canonum eligantur, vt exemplo & verbo sibi subiectis vsquequaque
Cælestinus Decret.18. prodesse valeant. Et sacri canones dicunt, Primùm enim illi (quin clerici vniuscuiusque Ecclesiæ) reprobandi sunt, vt aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur.] Et item, Vt Episcopi iudicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum qui circum circa sunt, prouehantur ad Ecclesiasticam potestatem: hi videlicet, qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei quàm rectæ conuersationis exemplo.] Attendendum est igitur, qualiter hoc imperiale Capitulum sacris regulis & antiquorum Imperatorum legibus congruat, ostendens quoniam, sicut & leges & regulæ dicunt, in electione Episcopi assensio regis sit, non electio, in Episcoporum verò executione sit electio, sicut & ordinatio.

IV. SVNT qui dicunt, vt audiui, quia res Ecclesiasticæ Episcopiorum in vestra sint potestate, vt cuicumque volueritis eas donetis. Quòd si ita est, ille malignus spiritus, qui, vt superiùs præmissum est, primos parentes nostros perdidit, perditio-

nem vestram in aures vestras susurrat. Sanctus namque Spiritus per eos qui cum Christo in cælo regnant, & in terris miraculis coruscant dixit, & vsque ad nos scriptis peruenire fecit dicens, Res & facultates Ecclesiasticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum: si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ & Saphiræ, & oportet huiusmodi tradere Satanæ, vt spiritus saluus sit in die Domini] Quod præfati gloriosi Imperatores Karolus & Hludouicus in primo libro Capitulorum suorum ita inseruerunt dicentes, Quia iuxta sanctorum patrum traditionem, Lib. 1. nouimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & pa- cap. 83. trimonia pauperum, cuique non solùm habita conseruare, verùm etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus. Tamen vt ab Ecclesiasticis de non diuidendis rebus Ecclesiæ suspicionem dudum conceptam penitus amoueremus, statuimus, vt neque nostris, neque filiorum, & Deo dispensante successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, vllam penitus diuisionem aut iacturam patiatur.] Quod & vos seruare oportet, si feliciter vultis regnare, qui minoris potestatis & ætatis atque sapientiæ adhuc estis, quàm & illi fuerunt, qui hæc & seruauerunt & seruanda promulgauerunt.

V. RECORDAMINI, quæso, professionis vestræ, quam in die consecrationis vestræ promisistis, sicut ab illis qui interfuerunt accepimus, quámque manu propria subscripsistis, & super altare coram Episcopis omnibus qui adfuerunt Domino obtulistis: & diligenter relegi eam facite coram vobis, & fidelibus vestris, quorum consilio & auxilio sanctam Ecclesiam & regnum vobis commissum gubernare debetis, & si aliquid per ignorantiam, vel aliorum suggestionem, ab ea exorbitastis, nolite negligere inde Domino satisfacere. Et quod in epistola mihi directa & in Synodo relecta scripsistis, sicut vobis expedit attendite. Sic enim ibi est scriptum, Iungamur simul, vt ego Rex, & vos sacerdos Dei, ministerium condignè tam in diuinis quàm in humanis adimplere valeamus officiis.] Quatenus deuotione & operatione ostendatis, quia Christus, à quo legitimus omnis Episcopatus cepit exordium, & omnis principatus accepit prouectum, auctor sit vestri regiminis, & protector fiat vestræ sublimitatis. Per quem vos obsecro Episcopali ministerio, talia vestro tempore in sanctam Ecclesiam introducere non tentetis, qualia magni Imperatores & antecessores vestri suis temporibus introducere non præsumpserunt. Et quoniam sine sancto Spiritu ministerium Episcopale non agitur, non sit vobis leue in Episcopis contristare Spiritum sanctum, cùm Dominus terribiliter comminans dicat, *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, expedit ei* Mat. 18. 6. *vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*

Ephes. 4. 30 & Apoſtolus, *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei.* Et item idem
Ephes. 3. 17. Apoſtolus dicit, *Per fidem habitare Chriſtum in cordibus noſtris*, qui
Act. 9. 4. iam ſedens ad dexteram patris de cælo Saulo intonuit dicens, *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Demonſtrans quoniam in membris ſuis Chriſtus perſequitur & ſcandalizatur, & in membris ſuis ſuſcipitur,
Matth. 25. 40. velut ſe dicturum electis in iudicio pollicetur, *Quamdiu vni de minoribus meis feciſtis, mihi feciſtis.* Et ſanctus Spiritus in eis in quibus habitat contriſtatur, ſicut ex Apoſtoli verbis ſuprà oſtendimus. Et quia iam tempus tranſiit, vltra quod ſacri canones ſpiritu Dei conditi & totius mundi reuerentia conſecrati decernunt vt ordinationes Epiſcoporum non differantur, ſicut Synodus apud Martyrium ſanctæ Macræ ſecundùm leges & regulas diffiniuit, electionem Epiſcoporum, qui deſignati ad hoc negotium exſequendum vnà cum conſenſu veſtro fuerunt in Synodo, ſicut in epiſtola vobis directa ab eadem Synodo ſcriptum habetur, dominatio veſtra conſentiat, & non differatis accelerare, vt vobis ſuggeſſimus, quatenus ipſa Eccleſia diu contra ſancti Spiritus promulgationem non vacet paſtore,
Conc. Antioch. can. 16. & vos (quod abſit) non mediocre incurratis periculum. Quia enim ſacri canones perfectum dicunt eſſe Concilium, vbi cum ſuis Suffraganeis interfuerit Metropolitanus Antiſtes, multò magis ratum teneri debet, quod Metropolitani cum Epiſcopis diuerſarum prouinciarum ſecundùm ſacras leges & regulas decreuerunt. Sexcenti namque triginta & eò ampliùs Epiſcopi, quorum nomina ſcripta ſunt in cælo, quorúmque nomina habemus ſcripta in libris noſtris,
Conc. Chalced. can. 25. in Chalcedona ciuitate apud Martyrium ſanctæ Euphemiæ in Chriſti nomine congregati, conſtituerunt vt vltra tres menſes ordinationes Epiſcoporum non differantur, cum decreto iudicio, vt qui auſi fuerint, poſt diffinitionem magnæ & vniuerſalis huius Synodi, quicquam ex his quæ ſunt prohibita perpetrare, decreuit ſancta Synodus à proprio huiuſmodi gradu recedere. Et Dominus in Euange-
Math. 18. 18. 19. 20. lio dicit, *Vbi fuerint congregati duo aut tres in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* &, *Si duo ex vobis de omni re conſenſerint ſuper terram, fiet.* &, *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis.* Si ergo adeſſe dignabitur vbi duo vel tres fuerint, quanto magis vbi tanti ex ſanctis patribus congregati hæc inrefragabiliter decreuêre ſeruanda?

VI. De eo quod in litteris veſtris, quas pridie Nonas tranſacti menſis Maij, deferente clerico nomine Teutberto relegi, voluntariè vos ſubiicere velle exiguitatis meæ conſiliis, & ſecundùm quod hortatus fuero, agere & diſponere in Eccleſiaſticis, & ſæcularibus negotiis, & meæ fiduciæ voſmetipſos ſubiicere velle, & ſecundùm datum à me conſilium regni veſtri iura componere: veſtræ dominationi reſcribo, vt Domini voluntatem veſtræ voluntati præponere in omnibus ſtudeatis: cuius voluntatem per ſanctas Scripturas,

ras, & per eos qui iam in cælo cum illo regnant, & in terris miraculis coruſcant, & per ſacras leges à Chriſtianis Imperatoribus & Regibus promulgatas, ſicut ipſe dicit, *Per me reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt*, poteſtis cognoſcere: ſed & per ſcripta à nobis ex Synodo apud Martyrium ſanctæ Macræ habita, & per conſacerdotes noſtros vobis directa, poteſtis agnoſcere. Sed ſatis doleo, & multùm timeo, quia (vt cum venia veſtra dicam) quantum in hac cauſa de qua agitur paret, plus intenditis ſequi propriam voluntatem, quàm diuinam auctoritatem, & eorum qui ſe importunè ingerunt cupiditatem, quàm ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem: & eorum, de quibus dicit Apoſtolus, *quoniam neſciunt quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*, adulationis fauorem, quàm veſtram ipſam ſalutem. Quod ſcripſiſtis, vota omnium, qui commorantur in Beluacenſi Eccleſia, in Odacrum concordare, non eſt mirum ſi ſtulti & improbi ac cupiditate cæcati toties taliter agunt, non correcti de reiectione prauæ ſuæ electionis in Fromoldum, & reprobato Rodulfo, & à ſe electo Honorato ſacro Epiſcopali ordini adhuc fidei doctrina incongruo, perdiderunt electionem, ſicut oſtenſum eſt illis in Synodo, & per ſacras regulas non vlteriùs illorum, ſed Epiſcoporum eſſe electionem, quam non præire ſed ſubſequi, & non ſe ab ea debere excidere. & nunc contra regulas & leges ſine viſitatore præſumpſerunt electionem. Vnde referendum eſt eidem plebi illud propheticum, *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, neſcis erubeſcere.* Et Iacobus Apoſtolus, tam tales clericos quàm plebeïos redarguit dicens, *Adulteri, neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt Deo?* Adulteros enim rectè nuncupat, quos derelicto amore ſapientiæ cæleſtis, quæ dicit, *Leges meas cuſtodite*, ad amplexum potiùs amicitiæ mundialis eſſe deflexos increpat. Quapropter potiùs merentur excommunicatione corrigi, quàm corrupti in voluntatibus ſuis audiri. Sed fortè non eſt ita vt vobis eſt dictum. Dominationi autem veſtræ oſtendo quod ſcriptum eſt Spiritu ſancto dictante in Decretis Apoſtolicæ Sedis, Quòd ſi & omnes ſacerdotes, & mundus errori aſſentiat, damnatio conſentientes inuoluit, non præuaricationis damnationem conſenſus abſoluit. Non enim crimen minuitur, ſed accreſcit, cùm generale fit ex priuato. Hoc enim Deus indicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit.

Prou. 8. 15. 1. Tim. 1. 7. Hier. 3. 3. Iacob. 4. 4. Leuit. 18. & 20. Geneſ. 9.

VII. QVOD ſcripſiſtis, vt ſicut ſemper regibus prædeceſſoribus veſtris in omni vtilitate regni proficuus & deuotus fui, ita vobis fidelis & deuotus exiſtam. Quod & hactenus obſeruaui, & obſeruare cupio. Vos autem ſanctæ Eccleſiæ, & eius rectoribus, atque mihi ſeruate quod illi conſeruauerunt: & pro deuotionis fidelitate, quam vobis cum ceteris fidelibus veſtris in electione veſtra, non ſine magno labore, ad prouectionem regiminis, quo iam nomine, det Dominus etiam virtute potiti eſtis, nolite retribuere mihi mala pro

bonis, suadentes, non tamen auxiliante Domino persuadentes, vt in senecta mea declinem à sacris regulis, quod nec pro cupiditate, nec pro amore vel timore hactenus feci, vt à gradu Episcopali, quo per triginta & sex annos gratia Dei vsque modò functus fui, meritò decidam. Non enim excidit mihi à mente sententia Saluatoris, qua dicitur, *Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & animæ suæ detrimentum faciat? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Et sacri canones Spiritu sancto decreti, Si quis, inquiunt, contra suam professionem vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore priuabit. Et si vobis consensero, vt contra diuinas & humanas leges, & contra vestram & meam, coram pluribus in Synodo Episcopis conhibentibus, professionem faciatis, me perdam, & vos non saluabo, dicente Apostolo, *Non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte*, Et sicut in Ecclesiasticis, & in mundanis legibus scriptum habetur, Praua facientes, atque consentientes, par iudiciorum pœna constringit: nec expers facinoris æstimatur, qui licèt ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœdúsque receperit.

Luc. 9. 25. Matt. 16. 25. Concil. Carth. 2. Can. 13. Rom. 1. 32.

VIII. QVOD scripsistis, vt per meam voluntatem & ministerium Beluacensis Ecclesiæ Episcopatum dilecto filio meo & fideli vestro Odacro tribuere valeatis:] Si vestræ dominationi de illo est cura, hoc nullatenus faciatis, ne fortè si feceritis, & ipse Episcopium illud, & pastore vacantem Ecclesiam, contra sacras Ecclesiæ regulas inuadere præsumpserit, sacris legibus & regulis exigentibus, quod non opto, contingat vt vlteriùs, nec in vita mea, nec post mortem corporis mei, in Diœcesi Remensi in gradu Ecclesiastico valeat ministrare.

IX. DE eo quod scripsistis, Quia si vestræ voluntati, Ecclesiasticis videlicet regulis contrariæ, obsecutus fuero, eos quos mihi cariores & familiariores cognoueritis, honorare in omnibus curabitis, tantummodò vt in hac petitione vestra vobis consentiam,] non meis, sed sacrorum canonum verbis respondeo, quia secundùm eosdem sacros canones, pro indigentibus, & mihi coniunctis, & pro aliis, sicut præcipiunt, ad salutis vestræ augmentum & potestatis honorem, regiam potestatem vestram petitionibus adire curabo, quamdiu Dominus me in corpore morari præceperit. Verùm sicut sanctus Innocentius Papa dicit, Sollicitos vos pro salute libenter audio: contra caput autem non libenter admitto. Et sanctus Gregorius exponens sententiam Euangelij, *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*, dicit, Quoniam quisquis iam æterna concupiscit, in ea quam aggreditur causa Dei, extra patrem, extra matrem, extra vxorem, extra filios, extra cognatos, extra semetipsum fieri debet, vt eo veriùs cognoscat Deum, quo in eius causa neminem recognoscit.]

Hom. 37. in Euang. Luc. 14. 26.

Vnde in hoc Episcopali ministerio carnalem propinquum, nec amicum videlicet animi familiarem, carnali affectu recognosco, sed sententiam Domini attendo, qui dicit, *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, hic fur est & latro.* Et ideo neminem eligo, neminem recognosco, neminem recipio, nisi qui vita & moribus, & scientiæ catholicæ doctrina, per claues Ecclesiæ ad hoc Episcopale ministerium accedit, & sciat & faciat quod sacrum ministerium postulat. Et quoniam *non est Deus personarum acceptor, sed in omni gente qui timet eum & operatur iustitiam acceptus est illi*, in hac causa nullius personam accipio, sicut sanctus propheta virum iustum describens dicit, *Qui excutit manus suas ab omni munere.* Neque enim dixit tantùm à munere, sed addidit ab omni, id est à munere manus, à munere linguæ, à munere obsequij, sicut iam vobis scripsi, si mente voluissetis recondere. Ioan.10.1. Act.10.34. Esa.33.15.

X. VESTRAM denique caram mihi dominationem sollerter atque attentè ante mentis oculos oportet habere, quòd, sicut iam vobis scripsi, qui contra sacros canones ordinantur, & ordinatores & ordinati hæretici sunt, sicut sanctus Gregorius, & ceteri catholici Ecclesiæ sanctæ doctores atque rectores multoties in libris suis ostendunt. quam hæresim sanctus Petrus primùm in Simonem magum æterno anathemate condemnauit. Sed & huiusmodi non ordinationis sed exordinationis mediatores, præfatum magnum & sanctum Chalcedonense Concilium, si clerici sunt, proprio gradu priuari, si verò laici aut monachi fuerint, sine vlla exceptione aut respectu alicuius personæ, anathematizari præcipit. Propterea hortor dominationem vestram, vt à tali mediatione vel interuentione vos caueatis. Ne verò pro alicuius temporali placiditate æternum periculum incurratis, sed & dilectus filius meus, fidelis vester, pro quo satagitis, non obliuiscatur quod iam in Epistola vobis directa, cappellanis vestris me inter alia scripsisse recordor, canonicam decretam sententiam, qua dicitur, Sicut is, qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus, sic qui vltrò ambit, vel qui importunè se ingerit, est proculdubio repellendus. Quæ itaque præmissa sunt, non mea, neque à me excogitata sunt verba, sed à Christo, & per Apostolos, ac eius sanctos, Spiritu sancto prolata. Propterea illi, qui audire ea non sufferunt, vel obaudire contemnunt, timeant Dominum dicentem, quæ nuper quintodecimo die ante sanctum Pascha legi omnes in Ecclesia audiuimus, *Qui est ex Deo verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Vnde sanctus Gregorius, Si enim ipse verba Dei audit qui ex Deo est, & audire verba eius non potest quisquis ex illo non est, interroget se vnusquisque si verba Dei in aure cordis percipit, & intelliget vnde sit. Et sanctus Paulus Apostolus, per quem ipse locutus est Christus, *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem &* Act.8. Can 2. Ioan 8.47. Hom.18.in Euang. Ephes.5.11.

2.Thess.3.14. *redarguite.* Et item idem Apostolus, *Si quis non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur.* Vnde sacri canones excommunicatis communicantes excommunicatos esse decreuerunt. Hæc de cælo Christus, & sancti eius Apostoli, atque sancti ipsius cum eo iam in cælo regnantes intonant: & nos, licèt peccatores, in terra Episcopi, & Christi vicarij, atque Apostolorum successores in terra, eius virtute & ministerio diuino prosequimur, imitari desiderantes quod de sancto viro cantamus, Quia pro lege Dei sui certauit vsque ad mortem: fundatus enim erat supra firmam petram. 1.Cor.10.4 *Petra,* inquit Apostolus, *erat Christus.* Conueniant ergo in pace Christi, sicut statutum secundùm sacros canones fuit, in Synodo Episcopi & Clerus ac plebs Beluacensis Ecclesiæ cum libero consensu vestro, sicut regium ministerium decet, & iuxta legalem ac regularem formam electio exequatur, & ordinatio prosequatur.



XIII.

AD EVNDEM LVDOVICVM III. REGEM De Odacro inuasore Ecclesiæ Beluacensis.

Nunc primùm edita ex codice Virdunensi.

DOMINO HLVDOVVICO REGI GLORIOSO Hincmarus Episcopus ac plebis Dei famulus.



EX litteris sigillo vestro subter signatis, quas mihi Warinus clericus Idibus præsentis Iunij mensis ex vestra parte donauit, non statui ad singula vobis rescribere, quoniam de præcedentibus mandatis & litteris vestris iam sufficienter vobis rescripsi. Verumtamen quia & ex his à me vobis rescribi rogastis, quæ ita inter se dissentiunt, vt à principiis media, & à mediis vltima dissonent, sicut de quodam monstro antiquus poëta dicit,

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra,

fatigatus missis & litteris vestris, pro Beluacensi Ecclesia rescribere vobis ad quædam loca Domino adiuuante curabo, secundùm prouerbium, quod in antiquorum libris iuuenis legeram, *Bos lassus fortiùs figit pedem.*

I. DE eo quod in prioribus mihi datis litteris ad locum scriptum habetur, *Petitionem filij dilecti iustam nullomodo oportet respuere patrem,* hoc exiguitas mea, sed & Dominus approbat dicens discipulis suis, Ioan.16.23. *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Nomen enim Domini Iesus id est saluator interpretatur, & illa petitio iusta est, quæ ad

veram salutem pertinet. Quam petitionem quoniam Dominus non respuit, nec quilibet Christianus debet respuere. Si autem contra veram salutem quilibet petierint, audient à Iacobo Apostolo, *Petitis & non accipitis, eo quòd malè petatis.* Iac.4.3.

II. De eo quod ibidem subsequitur, Nostræ petitioni ac voluntati clementer faueatis, & desiderium nostrum ad præsens adimpleatis,] rescribo vt velitis & desideretis quod Dominus vult, cui Psalmista dicit, *Domine ante te omne desiderium meum.* securus voluntati Psal.37.10. vestræ fauebo, & quantum potero vestrum desiderium adimplere curabo. Vos autem attendite, quòd omni homini qui Domino placere vult, dicit scriptura, *Post concupiscentias tuas*, scilicet improba- Eccli.18.30. biles, *non eas, & à tua voluntate*, carnali videlicet, *auertere*: &, *Sunt viæ* Prou.16.25 *quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis vsque ad profundum inferni dimergit.*

III. De eo quod ibidem subsequitur ex Odacro, in præcedentibus litteris satis vobis respondi.

IV. De eo quod mox subsequitur, Quia meus missus Altramnus monachus vobis retulit ex mea parte, nihil aliud me velle ex hoc agere, nisi illud quod vos & Hugo abbas & Theodoricus Comes ceterique vestri fideles decernerent, scio istud mandatum ex me non processisse, nec ipse frater mihi talia se dixisse professus est. Remitto autem illum ad vos, vt coram fidelibus vestris, aut profiteatur se ita dixisse, aut veraciter deneget talia vobis ex mea parte non ambasciasse. Vnde puto vt sicut in nomine interprisum est, ita sit & in ambasciato. Nam iste frater noster à vobis ad me rediens ambasciauit mihi ex vestra parte, vt pedem meum basiaret, & peteret vt ad opus Odacri honorarem vos de Episcopio Beluacensis Ecclesiæ. cui respondi, quoniam sicut meliùs & honorabiliùs atque salubriùs sciui, vos inde honorare curaui: hortans vt sicut professi estis in die consecrationis vestræ, in regimine regni more prædecessorum vestrorum honoretis Deum, consentiendo ei, conseruando sanctæ Ecclesiæ ac ipsius rectoribus leges eius qui dixit, *Honorificantes me honorificabo.* velut in litteris scriptum ha- 1.Reg.2.30. betur quas per eum vobis direxi. Dixit etiam mihi quid de voluntate Hugonis abbatis ex hoc dixeritis, & quàm moderatè ad interrogationem exinde vestram Theodoricus Comes responderit.

V. In eo quod in primordiis litterarum, quas post præmissas prædictus clericus mihi dedit, scriptum habetur, Si vobis in ordinatione Odacri non consensero, pro certo scietis non me velle vestrum benignè tractare honorem, nec decus debitum & priuilegia prædecessorum vestrorum vobis consentire velle, sed in omnibus vestræ reniti voluntati,] scriptor vester & sensu & litteratura mentitus est.

VI. De honore prædecessorum vestrorum Imperatorum &

Regum, & qualiter priuilegia ſanctæ Eccleſiæ, ac rectorum & miniſtrorum ipſius, decreuerunt & conſeruauerunt, in aliis litteris ſufficienter vobis ſcribere ſtudui: quæ ſi vobis non profuerint, nec plura proderunt.

VII. De eo quod ibidem ſubſequitur, Qualiter contra ſimilem veſtrum honorem veſtrum euindicaretis pro viribus, quanto magis oportet eum contemnere, me videlicet, qui veſtræ ditioni commiſſus veſtrum abicere ſatago ne pollens præualeat honorem,] qui vobis hoc ſcribere mihi qualicumque miniſtro Chriſti perſuaſit, non bene Dominum, neque ſcripturas eius cognouit. Sicut enim iam vobis ex Scripturis diuinitùs inſpiratis innotui, duo ſunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas: in quibus tanto grauius pondus eſt ſacerdotum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in diuino reddituri ſunt examine rationem. & Pontifices reges ordinare poſſunt, reges autem Pontifices conſecrare non poſſunt. & Pontificibus dixit Deus, *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit*, id eſt contemnit & deſpicit, *me contemnit.* &, *qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Non ergo debueratis ita inuerecundè qualicumque Pontifici ſcribere, veſtræ ditioni commiſſum: quia ſicut dixit Dominus Apoſtolis ſuis, quorum minimus ſum merito, ſucceſſor autem officio, *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*, ita & ego iuxta modulum meum humili corde ac voce dicere poſſum, Non vos me elegiſtis in prælatione Eccleſiæ, ſed ego cum collegis meis, & ceteris Dei ac progenitorum veſtrorum fidelibus, vos elegi ad regimen regni, ſub conditione debitas leges ſeruandi.

Luc. 10.16 1. Reg 2.30 Ioan. 15.16.

VIII. De eo quod ibidem ſubſequitur, Ex hoc facto, id eſt quia Odacro Eccleſiam Beluacenſem paſtore vacantem commiſiſtis, (facientes contra regulas Eccleſiaſticas, contráque antiquorum & Chriſtianorum regum leges, contráque prædeceſſorum ac progenitorum veſtrorum promulgationes, ſed & contra illorum conſuetudinem,) nihil ampliùs facietis præter quod factum habetis, donec fratri veſtro, & conſanguineis veſtris regibus illud mandetis, & eorum iuſſionibus vel imperio ac veſtro, omnes conuocentur Archiepiſcopi & Epiſcopi ex eorum regnis & veſtro, & ſic ex hoc auctoritatiua diffiniatur ratio, veſtri honoris dignitate plena,] vos videte, ne pro hoc inlicito facto canonicas ſuſtineatis ſententias, vel in hoc ſæculo, vel in futuro. Nam nos ex hoc quod egimus non timemus coram Archiepiſcopis & Epiſcopis reddere rationem: quia nos non habemus alias Euangelicas, vel Apoſtolicas literas: ſed neque alios canones vel decreta Sedis Romanæ Pontificum, nec etiam alias ſacras leges, quibus vnà cum ſanctis canonibus catholica moderatur Eccleſia, quàm illi. Nam cum illis iam, & etiam in domini Papæ Synodo, de ſanctis ſcripturis & ſacris regulis ac legibus probabilem habuimus rationem.

IX. Qvod mandastis, quia nihil aliud ex illo inlicito facto facietis nisi quod factum habetis, si vos non facietis, faciet Dominus quando illi placuerit. Non vixit tot annos Hludouuicus Imperator quot pater suus Karolus, non vixit tot annos Karolus auus vester quot annos pater suus vixit, non vixit pater vester tot annos quot pater suus. & quando statis in illo statu, vbi auus vester & pater vester steterunt apud Compendium, inclinate oculos vbi iacet pater vester, & si nescitis, interrogate vbi mortuus fuit & vbi iacet auus vester, & non exaltetur cor vestrum ante eum qui mortuus fuit pro vobis & pro nobis omnibus, & resurrexit à mortuis & iam non moritur: & certi estote quia moriemini nescitis qua die vel qua hora. & ideo necesse est & vobis & nobis omnibus secundùm aduocationem Domini paratos esse, quia nescimus qua hora veniet nobis finis: & ideo non exaltetur cor vestrum contra eum, in cuius manu vita diésque nostri consistunt. Vos citò deficietis, & sancta Ecclesia cum suis rectoribus sub Christo rectore secundùm promissionem eius permanebit *sicut luna perfecta in æternum.* Psal.88.38.

X. De eo quod ibidem subsequitur, Insuper aliud exinde si necessitas fuerit quod rectum est faciemus,] vt intelligo ad timorem mihi incutiendum, quatenus iussioni vestræ licèt inuitus obediam, scribere voluistis. Vnde respondeo, *Dominus mihi adiutor, non* Psal.117.6.
timebo quid faciat mihi homo. &, *Dominus illuminatio mea, & salus mea* Psal.26.1.
quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? & alia scriptura dicit, *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* & ip- Prou.16.33.
se Dominus ad Præsidem ante quem stetit, *Non haberes*, inquit, *in* Ioan.19.11.
me potestatem, nisi tibi datum fuisset desuper. & summus quondam Archangelus nec vnam ouiculam Iob serui Dei rapere potuit, nisi Domino permittente. Sed vtinam aut per vos, aut per quemcumque sibi placuerit, educat me Dominus de isto carcere, videlicet infirmo & senili corpore, ad eum quem sua gratia largiente ex toto corde desidero videndum, non meis meritis, quæ nulla nisi mala sunt, sed sua indebita misericordia, & gratuita gratia. Sed & de eo quod dixistis, Quia insuper & aliud si necesse fuerit quod rectum est facietis,] amplector quod promittitis, quod rectum est erga me facietis. Igitur rectum est, vt scriptura ostendit, vt *per quæ quis peccat, per hæc* Sap.11.17.
& torqueatur. Nam quia contra plurimorum voluntates, & minas, atque suggestiones, in electione vestra consensi, opto & gaudeo, vt si inde peccaui, Domino permittente, hîc per vos & non in futuro per Dominum talionem recipiam, sicut legimus de sancto Paschasio, qui per ignorantiam errans in cuiusdam electione consensit.

XI. Et quoniam tantopere satagitis de ordinatione Odacri, mandate mihi tempus constitutum, quando Episcopi Remorum diœceseos, sed & venerabiles Episcopi ac dilecti fratres nostri, qui à Synodo apud Martyrium sanctæ Macræ habita ad vos cum litte-

ris directi fuerunt, valeant conuenire ad eundem locum, & faciam me, vita & possibilitate comite, illuc obuiam eis portari, & veniat vester Odacrus cum electoribus suis siue palatinis, siue Ecclesiæ Beluacensis, & si vobis placet, etiam illuc venite, aut missi vestri, & Domino dicente, *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, hic fur est & latro.* &, *qui intrat per ostium in ouile ouium, huic ostiarius aperit. Ego*, inquit, *sum ostium. per me si quis introierit saluabitur.* & videte, aut per missos vestros audite, si vestro Odacro ostiarius aperiet ostium ouilis sui, & intret securus, vt audiant oues vocem eius, & non sit mercenarius sed pastor, & Ecclesia Beluacensis sub mercenario non gemat. Et notum sit nobis, sed & ipse Odacrus pro certo sciat, quia si ad nos non venerit, & in obstinatione suæ præuaricationis manere delegerit, dicente Apostolo, *quia verbum Domini non est alligatum*, in sermone Domini, qui est viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, nos ad eum ibimus, vbicumque fuerit in Remensi prouincia, & quòd sacri canones de contemptore suo & Ecclesiæ contra leges & regulas inuasore iudicant, in illum quod ad nos pertinet exequi procurabimus, vt nunquam vel nusquam in Remensi prouincia in Ecclesiastico gradu ministret, & omnes de cetero in hoc illi communicantes, secundùm sacros canones spiritu Domini conditos, & Christi sanguine confirmatos, excommunicati vsque ad Ecclesiæ satisfactionem erunt. Sed & qui contra auctoritatem ac rationem, contráque ipsam suam salutem, in hac causa vos stimulat, sicut dicit Apostolus, *portabit iudicium quicumque est ille.* Paulus Apostolus necessitate compulsus, scripsit Corinthiis, *Factus sum insipiens, vos me coegistis.* & ex quanto dolore vobis compellentibus hæc scripsi, ille videt cui gemitus meus non est absconditus. Et scitote certissimè, quia Domino adiuuante, nec quibuscumque vel quorumcumque terroribus vel blanditiis, ex hac causa vnde agitur, à sacris legibus & regulis deuiabo.

Ioan.10.1.
2.Tim.2.9.
Gal.5.10.
2.Cor.12.11.



XIV.

AD PROCERES REGNI,

PRO INSTITVTIONE CAROLOMANNI REGIS, & de ordine palatij ex Adalardo.

Ex editione Moguntina Ioannis Busæi.

HINCMARVS EPISCOPVS AC PLEBIS Dei famulus.

CAPVT I.

PRO ætatis & sacri Ordinis antiquitate, posteriores tempore, boni & sapientes viri, rogatis exiguitatem meam, vt qui negotiis Ecclesiasticis & Palatinis, quando in amplitudine & vnitate regni prosperè agebantur interfui, & consilia doctrinámque illorum qui sanctam Ecclesiam in sanctitate & iustitia rexerunt, sed & eorum qui soliditatem regni tempore superiore prosperiùs disposuerunt audiui, quorum magisterio traditionem maiorum suorum didici, post obitum etiam domni Hludouuici Imperatoris, in eorum obsequio, qui pro filiorum eius tunc temporis Regum nostrorum concordia sategerunt, pro modulo meo frequentibus itineribus, verbis & scriptis laboraui, ad institutionem istius iuuenis & moderni Regis nostri, & ad reerectionem honoris & pacis Ecclesiæ ac regni, ordinem Ecclesiasticum, & dispositionem domus regiæ in sacro palatio, sicut audiui & vidi demonstrem, quatenus in nouitate sua ea doctrina imbuatur, vt in regimine regni Deo placere, & in hoc sæculo feliciter regnare, & de præsenti regno ad æternum valeat peruenire. Experimento quippe cognoscimus, quia vas nouum, quo priùs sapore & odore imbutum fuerit, illud in posterum diu retinebit, sicut & quidam sapiens dicit, *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu.* Et legimus quomodo Alexander in pueritia sua habuit baiulum nomine Leonidem, citatis moribus & incomposito incessu notabilem, quæ puer quasi lac adulterinum sugens ab eo sumpsit. Vnde in adulta ætate sapiens & rex fortis se ipsum reprehendebat, & vitare volebat, sed vt legitur, cùm omnia regna vicerit, in hoc seipsum vincere non potuit.

Horat l. 1. epist. 2.

Quintil. l. 1. c. 1.

II. INTELLEGAT igitur dominus rex, ad quod officium est prouectus, & obaudiat commonitionem atque comminationem regis Regum dicentis ei cum aliis regibus, *Et nunc reges*, inquit, *in-*

telligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. sicut multos hanc commonitionem & comminationem negligentes perisse legimus, audiuimus, & etiam nostro tempore scimus. Obaudiat etiam sanctam scripturam sibi præcipientem, *Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. quia in maliuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap.1.1.

III. Ego autem, & pro imposito ministerio, & pro bona & rationabili vestra iussione, aggrediar exequi quod rogatis, non meo sensu, neque verbis meis, sed vt præmisi maiorum traditione, attendens dicentem Dominum ad prophetam, *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me. Ex me,* inquit, & non ex te. quia sicut ipse dicit, *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Sancta scriptura in omni ordine & professione vnicuique administratori præcipit, vt intellegat cuncta quæ ait, Quoniam si intelligit administratio quam gerit vnde exordium cepit, sollicitiùs satagit, vt de administrationis talento sibi credito rationem redditurus, *Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum.* Non audiat à iusto iudice, quod Dominus in Euangelio seruo malo & pigro responsurum se fatetur: sed audire mereatur, *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Ezech.3.17 Ioan.7.18. Rom.14.10 Matt.25.21

1.Paral.24. IV. Legimus in sancta Scriptura veteris testamenti, quia Dauid rex simul & propheta, præfigurans Dominum nostrum Iesum Christum, qui solus rex simul & sacerdos fieri potuit, duos in sacerdotibus ordines constituit, in summis videlicet Pontificibus, & in minoris ordinis sacerdotibus, qui nunc presbyteratus funguntur officio. ea videlicet prouisione, vt dum quilibet Pontificum vita decederet, quicumque sacerdotum optimus putaretur, ei in Pontificatum succederet. Et in nouo testamento, Dominus noster Iesus Christus de multitudine discipulorum suorum, sicut in Euangelio legimus, duodecim elegit, quos & Apostolos nominauit. Horum in Ecclesia locum tenent Episcopi, sicut sacra Scriptura & catholici doctores ostendunt. Designauit etiam alios septuaginta duos, qui sub duodecim Apostolis figuram presbyterorum, id est, secundi ordinis sacerdotum præmonstrauerunt: vt decedentibus Episcopis, de his secundi & inferioris ordinis sacerdotibus, secundùm sacros canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, ad summi sacerdotij apicem loco decessorum Episcoporum prouehantur, sicut sacra Scriptura Actuum Apostolorum patenter ostendit, dicente Petro ad confratres suos, quando Iudas, qui connumeratus fuerat in ordine Apostolorum, & sortitus sortem ministerij Apostolatus, abiit in locum suum, *Oportet,* Luc.6.13. Act.1.21.

inquiens, *ex his viris, qui nobiscum congregati sunt in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* Et venit electio diuina super Mathiam, qui annumeratus est cum vndecim Apostolis.

V. Et in sacra Regum historia legimus, quia Principes sacerdotum, quando sacra vnctione reges in regnum sacrabant, coronam significantem victoriam ponentes super capita eorum, legem in manum eius dabant, vt scirent qualiter seipsos regere, & prauos corrigere, & bonos in viam rectam deberent dirigere. Vnde sicut beatus Papa Gelasius ad Anastasium Imperatorem ex sacris Scripturis Epist.10. demonstrat, & in his quæ nuper apud Martyrium sanctæ Macræ in Synodo gesta sunt continetur, duo sunt quibus principaliter vnà cum specialiter cuiusque curæ subiectis mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas: in quibus personis sicut ordinum sunt diuisa vocabula, ita sunt & diuisa in vnoquoque ordine ac professione ordinationum officia. Diligenter igitur quisque debet in ordine & professione sua quo nomine censetur attendere, & magnopere prouidere ne à nomine discordet officio. Primùm namque, vt beatus Cyprianus dicit, ab Episcopo quid sui De abus. cap.10. nominis dignitas teneat inquiratur, quoniam Episcopus, cùm Græcum nomen sit, speculator interpretatur. Quare verò speculator ponitur, & quid à speculatore requiratur, Dominus ipse denudat, cùm sub Ezechielis prophetæ persona, Episcopo officij sui rationem denuntiat, ita inquiens, *Speculatorem dedi te domui Israel.*] Specu- Ezech.3.17. latoris officium est, vt commisso sibi populo, exemplo & verbo qualiter viuere debeat incessanter annuntiet: sicut de Christo, qui sequi se id est imitari præcipit, scriptum est, *quæ cœpit Iesus* Act.1.1. *facere & docere.* & sic vitam ac mores sibi commissorum speculetur attendere, & postquam attenderit, sermone si poterit & actu corrigere, & si non poterit, iuxta Euangelicam regulam scelerum operarios debet declinare.

VI. Et rex in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores ne iniqui sint non corrigit? quoniam iustitia regis exaltatur solium, & veritate solidantur gubernacula populorum. Quæ verò sit iustitia regis, idem B. Cyprianus in nono abusionis gradu sufficientissimè monstrat.

VII. Habet quippe Ordo sacerdotalis leges diuinitùs promulgatas, qualiter quisque ad culmen regiminis, videlicet Episcopatus, venire debeat, atque ad hoc rectè perueniens, qualiter viuat, & bene viuens, qualiter doceat, & rectè docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat. qualiter etiam ministros sibi subpositos regere debeat: quàm pura etiam intentione sacros

Ecclesiasticos ordines dispensare: & qua discretione ligare vel soluere subditos debeat. De quibus legibus in eisdem scriptum est ita,
Cælest. ep. 3. Nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obuiare. Quia non minùs in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in ipsius Domini iniuriam prosilitur.] Quod tale est, quia, vt sacra monstrat auctoritas, cognata sunt schisma & hæresis. ac si aliis verbis dicatur, Non minùs schismaticus delinquit, cùm præuaricatione sanctarum regularum per contemptum se ab vnitate sanctæ Ecclesiæ, quæ corpus Christi est, diuidit, quàm hæreticus, qui de Deo, capite videlicet ipsius Ecclesiæ, malè sentit.

VIII. Et sicut dictum est de legibus Ecclesiasticis, quòd nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod patrum possit regulis obuiare: ita legibus sacris decretum est, vt leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere. Cùm enim dicitur, nulli liceat leges nescire, vel quæ sunt statuta contemnere, nulla persona in quocumque ordine mundano excipitur, quæ hac sententia non constringatur. Habent enim reges & reipublicæ ministri leges, quibus in quacumque prouincia degentes regere debent. habent Capitula Christianorum regum ac progenitorum suorum, quæ generali consensu fidelium suorum tenere legaliter
Lib. de vera Relig. c. 31. promulgauerunt. De quibus beatus Augustinus dicit, quia licèt homines de his iudicent, cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudicibus de ipsis iudicare, sed secundùm ipsas.

IX. Multo minùs autem regi vel cuilibet in quocunque ordine contra leges diuinas licet agere per contemptum. Vnde principi terræ magnopere prouidendum atque cauendum est, ne in his Deus offendatur, per quos religio Christiana consistere debet, & ceteri ab offensione saluari. Et ideo, quia res Ecclesiasticas diuino iudicio tuendas & defensandas suscepit, consensu eius, electione Cleri ac plebis, & approbatione Episcoporum prouinciæ, quisque ad Ecclesiasticum regimen absque vlla venalitate prouehi de-
Ioan. 10. 1. bet: quia sicut Dominus in Euangelio dicit, *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Ecclesiasticis regulis sine difficultate omnimodis debet fauere, si non vult regem regum offendere. Et sicut Episcopi ac rex prouidere debent, vt nullius rei intuitu eligatur Episcopus, nisi Dei solius, id est, non pro aliquo munere dationis, nec pro aliquo obsequio humano, vel propinquitate consanguinitatis, seu amicitia, vel seruitio temporali, aut aliqua occasione, quæ contraria esse possit veritati, aut diuinæ
De Ciuit. lib. 5. c. 24. auctoritati: ita rex custodire debet, sicut sanctus Augustinus demonstrat, ne muneribus, vel blanditiis cuiusquam scelerati pelliciatur, & adulationibus decipiatur: nec quibuscumque propinquitatis

necessitudinibus coniunctis, contra Deum sanctámque Ecclesiam atque Rempublicam peruersè agentibus, affectu carnali parcat, dicente Dei spiritu per Dauid prophetam, *Nonne eos qui oderunt te Deus oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Inimicos enim Dei perfecto odio odisse est, ad quod facti sunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorum premere, vitæ prodesse. Psal.138.26

X. TALES etiam Comites & sub se iudices constituere debet, qui auaritiam oderint, & iustitiam diligant, & sub hac conditione suam administrationem peragant, & sub se huiusmodi ministeriales substituant. Et quicunque in omni ordine & professione in dominatione constituuntur, & domini appellantur, sicut sanctus Cyprianus in sexto abusionis gradu demonstrat, dominationis virtutem auctore & cooperatore Domino teneant: quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si dominus ipse non habeat & virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor non tam exteriori fortitudine, quæ & ipsa sæcularibus dominis necessaria est, indiget, quàm animi interiori fortitudine, bonis moribus exerceri debet. sæpe enim dominandi per animi negligentiam perditur fortitudo. Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet, terrorem scilicet, & ordinationem, & amorem. Nisi enim ametur dominus pariter & metuatur, ordinatio minimè constare illius potest. Per beneficia ergo & affabilitatem procuret vt diligatur, & per iustas vindictas, non propriæ iniuriæ sed legis Dei, studeat vt metuatur. Propterea quoque, dum multi pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit, qui ad portanda multorum onera ipsum veluti fortiorem solidauit. Paxillus enim nisi bene fortè firmetur, & alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet citò labitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis, cum oneribus ad terram delabitur. Sic & princeps nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse, & omne quod continet, citò deperit.] Et sciat, quòd sicut in principatu hominum primus constitutus est, ita quoscunque peccatores sub se in præsenti habuit, nisi se & illos correxerit, supra se modo implacabili in illa futura pœna habebit. De abus. cap. 6.

XI. IN memoratis namque gestis apud Martyrium sanctæ Macræ, & de his quæ ad sanctæ Ecclesiæ ac rectorum ipsius honorem & vigorem, & de his quæ ad regis & regni soliditatem atque curam pertinent, nec non & de domus regiæ dispositione, ex Catholicorum secundum sanctarum scripturarum tramitem promulgationibus, atque ex Christianorum Regum constitutionibus, per capitula breuiter ac salubriter, si teneantur & exequantur, collecta continentur. Veruntamen quia Samaritanus, verus videlicet custos humani generis, stabulario, id est, Pontificali ordini, cuius curæ vulneratum quemque commiserat ad sanandum, dans duos denarios,

Luc.10.35. vetus ſcilicet ac nouum teſtamentum, dixit, *Quod ſupererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi*, eiſdem geſtis, velut ex ſupererogatione, quæ præmiſſa ſunt in hoc opuſculo, & quæ ſequentur, adicere ſtudeo.

XII. Adalhardvm ſenem & ſapientem domni Caroli magni Imperatoris propinquum, & monaſterij Corbeiæ abbatem, inter primos Conſiliarios primum in adoleſcentia mea vidi. Cuius libellum de ordine Palatij legi & ſcripſi, in quo inter cetera continetur, duabus principaliter diuiſionibus totius regni ſtatum conſtare, antepoſito ſemper & vbique omnipotentis Dei iudicio. Primam videlicet diuiſionem eſſe dicens, qua aſſiduè & indeficienter regis palatium regebatur & ordinabatur. alteram verò, qua totius regni ſtatus ſecundùm ſuam qualitatem ſtudioſiſſimè prouidendo ſeruabatur.

XIII. In prima igitur diſpoſitione, regis palatium in ornamenmento totius palatij ita ordinatum erat. Antepoſito ergo rege & regina, cum nobiliſſima prole ſua, tam in ſpiritalibus, quàm & in ſæcularibus, atque corporalibus rebus, per hos miniſtros omni tempore gubernabatur. Videlicet per Apocriſiarium, id eſt, reſponſalem negotiorum Eccleſiaſticorum: cuius miniſterium ex eo tempore ſumpſit exordium, quando Conſtantinus magnus Imperator Chriſtianus effectus, propter amorem & honorem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum doctrina ac miniſterio ad Chriſti gratiam baptiſmatis ſacramenti peruenit, locum & ſedem ſuam, vrbem ſcilicet Romanam, Papæ Silueſtro edicto priuilegij tradidit, & ſedem ſuam in ciuitate ſua, quæ antea Byzantium vocabatur, nominis ſui ciuitatem ampliando ædificauit: & ſic Reſponſales tam Romanæ ſedis, quàm & aliarum præcipuarum ſedium, in palatio pro Eccleſiaſticis negotiis excubabant.

XIV. Aliqvando per Epiſcopos, aliquando verò per Diaconos Apoſtolica ſedes hoc officio fungebatur. Quo officio beatus Gregorius in Diaconi Ordine functus fuit, & ex aliis præcipuis ſedibus per Diaconos id officium exequebatur, ſicut ſacri canones iubent. Et in his Ciſalpinis regionibus, poſtquam Hludouuicus prædicatione beati Remigij ad Chriſtum conuerſus, & ab ipſo cum tribus milibus Francorum in vigilia ſancti Paſchæ baptizatus extitit, per ſucceſſiones regum ſancti Epiſcopi ex ſuis ſedibus, & tempore competenti palatium viſitantes, viciſſim hanc adminiſtrationem diſpoſuerunt. A tempore verò Pippini & Caroli interdum per preſbyteros, interdum per Epiſcopos regia voluntate, atque Epiſcopali conſenſu, per Diaconos vel Preſbyteros magis quàm per Epiſcopos hoc officium executum extitit: quia Epiſcopi continuas vigilias ſupra gregem ſuum debent aſſiduè exemplo & verbo vigilare, & non diutiùs ſecundùm ſacros canones à ſuis abeſſe parochiis.

XV. Neqve iuxta decreta ex ſacris canonibus promulgata beati Gregorij, prætoria, quæ nunc regia, & vſitatiùs palatia nomi-

nantur, debent inutiliter obseruare, ne incurrant iudicium, vt contra placita canonum sibi in ordinatione sua tradita facientes, ipsi se honore priuent Ecclesiastico. Et vt de licitis exempla ponamus, & de inlicitè vsurpatis non taceamus, tempore Pippini & Caroli hoc ministerium consensu Episcoporum per Fulradum presbyterum, tempore etiam Caroli per Engelramnum & Hildiboldum Episcopos, tempore denique Hludouuici per Hilduinum presbyterum, & post eum per Fulconem item presbyterum, deinde per Drogonem Episcopum, extitit hoc ministerium executum.

XVI. APOCRISIARIVS autem, quem nostrates Capellanum, vel Palatij Custodem appellant, omnem clerum Palatij sub cura & dispositione sua regebat. Cui sociabatur summus Cancellarius, qui à secretis olim appellabatur, erántque illi subiecti prudentes & intelligentes ac fideles viri, qui præcepta regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberent, & secreta illis fideliter custodirent. Post eos verò, sacrum palatium per hos ministros disponebatur, per Camerarium videlicet, & Comitem palatij, Senescalcum, Buticularium, Comitem stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium vnum.

XVII. ET quamuis sub ipsis, & ex latere eorum, alij ministeriales fuissent, vt ostiarius, saccellarius, dispensator, scapoardus, vel quorumcumque ex eis iuniores, aut decani fuissent, vel etiam alij ex latere, sicut bersarij, veltrarij, beuerarij, vel si qui adhuc supererant: verumtamen, quamuis & ipsi singuli iuxta suam qualitatem ad hoc intenti essent, nõ tamen ad eos, sicut ad ceteros principaliter, vt subter insertum est, totius regni confœderatio in maioribus vel minoribus, singulis quibusque quotidianis necessitatibus occurrentibus, cum palatio conglutinabantur. Sed nec ipsi superiores omnes æqualiter, propter ministeriorum diuersitatem, qualitatem, vel conuenientiam, prodesse poterant: cùm tamen nullus se, propter fidei seruandam veritatem regis & regni, vt prædictum est, subtrahere potuisset, vel etiam voluisset. De quorum personis vel ministeriis, quanquam plura sint quæ dicantur, hæc tamen præcipuè habebantur.

XVIII. IMPRIMIS, vt iuxta cuiuscunque ministerij qualitatem vel quantitatem, minister nobili corde & corpore constans, rationabilis, discretus & sobrius eligeretur. Sed nec illa sollicitudo deerat, vt si fieri potuisset, sicut hoc regnum, Deo auctore, ex pluribus regionibus constat, ex diuersis etiam eisdem regionibus, aut in primo, aut in secundo, aut etiam in quolibet loco, iidem ministri eligerentur, qualiter familiariùs quæque regiones palatium adire possent, dum suæ genealogiæ vel regionis consortes in Palatio locum tenere cognoscerent.

XIX. HIS ita breuiter de eligendis & constituendis ministris prædictis, nunc ad eorumdem ministrorum & ministrationum or-

dinem qualiter currebant veniendum est. Nam quamuis præfati ministri, vnusquisque de suo ministerio, non sub alio, vel per alium, nisi per seipsum, solum regem, vel quantum ad reginam vel gloriosam prolem regis respiciebant, caput ponerent: non tamen omnes æqualiter de ceteris rebus, vel ceterorum necessitatibus Regem adibant, sed mensura sua quisque contentus erat, & vbi vel vbi ratio poscebat, solatium alterius requirebat. E quibus præcipuè duo, id est Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel palatij Custos, de omnibus negotiis Ecclesiasticis vel ministris Ecclesiæ, & Comes palatij de omnibus sæcularibus causis, vel iudiciis suscipiendi curam instanter habebant: vt nec Ecclesiastici, nec sæculares, priùs domnum Regem, absque eorum consultu inquietare necesse haberent, quousque illi præuiderent, si necessitas esset vt causa ante regem meritò venire deberet. Si verò secreta esset causa, quam priùs congrueret regi quàm cuiquam alteri dicere, eundem dicendi locum eidem ipsi præpararent, introducto priùs rege, vt hoc iuxta modum personæ, vel honorabiliter, vel patienter, vel etiam misericorditer susciperet.

XX. Apocrisiarius quidem de omni Ecclesiastica religione vel ordine, nec non etiam de canonicæ vel monasticæ altercatione, seu quæcumque palatium adibant pro Ecclesiasticis necessitatibus sollicitudinem haberet, & ea tantummodò de externis regem adirent, quæ sine illo pleniùs definiri non potuissent. Ceterùm, vt non solùm de his, quæ ad eos specialiter de omni ornamento vel officio Ecclesiastico infra palatium agenda pertinebant, verùm quoque & omnem consolationem spiritalem, siue consilium totius palatij quicumque quæreret, apud eum vt necesse erat fideliter inueniret: & qui non quæreret, & tamen ipse apud aliquem necessarium esse sentiret, iuxta personæ qualitatem, & à peruerso sensu vel opere retrahere, & ad viam salutis conuertere studeret. Et cetera spiritualia, quæcumque palatio, tam ab assiduè conuersantibus, quámque & à superuenientibus, siue secundùm Deum, siue secundùm sæculum, vt prouiderentur & præuiderentur erant necessaria, quæ enumerare longum est, ad eius specialiter curam pertinebant. Non ita, vt aliter vllus, siue palatinus, siue externus superueniens, sapientia & vera deuotione per Dei gratiam illuminatus, tale aliquid minimè ageret: sed maximè consuetudo erat, vt aut cum eodem Apocrisiario pariter, aut certè per eius consilium quod erat agendum ageret, ne fortè quid minùs vtile aut indignum regi subriperet.

XXI. Comitis autem palatij, inter cetera penè innumerabilia, in hoc maximè sollicitudo erat, vt omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ propter æquitatis iudicium palatium aggrediebantur, iustè ac rationabiliter determinaret, seu peruersè iudicata ad æqui-

quitatis tramitem reduceret, vt & coram Deo propter iustitiam, & coram hominibus propter legum obseruationem, cunctis placeret. Si quid verò tale esset, quod leges mundanæ hoc in suis diffinitionibus statutum non haberent, aut secundùm gentilium consuetudinem crudeliùs sancitum esset, quàm Christianitatis rectitudo, vel sancta auctoritas meritò non consentiret, hoc ad regis moderationem perduceretur, vt ipse cum his qui vtramque legem nossent, & Dei magis quàm humanarum legum statuta metuerent, ita decerneret, ita statueret, vt vbi vtrumque seruari posset, vtrumque seruaretur: sin autem, lex sæculi meritò comprimeretur, iustitia Dei conseruaretur.

XXII. De honestate verò palatij, seu specialiter ornamento regali, nec non & de donis annuis militum, absque cibo & potu, vel equis, ad reginam præcipuè, & sub ipsa ad Camerarium pertinebat: & secundùm cuiusque rei qualitatem, ipsorum sollicitudo erat, vt tempore congruo semper futura prospicerent, ne quid dum opus esset vllatenus opportuno tempore defuisset. De donis verò diuersarum legationum, ad Camerarium adspiciebat: nisi fortè iubente rege tale aliquid esset, quod reginæ ad tractandum cum ipso congrueret. Hæc autem omnia & his similia eò intendebant, vt ab omni sollicitudine domestica vel palatina, in quantum rationabiliter & honestè esse poterat, domnus rex omnipotenti Deo spem suam indesinenter committens, ad totius regni statum ordinandum vel conseruandum animum semper suum promptum haberet.

XXIII. Ad tres autem ministeriales, Senescalcum, Buticularium, & Comitem stabuli, secundùm vniuscuiusque ministerij qualitatem vel quantitatem pertinebat, vt cùm communi consensu de suo quisque ministerio admonendi non essent segnes, vt quantociùs esse potuisset, omnes actores regis præscirent, vbi vel vbi rex illo vel illo tempore, tanto vel tanto spatio manere debuisset, propter adductionem, vel præparationem: ne fortè tardè scientes, dum inopportuno tempore, vel cum nimia festinatione exigeretur, familia regalis per negligentiam sine necessitate opprimeretur. Quæ videlicet cura quamquam ad Buticularium vel ad Comitem stabuli pertineret, maxima tamen cura ad Senescalcum respiciebat, eo quòd omnia cetera, præter potus vel victus caballorum, ad eundem Senescalcum respiceret. Inter quos etiam & Mansionarius intererat, super cuius ministerium incumbebat, sicut & nomen eius indicat, vt in hoc maximè sollicitudo eius intenta esset, vt tam supradicti Actores, quámque & susceptores, quo tempore ad eos illo vel illo in loco rex venturus esset, propter mansionum præparationem, vt opportuno tempore præscire potuissent: ne aut inde tardè scientes, propter afflictionem familiæ importuno tempore peccatum, aut hi propter non condignam susceptionem, ac si bene noluissent, cùm

certè non volendo, ſed non valendo offenſionem incurrerent.

XXIV. SIMILITER quoque quatuor Venatores, & quintus Falconarius, cum eadem vnanimitate ſecundùm temporis qualitatem admonere ſtudebant, qualiter ea, quæ ad ſingulorum miniſteriorum curam pertinebant, vt opportuno tempore, & non tardè conſideraretur, quando tanti vel quando tanti, quando toti & quando nulli, aut in palatio retinerentur, aut more ſolito foris nutriendi vſque ad tempus mitterentur, aut tempore congruo per denominata loca venandi cauſa pariter & nutriendi diſponerentur. Sed & hoc & illud, id eſt, & intra & extra palatium, ita ſemper cum menſura & ratione ordinaretur, vt quantum prodeſſet eſſet, & quantum non prodeſſet non eſſet: quia in ipſis miniſteriis non ſic facilè certus numerus, aut hominum, aut canum, aut auium diffiniri poteſt: ideò in ipſorum arbitrio manebat, quanti & quales eſſent. Senſus autem in his omnibus talis erat, vt nunquam palatio tales vel tanti deeſſent miniſtri, propter has præcipuè inter ceteras neceſſitates vel honeſtates.

XXV. PRIMÒ, vt ſiue generaliter maioribus, ſiue ſpecialiter vel ſingulariter quibuſque minoribus recedentibus, omni tempore & multitudine congrua, ſine qua rationabiliter & honeſtè eſſe non poſſet, ſemper eſſet ornatum palatium, & conſiliariis condignis nunquam deſtitutum fuiſſet. Et vt qualiſcumque legatio, ſiue ſpeculandi, ſiue etiam ſubdendi gratia veniret, qualiter omnes quidem honeſtè ſuſcipi potuiſſent. Deinde primus conſilij rectitudinem, ſecundus miſericordiæ & benignitatis conſolationem, tertius verò verſutiæ ſeu temeritatis ſermo referret medicinam. Et vt ex quacumque parte totius Regni, quicumque deſolatus, orbatus, alieno ære oppreſſus, iniuſtè calumnia cuiuſque ſuffocatus, ſeu cetera his ſimilia, quæ nunc enumerare perlongum eſt, maximè tamen de viduis & orphanis, tam ſeniorum quàmque & mediocrium, vniuſcuiuſque ſecundùm ſuam indigentiam, vel qualitatem, dominorum verò miſericordiam & pietatem, ſemper ad manum haberet, per quem ſinguli ad pias aures Principis perferre potuiſſent.

XXVI. SIMILITER, qui propter diutinum ſeruitium digni erant vt remunerari debuiſſent, & locus talis occurrebat, vbi ex prædictis indigentibus nemo ſine menſura deſtitueretur, ſimiliter ſecundùm eorum qualitatem ad memoriam Principum reuocarentur, non tam ipſis vrgentibus, quàm eorum, de quibus ſuprà dictum eſt, fidem & debitum exigentibus, vt in eis id fieret primò propter quod cum iuſtitia & miſericordia Deo placeret. Deinde in militia remanentibus certiſſimam fideliter ſeruiendi fidem & conſtantiam miniſtrarent. Deinde vt etiam longè poſitis per totius regni ambitum lætitiam & gaudium demonſtrarent. Et ſi aliquis ex miniſterialibus vel conſiliariis decedebat, loco eius congruus & vtilis reſtituebatur.

XXVII. Et vt illa multitudo, quæ in palatio ſemper eſſe debet, indeficienter perſiſtere poſſet, his tribus ordinibus fouebatur. Vno videlicet, vt abſque miniſteriis expediti milites, antepoſita Dominorum benignitate, & ſollicitudine, qua nunc victu, nunc veſtitu, nunc auro, nunc argento, modò equis, vel ceteris ornamentis, interdum ſpecialiter, aliquando prout tempus, ratio, & ordo condignam poteſtatem adminiſtrabat, ſæpiùs porrectis, in eo tamen indeficientem conſolationem, nec non ad regale obſequium inflammatum animum ardentiùs ſemper habebant, quòd illos præfati Capitanei miniſteriales certatim de die in diem, nunc iſtos, nunc illos, ad manſiones ſuas vocabant, & non tam gulæ voracitate, quàm veræ familiaritatis ſeu dilectionis amore, prout cuique poſſibile erat, impendere ſtudebant: ſicque fiebat, vt rarus quiſque infra hebdomadam remaneret, qui non ab aliquo pro huiuſmodi ſtudio conuocaretur.

XXVIII. Alter ordo per ſingula miniſteria diſcipulis congruebat, qui magiſtro ſuo ſinguli adhærentes, & honorificabant & honorificabantur, locíſque ſinguli ſuis, prout opportunitas occurrebat, vt à Domino videndo vel alloquendo conſolarentur. Tertius ordo item erat, tam maiorum, quàm minorum, in pueris, vel vaſallis, quos vnuſquiſque, prout gubernare & ſuſtentare abſque peccato, rapina videlicet vel furto poterat, ſtudioſè habere procurabant. In quibus ſcilicet denominatis ordinibus, abſque his qui ſemper eundo & redeundo palatium frequentabant, erat delectabile, quòd interdum & neceſſitati, ſi repentè ingrueret, ſemper ſufficerent: & tamen ſemper, vt dictum eſt, maior pars illius propter ſuperiùs commemoratas benignitates, cum iucunditate & hilaritate prompta & alacri mente perſiſterent.

XXIX. Secvnda diuiſio eſt, qua totius Regni ſtatus, antepoſito ſicuti ſemper & vbicumque omnipotentis Dei iudicio, quantum ad humanam rationem pertinebat, conſeruari videbatur, hæc eſt. Conſuetudo autem tunc temporis talis erat, vt non ſæpiùs, ſed bis in anno, placita duo tenerentur. Vnum, quando ordinabatur ſtatus totius Regni ad anni vertentis ſpatium, quod ordinatum nullus euentus rerum, niſi ſumma neceſſitas, quæ ſimiliter toto Regno incumbebat, mutabatur. In quo placito generalitas vniuerſorum maiorum tam clericorum quàm laicorum conueniebat. ſeniores, propter conſilium ordinandum: minores, propter idem conſilium ſuſcipiendum, & interdum pariter tractandum, & non ex poteſtate, ſed ex proprio mentis intellectu vel ſententia confirmandum.

XXX. Ceterum autem propter dona generaliter danda, aliud placitum cum ſenioribus tantùm & præcipuis conſiliariis habebatur: in quo iam futuri anni ſtatus tractari incipiebatur, ſi fortè talia aliqua ſe præmonſtrabant, pro quibus neceſſe erat præmeditan-

do ordinare, si quid mox transacto anno priore incumberet, pro quo anticipando aliquid statuere aut prouidere necessitas esset. verbi gratia, si inter Marchisos in qualibet regni parte ad aliud tempus dextræ datæ fuissent, quid mox post dextras exactas agendum esset, vtrum renouandæ, an finiendæ essent. iuxta ceterarum partium imminentibus rixa & pace, vt secundum id quod tunc temporis ratio poscebat, si ex vna parte hinc aut inde vel facienda vel toleranda inquietudo necessariò incumbebat, ex aliis partibus tranquillitas ordinaretur. Et cùm ita per eorundem seniorum consilium, quid futuri temporis actio vel ordo agendi posceret, à longè considerarent: & cùm inuentum esset, sub silentio idem inuentum consilium, ita funditus ab omnibus alienis incognitum vsque ad aliud iterum secundum generale placitum, ac si inuentum vel à nullo tractatum esset, maneret: vt si fortè tale aliquid aut infra aut extra regnum ordinandum esset, quod præscientia quorundam, aut destruere, aut certè inutile reddere, aut per aliquam diuersam astutiam laboriosius faciendum conuertere voluisset, hoc nullatenus facere potuisset. In ipso autem placito, si quid ita exigeret, vel propter satisfactionem ceterorum seniorum, vel propter non solùm mitigandum, verùm etiam accendendum animum populorum, ac si ita priùs exinde præcogitatum nihil fuisset, ita nunc à nouo, consilio, & consensu illorum & inueniretur, & cum magnanimis ordo Domino duce perficeretur. Ita autem anno priore terminato, præfato modo ordinaretur & de secundo.

XXXI. Consiliarii autem, quantum possibile erat, tam clerici quàm laici, tales eligebantur, qui primò secundùm suam quisque qualitatem vel ministerium Deum timerent, deinde talem fidem haberent, vt excepta vita æterna nihil regi & regno præponerent, non amicos, non inimicos, non parentes, non munera dantes, non blandientes, non exasperantes, non sophisticè vel versutè, aut secundùm sapientiam solummodò huius sæculi quæ inimica est Deo sapientes, sed illam sapientiam & intellegentiam scientes, qua illos qui in supradicta humana astutia fiduciam suam habuissent, pleniter per iustam & rectam sapientiam non solùm reprimere, sed funditus opprimere potuissent. Electi autem Consiliarij vnà cum Rege hoc inter se principaliter constitutum habebant, vt quicquid inter se familiariter locuti fuissent, tam de statu Regni, quámque & de speciali cuiuslibet persona, nullus sine consensu ipsorum cuilibet domestico suo, vel cuicumque alteri prodere debuisset, secundum hoc quòd res eadem siue die, siue duobus, siue ampliùs, seu annum, vel etiam in perpetuo celari, vel sub silentio manere necesse fuisset: quia sæpe in tali tractatu de qualibet persona, talis interdum propter communem vtilitatem agendam vel cauendam sermo procedit, qui ab eo cognitus, aut valdè turbat, aut quod magis est in desperationem tra-

hit, vel quod grauiſſimum eſt, in infidelitatem conuertit, & ab omni profectu, quem fortaſſe multipliciter exercere potuit, inutilem reddit, cùm tamen nihil ei obeſſet ſi eundem ſermonem minimè ſciret. Quale de homine vno, tale de duobus, tale de centum, tale de maiori numero, vel etiam de progenie vna, vel tota qualibet ſimul prouincia, ſi magna cautela non fuerit, fieri poterit.

XXXII. Apocrisiarivs autem, id eſt, Capellanus, vel Palatij Cuſtos, & Camerarius ſemper intererant: & idcirco cum ſummo ſtudio tales eligebantur, aut electi inſtruebantur, qui meritò intereſſe potuiſſent. Sed & de ceteris miniſterialibus, qui talem ſe oſtendebat, vt ad hoc vel præſens, vel futurus, nunc diſcendo, poſtmodum verò conſiliando, loco eorumdem honorificè ſubſtitui potuiſſet, cum ſumma intentione mentis intendendo ſingulis quæ agebantur intereſſe iubebatur, ſaluans credita, diſcens incognita, retinens ordinata & conſtituta. vt ſi fortè tale aliquid extra aut infra regnum oriretur, aut inſperatum & ideò non præmeditatum nuntiaretur, (rariùs tamen neceſſe eſſet vt conſilium altius tractaretur, & tamen tempus aptum non eſſet, in quo præfati Conſiliarij conuocarentur,) ipſi Palatini per miſericordiam Dei, ex eorum aſſidua familiaritate, tam in publicis conſiliis, quámque ex domeſtica in hac parte allocutione, reſponſione, & conſultatione, ſtudium haberent, prout tunc rei vel temporis qualitas exigebat, aut conſilium pleniter dare quid fieret, aut certè quomodo ad præfinita tempora cum conſilio, & abſque vllo detrimento res eadem expectari vel ſuſtentari potuiſſet. Hæc de maioribus.

XXXIII. De minoribus verò, vel propriè Palatinis, ita vt diximus non generaliter ad regnum pertinentibus, ſed ſpecialiter ad perſonas quaſque reſpicientibus, quæ ſpecialiter Palatio imminebant, cùm eis dominus rerum ita inconfusè ordinare potuiſſet, vt exinde non ſolùm detrimentum vllum oriretur, verùm etiam ortum aut imminens vtiliter aut mitigari, aut funditus extingui, aut etiam euelli potuiſſet. Si verò talis eſſet cauſa, vt velocitati immineret, & tamen aliquatenus vſque ad generale placitum quoquo pacto ſuſtentari, vel ſine peccato, aut ſine contumelia potuiſſet, ipſi modum eiuſdem ſuſtentationis ex prædicto maiori vſu conſilium dandi ſcirent, & ſapientiam priorum imitari placitè Deo, & vtiliter regno interim dare potuiſſent. Præfatorum autem Conſiliariorum intentio, quando ad palatium conuocabantur, in hoc præcipuè vigebat, vt non ſpeciales vel ſingulares quaſcumque vel quorumcumque cauſas, ſed nec etiam illorum, qui pro contentionibus rerum aut legum veniebant ordinarent, quouſque illa quæ generaliter ad ſalutem vel ſtatum regis & regni pertinebant, Domino miſerante ordinata habuiſſent. Et tunc demum, ſi fortè tale aliquid domno rege præcipiente reſeruandum erat, quod ſine eorum certa conſide-

ratione determinari à Comite Palatij, vel ceteris, quibus congruebant, non potuiſſet.

XXXIV. Proceres verò prædicti, ſiue in hoc, ſiue in illo præfato placito, quin & primi Senatores regni, ne quaſi ſine cauſa conuocari viderentur, mox auctoritate regia per denominata & ordinata capitula, quæ vel ab ipſo per inſpirationem Dei inuenta, vel vndique ſibi nuntiata poſt eorum abſceſſum precipuæ fuerant, eis ad conferendum vel ad conſiderandum patefacta ſunt. Quibus ſuſceptis, interdum die vno, interdum biduo, interdũ etiam triduo, vel amplius, prout rerum pondus expetebat accepto, ex prædictis domeſticis palatij miſſis intercurrentibus, quæque ſibi videbantur interrogantes reſponſúmque recipientes, tam diu ita nullo extraneo appropinquante, donec res ſingulæ ad effectum perductæ glorioſi Principis auditui in ſacris eius obtutibus exponerentur, & quicquid data à Deo ſapientia eius eligeret, omnes ſequerentur, ecce ſicut de vno, ita de duobus, vel quotquot eſſent capitulis agebatur, quouſque omnia Deo miſerante illius temporis neceſſaria expolirentur.

XXXV. Interim verò, quo hæc in Regis abſentia agebantur, ipſe Princeps reliquæ multitudini, in ſuſcipiendis muneribus, ſalutandis proceribus, confabulando rariùs viſis, compatiendo ſenioribus, congaudendo iunioribus, & cetera his ſimilia tam in ſpiritalibus, quámque & in ſæcularibus, occupatus erat: ita tamen, vt quotienſcunque ſegregatorum voluntas eſſet, ad eos veniret, ſimiliter quoque quanto ſpatio voluiſſent cum eis conſiſteret, & cum omni familiaritate, qualiter ſingula reperta habuiſſent referebant, quantáque mutua hinc & inde altercatione vel diſputatione, ſeu amica contentione decertaſſent, apertiùs recitabant. Sed nec illud prætermittendum, quomodo ſi tempus ſerenum erat, extrà, ſin autem, intrà diuerſa loca diſtincta erant, vbi & hi abundanter ſegregati ſemotim, & cetera multitudo ſeparatim reſidere potuiſſent, priùs tamen ceteræ inferiores perſonæ intereſſe minimè potuiſſent. Quæ vtraque tamen Seniorum ſuſceptacula ſic in duobus diuiſa erant, vt primò omnes Epiſcopi, Abbates, vel huiuſmodi honorificentiores clerici, abſque vlla laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites, vel huiuſmodi Principes ſibimet honorificabiliter à cetera multitudine primo mane ſegregarentur, quouſque tempus ſiue præſente ſiue abſente rege occurrerent: & tunc prædicti Seniores more ſolito, Clerici ad ſuam, Laici verò ad ſuam conſtitutam curiam, ſubſelliis ſimiliter honorificabiliter præparatis, conuocarentur. Qui cùm ſeparati à ceteris eſſent, in eorum manebat poteſtate, quando ſimul vel quando ſeparati reſiderent, prout eos tractandæ cauſæ qualitas docebat, ſiue de ſpiritalibus, ſiue de ſæcularibus, ſeu etiam commixtis. Similiter, ſi propter quamlibet veſcendi vel inueſtigandi cauſam quemcumque conuocare voluiſſent,

& re comperta discederet, in eorum voluntate manebat. Hæc interim de his, que eis à rege ad tractandum proponebantur.

XXXVI. SECVNDA autem ratio regis erat, interrogatio quid vnusquisque ex illa parte regni, qua veniebat, dignum relatu, vel retractatu secum adferret, quia & hoc eis non solùm permissum, verùm etiam arctiùs commissum erat, vt hoc vnusquisque studiosissimè, vsque dum reuerteretur, tam infra, quàm extra regnum perquireret, si quid tale non solùm à propriis vel extraneis, verùm etiam sicut ab amicis, ita & ab inimicis inuestigaret, intermissa interim, nec magnopere vnde sciret inuestigata persona. Si populus in qualibet regni parte, regione, seu angulo turbatus, quæ causa turbationis esset, si murmur populi obstreperet, vel tale aliquid inæquale resonaret, vnde generale consilium tractare aliquid necessarium esset, & cetera his similia. Extra verò, si aliqua gens subdita rebellare, vel rebellata subdere, si necdum tacta insidias regni moliri, vel tale aliquid oriri voluisset. In his verò omnibus, quæcumque cuilibet periculo imminerent, illud præcipuè quærebatur, cuius rei occasione talia vel talia orirentur.

XXXVI. POST illa, quæ in Synodo apud Martyrium sanctæ Macræ de maiorum constitutionibus collecta, & regi Hludouuico nuper defuncto fuere directa, hæc de ordine Palatij & dispositione regni, vobis ad institutionem istius regis nostri ac ministrorum eius regníque prouisorum, sicut scriptis & verbis Seniorum didici, & ipse adhuc in adolescentia mea vidi, deuotè iussioni vestræ obediens obtuli. Personas autem hominum, & mores ac qualitates illorum, per quos si aliqua sunt collapsa restituantur, vestra sollertia prouidebit, quoniam de his, quos tempore domni Hludouuici Imperatoris vidi Palatij procuratores & regni præfectos, neminem scio esse superstitem: scio tamen de illorum nobilitate natos pro patribus filios, licet illorum mores ac qualitates ignorem. Ipsi verò procurent, vt non sint moribus ac virtute, atque pro ætatis quantitate, vel temporis qualitate, sapientia & studiis bonis degeneres. quatenus merito patrum loca & officia suppleant, & se in ipsa suppletione cautè custodiant, ne, vt sanctus Gregorius dicit, in culmine honoris positi vsu gloriæ permutentur, sicut Saul, qui priùs in electione honoris extitit humilis, postea reprobari meruit propter elationem tumoris.





XV.

AD EPISCOPOS REGNI,

ADMONITIO ALTERA PRO CAROLOMANNO Rege apud Sparnacum facta.

Ex editione Moguntina Ioannis Busæi.

HINCMARVS EPISCOPVS AC PLEBIS Dei famulus.

CAPVT I.



OCTRINA est Christiana, secundùm sanctarum Scripturarum tramitem, prædicationémque maiorum, qua Deo ac Domino nostro Iesu Christo conditore & redemptore nostro, qui simul solus rex & sacerdos fieri potuit, in cuius nomine omne genu flectitur, cælestium terrestrium, & infernorum, disponente, sicut beatus Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem dicit, & in gestis quæ nuper apud Martyrium sanctæ Macræ in Synodo gesta sunt partim continetur, duo sunt, quibus principaliter, vnà cum specialiter cuiuscumque curæ subiectis, mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas: in quibus personis, sicut ordine sunt diuisa vocabula, ita sunt & diuisa in vnoquoque ordine ac professione ordinationum officia. Quamuis enim membra veri regis atque Pontificis secundùm participationem naturæ, magnificè vtrumque in sacra generositate sumpsisse dicantur, vt simul regale genus & sacerdotale subsistant, memor tamen Christus fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis, dignitatibúsque distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus, (vt ante aduentum eius in carnem pagani Imperatores, qui iidem & maximi Pontifices dicebantur,) intercipi, vt & Christiani reges pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum imperialibus dispositionibus vterentur: quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideò militans Deo minimè se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur qui esset negotiis sæcularibus implicatus, vt & modestia vtriusque ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.

Epist. 10. — Gelasius in Tom. anathematis. — 1. Petr. 2. — 2. Tim. 2.

II.

II. Sed tanto grauius pondus est Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem: & tanto est dignitas Pontificum maior quàm regum, quia reges in culmen regium sacrantur à Pontificibus, Pontifices autem à regibus consecrari non possunt. & tanto in humanis rebus regum cura est propensior quàm Sacerdotum, quanto pro honore & defensione & quiete sanctæ Ecclesiæ, ac rectorum & ministrorum ipsius, & leges promulgando, ac militando, à rege regum est eis curæ onus impositum.

III. Diligenter igitur quisque debet in ordine & professione sua quo nomine censetur attendere, & maiorem in modum 4.Reg.15. prouidere, ne à nomine discordet officio. Quia, sicut legimus in sa- 2.Paral.26. cra historia, Ozias rex præsumens incensum ponere, quod non Regij, sed sacerdotalis erat ministerij, lepra est à Deo percussus, & de templo à sacerdotibus eiectus, & in domo sua est vsque ad mortem reclusus. Et sanctus Cyprianus in decimo gradu abusionum, per Cap.10. quem sæculi rota, si in illo fuerit, decipitur, & ad tartari tenebras nullo impediente iustitiæ suffragio, per iustum Dei iudicium rotatur, de negligente Episcopo dicit, Si fuerit Episcopus negligens, qui gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerij sui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non custodit. Primum namque ab Episcopo, quid sui nominis dignitas teneat, inquiratur: quoniam cùm Episcopus Græcum nomen sit, speculator interpretatur. Quare verò speculator ponitur, & quid à speculatore requiratur, Dominus ipse denudat, cùm sub Ezechielis prophetæ persona Episcopo officij sui rationem denuntiat, ita inquiens, *Speculatorem dedi te domui Israel,*] & reliqua, quæ non perfun- Ezech.3. ctoriè neque raro legere & meditari debemus qui vocamur hoc nomine.

IV. In veteri testamento Dauid rex simul & propheta, præfigurans Dominum nostrum Iesum Christum, qui, vt præmisimus, 1.Paral.24. solus rex simul & sacerdos fieri potuit, duos in Sacerdotibus ordines constituit, in summis videlicet Pontificibus, & in minoris ordinis sacerdotibus, qui nunc presbyteratus funguntur officio: ea videlicet prouisione, vt dum quilibet Pontificum vita decederet, quicumque Sacerdotum optimus putaretur, ei in Pontificatum succederet. Et in nouo testamento Dominus noster Iesus Christus de multitudi- Luc.6.&10. ne discipulorum suorum, sicut in Euangelio legimus, duodecim elegit, quos & Apostolos nominauit. Horum in Ecclesia locum tenent Episcopi, sicut sanctus Gregorius, & ceteri catholici Doctores ostendunt. Designauit etiam & alios septuaginta duos, quia vt duodecim Apostolos formam Episcoporum exhibere simul & præmonstrare nemo est qui dubitet, sic & hos septuaginta duos figuram Presbyterorum, id est, secundi ordinis Sacerdotum gessisse scien-

Philip 1. Tit. 1. 1. Tim. 3. Act. 20. dum est: tametsi primis Ecclesiæ temporibus, vt Apostolica scriptura testis est, vtrique presbyteri, vtrique vocabantur Episcopi, quorum vni sapientiæ maturitatem, alteri industriam curæ pastoralis significant, quorum licèt in quibusdam sint discreta officia dignitatum, vno nomine sacræ regulæ comprehendunt. Nulli, inquiunt, sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod patrum possit regulis obuiare,] quia non minùs in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in ipsius Domini iniuriam prosilitur. id est, non minùs schismatici in sanctarum traditionum sanctiones delinquentes, quàm hæretici à recta fide discedentes, donec conuertantur, & vnitati sanctæ Ecclesiæ incorporentur, ab eadem Ecclesia sunt separandi. In Episcopis enim, vt beatus dicit Ambrosius, omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est, hoc est, princeps sacerdotum, & propheta, & euangelista, & ceterorum ministrorum in se officia continens ad implenda ea in ministerio fidelium.

Cælest. ep. 2 ad Episc. per Apul. & Cal.

In cap. 4. ad Ephes.

V. QVALITER autem consensu principis terræ, qui res Ecclesiasticas diuino iudicio ad tuendas & defensandas suscepit, electione cleri ac plebis quisque ad Ecclesiasticum regimen absque vlla venalitate prouehi debeat, & Dominus in Euangelio, & sacri canones apertè demonstrant, dicente Domino, *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Quales autem ad Episcopatum debeant promoueri, Apostolica & canonica decernit auctoritas. Vnde principi terræ magnopere prouidendum atque cauendum est, ne in his Deus offendatur, per quos religio Christiana consistere debet, & ceteri ab offensione saluari. Nullius enim rei intuitu eligendus est Episcopus, nisi Dei solius, id est, non pro aliquo munere præsentis vel futuræ sub spe retributionis, nec pro aliquo obsequio humano, vel propinquitate consanguinitatis, seu amicitia, vel seruitio temporali, aut aliqua occasione, quæ contraria esse possit veritati, aut diuinæ auctoritati: sicut & de presbyteris, sicut sacra demonstrat auctoritas.

Ioan. 10. 2. Tim. 3. Ioan. 2. Act. 8.

VI. QVALITER autem ordinati ministros sibi suppositos regere debeant, sacri canones & decreta sedis Romanæ Pontificum, sed & sextus decimus liber Legum, quibus vnà cum sacris canonibus sancta moderatur Ecclesia, patenter ostendunt. Quàm pura etiam intentione sacros Ecclesiasticos ordines debeant dispensare, beatus Gregorius in homilia Euangelij, Misit Iesus duodecim discipulos suos, præcipiens eis & dicens, *In viam gentium ne abieritis*, & in homilia Euangelij, *Designauit Dominus & alios septuaginta duos*, & in homilia Euangelij, *Vidit Iesus ciuitatem, & fleuit super illam*, apertè ostendit. Qua verò discretione ligare vel soluere debeant subditos, in homilia Euangelij, *Cùm serò factum esset vna sabbatorum*, luculenter demonstrat. Qualiter autem quisque ad culmen regimi-

Hom. 4. Hom. 17. Hom. 39. Hom. 26.

nis videlicet Episcopatus veniat, atque ad hoc rectè perueniens qualiter viuat, & bene viuens qualiter doceat, & rectè docens infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat, beatus Gregorius in Pastorali regula sufficienter & eloquentissimè docet.

VII. QVALIS denique rex debeat esse, beatus Cyprianus in nono abusionis gradu demonstrat docens, Etenim regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Inde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, ne iniqui sint, non corrigit? Quoniam in iustitia regis exaltatur solium, & in veritate regis solidantur gubernacula populorum. Iustitia verò regis est, neminem iniustè per potentiam opprimere, sine personarum acceptione inter virum & proximum suum iustè iudicare: aduenis, & pupillis, & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes viuere non sinere, Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, iustos super regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios consiliarios habere, magorum & ariolorum pythonissarúmque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & iustè contra aduersarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus animum non eleuare, cuncta aduersa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impiè agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. *Væ enim terræ, cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt.* Haec regni prosperitatem in præsenti faciunt, & regem ad cælestia regna meliora perducunt. Qui verò regnum non secundùm hanc legem dispensat, multas nimirum aduersitates imperij tolerabit. Idcirco enim pax sæpè populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & seruitia populorum præpediuntur, multi & varij dolores prosperitatem regni inficiunt, carorum & liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus prouincias vndique vastant, bestiæ armentorum & pecorum greges dilacerant, tempestas aëris & hyemis turbata rerum fœcunditate maris ministeria prohibent, & aliquando fulminum ictus segetes & arborum flores & pampinos quosque exurunt. Super omnia verò regis iniustitia non solùm præsentis imperij faciem offuscat, sed etiam filios suos & nepotes, ne post se regni hæreditatem teneant, obscurat. *Propter piaculum enim Salomonis regnum domus Israel Dominus de manibus filiorum eius dispersit, & propter iustitiam Dauid regis lucernam de semine eius semper in Hierusalem reliquit.* Ecce quantum iustitia regis sæculo valet, intuentibus perspicuè patet. Est

Cap. 9. | Eccles. 10. | 3. Reg. 11.

enim pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hereditas filiorum, & sibimetipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat rex, quòd sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, si iustitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes namque quoscumque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo implacabili in illa pœna futura habebit.

VIII. Et sextus abusionis gradus est, qui non solùm regi, sed & omnibus, qui dominorum censentur nomine, conuenit, Dominus sine virtute: quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si dominus ipse non habeat virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor, non tam exteriori fortitudine, quæ & ipsa sæcularibus dominis necessaria est, indiget, quàm animi interiori fortitudine bonis moribus exerceri debet. Sæpè enim dominandi per animi negligen-
1.Reg.2. tiam perditur fortitudo, sicut in Heli sacerdote factum fuisse comprobatur. qui dum seueritate iudicij peccantes filios non coërcuit, in eorum vindictam Dominus, velut consentienti, ferociter non pepercit. Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet, terrorem scilicet, & ordinationem, & amorem. Nisi enim ametur dominus pariter & metuatur, ordinatio minimè constare illius potest. Per beneficia ergo & affabilitatem procuret vt diligatur, & per iustas vindictas, non propriæ iniuriæ, sed legis Dei, studeat vt metuatur. Propterea quoque dum multi pendent in eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit, qui ad portanda multorum onera, ipsum veluti fortiorem solidauit. Paxillus enim, nisi bene fortè firmetur, & alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet citò labitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis cum oneribus ad terram delabitur. Sic & princeps, nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse, & omne quod continet, citò deperit. Quidam namque per dominandi officium plus Deo appropinquant: quidam imposito sibi dignitatis honore deteriores fiunt.
Exod.33. Moyses namque accepto populi ducatu familiariùs Dei locutioni-
1.Reg.15. bus vtebatur: Saul verò filius Cis, postquam sceptra regni suscepit,
3.Reg 3. per inobedientiæ superbiam Deum offendit. Rex Salomon postquam patris sui Dauid sedem obtinuit, Deus illum vltra omnes mortales velut ad numerosi populi gubernationem sapientiæ munere
3.Reg.12. ditauit. Econtrariò verò Hieroboam seruus Salomonis, postquam regni domus Dauid occupauit partem, ad idolorum culturam decem tribus Israel, quæ erant in parte Samariæ attraxit. Per quæ exempla euidenter ostenditur, quosdam in sublimiori statu ad maiorem perfectionem crescere, quosdam verò per supercilium dominationis ad deteriora defluere. Per quod vtrumque intelligitur, eos qui ad meliora condescendunt, per virtutem animi, & Dei auxi-

lium posse id facere, & eos qui ad deteriora deuertuntur, per mentis imbecillitatem pariter & negligentiam errare. Vnde & dominum absque virtute fieri non decet, qui virtutem sine Dei auxilio nullatenus habet. Qui etenim multa tuetur, si non habet fortitudinem animi, non valet id agere, quoniam magna magnis infestationibus, vel aduersitatibus solent laborare. Omnis ergo qui præest hoc primitus animi tota intentione procuret, vt per omnia de Dei adiutorio omninò non dubitet. Si namque cœperit in actibus suis auxiliatorem habere Dominum dominorum, nullus hominum contemptui poterit habere eius dominatum. Non enim est potestas nisi à Deo. Ipse enim eleuat de stercore egenum, & sedere facit cum principibus populi sui: & deponit potentes de sede, & exaltat humiles, vt subditus fiat omnis mundus Deo, & egeat omnis gloria Dei.] Rom 13. Psal 112. Luc. 1. 1. Cor. 2.

IX. QVALES sibi adhibere debeat rex consiliarios, sed & illi, qui in principatu positi domini appellantur, Ambrosius in libro Officiorum ostendit, Talis, inquiens, debet esse qui consilium alteri dat, vt seipsum formam aliis præbeat ad exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate: vt sit eius sermo salubris atque irreprehensibilis, consilium vtile, vita honesta, sententia decora. Talis igitur debet esse consiliarius, qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum, quod vitam eius ac mores refellat, nihil improbum ac maleuolum, quod auertat consulentes. Alia sunt enim quæ fugiuntur, alia quæ contemnuntur. Fugimus ea quæ possunt nocere, quæ malitiosè possunt in noxam serpere, vt si is qui consulitur, dubia sit fide, & pecuniæ auidus, vt possit pretio mutari, si iniuriosus, hic fugitur ac declinatur. Qui verò voluptarius, intemperans, etsi alienus à fraude, tamen auarus & cupidior lucri turpis, hic contemnitur. Quis enim in cœno fontem requirat? quis è turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis non despiciat morum conluuionem, quis vtilem causæ alienæ iudicet, quem videt inutilem vitæ suæ? Quis iterum improbum, maleuolum, contumeliosum non fugiat, & ad nocendum paratum? quis non eum omni studio declinet? Quis verò quamuis instructum ad consilij opem, difficilem tamen accessu ambiat, in quo sit illud, tanquam si quis aquæ fontem præcludat? Quid enim prodest habere sapientiam, si consilium neges? Si consulendi intercludas copiam, clausisti fontem, vt nec aliis influat, nec tibi prosit. Admirandus mihi & suspiciendus consiliarius, quem propitius Dominus patribus dedit, offensus abstulit. Promptiùs tamen nos iusto viro, quàm prudenti committimus. Pulchrum est igitur bene velle, & eo largiri consilio vt prosis, non vt noceas.]

Lib. 2. cap. 17. Ibid. c. 11.

X. A QVIBVS vnà cum ceteris prauitatibus ſe rex debeat cuſtodire, & quales Comites ac Iudices debeat conſtituere, ſanctus Auguſtinus demonſtrat dicens, Caueat Princeps, ne muneribus vel blanditiis cuiuſquam ſcelerati pelliciatur, vel adulationibus decipiatur, quia eſt munus à dato, munus à fauore, munus ab obſequio. Et ideò debet omnis iudex cauere ne iuſtum iudicium vendat, aut teſtis verum teſtimonium, aut aduocatus iuſtum patrocinium, & iuriſperitus verum conſilium vendat, ne Iudæ, qui Chriſtum qui eſt veritas & iuſtitia vendidit, ſocius fiat. Et ne quiſquam in principatu quocumque poſitus adulationibus decipiatur, diligenter attendat quod in Regum hiſtoria legitur. Benadab fugiens ingreſſus eſt ciuitatem in cubiculum, quod erat intra cubiculum, dixerúntque ei ſerui ſui, *Ecce audiuimus, quòd reges domus Iſrael clementes ſint. Ponamus itaque ſaccos in lumbis noſtris, & funiculos in capitibus noſtris, vt egrediamur ad regem Iſrael, forſitan ſaluabit animas noſtras.* Quo facto dixerunt ad regem Iſrael, *Seruus tuus Benadab dicit, viuat, oro te, anima mea. Et ille ait, ſi adhuc viuit, frater meus eſt. Quod acceperunt viri pro omine, & feſtinantes rapuerunt verbum ex ore eius, atque dixerunt. Frater tuus Benadab. Et dixit eis rex Iſrael, Ite & adducite eum ad me.* Quo veniente, pepigit cum eo fœdus, & dimiſit eum. Vnde audiuit à Propheta, *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.*

3.Reg 20.

XI. SED & cauendum eſt principibus, ne ſceleratorum amicitiis coniungantur, vel huiuſmodi in familiaritate ſuſcipiant. Malorum, inquit beatus Gregorius, cùm incautè amicitiis iungimur, culpis ligamur. Vnde Ioſaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab regis amicitia pænè periturus increpatur. Cui à Domino per Prophetam dicitur, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inuenta ſunt in te, eo quòd abſtuleris lucos de terra Iuda.* Ab illo enim qui ſummè rectus eſt, eo ipſo iam diſcrepat, quo peruerſorum amicitiis vita noſtra concordat. Hinc Dauid, dum totum ſe ad fœdera pacis internæ conſtringeret, teſtatur quòd cum malis concordiam non teneret, dicens, *Nonne qui oderunt te Deus, oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi.* Inimicos autem Dei perfecto odio odiſſe eſt, ad quod facti ſunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorum premere, vitæ prodeſſe.

Paſtor. III. cap. 23. 2.Paral. 19. Pſal. 138. 21.

XII. QVÒD rex propter miniſterium regium, nec quilibet princeps, etiam quibuſcumque propinquitatis neceſſitudinibus coniunctus, contra Deum, ſanctámque Eccleſiam atque Rempublicam peruersè agentibus affectu carnali parcere debeat, ex verbis Domini dicentis, *Qui non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe di-*

Luc. 14. 26.

ſcipulus, in homilia Euangelij beatus Gregorius demonſtrat dicens, Hom.37.
Si vim præcepti perpendimus, vtrumque per diſcretionem agere valemus, vt eos qui nobis carnis cognatione coniuncti ſunt, & quos proximos nouimus, diligamus; & quos aduerſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſciamus. Quaſi enim per odium diligitur, qui carnaliter ſapiens, dum praua nobis ingerit, non auditur. Ametur quilibet in hoc mundo etiam aduerſarius: ſed in via Dei contrarius non ametur etiam propinquus, vt eo veriùs cognoſcat Deum, quo in eius cauſa neminem recognoſcit.]

XIII. Sicvt ſuprà eſt poſitum, quòd nulli ſacerdoti ſuos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quòd Patrum poſſit regulis obuiare: Cap.4. ita in legibus ſacris decretum eſt, vt leges neſcire nulli liceat, aut quæ ſunt ſtatuta contemnere. Cùm enim dicitur, nulli liceat leges neſcire, vel quæ ſunt ſtatuta contemnere, nulla perſona in quocumque ordine excipitur, quæ hac ſententia non conſtringatur. Oportet enim, vt qui iudex eſt iudicum pauperes ad ſe ingredi permittat, & diligenter inquirat, ne fortè illi, qui ab eo conſtituti ſunt, & vicem eius agere debent in populo, iniuſtè aut negligenter pauperes pati oppreſſiones permittant, terrórque eius iniquos comprimat, & beneuolos atque indigentes ſua auctoritate ſubleuet. Periculum quippe eſt cuilibet, officium ſuum per alios in tantum peragere, vt ſe ab eo diutiùs ſubtrahat. Legimus antiquitùs iudices in porta ad iudicandum ſediſſe, vt nullus accedendi difficultatem haberet. Vnde beatus Hieronymus in Zachariam prophetam, Veritatem, inquit, & iudi- Cap.8.
cium pacis iudicate in portis veſtris. In iudicio prima ſit veritas atque iuſtitia, deinde ſequatur miſericordia. Quod ſequitur, in por- Amos 5.
tis veſtris, illi prophetico congruit, Oderunt in portis corripientem, & verbum ſanctum abominati ſunt. & in alio loco, Non confun- Pſal.129.
dentur, cùm loquentur inimicis ſuis in porta. Dauid quoque iudi- 2.Reg.19.
cabat in portis, quando Abeſſalon veritatem iudicij repromittens patri tendebat inſidias. Et quæritur, quare apud Iudæos in portis locus fuerit iudicandi. Ne cogerentur agricolæ intrare vrbes, & aliquod ſubire diſpendium, iudices in portis reſidebant, vt tam vrbanos quàm ruſticos, & in exitu & introitu vrbis audirent, & finito negotio vnuſquiſque confeſtim ad ſedes proprias reuerteretur.]

XIV. Qvi autem poſt regem populum regere debent, id eſt, Duces & Comites, neceſſe eſt vt tales inſtituantur, qui ſine periculo eius qui eos conſtituit, quos ſub ſe habent cum iuſtitia & æquitate gubernare intelligant, atque cum bona voluntate quod intelligunt adimplere procurent, ſcientes ſe ad hoc poſitos eſſe, vt plebem ſaluent & regant, non vt dominentur & affligant. neque vt populum Dei ſuum æſtiment, aut ad ſuam gloriam ſibi illum ſubiici, quod pertinet ad tyrannidem & iniquam poteſtatem. Valdè enim exigit neceſſitas, quia rex æquiſſimo iudici de commiſſo ſibi

ministerio rationem redditurus est, vt etiam singuli qui sub eo sunt ministri diligentissimè ab eo inquirantur, & tales constituantur, ne ipse pro eis iudicium incurrat diuinum. De oppressione pauperum prouidendum est, quia in eorum afflictione Deus offenditur, sicut Psalmista dixit, *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Prouidendum est ne affligantur in ædificiis superfluis, in exactione hostili, si Deus pacem pro sua misericordia tribuerit, ne contra Capitulum domni Imperatoris Karoli, vt nemo ad mallum, vel ad placitum cogeretur venire, nisi scabini, & qui causam suam quærit, & cui quæratur.

Psal. 11.

XV. COMITES & vicarij, vel etiam decani, plurima placita constituant, & si ibi non venerint, compositionem eius exsoluere faciant. Et quia priùs per manninas veniebant, excogitauerunt quidam, vt per bannos venirent ad placita, quasi propterea melius esset, ne ipsas manninas alterutrum soluerent. Hæc ideo facientes, vt ipsi bannum acciperent, & in tantum exinde affligerentur pauperes, vt vnde priùs in exercitu plures ire poterant, vix aliqui modò ire præualeant. Et in his omnibus non solùm non soluunt fasciculos secundùm Isaiam deprimentes, sed etiam superaddunt super miseros & egentes. Quando enim sperant aliquid lucrari, ad legem se conuertunt: quando verò per legem non æstimant acquirere, ad Capitula confugiunt: sícque interdum fit, vt nec Capitula pleniter conseruentur, sed pro nihilo habeantur, nec lex. Omnia enim mala lex veteris testamenti damnat. Sed Dominus dixit discipulis suis de omnibus Christianis, *Amen dico vobis, nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

Isa. 50.

Matth. 5.

XVI. DE legibus à quibusdam Imperatoribus malè constitutis, à quibusdam verò bene constitutis, sanctus Augustinus ad Bonifacium dicit, Imperatores quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, [probantur bene credentes, & coronantur perseuerantes. Quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sæuientes, & corriguntur intelligentes.] Et ad Marcellinum de moribus bonis principum, & de Republica augenda dicit, Ex parua, inquiens, republica & inopi magnam opulentámque fecerunt qui accepta iniuria ignoscere quàm persequi malebant. Quomodo Cæsari vtique administratori reipublicæ, mores eius extollens Cicero dicebat, quòd nihil obliuisci soleret nisi iniurias. Dicebat enim hoc[tam magnus laudator, aut tam magnus adulator: sed si laudator, talem Cæsarem nouerat, si autem adulator, talem esse debere ostendebat principem ciuitatis, qualem illum fallaciter prædicabat.] Apud veteres namque tale prouerbium erat, *Rex eris, si rectè facias: si non facias, rex non eris.*

Aug. ep. 50. non longè à princip.

Aug. ep. 5.

Orat pro Ligario.

Horat. l. 1. epist. 1.

XVII. REGIÆ virtutes præcipuè duæ sunt, iustitia videlicet & pietas. Verumtamen in regibus plus laudatur pietas. nam iustitia per

per se sine pietate seuera est. De rapinis compescendis, & pace restituenda, & sacris Scripturis, Ecclesiasticarum legum definitionibus, ac legum sacrarum constitutionibus, sufficienter ex Synodali conuentu apud Martyrium beatæ Macræ nuper habito collecta fratri huius regis nostri nuper defuncto per Episcopos misimus, quæ hîc replicare non necessarium, immò superfluum duximus.

XVI.

COMMVNI EPISCOPORVM NOMINE

AD REGEM,

DE COERCENDO ET EXSTIRPANDO raptu viduarum, puellarum, ac sanctimonialium.

Ex Paralipomenis Ioannis Busæi.

DOMINO CHRISTIANISSIMO, GLORIOSO & piissimo Principi, humiles serui Christi Galliarum & Germaniarum Episcopi, pro cultu & sanctimonia domus Domini, quæ est Ecclesia Dei veri, columna & firmamentum veritatis.

CAPVT I.



MAXIMA & grauissima necessitate compellimur omnes nos, qui his nouissimis & periculosissimis temporibus Episcopale ministerium & gubernationem Ecclesiarum Dei, licèt indigni & minimi sortiti sumus, vt periclitanti gregi Dominico, & nouis insidiis atque infestationibus hostis antiqui de die in diem miserabiliùs laboranti, communi intentione & studio, in quantum Deus facultatem tribuit, vigilanter & strenuè prospiciamus. Quamuis enim potestas regni temporalis diuino iudicio in hoc Christianorum regno ad præsens videatur diuisa, vna est tamen in omnibus & ex omnibus Christo Domino protegente Ecclesia, vnus Dominus, vna fides, vnum genus electum, regale sacerdotium, vna gens sancta, vnus populus acquisitionis, quem ipse Dominus & Saluator de tenebris vocauit in admirabile lumen suum, pro cuius acquisitione & perpetua vnitione etiam mortem gustare dignatus est, dicente Euangelio, *Quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum.* Vnde & ipse admirabili dignatione loquitur dicens, *Sicut nouit me pater, & ego agnosco* Ioan. 11. 51. Ioan. 10. 15

patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Habeo quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor. Cùm ergo omnis populus Dei, tanto pretio redemptus & adunatus, vnus grex sit sub vno pastore, & omnes huius gregis pastores per vnitatem fidei, & vnanimitatem sollicitudinis, tanquam vnus pastor existere debeant sub vno & in vno principe pastorum, tanta necesse est sint caritate vniti, tanta spiritus societate copulati, vt inuicem onera sua libentissimè compartiantur & portent, & sit eis instantia quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum, vt si quid patitur vnum membrum, compatiantur omnia membra, siue gratulatur vnum membrum, congaudeant omnia membra. Hæc enim semper sollicitudo in beatis Apostolis, hæc in beatorum Apostolorum successoribus, id est, Ecclesiarum Dei rectoribus, fecit vnum gregem dominicum, vnam religionis custodiam, vnam matrem Ecclesiam vna mente diligere, atque vnanimi deuotione seruare.

II. QVAPROPTER obsecramus Christianissimam pietatem, & gloriosam sublimitatem vestram, vt religiosè regni Dei constitutos ministros, & populi Christiani rectores, & diuinæ religionis atque Ecclesiasticæ sanctitatis conseruatores ac defensores, vt ea quæ pro salute animarum fidelium, & Christiani regni conseruatione ac tranquillitate emendanda suggeruntur, cum diuini timoris honore & metu futuri iudicij audiatis, audita iusto iudicio examinetis, examinata competenti seueritate resecetis. Nihil enim ita omnipotentis Dei iracundiam exasperat, & regni pacem perturbat, vt contemptus diuinæ legis, & conculcatio paternæ auctoritatis, & profanatio Ecclesiasticæ munditiei & sanctitatis. Vnde aduersus impios legis
Osee 4.6. suæ contemptores ipse Deus loquitur dicens, *Et oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego.* De quibus & alibi scriptum est,
2.Paral.36.16. *At illi subsannabant nuntios Dei, & paruipendebant sermones eius, donec ascenderet furor Domini in populum suum, & esset nulla curatio.* Redeat ergo semper in memoriam lex Dei, nec spernantur ac subsannentur nuntij Dei, sancti videlicet patres antiqui, de quibus ipse Dominus
Luc.10.16. in Euangelio dicit, *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Habeat vos sancta mater Ecclesia pios pudicitiæ & castimoniæ custodes ac defensores. Quæ in tantum ab illa omnipotens Deus
Heb.12.14. exigit, vt terribiliter Apostolus testetur & dicat, *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.* & iterum,
1.Cor.3.16. *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* & iterum,
1.Cor.6.15. *Nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit.* & iterum,
Ibid.20. *Et non estis vestri. empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Dominum in corpore vestro.* Istud est templum

Dei, & domus Dei viui, de qua ſcriptum eſt, *Domum tuam decet ſanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.* De qua & beatus patriarcha Iacob, qui cognominatus eſt Iſrael, in myſtica laude ait, *Non eſt hîc aliud, niſi domus Dei & porta cæli.* Quia videlicet & nunc habet habitatorem Dominum, & poſt præſentem vitam de mundo mittit ad cælum. Pſal.92.5. Geneſ.28.27.

III. PROPTER hanc ſanctimoniam & munditiem à contagiis diabolicis, Eccleſia à Chriſto dilecta, & eius paſſione comparata, & lauacro baptiſmi purgata eſt & expiata, teſtante Apoſtolo ac dicente, *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiuſmodi: ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Quicumque igitur huius matris filius, huius corporis membrum, huius templi portio veraciter eſſe deſiderat, audiat & obaudiat fideliter eidem Apoſtolo admonenti atque dicenti, *Vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Dominus, & inhabitabo & inambulabo in illis, & ero eis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* & poſt paululum, *Has igitur habentes promiſſiones, cariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* De talibus enim membris & lapidibus viuis conſtituitur illa ciuitas regis magni, noua nupta & ſponſa agni, de qua in Apocalypſi legitur, *Beati qui lauant ſtolas ſuas, vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & portis intrent in ciuitatem, foris canes, & impudici, & venefici, & omnis qui amat & facit mendacium.* Huius glorioſæ domus Dei decorem, & locum habitationis gloriæ eius, fideliſſimè diligere & zelari debent, non ſolùm Epiſcopi & ſacerdotes in ſedibus, ſed etiam reges in regnis & palatiis ſuis, & regum Comites in ciuitatibus ſuis, & Comitum vicarij in plebibus ſuis, & quicumque patresfamilias in domibus ſuis, in vnum diues ac pauper, in mente & actibus ſuis. Hunc zelum præcipuè Apoſtolus exercuit, & nobis ſuo exemplo exercendum commendauit dicens, *Æmulor enim vos Dei æmulatione. deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* De hoc & ipſe Dominus loquitur in Pſalmo, *Zelus domus tuæ comedit me.* Quem zelum tam terribiliter exercuit, vt non verbo, quo etiam dæmones fugabat, ſed manu & flagello profanatores domus Dei ſimul cum ſuis oblationibus & ſacrificiis, quæ præparare videbantur, extruſerit. Epheſ.5.25. 2.Cor.6.16 2.Cor.7.1. Apoc.22.14 2.Cor.11.2. Pſal 68.10. Ioan.2.15.

IV. OBSECRAMVS igitur, vt & pietas veſtra ex hac ſancta matre generata, ipſius Saluatoris imitatrix effecta, cuius miſericordia & tuta & exaltata conſiſtit, arripiat zelum pro domo Dei, & æmuletur eam Dei æmulatione, coërcens & exſtirpans, & flagello iuſtæ ſeueritatis exterminans quorumdam hominum impudentiſſimam audaciam, qui calcatis Dei legibus, & ſanctiſſimorum patrum auctoritate contempta, abſque vlla diuini ſiue humani pudoris re-

uerentia, tanquam bruta & irrationabilia iumenta, templum Dei, quod est sanctimonia fidelium, violare non metuunt, & ipsum altare Domini, quod est sacerdotale ministerium, illi dicatum, & eius cultui sequestratum, suis calcibus, quantum in se est, destruere & euertere moliuntur. dum in nonnullis regni huius partibus, propter eorum publicam infestationem, nec viduarum miseranda desolatio legitimam habere libertatem permittitur, nec filiæ in ætate puellari & parentum domibus constitutæ, iuxta leges diuinas & humanas, eorumdem parentum suorum votis atque auctoritate, matronalibus nuptiis honestari vllatenus sinuntur: & ipsarum quoque sanctimonialium Deo dicata deuotio, contra professionem sanctitatis, & reuerentiam diuinæ consecrationis, dissoluitur & profanatur. Ita ille antiquus humani generis hostis quondã per Baltasar impium & sacrilegũ regem vasa domus Dei aurea atque argentea polluit: nunc per istorum profanam insolentiam atque impietatem multo pretiosiora & Deo cariora commaculare & ludibrio atque insultationi dæmonum subiicere non cessat. Hi sunt publici raptores & prædones, cum satellitibus & sociis impietatis suæ, non alicuius hominis exteriores res vel substantiam deuastantes, sed ipsius omnipotentis Dei familiam depopulantes. Cum quibus vtique nec cibum sumere oportet, sicut de omnibus rapacibus Apostolica auctoritas præscribit. In quibus isti primum obtinent locum, raptores videlicet viduarum & puellarum, & sanctimonialium, contemptores sacerdotum, violatores templi Dei, non timentes illud Apostolicum, *Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Et rectè, si aliquod templum Dei ex lignis & lapidibus manu factum incenderent, siue destruerent, ab omnibus sacrilegi & puniendi iudicarentur: quanto magis qui Dei viui templum subuertere & dissipare non metuunt, dum ex raptu arbitrantur fieri posse coniugium, & ex iniquo contubernio legitimum matrimonium, quod nulla vnquam lex, nulla humanitatis consuetudo permisit? Nam & in exordio mundi ad propagationem generis humani masculum & feminam Deus fecit, eósque sua benedictione coniunxit dicens, *Crescite & multiplicamini.*

Dan. 5.

1. Cor. 5. 11.

1. Cor. 3. 17.

Gen. 1. 28.

V. CVIVS rei imitatione etiam sancta Ecclesia antiquitùs solemniter & venerabiliter custodiuit, eos qui in illa velut in paradiso Dei coniugio copulandi essent, diuina benedictione & Missarum celebratione coniungens. Quæ videlicet honesta & religiosa coniunctio, Deo auctore cœpta, & eius benedictione firmata, etiam inter gentes, quæ nullam legem acceperunt, nullam Dei habuerunt notitiam, legitimo ordine & naturali lege seruata est. Nec vnquam rem pacis, caritatis atque concordiæ, per discordiam, & violentiam, & impietatem fieri licitum fuit. Testantur hoc publicæ Romanorum leges, quibus orbem vniuersum viuere sub sua dominatione constituerunt: in quibus manifestè præcipitur, & viros raptores & fe-

minas raptas, si eis, siue ante raptum, siue post raptum, consensum præbuerint, pœnis vltimis esse puniendos: adiutores quoque & ministros raptorum ignibus concremandos, & conciliatorum ac mediatorum tanti facinoris plumbo liquenti atque feruenti ora damnanda. Nec vllo modo illam, quæ se raptam esse conqueritur, excusari posse, quæ se nec dormituram custodire studuit, nec vocibus vicinorum solatia atque auxilia flagitauit. Quod mirabiliter diuinæ legi consonat, vbi puella desponsata, si ab aliquo in ciuitate oppressa fuerit, lapidibus obrui iubetur, quia non clamauit cùm esset in ciuitate, vbi vel concursu ciuium, vel subsidio domesticorum poterat liberari. Vnde & beata illa Susanna laudatur, quam parentes eius cùm essent iusti erudierant secundùm legem Moysis: quia cùm lauaretur sola in pomario viri sui, non solùm iniquis senibus non præbuit assensum adulterij, sed etiam voce magna exclamauit, vt famuli domus audirent, & succurrerent, atque ita ab impiorum impietate protegeretur, sicut & factum est.

Deut. 22. 24.

Dan. 13. 24.

VI. SED & tam sanctum atque inuiolabile voluit esse lex Dei fœdus & vinculum nuptiarum, parentali auctoritate & legitima postulatione initiatum, vt puellam desponsatam, etiam ante copulam nuptiarum, vxorem eius cui desponsata est esse confirmet dicens, *Si puellam virginem desponderit vir, & inuenerit eam aliquis in ciuitate, & cubuerit cum illa, educes vtrumque vsque ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur, puella quia non clamauit cùm esset in ciuitate, vir quia humiliauit vxorem proximi sui.* Inde est quòd etiam in Euangelio de beata & gloriosa Dei genitrice Maria, cùm esset desponsata Ioseph, dicitur illi per Angelum, *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Et in Osea propheta, si puellæ desponsatæ ab aliis violatæ fuerint, adulteræ nuncupantur, dicente Domino, *Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ, neque super sponsas vestras cùm adulterauerint.* Hos autem raptores, & oppressores, ac violatores, lex Dei latronibus & homicidis comparat, & interfici iubet. vbi de puella, quæ in agro violenter oppressa fuerit, loquitur dicens, *Sin autem in agro vir repererit puellam quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum illa, ipse morietur solus, puella nihil patietur, nec est rea mortis. Quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, vt occidat animam eius, ita & puella perpessa est. sola erat in agro, clamauit, & nullus adfuit qui liberaret eam.*

Deut. 22. 23

Matt. 1. 20.

Osee 4. 14.

Deut. 22. 25

VII. AGNOSCANT se ergo qui eiusmodi sunt & latrones & homicidas, & animarum interfectores, & dignos morte. Nec distat aliquid inter illos qui in agro tantam violentiam perpetrant, & istos qui siue in ciuitatibus, siue in viis vel domibus, etiam cum turba & armis similia committunt: nisi quòd illi similes sunt latronibus, qui in siluis & desertis locis occultè insidiantur, isti verò similes atrocissimis & apertissimis prædonibus, qui vel nocturno silentio, vel

clara luce ciuibus infesti & perniciosi existunt. Qui cùm nec diuinæ legis ordine, nec parentalis voluntatis auctoritate, nec Ecclesiasticæ sanctitatis pietate, coniugalem copulam sortiti sunt, sed insuper pro benedictione sacerdotali excommunicationem publicam ex auctoritate canonum meruerunt, qua fronte sacrilegium videri volunt esse coniugium, & latrocinium matrimonium, & violentiam pietatem? Cùm nec sine fundamento possit consistere ædificium, & exstirpata arboris radice, nequaquam rami virides pullulent. & de huiusmodi nequaquam legitimo connubio, sed adulterino contubernio, nullatenus dici possit quod Dominus in Euangelio ait,
Matt.19.6. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*, sed potiùs, Quod homo impiè & improbè coniunxit, Deus sua æquitate dissociet. Isti sunt qui per violentiam & potentatum suum, post contemptum omnipotentis Dei, contemnunt etiam Ecclesiam Dei, contemnunt sacerdotes Dei, nullam excommunicationis Christi reuerentiam habentes, qui ministris & rectoribus Ecclesiæ suæ hanc potestatem contulit dicens,
Matt.18.17. *Quòd si Ecclesiam non audierit*, videlicet quilibet præsumptor & contumax, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* & statim subiunxit,
Ibid.18. *Amen dico vobis, quia quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis.* Isti autem è contrario, Ecclesiæ inobedientes, ac per hæc velut ethnici & publicani habendi, & temporali iudicio excommunicati, violenter Ecclesias ingrediuntur, & diuinis mysteriis iniuriam facere non timent, & ad christianitatis cultum non humilitate, & pietate, atque obedientia, sed contumacia & improbitate seipsos aggregare conantur: non recogitantes scriptum etiam
Psal.100.7. ipso Domino Christo dicente, *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, & facientes præuaricationes odi.* & iterum,
Iac.4.6. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* &,
Psal.137.6. *quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Si enim hæc cogitare dignarentur, deponerent superbiam suam, & illud per piam humilitatem
Psal.33.19. promereri studerent, quod scriptura alibi promittit dicens, *Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. & humiles spiritu saluabit.* Et Iacobus Apostolus qualiter vnusquisque, & à diabolo longè fieri, & Deo
Iac.4.7. appropinquare valeat, ita admonet, *Subditi igitur estote Deo, resistite autem diabolo, & fugiet à vobis. appropinquate Domino, & appropinquabit vobis. Emundate manus peccatrices, & purificate corda duplices animo. Miseri estote, & lugete, & plorate. risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.*

VIII. NVNC autem cùm violenter in Ecclesias irruunt, cùm se turbæ fidelium indisciplinatè & improbè permiscent, cùm ipsis sacerdotibus, nisi illis præsentibus diuina mysteria celebrauerint, exitia comminantur, quid aliud faciunt, nisi quòd bis se suo gladio confodiunt, Ecclesiasticum contemnendo iudicium, & sacri altaris

mysteria temerando? Quæ sicut fidelibus & humilibus ac piis ad remedium, ita contemptoribus & impudentibus proficiunt ad iudicium & tormentum. Quibus etiam illi stulti & improbi sunt sociandi, qui ab aliis Ecclesiis & sacerdotibus excommunicati, in aliis atque apud alios fraudulenter communicare posse credunt. Cùm omnibus fidelibus certissimè manifestum esse debeat, in vniuerso mundo, & ciuitatibus, & populis, non esse nisi vnam Christi Ecclesiam, & vnum Christi altare, & vnum sacrificium, quod vbique vni Deo & vna religione constituitur & offertur. Et ideo nullus omninò potest in parte esse excommunicatus, & in parte communicans: sed vnde in vna Ecclesia meruit separari, in nulla prorsus, nisi per legitimam satisfactionem, poterit sociari. sicut membrum de loco suo præcisum, in nulla vlterius corporis parte valet aptari, nisi fortè diuinæ virtutis miraculo, vnde diuulsum fuerat potuerit reformari. Ex his nonnulli tam immites, & non humanæ affectionis, sed belluinæ immanitatis inueniuntur, vt prioribus vxoribus ex suspicione adulterij nulla lege, nulla ratione, nullo iudicio, sola sua animositate & crudelitate occisis, adhuc cruenti & sanguine madentes, non solùm nulla pœnitentia compungantur, aut aliqua humilitate Deo & Ecclesiæ satisfaciant, sed exultantes in superbiis suis, incunctanter ad altare Domini accedant, & indifferenter sacra mysteria contingere præsumant. Cùm etiamsi illæ miserrimæ mulierculæ veraciter adulterium perpetrauerint, & ob hoc iustè punitæ esse videantur, tamen lex Dei, ex qua omnis Christianus in die iudicij iudicabitur vt recipiat secundùm opera sua, nullum reum, nec ipsos adulteros vel adulteras puniri permittit, nisi sub legitimis iudicibus & testibus, quos etiam publico iudicio à populo lapidari præcipit. Vnde & admirabilis illa Susanna, cùm falso adulterij crimine accusaretur, & publico iudicio condemnata, & publico legitur absoluta. Dan.13. Et illa mulier in Euangelio, quæ veraciter in adulterio fuerat deprehensa, primùm iuxta legem ad Pharisæos, qui potestatem iudicij in Ioan.8. populo exercebant, deinde etiam tentandi gratia ad Domini iudicium perducta est, vbi eius admirabili pietate, & à lapidationis supplicio, & à criminis reatu meruit liberari. Et in libro Numeri præcipitur, Num.5. vt si qua mulier vel adulterij rea, vel falsa suspicione fuerit appetita, & vir eius zelo aduersus eam concitetur, adducat illam ad sacerdotem, & diuino iudicio vel damnandam offerat, vel liberandam.

IX. QVÒD etiam antiqui Romani legitimo coniugio fieri debere, legibus suis antiquitùs statuerunt, & seruauerunt, non solùm iam effecti Christiani, sed etiam cùm adhuc essent pagani, sicut apertissimè ostendit lex Antonini pagani Imperatoris, quam beatus Ad Pollent. lib.2.c.8. Augustinus quodam loco hoc modo commemorat & commendat dicens, Quibus displicet vt inter virum & vxorem par pudicitiæ forma seruetur, & potiùs eligunt, maximéque in hac causa, mundi

legibus subditi esse quàm Christi, quoniam iura forensia non eisdem quibus feminas pudicitiæ nexibus viros videntur distringere, legant quid Imperator Antoninus, non vtique Christianus, de hac re constituerit, vbi maritus vxorem de adulterij crimine accusare non finitur, qui moribus suis non præbuit castitatis exemplum, ita vt ambo damnentur, si ambos pariter impudicos conflictus ipse conuicerit. Nam supradicti Imperatoris hæc verba sunt, quæ apud Gregorianum leguntur. Sanè, inquit, litteræ meæ nulla ex parte causæ præiudicabunt. Neque enim si penes te culpa fuit vt matrimonium solueretur, & secundùm legem Iuliam Euphrasia vxor tua nuberet, propter hoc rescriptum meum adulterij damnata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cùm tu pudicè viueres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum enim mihi videtur esse, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibet. quæ res potest & virum damnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter vtrumque componere, vel causam facti tollere. Si hæc obseruanda sunt propter decus terrenæ ciuitatis, quanto castiores quærit cælestis patria & societas Angelorum?] Hæc de legibus pagani Imperatoris Antonini beatus Augustinus scribit. In libro Esther manifestè legitur, Vaste vxorem potentissimi & ferocissimi regis Assueri, cùm eius animos contemptu & contumacia offendisset, nequaquam sola illius indignatione & furore ex imperij honore depositam fuisse, sed publico iudicio, & sententia principum, ac iudicum Medorum atque Persarum. Ita cùm essent pagani & idolorum cultores, naturaliter quæ legis sunt facientes, etiam in causis coniugum, non crudelitatem & sæuitiā, sed iustitiam & æquitatem decernere ac definire debere docuerunt.

Ex incertis titulis, VI.

Cap. I.

X. CERTE diuina lex etiam inter dominum & seruum siue ancillam, iustitiam & iudicium conseruari præcepit: & cùm præcipiat publico iudicio talioni suæ oculum pro oculo, & dentem pro dente restitui: tamen si quis dominus seruo vel ancillæ suæ priuata indignatione & furore vel oculum erueret, vel dentem excuteret, statim eum eiusdem serui vel ancillæ amissione damnabat. Ita namque scriptum est, *Si percusserit quispiam oculum serui sui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet liberos pro oculo quem eruit. dentem quoque si excusserit seruo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos.* Noluit itaque & æquissima & misericordissima lex Dei, neque ipsis seruis & ancillis à dominis suis absque iudicio aliquas debilitates vel deformitates infligi: ita vt si quis hoc præsumeret, eiusdem serui iusta amissione plecteretur, cuius subiectione iniustè abusus fuisset. Multo minùs occidi eum permisit priuata domini sui indignatione & furore. quod si fecerit, reatu homicidij condemnatur, dicente eadem lege, *Qui percusserit seruum suum vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit.*

Exod. 21. 26

Ibid. 20.

XI.

XI. HANC iudicij & iustitiæ æquitatem beatus Iob erga familiam suam, etiam antequam lex illa per Moysem daretur, diuina inspiratione & naturali consideratione seruabat, sicut ipse testatur dicens, *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cùm disceptarent aduersum me. Quid enim faciam, cùm surrexerit ad iudicandum Deus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi? Numquid non in vtero fecit me qui & illum operatus est, ac formauit me in vulua vnus?* Inde & sancti Patres nostri, pro istiusmodi reatu, ita in sacris canonibus statuerunt. Si quis seruum proprium sine conscientia iudicis occiderit, excommunicatione biennij effusionem sanguinis expiabit. Nam & liber Ecclesiasticus loquens de disciplina domini & serui hoc ipsum præscribit dicens, *Verumtamen sine iudicio nihil facias graue.* Et præcipuè Apostolus ita admonet dicens, *Domini quod iustum & æquum seruis præstate, remittentes minas, scientes quod & vos dominum habetis in cælo.* Si igitur in domo vniuscuiusque Christiani, tanta æquitas & bonitas etiam erga seruilem conditionem seruanda est inter dominum & seruum, quanto maior & vberior ac plenior custodienda est inter maritum & vxorem, inter virum & coniugem, inter caput & corpus? Quoniam sicut Apostolus docet, *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse saluator corporis eius. Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua.* Qui suam vxorem diligit seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam. Vnde rursum idem Apostolus dicit, *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo.* Certè in his Apostolicis verbis tanta inter virum & vxorem, & tam præcipua atque excellens dilectio commendatur, salua tamen in ipso coniugio prælatione viri & subiectione feminæ, vt illa coniunctione semel à Deo instituta & legitimè conciliata maior esse nec debeat, nec possit. Quid enim venerabilius, quàm vt coniugium mysterium sit Christi & Ecclesiæ? quid sanctius, quàm vt sic diligant viri vxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam, tradens seipsum pro ea, vt illam sanctificaret atque mundaret? Quid carius atque coniunctius, quàm vt vir caput sit mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse saluator corporis? Qui etiam in Euangelio de hac coniugij vnione testatur dicens, *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Erunt enim*, inquit, *duo in carne vna.* addit adhuc Apostolus dicens, *Viri diligite vxores, & nolite amari esse ad illas.* Si ergo viri erga vxores suas non debent esse amari, quanto minùs sæui, crudeles, cruenti, nullam eis seruantes legem, nullam rationem, nullum iudicium, quod etiam erga seruos Christiana religione custodiendum est: sed mox vt eis placuerit, indignatione & furore impio concitati, tanquam ad macellum illas deduci faciant laniandas, & cocorum suorum gladiis, more veruecum

Iob. 31. 13.
Concil. Agath. can. 62.
Eccli. 33. 30.
Coloss. 4. 1.
Ephes. 5. 23. & 28.
Ibid. 25.
Matt 19. 6.
Coloss. 3. 19

atque porcorum emactari præcipiant, vel ipſi etiam manu & mucrone proprio eas trucidauerint, nequaquam ſemetipſos ad imitationem Domini Ieſu Chriſti tradentes pro eis, vt illas ſanctificent & mundent, ſed potiùs zelo libidinis ſuæ ipſas in æternum diſperdentes, & ſe earum ſanguine impiè polluentes. cùm in eiuſmodi cauſa tanto iuſtiùs expectandum eſſet legitimum iudicium, quanto faciliùs maritali zelo poteſt perpetrari homicidium.

XII. Defendant ſe quantum volunt qui huiuſmodi ſunt, ſiue per leges, ſi vllæ ſunt, mundanas, ſiue per conſuetudines humanas, tamen ſi Chriſtiani ſunt, ſciant ſe in die iudicij nec Romanis, nec Salicis, nec Gundobadis, ſed diuinis & Apoſtolicis legibus iudicandos. Quamquam in regno Chriſtiano etiam ipſas leges publicas oporteat eſſe Chriſtianas, conuenientes videlicet & conſonantes Chriſtianitati. Lex namque omnipotentis Dei in tres ſpecies diuidit omnia quæ homines in mundanis rebus ſubdita habere vel poſſidere videntur, cùm in Decalogi præceptis definit & dicit, *Non deſiderabis vxorem proximi tui, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non ouem, non aſinum, non omnia quæ illius ſunt.* In quibus verbis ſine dubio aliter conſideranda eſt dignitas vxoris, aliter conditio ſeruorum & ancillarum, & aliter vilitas brutorum animalium, ſiue inſenſibilium rerum, & ideo omnia iſta ſuis metis tractanda, ſuis gradibus diſcernenda ac diuidenda ſunt. Hæc dicimus vt conſiderent qui eiuſmodi ſunt, viliorem apud ſe eſſe conditionem vxorum quàm ſeruulorum. Et de ſeruo abſque conſcientia iudicis occiſo dominus eius homicidij reus exiſtit, nec effuſionem ſanguinis niſi per pœnitentiam poteſt expiare, quid de coniuge ſtatuendum ſit. Qui etiam vſque ad tantam ſtultitiam & cæcitatem prorumpunt, vt eas quas in primis contra omnes & diuinas & humanas leges, & contra ipſius iura humanitatis per violentiam & raptum ſibi coniungunt, vel etiam ex profeſſione & habitu ſanctimoniali ſacrilega impietate commaculare non metuunt, poſtea blanditiis delinitas, & parentibus earum artificioſa, immò ignominioſa adulatione placatis, putant ſe & diuinum & humanum euaſiſſe iudicium, & tam illicitum atque iniquum contubernium volunt videri velut legitimum & honeſtum coniugium, cùm ſicut iam ſuprà oſtenſum eſt, & feminas quæ raptoribus ſuis conſenſum præbuerint, & parentes earum, niſi reclamauerint, etiam antiquæ Romanorum leges pari ſeueritate iudicent puniendos, & per Eccleſiaſticum iudicium, quicumque eiuſmodi ſint, vel vſque ad ſeparationem excommunicandos ſiue anathematizandos, vel etiam poſt ſeparationem ab omni aſpectu publico arcendos, & vſque ad diem mortis ſub arctiſſima pœnitentia in ergaſtula iubeat contradendos. in tantum vt etiamſi timore publicarum rerum ad Eccleſiam raptor cum rapta confugerit, ipſa quidem quæ violentiam perpeſſa eſt, interceſſu Eccleſiæ excuſata parentibus reſtitui iubeatur, raptor ve-

Exod. 20. 17.

rò, quia manifestè vim intulit, similiter ob reuerentiam sanctuarij, legum impunitate concessa, in seruitutem parentum eius quam rapuit redigatur, nisi fortè illi vt se redimat concedatur.

XIII. Nvnc autem, his omnibus & diuinis & humanis legibus contemptis atque calcatis, publicam per eos Ecclesia impugnationem, publicam iniuriam & contumaciam patitur: in tantum vt etiam sacerdotibus suis, tam iniqua & funesta prohibentibus, insidias moliri, & seditiones concitare non metuant. Quòd si quis tam insanus est, vt istud profanum & violentum contubernium idcirco putet legitimum fieri posse coniugium, quia Dauid regem iustum & sanctum, sed in quibusdam vt hominem delinquentem, scriptura refert vxorem Vriæ Hethæi adulterasse, & postea ipso Vria crudeliter interfecto etiam in coniugium sumpsisse; attendat quàm grauiter & terribiliter omnipotens Deus hoc totum per Prophetam suum increpauerit, improbauerit, atque damnauerit, dicens, *Vriam Hethæum occidisti, & vxorem illius accepisti vxorem, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quòd despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua.* Et quidem statim illi alto dolore compuncto, & pœnitenti atque humiliter confitenti, tantæ iniquitatis reatus dimissus est. Ait namque breui sermone, magno & profundo cordis gemitu, *Peccaui Domino*, & statim audire meruit per Prophetam, *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Verumtamen sic ei dimissum est peccatum, vt non euaderet temporale flagellum quod ei fuerat denuntiatum. Nam & filius, qui exinde natus fuerat, confestim diuino iudicio percussus est & mortuus, & ipse postea grauissimis tribulationibus, & regni sui amissione per filium suum Absalon ita afflictus est & vexatus, ac velut in fornace ignis excoctus atque purgatus, vt verè sola diuina clementia euasisse videatur. Quòd autem coniugium illud, tam grauiter increpatum, & improbatum, atque flagellatum, ita manere permissum est, manifestè non est cuiquam ad imitandum propositum, vt quilibet in iniusto ordine credat se habere iustum coniugium. Sed potiùs diuinum extitit miraculum vel sacramentum, ita illum virum vera & admirabili pœnitentia fuisse purgatum, atque ab omni adulterina subreptione sanatum, vt posset & ex tali coniunctione castum & legitimum esse coniugium, sicut & in extremo vitæ suæ tempore, mira & speciali virtute, Abisag Sunamitidem speciosissimam virginem, & ex cunctis finibus regni Israel, electam, habuit sibi assiduè ministrantem, & secum assiduè cubantem atque dormientem, quam tamen nunquam cognouit.

[Margin notes: 2.Reg.11. — 2.Reg.12.9. — Ibid.13. — 3.Reg.1.]

XIV. Hæc ergo vel ita admiranda sunt, vt penitùs non possint esse imitanda, vel ita illi tempori Mosaicæ legis concessa, vt adueniente Domini & Saluatoris nostri Euangelica gratia sint penitùs remouenda, vel quoniam, sicut Apostolus dicit, omnia hæc

1.Cor.10. 11. in figura contingebant illis, diuinis sint mysteriis applicanda. Quanquam si non præcessisset in illa muliere adulterium, nec viri eius interfectio fuisset adiuncta, quis non videat potuisse eam mortuo viro proprio, & debita iam curatione deplorato, cui vellet honesto & legitimo matrimonio copulari? Sed & regem, qui pro conditione temporis illius non prohibebatur plures habere uxores, potuisse le- 2.Reg.16. gitimè accipere cuiuslibet defuncti vxorem? Illud verò in gestis eius magnificum & valdè imitandum claret, quòd vxores siue concubinas, quas fugiens reliquerat ad custodiendam domum, à filio impio incestatas atque pollutas nunquam vlteriùs agnouit, sed tanquam vim perpessas aluit eas tantummodò clementer, & fecit eas habitare clausas vsque ad diem mortis suæ in viduitate viuentes. Sed & illud nequaquam abhorret ab ordine & obseruantia religionis, cùm adhuc regnaret in Hebron super tribum Iuda tantummodò, 2.Reg.3.13. & Isboseth filius Saul obtineret regnum Israel, misit ad Abner principem militum & gubernatorem domus regiæ, vt restitueret ei Michol filiam Saul, quæ fuerat vxor eius, & quam sibi desponsauerat centum præputiis Philistinorum, quámque Saul pater ipsius, illo hostiliter etiam extra terminos regni sui effugato, alteri viro tradiderat coniugem. Iustum namque erat, vt illa persecutione & effugatione finita, regressus in patriam, quod sibi iure competebat reciperet etiam in qualibet possessione terrena, quanto magis in coniugij societate, sicut etiam sacri canones simili æquitatis deliberatione obseruandum esse decernunt?

XV. Possvnt etiam istiusmodi praui atque distorti homines, siue fautores ac deceptores eorum, illud quasi iustè & licenter Iud.20. & 21. assumere in exemplum, quod de viris tribus Beniamin refertur in libro Iudicum. qui cùm pro culpa superbiæ & prauitatis suæ, qua ciuium suorum detestandum atque immanissimum scelus, aduersus Deum & totius populi iudicium, improbè & impiè defendere ausi sunt, & contra omne regnum rebelli obstinatione pugnare, diuino iudicio in bello corruissent, & vsque ad internecionem penè fuissent deleti, cum vniuersis vxoribus & filiis suis remanserint ex tota illa tribu sexcenti viri tantummodò. Vnde vniuersus populus Israel, qui in illo certamine aduersus eos processerat, eósque prostrauerat gladio, iuxta diuinam iussionem in vltionem nefandi sceleris vehementi & religioso dolore permotus est, quòd ex duodecim tribubus eiusdem populi, sicut ab initio fuerant institutæ, & de Ægypto liberatæ, & in terram repromissionis inductæ, & sortis distributione hereditatem adeptæ, vna tribus tam nobilis atque præclara videretur etiam sublata. Quapropter nimium dolentes & flentes, atque vlulantes. quòd videlicet illud sacrosanctum mysterium duodecim tribuum, quod in humeris summi sacerdotis intrantis in Sancta Sanctorum gestabatur in duobus pretiosis lapidibus in pectore, & etiam

in aliis duodecim lapidibus pretiosis, sed & in mensa in duodecim panibus incessanter offerebatur, & futuro gloriosissimo Apostolorum choro hæc omnia præparabantur, tam subita clade ac lugubri casu videretur esse decurtatum atque truncatum, altare exstruxerunt, victimis atque oblationibus & sibi & illis Dominum placauerunt, & diuina gratia miserante & cooperante omni cura ingentique studio egerunt, vt & plenitudo populi Dei, vel tanti mysterij insigne apud eos nullatenus deperiret. sicut mirabiliter postmodùm etiam in nouo Testamento per beatos Apostolos sancto Spiritu agente procuratum est, vt eiusdem duodenarij numeri sacramentum, quod pereunte Iuda videbatur esse mutilatum, electione & subrogatione Mathiæ maneret instauratum atque perfectum. Act 1.26. Et quoniam, vt iam dictum est, ex tota illa tribu sexcenti viri tantummodò superfuerant, quadringentis ex eis quadringentas virgines prouiderunt, atque in coniugium tradiderunt: ducentis verò qui remanserant, quia nec filias suas tradere poterant, constricti iuramento & maledictione qua iurauerant nequaquam se eis daturos de filiabus suis vxores, nec alias inuenire poterant quas eis liberè traderent, sicut fecerant ex habitatoribus Iabes Galaad, qui nec in illo iuramento interfuerant, & postea in tam publico & religioso bello adesse neglexerant, ac per hoc legitimè interfici iussi sunt, & ex eis quadringentæ tantùm virgines resignatæ, quæ ad reparationem tribus Beniamiticeæ adducerentur. Erant itaque residui habitatores Silo, vbi tunc constitutum erat tabernaculum Dei, qui nec in illo iuramento, nec in illa pugna, forsitan immunitate sanctuarij, cui pro vicinitate familiariùs vel etiam assiduè famulabantur, fuisse credendi sunt. & idcirco licenter dare potuisse istas filias suas in coniugium, sed quadam duritia & execratione illius facinoris, quod à tribu Beniamin fuerat perpetratum, facere noluisse.

XVI. Restabat igitur, vt quia nec parentes legitimè compelli poterant, vt nolentes darent filias suas, & rem voluntatis ex necessitate facerent, nec ipsæ filiæ hostiliter eis essent auferendæ, ipsis virginibus procedentibus solemnissimo die ad sanctuarium Domini, chorósque ducentibus, ducenti illi viri absque coniugibus, ex consultu & consilio atque auctoritate populi & seniorum, pro redintegratione eiusdem populi, & conuersatione diuini mysterij, repentè eis occurrerent, & ex his singuli singulas sibi vxores acciperent. In qua re iam nulla metuenda esset diuina indignatio, cùm pro amore & honore diuino, & pro Dei causa totum ageretur. Qui illi tribui penè vsque ad internecionem deletæ, & in transacto bello iam restituerat quod merebatur, & in præsenti consultu occulta eis inspiratione & prouidentia miserebatur. Seruata ergo vbique iustitia, cùm neque illæ puellæ aliqua lasciuia vel contumacia, sed necessitate sola à parentum suorum regimine abductæ essent, nec illi

qui eas ceperant, aliquid suo libitu vel temeritate, sed populi & seniorum iussione atque auctoritate fecissent: restabat sola parentum querimonia rationabili satisfactione sopienda, de qua eis maiores natu ita dixerunt, *Cúmque venerint parentes eorum, & aduersum vos queri cœperint atque iurgari, respondebimus eis, Miseremini eorum. Non enim ceperunt eas iure bellantium atque victorum, sed rogantibus vt daretis, & non dedistis, & à vestra parte peccatum est.* Totum igitur istud rationabiliter prouisum, rationabiliter factum, rationabiliter finitum, pro publica vtilitate, publica auctoritate, atque intercessione, ita singulare est & minimè imitandum, vel potiùs mysticum, vt semel legatur gestum, & nunquam vlteriùs iteratum.

Iud.21.22.

XVII. QVAPROPTER quod scriptura Dei narrat ad memoriam pietatis, vel ad commendationem mysterij spiritualis, absit vt stulti & impudenti petulantia dissoluti vsurpare permittantur ad exemplum vel defensionem suæ procacitatis, vt putent se isto exemplo, cùm non facilè impetrant à parentibus, licere sibi rapere quas voluerint, & postea complacatis parentibus, quasi legitimo eas matrimonio detinere: cùm hoc, sicut iam dictum est, non sit scriptum ad exemplum, vnde nec vnquam postea est vsurpatum, sed sit in his admirandæ deuotionis commemoratio, & profundi mysterij commendatio. Et ibi quidem propitiato & placato omnipotenti Deo, cuius cultu & honore totum gerebatur, sola parentum misericordia implorata est, vt parcerent illis ducentis viris, ne vel in hac parte inueniret in eis diuinæ legis æquitas quod damnaret. Quanquam & à parentum parte verè precatum esse videatur, quia in consulendo tantæ & tam publicæ necessitati duriores extiterunt, in tantum vt nec rogantibus primò dare voluissent. Hîc verò Deo exasperato & ad iracundiam prouocato, cuius lex contemnitur, cuius Ecclesia & sacerdotes conculcantur, cuius sanctum templum sacrilega & nefaria præsumptione violatur, qua stultitia atque dementia putant placatis & pacificatis parentibus pacatam se habere posse Ecclesiam Dei, & eorum auctoritate stare posse confidunt quod diuinæ legis & sanctorum Patrum auctoritate destruitur, cùm tantæ præuaricationis & impietatis malum, aduersus Deum & Ecclesiam eius commissum, nulla ratione, nullis argumentis emendari possit, nisi omnipotentis Dei & Ecclesiæ iudicio ac satisfactione? Ibi igitur ostendenda est tanti facinoris emendatio, ibi suppliciter venia postulanda, ibi sollicitè satisfactio exhibenda, id est in Ecclesia Dei, apud sacerdotes Dei, vbi solummodò veraciter obtineri potest & remissio peccati, & propitiatio eius qui offensus est omnipotentis Dei.

XVIII. ADIICIVNT istiusmodi homines malis suis etiam illam nimis audacem & puniendam præsumptionem, vt adulterinis & execrandis non coniugiis, sed colluuionibus suis, postulando ac supplicando auctoritatem vel mediationem religiosorum Principum

adquirant. quod absit à fidelibus & ministris regni Christi principibus, vt cuiusquam improbitas eorum interdictis vel interuentionibus adiuuetur. cùm leges Romanæ, & Christianissimi illorum temporum Imperatores manifestissimè & iustissimè censuerint, eos qui iniustis & fraudulentis petitionibus, & maximè in tali causa, principales aures inquietauerint, & indulto beneficio carere, & insuper exilio deportari, & filios qui ex huiusmodi ignominiosis & adulterinis coniunctionibus fuerint procreati, nequaquam legitimos deputandos, nec hereditatis successione honestandos. Obsecramus igitur mansuetissimam tranquillitatem vestram, Christianissime & gloriosissime Princeps, vt preces & supplicationes nostras, quas pro Ecclesia Dei & sanctificatione atque honore corporis Iesu Christi Domini & Saluatoris nostri deferimus, clementer audiatis, prompta deuotione suscipiatis, & insitæ religionis affectu ac zelo strenuè atque sollicitè effectui mancipetis. Nec reprehendendam iudicetis curam & solertiam pusillitatis nostræ, quòd hæc Deo protegente non vbique, sed in plerisque regni huius partibus contagia funesta grassantur. Quia nobis licèt indignis & minimis, & exemplo Apostolico cura debet incumbere omnium Ecclesiarum, & omninò vigilanter admonenda & prædicanda sunt ista etiam vbi non fiunt. Quoniam & ante venenum est adhibendum antidotum, & vulnus, dum adhuc crescendo malè proficit, vel resecandum est vel curandum. Oramus itaquè & imploramus à vobis auxilium, quod illi sine dubio debetis, cuius munere floretis atque polletis, vt tres Ecclesiæ ordines, immò triplex agri diuini fructus, videlicet tricesimus, sexagesimus, atque centesimus, etiam vestro terrore atque præsidio, velut quadam sepe atque munimento, integer & sincerus custodiatur, crescat, atque proficiat. tricesimus in copulatione coniugij, sexagesimus in continentia viduali, centesimus in pudore atque integritate sanctimoniali. vt quicumque his fructibus tanquam brutæ & perniciosæ bestiæ insidiantur, vestra custodia repellantur, vestra etiam seueritate corrigantur.

XIX. AVDIATVR & teneatur quòd sancti Patres definiunt de bono coniugali ita dicentes, Quod bonum habent nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est, fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altera vel altero concumbatur. In prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In sacramento, vt coniugium non separetur, & dimissus aut dimissa nec causa prolis alteri coniungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, quia vel natura decoratur fœcunditas, vel innocentia regitur prauitas.] Audiatur & illud quòd de reliquis duobus ordinibus, in quanta sanctitate & reuerentia haberi debeant, his verbis iterum dicunt, Dauid cum magno suî pudore furtim ad militis sui intrasse fertur vxorem, nec tamen

Auguſt. lib. 9. de Geneſi ad lit. c. 7.

euadere potuit vltionem. Tu ad ſponſam regis Chriſti temerandam, cubiculum Domini dominorum impudenter ingreſſus, quomodo eſſe poteris impunitus? Ac ſi fortè vidua, aut quæcumque fuerit illa, nondum profeſſa continentiam caſtitatis, quælibet illa ſit, vxor dici non poteſt proſtituta, vterque veſtrûm nota ſemper inuretur infamiæ, nec aliter tanti criminis macula poterit aboleri, niſi aut publica legum ſæcularium ſæuiente cenſura adulterium mortibus expietur, aut certè profundis afflicti cordis gemitibus & veræ pœnitentiæ iugibus dum viuitur lacrymarum fontibus abluatur. Exeat ergo qui dicat crimen hoc nuptiis emendandum, & de ſcelere ſtatim nomine coniugium cenſeat eſſe vocandum. A me inuitus veraciter audiet, adulterium nullatenus dici coniugium. coniugium enim religioſi nominis vocabulum eſt.

XX. His ſanctorum patrum verbis atque ſententiis ſubiungemus adhuc paucas ex ſacris canonibus ſententias, quas in contemplationem domini noſtri Ieſu Chriſti, & honorem ac pietatem ſanctæ matris Eccleſiæ, cuius viſceribus Deo nati, cuius honoribus illuſtrati eſtis, & æternaliter illuſtrandos vos eſſe confiditis, religioſa quæſumus deuotione audiatis, & inſtructiſſima cura atque induſtria, in commiſſo vobis Chriſtiano populo agnoſci, reuereri, atque obſeruari, Domino in omnibus protegente & cooperante faciatis. Tanta namque res iſta eſt, pro qua ſatagimus & ſupplicamus, id eſt, caſtimoniæ & ſanctitatis cuſtodia, vt pro ea commendanda atque tuenda etiam nos ipſos offerre libenter debeamus, exemplo beati & glorioſi Baptiſtæ Ioannis, qui inter cetera prædicationis ſuæ præ-
Matt.14.4. conia, etiam regem ipſum Herodem propter iſtiuſmodi adulterinum coniugium tanta conſtantia increpauit, atque corripuit, inſtanter annuntians & dicens illi de vxore fratris ſui Herodiade; (quam pluſquam raptor, etiam virtute & potentia regiæ poteſtatis obtinuerat & detinebat,) Non licet tibi habere eam. vt pro huiuſmodi cauſa & vincula & carcerem æquanimiter ſuſtinens, nouiſſimè gladio maluerit obtruncari, quàm à veritatis & iuſtitiæ prædicatione ceſſare. Et ideo verè Martyr Chriſti, quia ipſius veritatis & iuſtitiæ martyr.

EXCERPTA EX SACRIS CANONIBVS & ſanctorum Patrum geſtis, de cultu ſanctimoniæ, & conſtantia annuntiandæ veritatis.

Ex Decretis Papæ Siritij cap. IV. *Quòd non liceat alterius ſponſam ad matrimonij iura ſortiri.*

De coniugali autem violatione requiſiti, ſi deſponſatam alij puellam alter in matrimonium poſſit accipere, hoc ne fiat modis omnibus inhibemus: quia benedictio, quam nupturæ ſacerdos imponit, apud fideles cuiuſ-

cuiusquam sacrilegij instar est, si vlla transgressione violetur.

In Ancyrano Concilio cap. x.

De desponsatis puellis, & ab aliis corruptis.

DESPONSATAS puellas, & pòst ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi quibus antè fuerunt desponsatæ, etiamsi eis à raptoribus vis inlata constiterit.

Ex decretis Innocent. Papæ. c. xx.

De virginibus non velatis, si deuiauerint.

HÆ verò, quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulauerunt permanere, licèt velatæ non fuerint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, solui sine vindicta non debet? Nam si Apostolus Paulus, quæ ex proposito viduitatis discesserant, dixit eas habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto potiùs virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt conatæ?

Ex decretis Papæ Leonis, c. XXVII.

Quòd illæ quæ non coactæ, sed voluntate propria virginitatis propositum susceperunt, delinquant si nupserint, & si nondum fuerant consecratæ.

PVELLÆ quæ non parentum coactæ imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias eligant, præuaricantur, etiamsi nondum eis gratia consecrationis accesserit: cuius vtique non fraudarentur munere si in proposito permanerent.

Item eiusdem Papæ Leonis ad Rusticum.

De puellis quæ iam consecratæ sunt, si postea nupserint, & propositi & consecrationis duplex crimen admittunt.

DE his quæ iam consecratæ sunt, si postea nupserint, ambigi non potest magnum crimen admitti, vbi & propositum deseritur & consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt impunè violari, quid eos manebit, qui ruperint diuini fidem sacramenti?

Ex decretis Papæ Gelasij. cap. xx.

Quòd hi qui se sacris virginibus sociant, & fœdera incesta commiscent, communicare non possint, nisi publicam pœnitentiam egerint.

VIRGINIBVS autem sacris temerè se quosdam sociare cognouimus, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegáque miscere. quos protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatámque pœnitentiam omnino non recipi: aut his certè viaticum de sæculo transeuntibus, si tamen pœnituerint non negari.

Ex decretis Papæ Siricij, cap. VI.

De monachis & virginibus propositum non seruantibus.

PRÆTEREA monachorum quosdam atque monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciuiam, vt priùs clancùlò, velut sub monasteriorum prætextu, inlicita ac sacrilega se contagione miscuerint, postea verò in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de inlicitis amplexibus liberè filios procrearint. quod & publicæ leges & Ecclesiastica iura cōdemnant. Has igitur impudicas detestabilésque personas à monasteriorum cœtu Ecclesiarúmque conuentibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, vt eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu per communionis gratiam possit indulgentia subuenire.

Item ex Conc. B. Papæ Gregorij.

GREGORIVS Apostolicus Papa, ante corpus venerabile Christi Apostolorum principis, in ferendo sententiam dixit: Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in coniugium duxerit, anathema sit. Et responderunt omnes tertiò, Anathema sit. Si quis commatrem spiritualem duxerit

in coniugio, anathema ſit. & reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis fratris vxorem duxerit in coniugio, anathema ſit. & reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis conſobrinã duxerit in coniugium, anathema ſit. & reſponderunt omnes anathema ſit. Si quis de propria cognatione, vel quã cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema ſit. & reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis viduam furatus fuerit in vxorem, vel conſentiens ei, anathema ſit. & reſpõderunt omnes tertiò, anathema ſit. Si quis virginem, quam ſibi non deſponſauerit, furatus fuerit in vxorem, vel conſentiens ei, anathema ſit. & reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Gregorius Epiſcopus ſanctæ catholicæ atque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ huic conſtituto à nobis promulgato ſubſcripſi. & ſubſcripſerunt alij Epiſcopi XXII. Presbyteri XIV. Diaconi V.

De Concilio Aurelian. I. cap. II.

De raptoribus autem id conſtituendum eſſe cenſuimus, vt ſi ad Eccleſiam raptor cum rapta confugerit, & feminam ipſam violentiam pertuliſſe conſtiterit, ſtatim liberetur de poteſtate raptoris, & raptor, mortis vel pœnarum immunitate cõceſſa, ad ſeruiendi conditionem ſubiectus ſit, aut redimendi ſe liberam habeat facultatem. Si verò quæ rapitur patrem habere conſtiterit, & puella raptori conſenſerit, poteſtati patris excuſata reddatur, & raptor à patre ſuperioris conditionis ſatisfactione teneatur obnoxius.

Ex Concilio Valentino, cap. II.

De puellis Deo deuotis, ſi ad terrenas nuptias tranſierint, vt pœnitentiæ deputentur.

De puellis verò quæ ſe Deo vouerint, ſi ad terrenas nuptias ſponte tranſierint, id cuſtodiendum eſſe decreuimus, vt pœnitẽtia his nec ſtatim detur, & cùm data fuerit, niſi plenè ſatisfecerint Deo, in quantum ratio popoſcerit, earumdem communio differatur.

Ex Concil. Eliberitano, cap. XIII.

De virginibus Deo ſacratis, ſi adulterauerint.

Virgines quæ ſe Deo dicarunt, ſi pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini ſeruierint, non intelligentes quid amiſerint, placuit nec in fine eis dandam communionem. Quòd ſi ſemel perſuaſæ, aut infirmi corporis lapſu vitiatæ, omni tempore vitæ ſuæ huiuſmodi feminæ egerint pœnitentiam, vt abſtineant ſe à coitu, eo quòd lapſæ potiùs videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere.

Ex Concil. Toletano I. cap. XVI.

Deuota ſi adulterauerit, decem annis pœniteat. Si maritum duxerit, non permittenda ad pœnitentiam, niſi maritus deceſſerit.

Devotam peccantem non recipiendam in Eccleſiam, niſi peccare deſierit, & ſi deſinens egerit pœnitentiam aptam decem annis, ſic accipiat communionem. Priùs autem quàm in Eccleſiam admittatur ad orationem, ad nullius conuiuium Chriſtianæ mulieris accedat. quòd ſi admiſſa fuerit, etiam hæc quæ eam receperit habeatur abſtenta. Corruptorem etiam par pœna conſtringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, niſi adhuc viuente ipſo marito caſtè viuere cœperit, aut poſtquam ipſe deceſſerit.

Ex Conc. Toletano. IV. cap. LVI.

De diſcretione viduarum ſæcularium & ſanctimonialium.

Dvo ſunt genera viduarum, ſæculares & ſanctimoniales. Sæculares viduæ ſunt, quæ adhuc diſponentes nubere laicalem habitum non depoſuerunt. Sanctimoniales ſunt, quæ iam mutato habitu ſæculari, ſub religioſo cultu in conſpectu ſacerdotis vel Eccleſiæ apparuerunt. Hæ ſi ad nuptias tranſierint, iuxta Apoſtolum, non ſine damnatione erunt: quia ſe primùm Deo vouentes, poſtea caſtitatis propoſitum abiecerunt.

Ex Concilio Toletano X. cap. V.

Omnes feminæ, quæ iam in præ-

teritum religionis veste fuisse probantur indutæ, nihil ad excusationem valeat oppositionum quælibet obiectio, quamuis diuersis aut callidis adumbrare se velint fallaciæ argumentis: sed ad sacratissimas sanctiones disciplina sanctior eas teneat religatas atque subiugas. Commoueantur sanè sacerdotis auctoritate vt spontè redeant. quæ si redire noluerint, impulsu sacerdotis ad religionis habitum reducantur, & in monasteriis redactæ excommunicationis condignæ sententia feriantur.

In Edictis piorum Imperatorum CCCXXV.

Si quis diuinis mysteriis vel aliis sanctis mysteriis celebrandis in sancta intrauerit Ecclesia, & Episcopo vel clericis, vel aliis ministris Ecclesiæ iniuriam fecerit, iubemus eum tormentis subiectum in exilio mori. Sed & si quis sancta oratoria vel diuina mysteria in aliquo conturbauerit, capitali supplicio puniatur. Hoc eodem obseruando & in Litaniis, in quibus Episcopi vel clerici inueniuntur. vt si quidem contumeliam fecerit, tormentis & exilio tradatur: sin autem litaniam turbauerit, capitali periculo subiaceat. Non enim tantùm volumus omnia loca Deo dicata ab omni incursione libera, sed multo magis omnes Episcopos & clericos eorum ab omni periculo esse tutissimos: vt quicumque Præses vel Iudex, aut militaris, si contra eos manus aut contumelias inferre ausus fuerit, nullo pacto illud aliter expiare possit, nisi aut æterno exilio, aut sanguine.

In Taurinensi vel Aquilegiensi Concilio, cap. IX. & XV.

Si peccatis agentibus contigerit post obitum alicuius sancti Episcopi, vt annus transeat, antequam substituatur in ciuitate ipsa vnde decessit Episcopus alter, quia hoc munus præuidere debent Metropolitani, ne vltra mensem, vel multo plus tres menses, sine pastore vacua remaneat ciuitas, placuit nobis, vt abs modo culpetur Metropolitanus pro tanta negligentia, & clerus ac populus, pro eo quòd salutis memor non fuit, vt ad Metropolitanum petiturus Episcopum accurreret: & deinde ordinetur Episcopus eis. Si autem ipsi de se talem non habuerint, aut prouidere sibi & eligere iubẽte Metropolitano suo neglexerint, tunc iudicio & potestate sua, electa apta persona, Metropolitanus cum aliis Episcopis ordinet & faciat Episcopum, ne plebs Dei sine pastore sit vacua, & facultates Ecclesiæ dispereant. Si tunc presbyteri aut maiores ciuitatis non adquieuerint, vt rebelles anathematizentur.

In Edictis piissimorum Imperatorum.

Ivrent maiores ciuitatis ad Euangelia de persona electa ad Episcopatum, quòd neque vxorem habuerit procertam neque concubinam, neque sit curialis vel taxiota, sed sanctus & litteratus, & canonicas leges intelligens, & in clero vel monasterio nutritus, & tunc ordinetur. Sin autem hi qui debent Episcopum eligere, talia decreta intra sex menses non fecerint, tunc Metropolitanus propter periculum animæ suæ, omnibus his exquisitis quæ diximus, ordinet & consecret sua potestate clero & populis Episcopum.

DEINCEPS QVÆ AD PROPRIA HINCMARI NEGOTIA, Rothadi nempe ac Wlfadi sociorúmque eius causam spectant, & Gothescalci.



XVII.

AD NICOLAVM PAPAM,

DE VACATIONE SEDIS CAMERACENSIS, & de Balduini & Iudith coniunctione: déque Rothadi depositione, ac hæresi Gotheſcalci.

Ex libro III. Flodoardi, cap. XII.

DOMINO VNICE SINGVLARITERQVE SVSCIPIENDO patrum patri, & ſumma veneratione honorando, reuerentiſſimo Papæ Nicolao, Hincmarus nomine non merito Remorum Epiſcopus, ac plebis Dei famulus.



IN epiſtola veſtræ ſanctitatis, per Odonem Epiſcopum Epiſcopis in regno Lotharij pro præiudicio Cameracenſis Eccleſiæ directa, relegi veſtram auctoritatem ſciſcitaturum, cuius neglectu eadem Eccleſia vltra decimum menſem paſtore vacaret. Vnde ne vt negligens à veſtro Apoſtolatu ſuccenſear, indico auctoritati veſtræ, poſt directas Lothario & Epiſcopis regni eius, atque Hilduino, qui eandem Eccleſiam irregulariter occupat, ita vt antequam ipſas mitteretis epiſtolas, hactenus præiudicium permanere: méque Lotharium regem & legatis & litteris, prout potui, ſæpè & eo vſque commonuiſſe, donec regiis ſuis litteris mihi reſpondit, Hilduinum ad veſtram auctoritatem ſuum legatum miſiſſe, & nihil aliter de præfata Eccleſia niſi vt egerat diſponere debuiſſe, donec à vobis inde reſponſum acciperet.

BALDVINVS quoque in proximo nunc decurſo menſe Octobrio, quinto Kalendas Nouembris, per duos homines ſuos mihi litteras auctoritatis veſtræ direxit, in quibus continetur, vt eaſdem litteras Coepiſcopis prouinciæ noſtræ legerem, & Iudith paternis ac maternis obtutibus præſentandam ſuſciperemus, ſi tamen intelligeremus, quòd confeſtim præfatus excellentiſſimus rex noſter, quæ de illa vobis ſcriptis & verbis per Legatos veſtros Apoſtolatui veſtro renuntianda ſpopondit, adimplere vellet. Quòd ſi eorum animos ad id protelandum eſſe intentos inueſtigare poſſemus, nequaquam eam reciperemus. Alioquin, id eſt, ſi aliter egiſſemus, gratia & communione veſtra frui nequaquam valeremus. Quam veſtræ auctoritatis epiſtolam vt oportuit reuerenter ſuſcepi, & Coepiſcopis noſtris eam relegi, & pro præfata Iudith apud patrem & matrem illius quan-

tum potuimus, vt mandaſtis communiter interuenimus, & paternis ac maternis obtutibus eam præſentare ſtuduimus. Poſt quæ voluimus, quia ſic nobis ſecundùm ſacras regulas, ſicut eas intelligimus, viſum fuerat, (non enim ſine dignis pœnitentiæ fructibus abſolui poſſe putamus, quod anathematis vinculo à ſacris regulis innodatum videmus) vt iuxta Eccleſiaſticam traditionem priùs Eccleſiæ quam læſerant ſatisfacerent, & ſic demùm quòd præcipiunt iura legum mundialium exequi procurarent. Sed quoniam litteras veſtras, quæ inde nihil præceperunt, immo etiam nullam protelationem in eorum coniunctione fiendam ſignificauerunt, ſibi ſufficere voluerunt, & ſine veſtra auctoritate, ad quam clamauerant, cogi niſi alio ſe modo ſubmitterent non debuerunt: ex altera epiſtola veſtræ ſanctitatis eis retuli, quòd non leges Eccleſiaſticas diſſoluiſtis, ſed preces pro eo miſiſtis, qui puniri ſecundùm leges mundanas poterat, quatenus locum pœnitendi haberet quòd contra leges diuinas admiſerat. Sic & Saluator noſter, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & neminem vult perire, in cruce apud patrem iure ſacerdotis pro ſuis perſecutoribus interceſſit. quod in eis qui poſt paſſionem eius crediderunt, & compuncti pœnitentiam egerunt, qui cum patre omnia donat efficaciter impetrauit. Ad cuius inſtar Apoſtolorum vicarius, ad quorum limina confugerunt, & catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ ſummus Pontifex, quod in hominem regem & in leges mundi peccatum eſt perdonari petiſtis: vt quod in regem cæli & terræ, & in leges cæleſtis regni offenſum erat, haberent inducias per pœnitentiam abolendi. Econtrà carnales, & etiam quidam eorum qui antea coniunctioni huiuſmodi contradicebant, hac defenſione vt eis viſum fuerat ſe protegentes, ſed ſicut ſe habet veritas ſalute nudantes, ab iſtius nouiſſimæ veſtræ epiſtolæ verbis recedere noluerunt, quam ſine protelatione eorum coniunctionem debere fieri demonſtrare dicebant. Dicenti verò mihi, quia pro nulla poteſtate terrena quod de Eccleſiaſticis regulis intelligeretur dimittere deberem: maximè cùm etiam mecum, immo cum Deo, domnus rex noſter filius veſter Carolus faceret: quaſi conſulendo mihi quidam hoc dederunt conſilium, in quo non meis ſed verbis eorum vtar, quæ manſuetudo veſtra, velut exemplum & doctrix diſciplinæ Dei, mitis & humilis corde ac patiens æquanimiter ſuſtinebit, dicentium, vt quia non ſæcularis ſed Eccleſiaſtica pietas de hoc mihi negotio imperaret, conſpirationem reſiſtentium aliquantulum declinarem, ne quiſquam æmulus noſter veſtræ ſanctitati ſuggereret, quaſi in contemptum ſancti Apoſtolatus veſtri & ſedis Apoſtolicæ hoc egiſſent, & veſtræ manſuetudinis erga me animum commoueret, & quamcumque excommunicationem, ſicut pro Rothado actum fuerat, (quod tamen ad me non peruenit, niſi quantum Odo Epiſcopus, & poſtea Luido detulit,) antequam ad au-

ctoritatem vestram gestorum seriem inde mittere valuissemus, vel quomodo res gesta fuerit per Legatos vestros resciretis) obtineret. Præsertim cùm in hac epistola vestræ auctoritatis legatur, quòd si aliter egissemus quàm in ea scriptum est, gratia & communione vestra frui nequaquam valeremus. Quo contrà mihi dicenti hoc in epistola vestra ob id posuisse, ne femina illa à nobis deciperetur, & non ob hoc, ne Ecclesiæ satisfaceret, responderunt, cur aliter vellem vestram epistolam intelligere, quàm vobis placuit eam componere, cùm de in præterito mihi transmissis eius sensum possem manifestè cognoscere. Quapropter memor præteritarum epistolarum mihi & Episcopis regni filij vestri domni Caroli à vobis missarum, attendens etiam quæ in epistola nuper per Luidonem mihi benignitas vestra mandauerat, (hæc enim in Autisiodoro post aduentum Luidonis ventilabantur) inter metum præteritarum & spem posterioris epistolæ mihi mitiora monstrantis, contentionem in hac causa dissimulando vitaui, & condescensionem quasi in tempus aliud differendo dissimulaui: expectans vt in causæ huius quæ instat dispositione vestra, ex Rothado discere valeam qualiter de reliquo in huiusmodi agere debeam. Sícque nihil nobis de Ecclesiastico ministerio eis interdicentibus, sed tamen quod valuimus nostram præsentiam ab hoc negotio subducentibus, Balduinus & Iudith iura legum sæcularium quæ elegerunt exequi studuerunt. Domnus etiam noster rex filius vester huic desponsationi & coniunctioni interesse non voluit: sed missis publicæ rei ministris, sicut vobis promisit, secundùm leges sæculi eos vxoria coniunctione adinuicem copulari permisit, & honores Balduino pro vestra solummodò petitione donauit.

DENIQVE ad epistolam vestræ auctoritatis, ad quam me misistis, obedienter audiendam, generaliter omnibus Episcopis regni domni nostri Caroli regis gloriosi pro Rothadi causa per Odonem Episcopum transmissam, sicut litteris exiguitati meæ directis sanctitas vestra præcepit, conueni, & simul cum eisdem venerabilibus Episcopis, quantum ex me fuit, mox antequàm synodus solueretur, vestram iussionem de eodem Rothado, ne aliqua mora vestræ præceptionis implendæ, aut de superuentione paganorum, aut de alia qualibet causa interueniret, adimplere curaui, sicut & Legati domni regis ac nostri & litteræ pleniter vestræ notum facient sanctitati. Sed quoniam causa interueniente, quam vobis ipsi Legati referent, statim vt præcepimus datis litteris, & designatis nostris vicariis, ad vestram præsentiam cum eodem Rothado ire non potuerunt, & ob id diutiùs quàm voluerimus immorati fuerunt: interea Luido Legatus domni nostri regis à vestra rediens sanctitate pridie Kalend. Decembris vestras Apostolicas litteras domno nostro regi filio vestro in ciuitate Autisiodoro detulit. & quia filius eius atque

æquiuocus Carolus, qui patris animum in quibusdam offenderat, & ob id ad eius præsentiam quorumdam suggestione aliquantulum venire distulerat, patrem Legatis suis petiit, vt meam paruitatem cum aliis quibusdam suis fidelibus pro eo ad ipsius vestigia deducendo transmitteret: quatinus nostro interuentu patrem placabiliorem inuenire valeret, exiguitatem humilitatis meæ domnus rex illuc in suum venire seruitium iusserat. Quò mox vt veni, mihi litteras vestras legendas donauit. In quibus licèt pro sua dignatione sublimitas vestra humilitatem meam sine vlla meriti prærogatiua benignè tractauerit, & à mea insipientia scripta, sapientia vestra, supra id quod scio atque intelligo, non tamen absque inducto cauterio, laudare dignata fuerit: tamen in eis videor mihi videre vobis multiloquium meum increscere. Vnde dignetur sanctitas vestra dignanter suscipere, quod beatus Augustinus de suo multiloquio Domino dominorum audaciter non dubitauit dicere, cùm se inde apud eum voluit excusabilem reddere, inter alia scribens, Loqui multum non est nimium, si tamen est necessarium.] Qua de re, sanctissime domine & pater reuerentissime, æquanimiter sustinete modicum quid insipientiæ meæ, sed & supportate me, si adhuc quiddam de Rothadi causa vobis iam sufficienter notissima quasi repetens scribo. Cum quo, quia vobis placet cui cuncta bona placent, mittimus vicarios nostros, non vt accusatores ad confligendum, sed vt à Rothado, atque à vicinis nostris, qui causam pleniter ac veraciter aut nesciunt aut scire non volunt, accusati. quòd non in contemptum sedis Apostolicæ, appellantem Rothadum secundùm Sardicenses canones sedem Apostolicam, sed eum qui ad electorum iudicium de certis capitulis prouocauit, iuxta Carthaginenses & Africanos canones, ac decreta beati Gregorij, regulariter iudicauimus vestræ summæ auctoritati humiliter intimandum. Absit enim à nobis, vt priuilegium primæ & summæ sedis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontificis pro sic paruo pendamus, vt controuersias & iurgia tam superioris quàm etiam inferioris ordinis, quæ Nicæni & ceteri sacrorum Conciliorum canones, & Innocentij atque aliorum sanctæ Romanæ sedis Pontificum decreta, in Synodis prouincialibus à Metropolitanis præcipiunt terminari, ad vestram summam auctoritatem fatigandam ducamus. At si fortè de Episcopis causa nata fuerit, vnde certa & expressa in sacris regulis non habeamus iudicia, & ob id in prouinciali vel in comprouinciali nequeat examine diffiniri, ad diuinum oraculum, id est, Apostolicam sedem nobis inde est recurrendum. Si etiam de maioribus causis à prouinciali Episcopo ad electorum iudicium non fuerit prouocatum, & in aliqua causa idem Episcopus fuerit iudicatus, id est à gradu suo in comprouinciali Synodo deiectus, & putat se bonam causam habere, & appellauerit qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, &

Lib. xv. de Trinit. in fine.

voluerit se audiri: si iustum putauerit vt renouetur examen, scribendum est ab his, qui causam examinarunt post iudicium Episcopale, eidem summo Pontifici, & ad illius dispositionem secundùm septimum Sardicensis Concilij capitulum renouabitur examen. Nam de Metropolitano per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab Apostolica sede pallium accipit, sicut Leo ad Anastasium, quod & Nicænum Concilium innuit, & ceteri Romanæ sedis Pontifices in decretis suis ex sacris canonibus monstrant, sedis ipsius Pontificis etiam ante iudicium est sententia præstolanda. Is enim est, qui secundùm Ezechielem prophetam moratur in Gazophylacio quod respicit viam meridianam, & excubat in custodiis templi. & nos Metropolitani ad comparationem illius sumus, qui in ministerio altaris, quod est ante faciem templi, in quo carnes incenduntur, seruimus, & controuersias carnalium in synodis prouincialibus laborantes dirimimus, & de maioribus ac maiorum causis ad examen summæ sedis Pontificis post iudicium referre curamus. Homines enim sub illius potestate sub nobis commilitones habemus, & dicimus huic vade & vadit, & alio veni & venit: quoniam vt Leo dicit, & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est vt ceteris præmineret. De qua forma Episcoporum quoque orta est distinctio, & magna ordinatione prouisum, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & per quos ad vnam beati Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vsquam à suo capite dissideret. Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non molestè ferre debet aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat.] quam Rothadus à suis exigere magis, quàm sacris regulis sategit dependere, cùm etiam sancti Angeli in cælo legantur suis potioribus obedire. & ideo ad hoc peruenit vt deiici promeruerit, quem per plures annos & beneficiis impensis, & monitis atque obsecrationibus, per me & per Coepiscopos, ac per quoscumque familiares potui, ad obediendum sacris regulis commonere curaui. Multotiens etiam & per litteras Metropolitanas, & ex Apostolicæ sedis auctoritate, minas ei inculcare curaui, & ex lectione Catholicorum quàm grauiter offendebat ei ostendere studui. ad quæ respondebat, quia nihil aliud facere sciebam, nisi ei meos libellos tota die ostendere. Vnde à multis & frequentissimè redargutus fui, cur incorrigibilem & ministerio sacro inutilem tandiu scienter contra Dei voluntatem & sacram auctoritatem portarem. Ego verò, quamuis sæpissimè & regem, & Coepiscopos ac vicinos suos, & etiam me multo sæpiùs, quasi ex studio ad iracundiam prouocare satageret, licèt non posset, sciens periculosissimum esse in sacerdote perturbatam & præcipitem iram, præcipi-

Ezech. 40. 45.

Epist. 82. ad Anastasium

cipitémque proferre sententiam, & persecutionum supplere sæuitiam, dissimilitudines morum, contumacias inobedientium, & malignarum tela linguarum, diu illum non sine timore de periculo animarum sibi commissarum portaui; & cùm ampliùs portare non debui, ad plurimorum Episcoporum Concilium, vt vel eos audiret, deduxi: quorum non audire consilium, sed aduersum me postulare iudicium maluit. Ad cuius petitionem vt ei satisfacerem, vt vel sic erubesceret, & à cœpta se stultitia reuocaret, iudicio me deuinxi; velut iam vestræ sanctitati pleniùs aliis litteris intimaui, & replicare me pro vestræ auctoritatis satisfactione cogit necessitas, vt cognoscatis quoniam nihil in eum egi animo inimico, sed zelo diuino, quantum in conscientia mea perspicere valeo. Sed & domno regi, ac Episcopis regni eius, & quamplurimis tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus viris, hæc sunt nota quæ dico. Post depositionem autem illius, obtinui vt vnam Abbatiam valdè bonam ei domnus rex & Episcopi consentirent, & omnes nos illi sicut patri de nostris impendiis seruiremus: quatenus qui in deliciis vitam semper perduxerat, non frangeretur. tantùm vt seditiosus & molestus Ecclesiæ cui præfuerat esse non decertaret. Quod primùm quidem acquieuit. sed vt dicunt qui hoc se scire testantur, quidam Episcoporum regni Lotharij, zelo amaro contra nos ducti, quia illorum consiliis de Waldrada non acquieuimus, & etiam aliqui de Germania, vt quidam dicunt, ad Ludouici sui regis suasionem, quoniam cum eo non feci sicut Rothadus in fratris sui de regno expulsione, persuaserunt eidem Rothado, vt non se à seditione mouenda concrederet, & ipsi apud vos obtinerent vt restitueretur. Nunc autem, sicut iussistis, ad vestram præsentiam & dispositionem illum perduci apud domnum nostrum regem filium vestrum obtinuimus, credentes quia quod Domino inde placabilius erit, cordi vestro inspirare dignabitur. De quo quia benignissima dignatio vestra mihi seruo per Luidonem dignata est scribere, vt iuncto mihi integro collegio fratrum, secundùm modum ibi descriptum, vestra Apostolica censura fretus, studerem illum pristino reintegrare decenter officio: sciat reuerentissima & amantissimè colenda dulcissima vestra paternitas, hoc me agere nequiuisse, pro his quæ continentur in subditis. Videlicet quia cum litteris ad vestram auctoritatem deferendis idem Rothadus iam commissus erat eis, qui ad vestram præsentiam illum deducerent, & mihi non erat possibile integrum fratrum collegium conuocare: quoniam, vt suprà scripsi, à diœcesi nostra longiùs eram remotus, in filij vestri regis nostri seruitio: & quoniam sine illorum iudicio, qui in eius depositione fuerant, & quibus inde scripsistis, restitui regulariter non valebat: & Episcopi aliarum prouinciarum per meam conuocationem in multis occupati congregari non poterant. Sed & Coepiscopi Remorum prouinciæ ab ipsa Synodo, in

qua epistolam sanctitatis vestræ audiuimus, causa resistendi Normannis ad suas sedes festinare maturauerunt. Pauci etiam numero Episcopi, qui mecum in filij vestri regis nostri erant obsequio, cùm eis benignitatis vestræ commendationem de Rothado relegi, responderunt non se scire talem vitam atque intelligentiam, taléque studium sacri ministerij in eo fuisse, vt in hoc se miscere auderent: præsertim cùm is, qui antea aliquam reuerentiam de deiectione sua habebat, & semper inobediens & sacris regulis, & regiæ dignitati, & metropolitano priuilegio fuerat, nunc effrænatiùs ad multorum malum exemplum, & plurimorum beniuolentium scandalum, desæuire & negligentiùs atque perniciosiùs viuere voluntatibus suis seruiens cum libertate deberet. De eo autem quod benignitas animi vestri, pensans non belluinum, sed humanum hominis animum, scripsit dicens, Fortasse cognoscet delictum suum, & sua sponte in iudicio quo iudicatus est perseuerare deliget. quod si fecerit, apud regem Carolum, dilectissimum videlicet filium vestrum, agendum est, vt liberalitate sua eidem congrua beneficia, quibus sufficienter cum suis sustentari ac honorificè degere possit, benigno mentis largiatur affectu:] sciat dignatio vestra, non illum esse huiusmodi temperantiæ. Nam ab eo quod cœpit nunquam potuit reuocari. Quæ etiam ego famulus vestræ dominationis meditatus sum cum corde meo, & conferens cum fidelissimo filio vestro domno meo rege glorioso, in hac causa prouidi, vestræ sapientissimæ auctoritati scribere dignum duxi. Id est, quia licèt fretus vestræ auctoritatis litteris, per Luidonem meæ exiguitati directis, quarum mentionem fecistis in epistola, quam filio vestro domno nostro regi misistis, quásque illi relegi, apud eum obtinere possem, vt missis suis, qui Rothadum ad vestram deducendum præsentiam susceperunt, mandaret, quatinus ab arripiendo Romam itinere expectarent, donec opportunum tempus Episcopos regionum nostrarum conuocandi adueniret: quia non erat ratio, vt aliis notificaretur, cur Rothadi transmissio tardaretur antequam Episcopis vestræ auctoritatis epistola legeretur, poterat fieri, vt qui me diuina clementia & sua benignitate & amoris deuotione colunt, & aliquid æstimant esse cùm nihil sim, cognoscentes meo obtentu id accidisse, in me scandalum paterentur, quasi contemni aut negligi facerem vestram commendationem, qui intra constitutos à vobis dies in epistola per Odonem Episcopum missa, ad obediendum vestram accelerari fecerim quantum potui iussionem. Et si quando in vnum conuenirent, Episcopos, qui sciunt & me vnà cum eis scire norunt Rothadi negligentiam & diutinam in sacro ministerio inutilitatem, de eius restitutione alloquerer, omnes me insufflarent, & amentem penitùs iudicarent. Si etiam Rothado, vt se concrederet, quòd non suæ salutis intuitu faceret, beneficia nos impetraturos promitteremus, quoniam penè

omnes in istis prouinciis sciunt, quia secundùm Carthaginenses & Africanos canones, & decreta beati Gregorij, electorum se commisit iudicio, & ampliùs quàm quingenti interfuerunt diuersi ordinis viri, videntes quando calix aureus cum gemmis à caupone & tabernaria per missum regis de illius pignore sumptus & delatus fuit in Synodum, & scientes coronas argenteas à Iudæo, cui illas dederat, resumptas, & facultates Ecclesiasticas ab eo suppressas, & latenter commendatas, indéque receptas & Ecclesiæ redditas, & vascula argentea, quæ non pauci ponderis à longo tempore in Ecclesia pependerunt. Sed & alia, quæ sui decessores ac prædecessores, ceteríque fideles pro remedio animæ suæ eidem Ecclesiæ obtulerunt, ab eo sine consensu Metropolitani ac Coepiscoporum, & sine Oeconomi ac presbyterorum & diaconorum suæ Ecclesiæ consensu pro libitu suo donata. Cùm etiam beatus Gregorius multotiens in epistolis suis ex sacris canonibus scribat, quæcumque Episcopus post ordinationem Episcopatus acquisierit, omnia esse Ecclesiæ in qua extitit ordinatus. vnde constat, quia nec ipse sine Oeconomo & conscientia clericorum illa debeat dispensare. Sed & omnes vrbis incolæ ac populi, qui cum rege & Episcopis ad Synodum conuenerunt, & vt reuera ad spectaculum currentes, eum viderunt vsque ad ostium Synodi venientem, & inde vt maniaticum redeuntem: quíque sciunt quantam benignitatem regis & fratrum spernens, qualiter de certis capitulis, vnde sacri canones expressa decreuerunt iudicia, iudicatus lacrymantibus rege & Episcopis durior saxo recesserit, putarent nos, qui eum secundùm sacros canones, (sicut eos intelleximus, iudicauimus, & postea vt ipsi præcipiunt canones per Coepiscopum nostrum qui eidem iudicio interfuit, priùs iudicium nostrum de eo referre, & nunc illud ipsum cum nostris litteris atque vicariis, sicut iussistis, ad Apostolicam sedem, quæ paternos canones seruandos confirmat, & confirmatos ac obseruandos sua obseruatione demonstrat, dirigere procurauimus,) de vestræ auctoritatis iustitia & æquitatis libramine dubitare, & ideo vt se concrederet locarium ei promittere, sicque nos vt insanos meritò denotarent. cùm etiam si fieri posset, quod ab illa prima & sancta sede ac summo Apostolatu vestro fiendum non creditur, vt talis à vobis cognitus restitutus in ordine nominetur, nulla nobis de cetero conscientia de sibi à vobis commissis animabus esset periculum. Et cùm omnes in istis regionibus sciant quàm negligens & contemptor sacrorum canonum, & quandiu quámque patienter atque benignè fuerit toleratus, & à quàm inuitis, quia se corrigere noluit, secundùm sacras regulas, sicut eas intelleximus, fuerit iudicatus, nullam habere possemus verecundiam de restitutione illius, si foret facta à vestri summi Pontificatus pietate, quia omnes senes cum iunioribus scimus, nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ, & nos Epi-

scopos in primatu beati Petri subiectos esse Romano Pontifici, & ob id salua fide, quæ in Ecclesia semper viguit, & Domino cooperante florebit, nobis est vestræ Apostolicæ auctoritati obediendum.
Luc.2.51. Nobis quippe cum aliis quibusque scriptum est, quia Iesus erat subdi-
Heb.13.17. tus parentibus suis, nobisque item scriptum est, *Obedite præpositis vestris,*
Philip.2.3. *& subiacete eis,* &, *nihil per contentionem, neque per inanem gloriam,* &, *si*
1.Cor.11.16. *quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Propterea locutus cum fidelissimo filio vestro, domno meo rege glorioso, illi replicaui, quod sæpè inculcaui, quódque libentissimè accepit & adimplere cupit, quia sicut Domini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo, & ipsius est regnum & cui voluerit dabit illud, ita ipse supra fundamentum Apostolicæ petræ suam fundauit Ecclesiam, quam & ante passionem, & post resurrectionem suam, speciali cura & singulari priuilegio beato Petro, & in illo suis commisit vicariis. cuius sedem suæque sedis
Matt.10.40 Pontificem qui honorat, illum honorat qui dixit *Qui accipit si quem*
1.Reg.2.30. *misero, me accipit.* & ab ipso honorabitur dicente, *Honorantes me honorificabo, & qui contemnunt me erunt ignobiles.* Idcirco quia multi sciunt, qualiter se Rothadi reclamatio habeat, & quidam inde aliter dicunt, & omnes generaliter sciunt, quoniam vestra auctoritas illum cum nostris vicariis ad suum præcepit destinari iudicium, dignum & iustum est, vt quemcumque Episcopum Romanus Pontifex ad se Romam venire mandauerit, si infirmitas vel grauior quæcumque necessitas vel impossibilitas, sicut sacri præfigunt canones, eum non detinuerit, ad illum venire studeat, multo magis etiam is, quem pro tali querela ad se quocumque modo clamantem præsentiæ suæ indicat exhibendum. Et quicumque viderit vel audierit, quòd Rex & Episcopi Apostolicæ sedis summum Pontificem promptè obaudiunt, & honorant, & promptiùs & humiliùs eis subiecti sui obedient. Nam, vt beatus Gregorius dicit, sicut languente capite subiecta membra in cassum vigent: ita gloria & honore coronato, id est, honorificato ac decorato capite, subiecta membra eius honore ac decore fulgebunt. & Rothado in nullo poterat meliùs satisfieri, quàm si ad vestram pergeret præsentiam, & ei tantorum subscriptionibus Episcoporum, qui Deo & vobis mentiri nolunt, & allegationibus tot vicariorum eorumdem Episcoporum, fuerit illum bonam causam nequaquam habere ostensum. Quamobrem sibiipsi, & non vobis reputare debebit, quia sine bona causa se & multos alios fatigauit. Vnde illum vestra discretissima pietas, quæ compassionem proximo, & rectitudinem dictare vitiis nouit, suis Apostolicis litteris sufficienter præmonuit: quíque inter alias secordias tantæ duritiæ esse dinoscitur, vt cùm multotiens sine vllo respectu timoris vel amoris diuini, & absque vlla humana verecundia, per tot annos & in tantis causis, totiens sacris canonibus, & decretis sanctæ

ſedis Romanæ Pontificum, & ſuæ Metropolis priuilegio, ac ſynodalibus iudiciis reſultauerit, & per tantos annos tantiſpérque toleratus à ſua ſtultitia ſe reuocare contempſerit, à rege & Epiſcopis multipliciter obſecratus in hoc adduci potuit, vt ſacris canonibus & decretis ſanctæ ſedis Romanæ Pontificum, & ſecundùm ea ſuæ Metropolis priuilegio de cetero ſe obediturum ſubſcriberet, quoniam ſine horum obſeruatione nemo noſtrûm poteſt eſſe Epiſcopus, & ſic pace fraterna in omnibus potiretur. Poſtea autem ſua ſponte in libello ſuæ profeſſionis, per quem ad electorum iudicium prouocauit, hæc ſe obſeruaſſe impudenter, quia ſcientibus cunctis mendaciter, Synodo miſit, & ſic ad iudicium prouocauit, quæ ſe ſeruaturum ne iudicaretur ſubſcribere detrectauit. Quod ideo, ſicut poſtea nobis dixerunt qui ab ipſo audierunt, ſubſcribere noluit, quod & nos percepimus, ne vinceretur: ſed ſi in noſtra rex & Epiſcopi permaneremus ſententia, Romam iret antequam vinceretur, & quando illuc veniret, his per veſtram iuſſionem, cùm à vobis foret nobis nolentibus abſolutus, ſubſcriberet: non intelligens, immo intelligere non valens, (excæcauit enim eum malitia ſua) veſtram auctoritatem ſapientiſſimè intelligere, quare Dominus de cælo alloquens Paulum & dicenti, Quid me iubes Domine facere? non omnia quæ agenda illi erant expoſuit, ſed ad Ananiam, à quo agenda auditurus & accepturus erat, illum direxit. Sic & Angelus Cornelium, poſtquam illum exauditum eſſe denuntiauit, ad Petri doctrinam atque obedientiam miſit. Quem licèt ante baptiſmum ſancto, vt ita dicamus, ſpiritu baptizatum, beatus Petrus illius baptiſmate, qui baptizat in Spiritu ſancto, & in quo credentium corda fide purificantur, baptizari præcepit. Vnde facta quæſtione contra eum etiam à minoribus ſuis, tamen fidelibus, cur ad gentes intrauerit, iſdem Apoſtolorum princeps ſummorum gratia donorum repletus, & innumerabilium miraculorum poteſtate ſuffultus, querelæ non ex poteſtate, ſed ex ratione reſpondit, cauſámque per ordinem ea manſuetudine expoſuit, qua humilitate præfato Cornelio ſe adorare volenti dixit, *Vide ne feceris: nam & ego ipſe homo ſum, ſicut & tu.* Si enim in querela fidelium, vt Gregorius dicit, aliquid de ſua poteſtate diceret, profectò doctor manſuetudinis non fuiſſet. Humili ergo eos ratione placauit, atque in cauſa reprehenſionis ſuæ humiliter rationem reddidit, & etiam teſtes adhibuit, dicens, *Venerunt autem mecum & ſex fratres iſti.* Cuius humilem auctoritatem, & manſuetiſſimam poteſtatem, & rectiſſimam prædicationem dicentis, *Non dominantes in clero, ſed forma facti gregi*, ſecutus beatus Gelaſius in decretis ſuis ad omnes Epiſcopos de inſtitutis Eccleſiaſticis dicit, Cúmque nobis contra ſalutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nihil licere, & cùm ſedes Apoſtolica ſuper his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus ſunt præfixa, pio, deuo-

Act. 9. 6.
Act 10. 5.
Ibid. v. 26.
Act. 11 12.
1. Petr 5. 3.
Epiſt. 6. ad vniuerſos Epiſcopos.

tóque ſtudeat tenere propoſito, ſatis indignum eſt, quemquam vel Pontificum, vel ordinum ſubſequentium, hanc obſeruantiam refutare, quam beati Petri ſedem & ſequi videat & docere: ſatíſque conueniens ſit, vt corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quam illic vigere conſpiciat, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum.] De Barnaba quoque, & Saulo dicente veraciter, Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & Dominum patrem. Qui poſtquam diutiùs fruiti ſunt Apoſtolorum conſortio, non ipſis Apoſtolis, ſed iuxta fidem ſacræ hiſtoriæ, miniſtrantibus Domino Prophetis & Doctoribus, qui erant Antiochiæ, dixit Spiritus ſanctus, *Separate mihi Barnabam & Saulum in opus miniſterij, ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentéſque eis manus, dimiſerunt illos.* Et ipſi quidem miſſi à Spiritu ſancto abierunt vocati Apoſtoli, & in ſequenti anno, id eſt XIV. poſt paſſionem Domini, licèt qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus ſit & Paulo inter gentes, tamen iuxta condictum Iacobi, Cephæ, & Ioannis, gentium magiſterium vnà cum Barnaba Paulus accepit. Idem quoque Paulus apud Corinthios negligentibus rectoribus de inceſtuoſo ſcripſit, *Congregatis vobis & meo ſpiritu, tradidi huiuſmodi in interitum carnis Satanæ, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini.* Ipſi enim Corinthiorum rectores illum tradiderunt in interitum carnis Satanæ: & Paulus cognito eius opere, ſua auctoritate cum illis, & comperta eius pœnitentia, ipſi eum reſtituerunt, & Paulus ſua auctoritate cum illis, *Cui*, inquiens, *aliquid donaſtis, & ego. nam & ego ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti.* Hinc beatus Gregorius, A bono, inquit, veſtro non diſſentio. meum ſit quod ipſi feciſtis. Cui velut ſi dicere præſumamus, quare ita cautè diſcipulis te copulas? quare vel te illorum, vel illos tuis actionibus tam ſollicita mente diſcipulorum confirmas? *vt non circumueniamur*, inquit, *à Satanâ.* Non enim ignoramus cogitationes eius, id eſt, ne hoc quod bene mens inchoat ipſe in malitiæ finem vertat.] Et Innocentius, Hæc ad Corinthios Apoſtolica eſt declarata benignitas, vt in vno ſpiritu ductam ac reductam ſententiam boni ſemper indifferenter ſequantur.] & Leo ex Apoſtolo, *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.* &, *vnuſquiſque proximo ſuo placeat in bono ad ædificationem.* Non enim poterit vnitatis noſtræ firma eſſe compago, niſi nos ad inſeparabilem ſoliditatem vinculum caritatis adſtrinxerit: quoniam ſicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alterius membra. Connexio totius corporis vnam ſanitatem, vnam pulchritudinem facit. & hæc quidem connexio totius corporis vnanimitatem requirit, ſed præcipuè exigit concordiam ſacerdotum. quibus & ſi ordo eſt generalis, non tamen communis eſt dignitas omnibus.]

Act.13.2.
1.Cor.5.4.
2.Cor.2.10
Moral. lib. 33.cap.8.
Ibid.v.11.
1.Cor.10. 24.
Rom.15.2.
Leo epiſt. 88. ad Anaſtaſium.

Hæc autem ſeruata altiori intelligentia circa ſupradictos ſunt acta, & à prædictis docta, vt cognoſcatur, qualiter minores potioribus debeant obedire, & potiores minoribus prouidere, & ordo à Deo diſpoſitus ab omnibus & in omnibus valeat conſeruari. Vnde ſummus Eccleſiæ paſtor docet, *Si quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus*, qui ſeruis ſuis commiſit negotia ſua, & vnicuique ſecundùm propriam virtutem. ſicut & de Spiritu ſancto ſcriptum eſt, qui dona diuidit ſingulis prout vult. Et hinc iuxta Sardicenſe Concilium, ſummus primæ & ſanctæ ſedis Romanæ Pontifex, pro examinis renouatione ad ſe reclamantis & confugientis cum ſua clamatione deiecti prouincialis Epiſcopi, non ſtatim ſingularitate priuilegij & auctoritatis ſuæ reſtituit: ſed remittens eum ad prouinciam, vbi cauſſa patrata fuerat, & in qua iuxta Carthaginenſes canones, & iura legis Romanæ, cauſa poteſt diligenter inquiri, & quòd non ſit difficile teſtes producere, veritas inueniri, aut finitimis Epiſcopis dignatur ſcribere, aut è latere ſuo mittit, qui habentes eius auctoritatem præſentes cum Epiſcopis iudicent, & diligenter cauſam inquiſitam diffiniant, aut dignatur credere Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum poſſint imponere. Et Innocentius, ſi quæ cauſæ vel contentiones inter clericos tam ſuperioris ordinis, quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, congregatis ſecundùm Synodum Nicænam eiuſdem prouinciæ Epiſcopis iurgium præcipit terminari. Et Bonifacius de Maximo ſcribit, vt ad prouinciam venire cogatur, & illic ſe conſtituto præſentare iudicio, & quidquid de illo duxerint prouinciæ Epiſcopi decernendum, cùm ad eum relatum foret, ſua firmaretur auctoritate: quatenus, vt idem ad Hilarium ſcribit, Metropolitani ſui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet. ſicut ſcriptum eſt in Nicæno Concilio, vt ſicut apud Alexandriam, quia & vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt, ſimiliter & apud Antiochiam, ceteráſque prouincias, ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſiis. Vnde bene placuit annis ſingulis per vnamquamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus ſimul Epiſcopis congregatis prouinciæ, diſcutiantur huiuſmodi quæſtiones. Et hæc dico, non quod abſit præiudicans ſummæ ſedis Apoſtolicæ, & ſancti Apoſtolatus veſtri in aliquo poteſtatem, cui in omnibus ſum, ſicut rectum eſt, obedire paratus: ſed quia ſummum auctoritati veſtræ obſequium præſtare me puto, cùm ea quæ ſentio, aut ad probationem, aut ad correctionem humiliter ſapientiæ veſtri magiſterij pando, & Rothadi mores vobis intimare procuro, ne mea negligentia, qui eos noui, vos lateant, quatinus certiùs quod vobis placuerit de illo veſtra auctoritas decernere valeat. Quem ſi nunc in depoſitione iudicium veſtrum manere decreuerit, ſcimus de benignitate & modeſtia ac pietate filij veſtri domni noſtri regis Caroli,

1. Pet.4.11

Can.VII.

Epiſt.1.ad Victricium

Epiſt 2.ad Epiſcopos Galliæ.

Epiſt.3.

quoniam quidquid de illo præfato filio vestro præceperitis, & rationabiliter poterit adimplere, sine vlla retractatione obediet. Sed & Coepiscopi nostri de Ecclesiarum suarum stipendiis abundantissimè illi impendent. Mea etiam exiguitas, sicut nunquam ad retributionem mali propter contemptus & contumelias ab illo mihi illatas peruenire volui: ita quicquid benignitatis potero, libentissimè abundantiùs etiam quàm vnquam fecerim, impendere procurabo. Si verò sine vlla satisfactione tam diutini contemptus sacrorum canonum, & sedis Apostolicæ decretorum, ac suæ Metropolis priuilegij, atque Synodalium iudiciorum, quibus nec obedire, nec se obediturum de cetero profiteri vel subscribere voluit, & absque professione, vel subscriptione suæ correctionis & obedientiæ, coram fratribus suis, quorum multotiens regularia spreuerat monita, cùm inde pluraliter in Leonis & Gregorij epistolis relegatur. Si etiam, vt illa prætereamus, quæ ob sacerdotij verecundiam & opprobrium sæcularium, sequentes Africanum Concilium, nec ad notionem in Synodum deduci permisimus, parui pensis & sine aliqua correctione dimissis eis capitulis auctoritati vestræ sub fidei adstipulatione directis, pro quibus fuerat iudicatus ab Episcopis, ad quorum iudicium prouocauerat, secundùm expressa sacrorum canonum & Apostolicæ sedis decreta, Cælestino dicente, Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur?] me vestræ pietati placuerit illum restituere, vt primæ sedis & matris ac magistræ omnium Ecclesiarum Pontificis, cunctorúmque Episcoporum patris atque magistri, regulare iudicium ferre conuenit, æquo animo feram. Credo tamen diligentissimam discretionem vestram prouisuram contemptum ac contumaciam subiectorum erga prælatos suos, & libertatem impunè delinquendi contra canones sacros, quæ hinc in nostris regionibus poterunt, vt quibusdam videtur, noxias vires accipere: præsertim cùm sapientissimæ auctoritati vestræ constet esse notissimum, demonstrare Sardicense Concilium in septimo suo capitulo, qualiter deiecti & ad se clamantis Episcopi restitutionis vel in depositione permansionis executio, cum indemnitate simpliciter iudicantium, ab Apostolica sede debeat celebrari. Quod & Innocentius, & Bonifacius, verùm & Leo in decretis, & Gregorius euidentiùs in epistolis suis demonstrant, Carthaginensis Concilij, immo Apostolicæ sedis, quæ in suis eidem præsedit vicariis, decreta sequentes: videlicet vt à quibuscumque iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obsit, quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauati, vnde nobis & conscientia perhibet testimonium, & omnibus qui interfuerunt notum factum fuisse dinoscitur, quoniam

Epist. 2. Episcopis per Apul. & Calab.

niam illum ſeruare quàm iudicare maluimus, ſi pro ſacrorum canonum neglectu eorum iudicio, per quos Spiritu ſancto inſpirante promulgati ſunt, cum eo quem corrigere nequibamus damnari pariter non timeremus. Et idcirco nullo inimico animo, nulla cupiditate aut gratia deprauati, flentes illius incorrigibilem ſecordiam & irreuocabilem pertinaciam, regularia in eum iudicia executi ſumus, quæ ab eo ſuſpendere diutiùs non præſumpſimus. Veſtra etiam ſapiens & ſumma auctoritas in decernendo attendet Apoſtolum docentem, quia *quorumdam peccata præcedentia ſunt ad iudicium, quorumdam etiam & ſubſequuntur.* Quæ ſicut beatus exponit Ambroſius, ac ſi poſita in bilance, in iudicio ſunt examinanda, vtrum bona opera ampliùs penſando remuneranda præcedant, & mala facta minima miſericorditer dimittenda demonſtrent, an malè facta ampliùs penſando præcedant, vt mereantur damnationis iudicium, & bona paucula ſuffocent. Quia & nos pro modulo noſtro, non ſolùm vtilitatem, verùm & noxietatem in Rothado cum factis ſuis penſauimus, & velut ficulneam infructuoſam, terram rationalem diutiùs inutiliter occupantem, & etiam poſt plura tempora, pluréſque admonitiones, quaſi cophinos pinguedinis ſibi appoſitos non recipientem, ſed ſterilem permanentem, non ſine dolore cordis ſuccidendum prouidimus. Et cùm hæc ita ſe habeant, abſque dubitatione confido, quia illud, quod in præfato Carthaginenſis Concilij capitulo ſine vlla interpellatione ſubſequitur, decretum veſtri moderaminis nequaquam præteriret, Sanè, inquit, ſi ex conſenſu partium electi fuerint iudices, etiam à pauciore numero quàm conſtitutum eſt, non liceat prouocari. Qui numerus conſtitutus in duodecimo ſuperiori capitulo demonſtratus, & conſenſus partium expetitus, in diiudicatione Rothadi conſtat fuiſſe completus. Quorum & ſi iudicium pro quacumque cauſa fortè rationabiliore, & adhuc nobis incognita, veſtræ ſummæ auctoritati, quam multa nobis occulta non tranſeunt, placuerit refragari, quia meum eſt mea vobis obediendo committere, & non iudicia veſtra diſcutere, ſuſtinebo, & contra veſtram reſtitutionem regularem, ſi fortè in eo agenda viſa fuerit, (in qua veſtra diſponet auctoritas, qualiter iſdem victor, vt ſolet, & voti compos quæ ſunt Epiſcopi de reliquo faciat) non recalcitrabo: ducens pro magno, ſi à diutinis & multis moleſtiis, quas ab illo & pro illo paſſus ſum, iam tandem aliquando valeam reſpirare, & nunquam mihi contingat vlteriùs contra illius inquietudines inutiliter laborare. Et quòd non ſolùm ab Eccleſiaſticis perſonis, verùm & multo magis etiam à ſæcularibus noſtra iudicia contemnuntur, & pro nihilo ducuntur, dicentibus eis, & ad medium deuocantibus illa, quæ mihi veſtræ auctoritati non ſunt adſcribenda, vt non animum dulcedinis veſtræ in aliquo moueam, quod ſummopere cauere deſidero. Si qui in prouincia noſtra, quo-

1. Tim. 5. 14

In Apolog. Dauid c. 6.

Concil. African. can. 89.

rum querela illo restituto ad vos valeat peruenire, de maioribus causis de cetero quædam commiserint, sicut de quibusdam rebus frequentiùs quàm in istis retroactis temporibus committuntur, ne à Deo damner silentio, eos commonere studebo, & si corrigere se voluerint congaudebo, sin autem, ad vestrum eos iudicium prouocabo. Qui si ire voluerint, vestra sancta sapientia quid inde melius viderit decernere procurabit. Si autem ire noluerint, facient quod sibi vtile iudicauerint. Me vtinam hinc à diuina damnatione sententia sancti Ambrosij liberet, qua dicit, Si, inquiens, quis potestatem non habet quem scit reum abicere, aut probare non valet, immunis est. Sícque, vt puto, quia in multis occupatus, & itineris longitudine atque insoliditate obstrictus, de omnibus, antequam insolentium querela ad vos perueniat, ad Apostolicam sedem referre non valeo, infirmitate grauatus, & gratias Deo termino iam vicinus, potero præcauere ne à quocumque sanctitatis vestræ animus erga me moueatur, vt aliqua mihi excommunicatio intentetur. Et
2.Cor.5. Rom.2.6. licèt nouerim secundùm Apostoli Euangelium, redditurum Dominum vnicuique secundùm opera eius, testimonium reddente illis conscientia, & inter se inuicem cogitationum accusantium aut etiam defendentium, in die qua iudicabit occulta hominum: & vt Leo dicit, Si quid per seruitutem nostram, videlicet sacerdotalem, bono ordine & gratulando impletur affectu, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum, & quod secus fuerit, ratum esse non poterit: modis omnibus, quantum ipse donauerit, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, prouidere studebo, ne à communione sedis Apostolicæ, quod absit, quolibet modo extorrem me vltimus dies, qui mihi incertus est, & subitò venire potest, inueniat. Erit enim, quamuis tardiùs quàm necesse sit, quoniam ego grauis peccator, graui carcere corporis diu inclusus teneor, meritò in multis afflictus, prouidentissimo Domino prouidente, & tempus & persona in Remorum Ecclesia, quando & in qua ab Apostolica auctoritate priuilegium integratum sibi ex antiqua consuetudine collatum & conseruatum habebitur: quæ nunquam excepto Romano Pontifice primatem habuit, nisi quandiu eiecto sine vllo crimine ab ea suo Pontifice Rigoberto violentia tyranni Milonis, tempore Caroli principis pastore vacans, Bonifacio Apostolicæ sedis legato aliquandiu, sicut & Ecclesia Treuerensis, commissa fuit. inter quas, Remensem scilicet & Treuerensem Ecclesiam, (has enim duas tantùm prouincias Belgica regio habet) hæc semper distinctio fuit, sicut in Ecclesiasticis monumentis inuenimus, & vetustissimam consuetudinem semper obtinuisse comperimus, vt isdem Episcopus non loci, sed dignitate ordinis prior secundùm sacras regulas haberetur, qui foret in qualibet istarum Ecclesiarum Metropoli antea ordinatus. Mihi verò necesse erit, me

taliter gerere, ne totiens auctoritatis vestræ epistolas excommunicationes intentantes & obiurgationes, quas rarò & magna necessitate fiendas in Apostolicorum virorum litteris legimus, ferentes de reliquo accipiam, sicut istis temporibus, peccatis meis merentibus, frequenter accepi. Quòd si sanctitati vestræ placuerit, non vobis opus agere in postmodum erit, donec Apostolica vestra iussio me inobedientem in aliquo contra regulas sacras per contemptum, quod absit, inuenerit. Qui enim quare Dominus in Euangelio Centurionis fidem laudet dicentis *Dic verbo & sanabitur puer meus* intelligit, Matt. 8. 8.
quàm operatorium sit Episcopi, immo sicut in Paulo in se loquentis Christi, quanto magis Pontificis Apostolicæ sedis verbum, & quàm obedienda sit ipsius præceptio, etiam sine vlla admirationis adiectione cognoscit. Quod & scientibus inculcare, & nescientibus intimare sapientibus & insipientibus debitores debemus Episcopi: quibus si de reliquo verba iniquorum præualuerint aduersum nos, sicut iactitant proferentes, non erit necesse de prouincialibus Synodis, in quibus hactenus laborauimus, magnopere laborare: quippe quoniam erit & lex & spes sibi quisque. Quod quidem vestra humilitati meæ scripsit sublimitas, primò vos commotos esse ad Rothadi causam inquirendam cura, qua pro vniuersis fratribus vestris constringimini, cum debita reuerentia gratanter accepi, intelligens quia in numero fratrum nos qualescumque Metropolitani computari debemus. Ea propter, sicut vestræ discretioni prouidendum est, ne subiecti Episcopi à Metropolitanis irregulariter condemnentur, ita nihilominus prouidendum est, vt Metropolitani à subditis suis Episcopis non irregulariter contemnantur. Deinde quòd perspectissimè scripsistis secundò, quoniam sedem Apostolicam Rothadus noscitur appellasse, & ne videamini Ecclesiæ vestræ priuilegiorum detrimenta diebus vestris æquanimiter tolerare, & hoc nihilominus à nobis & ab omnibus est rectissimè suscipiendum, & solertissimè conseruandum. Quod & ego pro modulo meo seruandum esse volui & volo, & fauente Domino in hac deuotione manebo, sciens priuilegium Metropolitanæ sedis Remorum, cui me diuina dignatio seruire disposuit, in summo priuilegio sanctæ sedis Romanæ manere, & priuilegium esse sedis Romanæ, si sua auctoritate priuilegium sibi subiectæ sedis fecerit vigere, & studuerit confirmare. De eo verò quod tertio loco ad medium deuocastis, scribere aliud nihil præsumpsi, nisi quia causa Rothadi à causis illorum, de quibus scripsistis, est penè in cunctis dissimilis. De eo quod tandem Apostolica vestra benignitas indignitati meæ scribere est dignata, vt hæc vobiscum cogitem, & quod de Rothado decernitis approbem, & non ad mei iniuriam id vos egisse aliquantulum autumem: quantum valeo totis medullis cordis, cum omni supplicatione & debita ac submissa humilitate, immensas gratiarum actio-

nes sancto Apostolatui vestro rependo, cum omni sinceritate animi rescribens, quia sicut mihi scribere dignati estis, ita per omnia credo. & quia priuilegium vestri summi Pontificatus, vt condecet & omnes desideramus, euindicatum habetis, quod nemo nostrûm contradixerat, in deductione Rothadi sicuti præcepistis ad vestram præsentiam, vt perdonare dignati estis, videre desidero, & visurum me esse confido, quia non aliud nisi vt suprà monstraui, quod regulæ sacræ præcipiunt, & mihi petendum, & vobis concedendum est. Postulo videlicet, vt sic Rothado ab auctoritate vestra compassio exhibeatur, vt vigor Ecclesiasticus non dissoluatur: & sic vigor Ecclesiasticus conseruetur, vt debita misericordia & necessaria sufficientia ei non denegetur. quatinus nec ipsius exemplo ad excedendum alij prouocentur, nec quibus in istis regionibus, longiùs ab Apostolica sede remotis, censuræ Ecclesiasticæ moderatio est commissa, hinc quod absit conspiciant, vnde aut negligentia, aut dissolutione tepescant, vel terminos quos statuerunt patres transgrediendi materiem se sumere posse dicant, quos sicut intelleximus nos hactenus seruasse putamus. Vos videbitis quid inde facto melius erit, & nobis in iudicio vestro videndum est quid Deus velit: quoniam iniusta esse non poterunt diuina iudicia, quæ à soliditate confessionis Apostolicæ petræ, aduersus quam inferi portæ, id est, suggestiones vel operationes prauæ non præualebunt, dictante iustitia proferentur. Epistolam, quam mihi auctoritas vestra cum obtestatione præcepit Rothado dirigere, domnus noster rex, filius vester, mox vt ad eum venit, per abbatem suum Rothado direxit. Rodulfus quoque, eiusdem filij vestri domni nostri regis auunculus, tertio Idus nunc elapsi mensis Decembris à Ludouico Germaniæ rege reuertens, cùm valdè vesperi à corte regis nostri ad mansiones nostras super fluuium Ligerim, secùs confinium regni Aquitaniæ festinarem, misit ad me hominem suum nomine Rodulfum, mandans quia præfatus rex Ludouicus quendam hominem Rothadi, cum epistolis vestræ sanctitatis, manui & fidei suæ commisit, quatinus ita ad præsentiam domni nostri regis Caroli cum eisdem Episcopis eum perduceret, vt nullum malum ei inferret. Est enim apud domnum nostrum regem idem homo accusatus, quòd fraudatus sit res & thesaurum Ecclesiæ, & post periurium inde commissum, fuga lapsus ad Ludouicum regem perrexerit. Vnde idem Rodulfus petiit, vt ego illum inde apud domnum nostrum regem adiuuarem, vt quoniam prædictum hominem in sua fide acceperat, nullum malum haberet. Cui respondi, vt teneret ipsum hominem secum, ne interim vllum malum pateretur, donec ad cortem redirem, & quantum possem inde illum adiuuare curarem. Ipsum autem hominem nec tunc nec postea vidi, nec quò abscesserit cum Episcopis audiui. Quæ idcirco sanctitati vestræ scribere studui, vt

ſi aliquis maliuolorum noſtrorum more ſuo vobis quiddam ſiniſtri ex hoc ſuggerere voluerit, quid inde verum ſit cognoſcatis, & erga me veſtrum animum non moueatis. Rationem denique, quam reddidi coram electis iudicibus, de quibus per libellum prouocationis ad electorum iudicium fueram à Rothado impetitus, ipſi venerabiles Epiſcopi veſtræ auctoritati tranſmittunt. De geſtis verò à Rothado poſt excommunicationem ſuam in prouinciali Synodo compilatis, quæ per vicinos noſtros ad vos in derogationem noſtram perueniſſe audiuimus, Epiſcopi Remorum prouinciæ per communes Legatos noſtros veſtræ ſanctitati quæ ſciunt intimare curarunt. *Item poſt aliquanta de promotione ipſius domni Hincmari ad Epiſcopatum, quæ iam ſuperiùs partim prænotata non curauimus hîc iteranda.* Denique præfato Ebone defuncto, Eccleſia ſed & parochia noſtra, ſecundùm conſuetudinem quam ex antiquo habuit etiam de his Epiſcopis qui in Epiſcopatu vſque ad obitum in eadem Eccleſia non permanſerunt, ipſius nomen inter ſacroſancta myſteria in Epiſcoporum catalogo recitare pietatis gratia cœpit, & hactenus facit. Quod ego, ne ſcandalizarem deuotos, quaſi inuidens ſaluti fraternæ, maximè autem quieſcentis in Domino animæ, qui non pro exorbitatione à catholicæ fidei ſanitate anathematus, ſed ſua conſcientia ſtimulante primùm à ſeipſo, & poſtea à Synodo, ſed & Apoſtolica ſede damnatus extitit, hoc prohibere ſine Apoſtolicæ ſedis auctoritate nequaquam præſumpſi, dicente beato Cæleſtino Papa, quia nefas eſt hæc pati religioſas animas, quarum afflictione, qui membra noſtra ſunt, nos quoque conuenit macerari. Nunc autem in epiſtolis ſanctitatis veſtræ, quas Engeluuinus diaconus nobis attulit, inuenimus vt Teotgaudum & Guntarium in catalogo Epiſcoporum non recipiamus. & Antiochenum Concilium, vt præmiſimus, & meliùs ipſi ſcitis, de eo qui poſt damnationem iuxta præcedentem conſuetudinem Epiſcopale præſumit miniſterium, quod Ebonem feciſſe non dubium eſt, reſcribere mihi dignetur Apoſtolica veſtra auctoritas, vtrum eundem Ebonem inter Epiſcopos in ſacris dypticis in Eccleſia noſtra nominare permittam, an ne de cetero in Epiſcoporum catalogo nominetur prohibere debeam: quatenus veſtra auctoritate fultus, quid in noſtra Eccleſia inde ſit obſeruandum, ſine ambiguitate decernentibus vobis demonſtrem. Can. 4.

CETERVM Luido mihi dixit, quòd cum eo rationem de damnatione & recluſione Gotheſcalci habuiſſetis. Vnde quoniam per alios iam audieram ad ſanctitatem veſtram verba veniſſe, miſi auctoritati veſtræ quædam ex verbis & catholicorum ſenſibus in rotula, qualiter contra ipſius peſtiferi hominis ſenſum ſentiam, per Odonem Epiſcopum, & nihil inde reſponſionis accipere merui. De quo nihilominus vt redderem rationem, quidam Epiſcopi, quorum nihil de illo intererat, quoniam nec eos, vt ipſi manifeſtis indiciis

prodiderunt, ad hoc caritas commouebat, nec auctoritas deducebat; me ad conciliabulum nuper Metis habitum, quod vocari Synodum vetuiftis, ficut intelligo, irregulariter quarto die antequam congregaretur, cùm ego longiùs quàm octoginta, & idem Gothefcalcus plufquàm centum millibus ab ipfa ciuitate difparati effemus, nihil me inde ante præmonitum per quendam laicum hominem litteris vocauerunt. Et nunc ideo breuiter de eo fanctitati veftræ fuggero, quoniam antequàm ad Epifcopatus ordinem peruenirem, ficut Abbas fuus & monachi, inter quos fuerat conuerfatus, ei teftimonium perhibent, in Metropolis Ecclefiæ Remorum monafterio in Sueffonica parochia, quod Orbacus dicitur, habitu monachus, mente ferinus, quietis impatiens, & vocum nouitate delectans, ac inter fuos mobilitate noxia fingularis, de omnibus quæ in his regionibus peruersè tunc temporis fenfa cognouerat, quædam fibi elegit Capitula, vt nouitate vocum innotefci valeret, vtque fimplicium & deceptorum fenfus peruertere, & magiftri nomen vfurpando poft fe difcipulos trahere, illífque qui ad fua vota prurientes auribus magiftros fibi coaceruare decertant, quærere indebitè, quoniam legitimè non poterat, fimulatione vitæ religiofæ & doctrina præeffe. Quíque à Remorum Chorepifcopo, qui tunc erat, contra regulas prefbyter ordinatus, à monafterio irregulariter exiens, peragratis regionibus plurimis, & exitiofa femina fator peffimus feminans, tandem in Moguntina ciuitate habitæ Synodo, & Rabano Archiepifcopo libellum fui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ Epifcopis, cum litteris fynodalibus ad Metropolim Remorum, cui iam auctore Domino præeram, eft remiffus. Poftea autem à Belgicæ Remorum ac Galliarum prouinciarum Epifcopis auditus, & inuentus hæreticus, quia refipifci à fua prauitate non voluit, ne aliis noceret qui fibi prodeffe nolebat, iudicio præfatarum prouinciarum Epifcoporum, in noftra parochia, quoniam Rothadus, de cuius parochia erat, illi nefciebat refiftere, & nouitates amans timebatur à nobis ne difceret praua fentire, qui noluit difcere recta docere, néve idem Gothefcalcus, cum aliis communem vitam ducens, errori fuo faceret effe communes, monafteriali cuftodiæ mancipatus eft, docente Apoftolo, hæreticum hominem poft primam & fecundam correptionem deuita, fciens fubuerfum effe huiufmodi & proprio iudicio condemnatum. Qui vt Leo Papa de Eutyche dicit, cùm videret infipientiæ fuæ fenfum catholicis auribus difplicere, reuocare fe à fua opinione debuerat, nec ita Ecclefiæ Præfules commouere, vt damnationis fententiam mereretur excipere. quam vtique, fi in fuo fenfu voluerit permanere, nullus poterit relaxare. A qua damnatione fi voluiffet ad fenfum catholicum refipifcere, paratus femper fui & fum, quoniam fic venerabiles iudicauerunt Epifcopi, eum in catholicæ Ecclefiæ communionem

Tit.3.10.

recipere, ſicut ei iubeo quæ ſunt corpori neceſſaria miniſtrare. Si autem veſtra catholica ſapientia vult ſcire quæ contra catholicam fidem ex veteri hæreſi Prædeſtinatiana, quæ primùm in Africa, poſtea in Galliis per idem tempus, quando & Neſtoriana hæreſis eſt exorta, & tempore Cæleſtini Papæ, ipſius auctoritate, & inſtantia ſancti Proſperi eſt reuicta, dicere videatur, de multis pauca vobis numero, ſed non pondere, capitulatim ſignificamus. Dicit quod & veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quoniam ſicut Deus quoſdam ad vitam æternam, ita quoſdam prædeſtinauit ad mortem æternam. Dicit quòd & veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quoniam non vult Deus omnes homines ſaluos fieri, ſed tantùm eos qui ſaluantur, omnes autem ſaluari quoſcumque ipſe ſaluare voluerit, ac per hoc quicumque non ſaluantur, penitùs non eſſe voluntatis illius vt ſaluentur. quoniam ſi non omnes ſaluantur quos vult Deus ſaluos fieri, non omnia quæcumque voluit fecit: & ſi vult quod non poteſt, non omnipotens, ſed infirmus eſt. Eſt autem omnipotens qui fecit quodcumque voluit, dicente ſcriptura, *Omnia quæcumque voluit* Pſal.134.6. *Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* & item, Eſther.13.9. *In voluntate tua Domine cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere tuæ voluntati. ſi decreueris ſaluare nos, continuò liberabimur.* Dicit quòd & veteres Prædeſtinatiani dixerunt, quòd non pro totius mundi redemptione, id eſt, non pro omnium hominum ſalute & redemptione Dominus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus ſit crucifixus & mortuus, ſed tantùm pro his qui ſaluantur. Dicit quoquo modo, diſpari traditione, ſed pari errore, quod & veteres Prædeſtinatiani dixerunt, exponens ſententiam Apoſtoli Petri, *eum qui emit eos negantes.* 2.Pet.2.1. Baptiſmi, inquit, ſacramento eos emit, non tamen pro eis crucem ſubiit, neque mortem pertulit, neque ſanguinem fudit. Quòd autem baptiſmi perceptio redemptio nuncupatur, doctor gentium manifeſtè fatetur, *Nolite contriſtare*, inquit, *Spiritum ſanctum Dei, in* Epheſ.4.30 *quo ſignati eſtis in die redemptionis.* At illa quæ propria & ſpecialis eſt ſolorum omnium electorum, quam eis tantummodò crucifixus impertiuit pius Redemptor ipſorum, ſicut à præteritis, ita nimirum à præſentibus, natos & naſcituros, viuos & mortuos, videlicet omnes pariter electos redemit, eruit, abluítque peccatis. Ipſi prorſus, ipſi ſunt mundus pro quo paſſus eſt Dominus, vt ipſe dixit, *Panis quem* Ioan.6.52. *ego dedero, caro mea eſt pro mundi vita.*] Et item alibi idem Gotheſcalcus ſcribit, Abſit procul à me, vt vel illud ſolummodò velim ſomniare, nedum ſemel ſuſurrare, vt vllum eorum perpetualiter ſecum periturum antiquus rapere valeat anguis, pro quibus redimendis tam pretioſus Deo patri Domini noſtri filij ſui fuſus eſt ſanguis, Amen.] Et item loquens ad Deum, Claret itaque ſatis apertè, quòd nullus tibi perit, quiſquis redemptus eſt per ſanguinem crucis tuæ. Quod Prædeſtinatiani veteres non dixerunt, iſte vt audaciùs ita pernicio-

ſiùs dicit, Deitatem ſanctæ Trinitatis trinam eſſe. Sunt & alia quæ ipſe & alij plures in iſtis partibus dicunt, quæ nobis ſanæ fidei aduerſari videntur. quæ dum per alium quàm per vilitatem perſonæ meæ auctoritas veſtra cognouerit, fortè attendet ſolertiùs, & quæ inde timenda ſunt docere ſtudebit quantociùs. Erit enim in proximo inde neceſſitas: quia & ſi eorum corda in inſania peruerſi ſenſus ebulliunt, orthodoxi tamen regis noſtri tempore praua quæ ſentiunt eloqui non præſumunt. Ita vt apertè videamus impleri quod ſcri-
Pſal.32.7. ptum eſt, *Congregans ſicut in vtre aquas maris.* Aqua enim maris ſicut in vtre congregata eſt, quia amara hæreticorum ſcientia quicquid hodie in iſto regno filij veſtri domni Caroli prauum ſentit, in pectore comprimit, & apertè dicere non præſumit. Meam quoque exiguitatem & occultè canino dente corrodunt. facilè autem adiuuante Domino portare valebo. quia & mihi paucum ſupereſt temporis ſpatium, & ſi inter filios Eccleſiæ, permittente Deo, in me acceperint poteſtatem corporaliter affligendi, diuina gratia adiuuante, exercebunt patientiam. Sed etſi tantummodò malè ſentiendo aduerſabuntur, exercebunt quantulamcumque ſcientiam, & vt etiam inimici ſecundùm præceptum Domini diligantur, exercebunt beniuolentiam. Præfatum autem Gotheſcalcum, ſi veſtra auctoritas mihi ſcripſerit, vt eum à cuſtodia ſoluam, & aut vt ad vos eundi, vt per vos eius doctrinam experiamini, aut ad quemcumque ex nomine deſignatum pergendi licentiam donem, quia vt melius ipſi ſcitis, ſicut abſolutè quiſque ordinari non valet, ita niſi ex ipſius conſenſu, cuius eſſe dinoſcitur, certæ perſonæ commendandus, & ad certum locum monachus, vel quiſque ſub regula conſtitutus, à loco ſuo abſolui iuxta regulas ſacras non valet, veſtris iuſſionibus nullomodò reſultbo. Tantùm vt auctoritatem veſtram habeam, ne tantorum Epiſcoporum iudicium mea præſumptione parui pendere videar. Non enim illius delector, quam iuſtè ſuſtinet pertinaciter contumax, quantulacumque reclusionis moleſtia: ſed doleo à qua reuocari non poteſt perfidiam. Quem ſi cuicumque commendandum veſtra auctoritas viderit, hoc in commendatione etiam prouidebit, vt cui commendabitur catholicus ſit, & grauitatem Eccleſiaſticam, & vigorem ac ſcripturarum ſcientiam habeat. quia non ſolùm ſcripturas ad ſuum ſenſum violenter inflexas, ſed & catholicorum dicta detruncata per totum diem ſine reſpiratione aliqua præualet memoriter decantare. Vnde non ſolùm idiotas in admirationem ſuî abducere, verùm & ſciolos & incautos, atque zelum Dei ſed non ſecundùm ſcientiam habentes, in ſententiam ſuam ſolitus erat traducere. Et non ſolùm doctorum ſuorum doctor videri appetit, ſed & hoc ſolerter ſatis intendit, vt ſecum loquentes vel in ſermone capere valeat: & ſi de veritate non poterit, inuincibiliter ſacramentis affirmare curabit, ea ſecum loquentes dixiſſe, quæ fortè non dixerunt, vt ipſe

ipſe verax, & illi qui ei contradicunt probentur eſſe mendaces, & aduerſus ſuam doctrinam docentes.



XVIII.

AD EPISCOPOS SYNODI SVESSIONENSIS,

DE VVLFADO ET COLLEGIS, QVORVM iudicium Nicolaus Papa iuſſerat in hac Synodo renouari.

Tomo III. Conciliorum Galliæ ex Cod. Laudunenſi.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS, Remigio, Vveniloni, & ceteris Archiepiſcopis & Epiſcopis, domni Papæ Nicolai auctoritate ad Synodum, quò & exiguitatem meam cum Coepiſcopis noſtris venire præcepit, in hanc Sueſſorum ciuitatem pro cauſa Vulfadi & collegarum eius conuocatis.



SI vobis viſum fuerit per quoſcumque ad rei notitiam, ſecundùm ſeriem litterarum domni Apoſtolici, canonicè per ordinem cuncta, quæ in ſupraſcriptis fratribus geſta ſunt, examinare & ſubtiliter inueſtigare, vt quod iuſtum & pium ſenſum fuerit de cauſa eorum ſine contradictione, ſicut idem domnus Apoſtolicus & fraternitati veſtræ & humilitati meæ ſcripſit, poſſitis perficere, deuotè ac libenter accipiam. Et ſi hanc quæ ſequitur breuem reſponſionem, quantum ex me eſt, ad Apoſtolica ſcripta videritis vobis ſufficere, non ingratum fortè habebitur, quòd ad rem pertinentia ſuccinctiſſimè refero. Videlicet quia Remenſis Eccleſiæ filij de collegio Wlfadi, ab Ebone poſt depoſitionem ſuam ordinati, non meo iudicio, nec ab Epiſcopis ſolummodò Remorum prouinciæ, primùm ſuſpenſi & poſtea deiecti, vt meo vel communi cum eis tantùm placito, iuxta Nicænos & Antiochenos canones, humaniorem aut alteram ſuſcipere ſententiam valeant: ſed priùs ſuſpenſi, & proceſſu temporis à Synodo Epiſcoporum quinque prouinciarum, ad quam prouocauerant, ſecundùm decreta Innocentij ad Rufum & Euſebium, inſpectis quæ ſcripſit ad Martianum, & iuxta Zoſimi ſucceſſoris Innocentij decreta ad Patroclum Arelatenſem Epiſcopum & ad Maſſilienſem Eccleſiam, ſed & alias plures Eccleſias, de his quos Proculus vitæ ſuæ conſcius, datis litteris in abdicationem ſuî, per profeſſionis atque ſubſcriptionis ſuæ libellum ſacerdotio ſubmotus ordinauit, iuxtàque ſacros ca-

Nicæn. can. 5. Antioch. c. 4.

Innocent. ep. 21. & 22. Zoſimus ep. 6. 11. & 12.

nones, & Leonis ac ceterorum Romanæ ſedis Pontificum decreta, quæ hîc ponere prætermiſi, & ſtudio breuitatis, & vt vobis notiſſima, ſunt iudicati, & ab Eccleſiaſticis ordinibus deiecti. præiudicante Leone Papa, atque dicente, Omnia decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita à veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus, vt ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari.] In qua, vt regulæ ſacræ dicunt, perfecta & canonica Epiſcoporum quinque prouinciarum Synodo, quoniam Eccleſiæ mihi commiſſæ filij finitimos Epiſcopos pro cauſa ſua interpellarunt, & huiuſmodi Africæ prouinciæ canones vicinos Epiſcopos audire, & inter eos ac proprium Epiſcopum adhibitos ab eis Epiſcopos iubent querimoniam diffinire: ego Wlfadum & collegas eius non iudicaui, neque ab ordinibus Eccleſiaſticis pepuli vel deieci, nec etiam cum iudicibus eorum ſubſcripſi, ſicut norunt qui interfuerunt, & ipſa etiam Epiſcopalia geſta, eorum inconuulſis ſubſcriptionibus ſubnixa à quibus fuêre patrata, præſentialiter monſtrant. Vnde iubentibus eiſdem Epiſcopis tantùm baiulus fui, cauſam videlicet Eccleſiæ mihi commiſſæ ab illis diffinitam ad ſedem Apoſtolicam deferendi. Quæ domni Apoſtolici Benedicti priuilegio ſub anathematis interpoſitione, vt inde quæſtio nullis aliquando temporibus oriatur, ſunt confirmata: & demùm domni Nicolai Papæ confirmatione, ſicut ſanctæ recordationis Benedictus Pontifex illam confirmauit, ſaluo Romanæ ſedis in omnibus iuſſu atque iudicio, ſub terribili anathemate, vt quæcumque perſona, magna vel parua, temerario auſu contra hoc ſuum Apoſtolicum decretum agere præſumpſerit, anathematis vinculo ſit innodatus, ſunt roborata: velut hîc poteſtis retexere, & ſigilla eorum ſalua, ac incorruptas ſcripturas atque ſubſcriptiones valetis inſpicere. Et quia ſedes Apoſtolica, vt in decretis ſuorum Pontificum legimus, in hoc prorſus ſua ſibi magnopere iura conſeruat, & aliena cuſtodit, immo ſua propria facit, vt omnis quæſtio ad eam relata iudicio & ſuæ confirmationis deciſione finem accipiat, omnem ex hac cauſa ſuſpicionem querulitatis hæ duorum præclariſſimorum luminarium confirmationes atque ſubſcriptiones à noſtris regionibus & mentibus abſtulerunt. Nunc verò, quia iſdem domnus & pater noſter Nicolaus Papa ſuis epiſtolis ex hoc negotio à vobis ſanxit refricari iudicium, monente Apoſtolo, *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*, quod priuilegio Apoſtolicæ ſedis de ipſis fratribus decernit vel decreuerit, vt competit meæ ſubditioni, obedio & obediam, ſicut hactenus conſeruaui ea, quæ domni Benedicti & ſua fuerunt auctoritate firmata. Et item dicente Apoſtolo, *Idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata*, ſicut ſeruaui vſque in præſens quæ prædeceſſores quorumdam veſtro-

Epiſt.1.ad Epiſcopos Campaniæ.

Conc Afr. can.92.

Hebr.13.17.

1.Cor.1.11.

rum cum quibusdam ex vobis regulariter ex iisdem fratribus diffinierunt : ita & quæ de ipsis canonicè iuxta tenorem epistolarum domni Apostolici diffinieritis, priscis, vt dicit Gelasius, pro sui reuerentia manentibus constitutis, & reseruato per omnia sententiæ ac iuris priuilegio Apostolicæ sedis, regularibus vestris diffinitionibus, sollicitus seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, consentiam. Qui istorum fratrum, de quibus agitur, vel quorumcumque aliorum felicitati non inuideo, nec per quamcumque malitiam eos nocere festino: quorum salubrem ac regularem statum & cupiui & cupio, & quæsiui & quæro, & de quorum deiectione dolui satis ac doleo, quia nemo maius dispendium de illorum deiectione habet, quàm ego. Quos, sicut mihi domnus Apostolicus dignatus est scribere, iustum quid vel pium sentiens, sine retractatione in suis ordinibus consensu ac iudicio Coepiscoporum Remensis prouinciæ restituere maturarem, si illos ab eisdem gradibus cum eorum tantùm iudicio deiecissem. Ad quod me, iuxta eius verba discretissima, quia eos non deieci, flecti munda conscientia non permisit. Et hoc meo ausu facere vereor, quoniam à vobis, aut à decessoribus vestris, quinque videlicet prouinciarum Episcopis, quorum meo consensu expetierunt iudicium secundùm sacros canones electorum ex consensu partium diffinitione fuère deiecti. Et idcirco aliorum opus in illorum restitutione nullatenus vsurpare præsumpsi : quia, sicut scitis, regulæ sacræ vsque ad similem excusationis vindictam decernunt, vt ab aliis deiecti ab aliis non recipiantur, minimè autem restituantur: sed aut eorumdem, aut maioris Concilij Episcoporum discussiones ac iudicia præstolentur. Et quia Leo dicit, vt in his quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inueniatur aduersum, & domnus ac pater noster Nicolaus Papa vobis vt mihi videtur scripsit, quoniam quæ statuta sunt de præfatis viris, violanda non ducat, nisi forsan sacris legibus inueniantur aduersa, simplici ac sincera cordis intentione ex regulis sacris perspicuè tarditati sensus mei monstrari expecto, vtrum quæ diffinierunt fratres & Coepiscopi nostri, sicut hactenus obseruata sunt, de cetero vt regulis concordantia debeant obseruari, an illorum diffinitio vt inuenta legibus sacris aduersa debeat refutari. Sed & mihi ostendi expecto apertiùs, quàm in suis sacris litteris intelligere valeam, si domni Benedicti, ac eiusdem domni Nicolai, super eandem diffinitionem sub anathemate confirmationis priuilegia, nisi fortè illa ipse sua singulari auctoritate dissoluenda & immutanda viderit, quorum summam firmitatémque nobis omnibus scripsit in Apostolicæ sedis reseruatam arbitrio potestatis, nos sine regularum & sedis Apostolicæ præiudicio, sinéque nostro communi periculo, dissoluere & immutare possimus, Cælestino dicente, quæ à nobis res digna ser-

Decr. cap. 4.

Epist. 95. ad Rusticum Narbon.

Epist. 5.

uabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur? Sed & à nobis non est parui pendenda granditer Leonis Papæ ad Leonem Augustum de se scripta sententia, Si quæ, inquit, destruxi hæc ædifico, præuaricatorem me constituo, & eis me vltionum conditionibus subdo, quas non solùm auctoritas beatæ memoriæ Martiani, sed etiam ego mea confessione firmaui. De quibus vltionum conditionibus quid à sancto Spiritu per Concilia prouinciæ Africæ, quídue Dei sapientia, qua, vt scriptum est, conditores legum iusta decernunt, legibus sit decretum, meliùs ipsi scitis. Quòd si etiam hoc de se intelligens, & his legum conditionibus subdi tantus Papa & primæ sedis Pontifex præcauendo refugit, qualiter eisdem vltionum conditionibus subdi præcauendo timere nos debeamus subiecti, patenter ostendit. Sed & de contempto anathemate necessitate, (quanto magis deliberatione?) ritè prolato, quod in præfatis priuilegiis continetur, quid sanctus Gregorius ad Theoctistam patriciam dicat, sapientiam vestram à Deo doctam non latet. Et Symmachus dicit ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa, quæ à Domini sacerdotibus semel regulariter statuuntur, perpetua sint. quod aliàs contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Et Gelasius, Patres, inquit, nostri catholici videlicet doctíque Pontifices, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque Apostolica, secundùm scripturarum tramitem, traditionémque maiorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps firmúmque constare: nec in hac eadem causa denuò quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt. Sapientissimè peruidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus rediuiuis omnis integra diffinitio turbaretur.] Hæc itaque de litteris diuinitùs inspiratis accepta, vel pro rei notitia manifestata, non ad resultandum, quod absit, in aliquo domni Papæ decretis Apostolicis, vel ad resistendum vestris regularibus diffinitionibus profero: sed vt quomodo his quæ in deiectione illorum diffinita sunt hactenus obediui, sic in eorum restitutione, cuius estis à domno Apostolico arbitri constituti, si à vobis fienda canonicè inuenta & patrata fuerit, quantum ex me est, præfatis regulis sacris, & Episcopalibus atque Apostolicæ sedis exinde confirmationibus, periculosè non obuiem, & à præceptionibus, quæ in Apostolicis epistolis continentur, à quibus Domino annuente vel transuerso, vt dicitur, vngue scienter & per contumaciam non exorbitabo, in nullo per ignorantiam deuiem, & qualiter absque discrimine sequi debeam

Epist. 84.

Lib. IX. epist. 79.

Epist. I ad Æonium.

Epist. XI. ad Dardanos.

regularem vestram, quorum ex delegatione sedis Apostolicæ interest, diffinitionem, per ipsarum regularum tramitem liquidò cognoscere valeam. Ad hoc enim vel maximè ad Synodum venit Episcopus, vt aut discat, aut doceat, aut corrigatur, aut corrigat. Et Cælestino dicente, vt nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obuiare, necesse est vt ea hinc decernatis, ne aut in quæstionem reueniant, aut occasio exinde alicuius præsumptionis exsurgat, aut illa dissoluere temporibus nostris vel successorum nostrorum oporteat. Quanta, inquit Symmachus, vicariis beatissimi Petri Apostoli iudicabitur esse reuerentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt eisdem transeuntibus dissoluantur? quia, vt idem dicit, non potest ex parte firmum esse quod generalitatis tangit iniuriam.

Decret. 10. Episcopis per Apuliam, &c.

Epist. 1. ad Æonium.



XIX.

AD EANDEM SYNODVM SVESSIONENSEM,

DE EBONE REMENSI, QVOD AB Episcopatu iure deiectus, nec legitimè postea restitutus, clericos ordinare non potuerit, & quòd hi quos ordinarat, in Synodo Meldensi suspensi, in Suessionensi gradu spoliati sint.

Tomo III. Conciliorum Galliæ, ex Codice Laudunensi.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS sanctæ Synodo domni Papæ Nicolai auctoritate conuocatæ.

CAPVT I.

DE Ebone, vnde quidam loquuntur, qui causam eius nesciunt, vel scire aut audire non volunt, cum quocumque per contentionem nullam conferam quæstionem, quia nec domnus Apostolicus mihi agendum hoc scripsit, nec cum eodem Ebone in vita sua extiti altercator, nec post mortem eius illius sum derogator, nec eius sedis inuasor extiti, quam ab eo secundùm regulas sacerdotio defuncto quartus, post eos qui eam tenuerunt, canonicè in ea electus & ordinatus regendam suscepi. Ratione autem dictante, quam omni poscenti negare non debeo, veritatem proferre licitè valeo. Idem namque à se, iuxta sacras regulas, & traditionem Ecclesiasticam, ac decreta sedis Romanæ Pontificum, Zosimi, Ioannis, atque Gregorij, sicut ab eis constitutum multoties

legitur, per professionis suæ libellum, ea moderatione, quam Leo
Leo ep. 86. magnus Papa decreuit ad vniuersos Episcopos per Samnium, Picenum, & Tusciam, dictatum & propria manu subscriptum, in Synodo se deposuit, & Episcopali ministerio spoliauit, atque secundùm suam professionem & subscriptionem à quadraginta tribus Episcopis iudicium depositionis suscepit: sicut ille ipse libellus, quem Synodo porrexit, & notitia Synodalis, quæ habemus, euidenter ostendunt. Vt enim dicit Gelasius, ideo vocatur ad iudicium certa quæcumque persona, vt aut fateatur obiecta, aut vt conuincatur obiectis. Sed hunc & actio penè omni mundo nota conuicit, & ipse propria se voce & subscripta professione damnauit. Postea verò sine vlla regulari restitutione idem ministerium Episcopale, quo se priuauerat, contra sacros canones vsurpauit. Et demùm sub Papa Sergio Romam veniens, ab eo, vt damnatus in laica tantùm communione maneret, districta sententia, sicut & gesta ipsius Papæ demonstrant, condemnatus fuit. Qui cùm Metropolis Remorum, in qua fuerat ordinatus, per decennium post depositionem eius pastore vacaret, sed & vsque ad terminum vitæ suæ, cùm ferè decem & septem annis post damnationem suam vixerit, eandem sedem, qua regulariter se priuauit, canonicè non repetiit, nec obtinuit, neque vllum canonicæ suæ restitutionis documentum Synodo cuilibet, vel principibus terræ, ac populis, qui eum damnatum fuisse nouerant, secundùm regulas sacras ostendit. Et si quis vult dicere, eum fuisse regulariter, consensu Episcoporum, vel sedis Apostolicæ
In Tomo de anath. vinculo. restitutum, sicut sanctus Gelasius in decretali sua epistola de Acacio dicit, quem sui complices ac fautores restitutum fuisse fingebant, doceat à quibus & vbi ille consensus restitutionis sit gestus, si secundùm Ecclesiæ regulas celebratus, si paterna traditione profectus, si maiorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, si ad primam sedem, cuius intererat, de sententia qua tenebatur obstrictus, secundùm Ecclesiæ regulas est relatum, si eadem quæ ligauit absoluit. Si hæc ita gesta non sunt, cùm nec à Pontificibus legitimè & Ecclesiasticis legibus fuerit expeditus, nulla sæculari potestate potuit præter Ecclesiæ tramitem prorsus absolui. Nec quisquam ei post depositionem quasi restituto communicare debuerat, in ea dumtaxat causa, vnde à seipso & ab Episcoporum Concilio, insuper & ab Apostolica sede excommunicatus extiterat, sine restitutionis suæ canonicis litteris, ab eis à quibus fuerat restitutus secundùm morem confectis, sicut sacri canones, & decreta
Felix in Synodo Rom. Epist. 59. Felicis Papæ demonstrant. Quapropter, vt Leo ad Theodorum scribit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. Vnde taliter visum est de illo tenendum, sicut Gelasius
De Tomo Anathem. de Acacio dicit, Talis est, inquiens, dictus, qualis ligatus est, talis vsque in finem permansit, talis esse non destitit. Ita talis est hodie,

qualis est & dictus, non talis esse iam non potest. nunquam igitur talis permanendo soluendus est. Et constat quia comedens fructus viæ suæ, suísque consiliis saturatus, docente Innocentio, qui particeps factus est damnato, quomodo debeat honorem accipere inuenire non possum, dimisit reliquias suas paruulis suis. Sed & de eo omnem quæstionem, secundùm leges Ecclesiasticas & mundanas, quas probat Ecclesia, qui damnatus fuit anno Incarnationis dominicæ DCCCXXXV. Indictione XIII. sub die Kalendarum IV. Nonas Martij, iam tricennale & ampliùs eo tempus excludit.

II. SED dicitur vsque ad vitæ suæ terminum Episcopale ministerium in omnibus Ecclesiasticis muniis peregisse. Quæ præsumptio à sanum sapientibus non sumitur in exemplum: quia & in veteri & in nouo sacerdotio vetus hoc artificium est diaboli, & quia plures hoc præsumpserunt, sicut Bonosus, contra cuius morbum Innocentius, & Proculus, aduersus quem laborauit non modicè Zosimus, & Acacius, quem deiecit Felix, & sequens sacros canones, ac decreta prædecessorum suorum, cum præsumptione & vsurpatione sua peremit & extinxit Gelasius. Et plures alij fuerunt, qui in hanc præsumptionis sententiam transierunt, & transeuntibus consenserunt, de quibus in nostro sæculo quosdam audiuimus, quosdam etiam qui hoc egerunt vidimus. Sed monente scriptura non debemus turbam sequi ad malè agendum, & vt Innocentius loquens de Decret. 56
Bonoso dicit, Quotiens à populis, aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum soleat transire. Priora ergo dimittenda dico Dei iudicio, & de reliquo maxima sollicitudine præcauendum.] Et de incongruo sacris scripturis ac sanctorum decretis multorum consensu, item in decretis Apostolicæ sedis legitur, quia etsi omnes sacerdotes, & mundus adsentiat, damnatio consentientes inuoluit, non præuaricationem consensus absoluit. Non enim crimen minuitur, sed adcrescit, cùm generale fit ex priuato. Hoc enim Deus omnium indicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit: & sacrum dicit Nicæ- Can. 9.
num Concilium, quia quod inreprehensibile est catholica defendit Ecclesia. Nam si hoc impunè fuerit licitum, vt hi auctoritatem in sacris ordinibus ministrandi, vel eosdem ordines tribuendi vsurpent, qui aut penitùs non acceperint, aut contra regulas ordines sacros acceperint, aut quibus regulariter ministerium sacrorum ordinum fuerit interdictum, omnis ordo & vigor Ecclesiasticus non tantùm nutabit vel confundetur, quàm penitùs destruetur.

III. QVIA denique in Moguntina prouincia ministrauit, con- Can. 16. 17. 18.
tra omnem auctoritatem esse cognoscitur. Nam Antiocheni canones de vacante Episcopo, & vacante Ecclesia regulam præfixerunt: sed & de illo, qui manus impositionem Episcopatus accipit & ministrare detrectat, necnon & de illo qui ordinatus nullo suo vitio

ad parochiam, in qua ordinatus fuerat, non accedit. De quibus regulis nulla Eboni conuenit. Et canones Sardicenses de vim iniustè patientibus, & pro disciplina & catholica confessione, vel pro defensione veritatis expulsis, vel pericula euadere quærentibus, quid teneri debeat manifestè demonstrant. Sed nec ista regula Ebonem absoluit: cùm & sacerdotes, & omnis penè mundus, & ipsa etiam sedes Apostolica, eius falsis criminibus appetitum, & quadam traditione pro honoribus cum iuramento exinde acceptis venditum, & ab imperio, atque ab ipso Ecclesiæ aditu, pium Augustum Hludouicum satagente ipso abiectum grauissimè ingemuerit, & innoxium à criminibus inuentum, & iustissimè restitutum, totus in orbe terrarum mundus gaudio exultauerit, & Ebonem deiiciendum, qui inreuerentiùs manum in christum Domini miserat, vt reum maiestatis, vnà cum ipso clamauerit. Sed neque necessitate cogente, propria amissa prouincia, secundùm Chalcedonenses canones, ciuitate in qua ordinatus fuerat captiuata, pulsus ab hostibus extitit, vt alibi incardinari valeret, sicut in decretis beati Gregorij, & aliorum sedis Romanæ Pontificum inuenimus: nec iniustè & contra regulas sacras deiectus, & regulariter sedi suæ secundùm Sardicenses canones iussu sedis Apostolicæ refricato iudicio restitutus, vllo documento canonico inuenitur. Quapropter ab ipsa, vbi immorabatur, parochia contra Concilium Africanum appetitus, vt ibi decretum est, potestate iudiciaria per rectorem prouinciæ protinus excludi, & neque ab Ecclesiis quibus præfuit, neque à quolibet homine defensari debuerat. Constat ergo iustè deiectum ea quæ sua non fuerant præsumpsisse. cuius non necesse est nos merita actúsque discutere, cùm habeat conscientiæ & operis sui testem quem habet & iudicem. Nam, vt Leo dicit, quæ patefacta sunt quærere, & quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt diffinita conuellere, quid aliud est, quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?

Can. 21. — Can. 10. — Can. 3. — Epist. 84. ad Leonem Augustum.

IV. De mea etiam ordinatione, cui fortè si aliqui occultè, quod apertè non audio, derogant, in nullam altercationem contra quemcumque intrabo, quia sicut dicit Apostolus, in mortuis testamentum est confirmatum. Nam cùm Remensem Ecclesiam Folco ferè per nouem annos sine vlla regulari Ebonis reclamatione tenuisset, & post eum Noto penè per annum & dimidium eandem sedem similiter sine vlla Ebonis repetitione tenuisset, sub Sergio Papa in Synodo plurimorum Archiepiscoporum & Episcoporum apud Belloacum diœceseos Remorum habita, à clero & plebe ipsius Metropolis, sed & ab Episcopis eiusdem prouinciæ petitus, & ab Archiepiscopo tunc meo, & proprio Episcopo, necnon & à Coepiscopis ipsius prouinciæ, secundùm Laodicense Concilium, cum consensu Abbatis mei, & fratrum monasterij in quo degebam, Episcopis

Heb. 9. 17. — Can. 12.

pis Remensis prouinciæ, & clero ac plebi ipsius Metropolis per canonicas litteras traditus, & cum decreto canonico, præsentia vel consensu omnium suffraganeorum ipsius Metropolis, & à Metropolitano meo, qui me illis tradiderat, sum in eadem Ecclesia, omnibus acclamantibus, absque vllius contradictione vel repetitione, canonicè & secundùm decreta sedis Romanæ Pontificum ordinatus: ipsáque ordinatio mea non solùm Remorum prouinciæ Episcoporum, ordinatorum videlicet meorum, secundùm Africanum Concilium subscriptionibus est roborata, verùm & omnium penè Galliarum, atque Neustriæ, necnon & Aquitaniæ Episcoporum manibus subscripta epistola ad præfatum Sergium Papam vnanimiter dirigenda: sed & edicto domni regis Karoli manu propria confirmato, & sigillo ipsius corroborato, est comprobata. Quæ omnia Sergio, antequàm mittere ad illum concurrerem, in breui defuncto, Leoni Papæ sunt missa. Indéque à domno Imperatore Hlothario, suam epistolam eidem Leoni Papæ dirigente, in qua scripsit quantum pro restitutione Ebonis apud Sergium Papam sategerit, & nihil obtinere potuerit, fauoribus prosecuta, & ab eodem Leone Papa & vsu pallij, & priuilegio sedis Apostolicæ, ac pluribus Apostolicis suis epistolis, vt videlicet in loco pastoris sacerdotio defuncti, est multoties adprobata. Quámque ordinationem meam, sanctæ memoriæ gratia & nomine Benedictus, sed & domnus ac pater noster Papa Nicolaus, suis priuilegiis eam corroborarunt. Quæ in Episcopali Concilio, & ante ordinationem electio, & postea ordinatio canonicè patrata fuisse, non contra cuiuscumque quæstionem, sed aduersus susurrantium atque occultè musitantium derogationes, vt omnis iniquitas oppilaret os suum, ex sacris regulis est demonstrata. Sed & illud in causa est, cur inde in nullam altercationem contra quemcumque modò intrare non deliberem, quoniam domnus Papa suis Apostolicis litteris mihi non scripsit, vt cuicumque inde per quæstionem debeam reddere rationem. Quod non de diffidentia dico, quasi documentorum probamentis ad ista deficiam, in quo iure si quis audet, audeo & ego: sed & Leonis ad Leonem Epist. 84. Augustum verba pro modulo meo sequens, dicentis, quia de rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonem, sicut Deo placuit definitis, nullum audemus inire tractatum, tamquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per sanctum Spiritum fixit auctoritas. Cùm tantus ac tantæ sedis Papa se ad hæc dixerit non audere, ego tantillus homuncio super ea quæ tot Conciliorum & tantorum Pontificum sedis Apostolicæ de ordinatione mea, qualiscumque plebis Dei famuli, sicut certissima monimenta declarant, adprobauit & fixit auctoritas, tanquam de re dubia vel infirma, nullum audeo inire certamen.

V. De his autem fratribus nostris, de quibus nuper nobis com-

muniter domnus Apostolicus scripsit, si vobis ad Apostolica scripta non sufficit breuis à me data responsio, ecce habetis gesta Episcopalia, & priuilegia domni Benedicti & domni Nicolai, quæ vobis demonstrant qua ratione & quo ordine, quáve auctoritate, & à quibus, & vbi, & quando patrata sint quæ in eos acta fuerunt. Quibus omnibus perscrutatis, secundùm domni & patris nostri Apostolici Papæ discretissimum ac regulare mandatum, quod iustum & pium inueneritis, secundùm canones sacros decernite, & absque vlla, quantum ex me est, contradictione perficite: quia sicut in præcedenti scedula vobis scripsi, nec illius Apostolicis præceptis, nec vestris regularibus definitionibus contradicam.

VI. CETERVM si vestræ beneplacitæ voluntati necessarium visum fuerit, non ad vllam contentionem, nec aduersum alicuius quæstionem, sed ob pleniorem rei notitiam, vt de Ebonis adhuc latiùs regulari depositione, & nulla canonica restitutione, sed & de mea qualiter celebrata sit ordinatione, vel qua ratione fratres & Coepiscopi nostri in Synodo Meldensi filios Remensis Ecclesiæ, de quibus agitur, suspenderunt, vel vnde accepit Suessonica Synodus non debere in gradibus Ecclesiasticis eos manere, rationem & ordinem, atque auctoritatem, quæ ibi ostensa, & à sollicitudine exiguitatis meæ suscepta sunt, ne offendam reticens dicendam in tempore veritatem, vestræ fraternitati pandere non negabo. Tantùm vt non vos morosa, & fortè vobis si nota est non necessaria ratio tædeat, & sic veritas à me possit ostendi, quatenus vestræ vnanimitatis caritas erga me debeat conseruari. Qui absque nostro detrimento non solùm fratribus, sed & inimicis prodesse desidero, & Apostolicis mandatis quacumque contumacia non resulto, nec fraternis vestris monitis & regularibus diffinitionibus intentionem vel manus obuias tendere paro. ea tamen conditione, quod & vos velle & studere cognosco, vt regularum status & sedis Apostolicæ priuilegium maneat, & commune periculum nostrum vitari præualeat.

POST hanc scedulam, Synodo ostensa sunt gesta Episcopalia Suessonicæ Synodi per manus Hincmari Laudunensis Episcopi, & gesta Synodi Bituricensis prouinciæ per manus Raginelmi Tornacensis Episcopi, & priuilegium domni Benedicti per manus Erchanraui Catalaunensis Episcopi, & priuilegium domni Nicolai per manus Hodonis Beluacensis Episcopi. Et post hæc omnia, data est quæ sequitur scedula, qualiter priscis, vt dicit Gelasius, pro suî reuerentia manentibus constitutis, & saluis Apostolicæ sedis priuilegiis, cum eorum etiam saluamento, qui Synodo subscripserunt, in qua fratres de quibus agitur fuere deiecti, per indulgentiam & auctoritatem domni Papæ in suis ordinibus recipi & prouehi possint absque contradictione, migratis iam omnibus, qui in Ebonis depositione fuerunt, Episcopis excepto solo Rothado: sed & eis qui illi excom-

municato dicebantur communicasse, & aliis in eorum locis substitutis, ac per eos, vt ita dicamus, innumeris ordinatis. tantùm vt de cetero scandala, quæ hinc valent emergi, domni Apostolici auctoritate & prouidentia deuitentur.



XX.

AD EPISCOPOS SYNODI SVESSIONENSIS,

QVOD ABSQVE NECESSITATE MVTARI non debeant quæ semel in Conciliis statuta vel iudicata sunt.

Tomo III. Conciliorum Galliæ, ex Codice Laudunensi.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS Remigio, Vveniloni, & ceteris Archiepiscopis & Episcopis, domni Papæ Nicolai auctoritate ad Synodum, quò & exiguitatem meam cum Coepiscopis nostris venire præcepit, in hanc Suessorum ciuitatem pro causa Vulfadi & collegarum eius conuocatis.



LEGIMVS scribente beato Innocentio, quòd de quibusdam obseruatio prior durior, posterior interueniente misericordia inclinatior est. Et sanctus Leo dicit, quia sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione conuelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum, oporteat temperari. velut & de quodam indulgentiæ iure dicit, in quo inquiens non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Et facundissimus Gelasius, Priscis, inquit, pro suî reuerentia manentibus constitutis, quæ vbi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia regulariter conuenit custodiri. Hic proculdubio, qui in Ecclesiasticarum narratur altitudine dignitatum, & in cuius virtute bonis operibus corda ponenda sunt, gradibus vtique distributis, cunctis Deus noster & rector populis prædicandus est Christianis. vbi nemo sibimet aliquid iam æstimet imminutum, cùm & de vniuscuiusque gradus perfectione nil deperit, & conuenienter retinendo quod cælesti dispensatione conlatum est, pariter nobis & cognoscibilem Deum fieri, & tribuit esse rectorem. Nam etsi quid indulgetur de temporum quantitate, moribus adgregata strenuitate pensatur, si vitæ iam proposito continetur, quod protelata fuerat ætate curandum: dummodo illa nullatenus dissimulata subripiant, quorum quodlibet si inesse claruerit, meritò clericalibus infulis reprobabilem conuincat esse personam. Et si illa nonnunquam sinenda

Epist. 2 ad Exuperiũ.

Epist 95. ad Rusticum.

Epist. VI.

sunt, quæ si ceterorum constet integritas, sola nocere non valeant: illa tamen sunt magnopere præcauenda, quæ recipi sine manifesta Can.93. decoloratione non possint. Et Africanum Concilium, de virginum velatione retractans, ita manere constitutionem prioris Concilij, vbi nulla perurget necessitas, decreuit, vt non obsit posteriori Concilio certis pro causis ea quæ constituta fuerant immutanti, nec po-Can.35. sterius Concilium priori obuiet, vbi nulla illud perurget necessitas immutare. Sed & de Donatistis decreuit, vt consentientibus fratribus & Coepiscopis, maximè autem Apostolica sede, à quibus inde fuerat diffinitum, quatenus secundùm vniuscuiusque Episcopi catholici voluntatem atque consilium, qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur, sicut prioribus eiusdem diuisionis temporibus factum esse manifestum est: quod multarum & penè omnium Africanarum Ecclesiarum, quibus talis error exortus est, exempla testantur. Non vt Concilium, quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissoluatur: sed vt illud maneat circa eos qui sic transire ad catholicam volunt, vt nulla per eos vnitatis compensatio procuretur. Per quos autem vel omnimodo perfici, vel adiuuari manifestis fraternarum animarum lucris catholica vnitas in locis quibus degunt visa fuerit, non eis obsit quod contra honores eorum, quamuis salus nulli interclusa sit, in transmarino Concilio statutum est.] Vnde manentibus statutis, absque regularum & Apostolicæ sedis præiudicio, & iudicantium vllo discrimine, quos non solùm auctoritas Carthaginensis Concilij ab omni næuo defendit, si eorum fuerit soluta sententia, qui conuinci non possunt vel inimico animo iudicasse, aut aliqua cupiditate aut gratia deprauati: verùm & idem Concilium, sed & Antiochenum, atque decreta sedis Romanæ Pontificum, Innocentij, Zosimi, atque Leonis, eos commendant, per quæ sua confirmauêre iudicia, quæ fratres & Coepiscopi nostri in Suessonica Synodo Remensis Ecclesiæ filiis, ab Ebone post depositionem suam ordinatis, censura Ecclesiasticæ seueritatis iudicauerunt, vbi eos non iudicaui, nec cum iudicibus eorum subscripsi. manente etiam, vt oportet & necesse est, auctoritate priuilegiorum domni Benedicti, & domni ac patris nostri Nicolai Papæ: si illi placet cui cuncta bona placent, vt decessoris sui Benedicti & sua priuilegij à se confirmati sententia de his fratribus propter misericordiam per indulgentiam immutetur, vbi exinde scriptum habetur, saluo Romanæ sedis in omnibus iussu atque iudicio: & aliter decretum confirmetur, nobísque tenendum mandetur, iuxta mode-Epist.2.ad Exuperiū. rationem Innocentij, qui obseruationem priorem duriorem, posteriorem autem interueniente misericordia inclinatiorem dicit. & vestra fraternitas, qui eosdem fratres iudicastis, vel quorum decessores illos iudicauerunt, vnanimi benignitate, iustitia, pietate condita

consenserit atque decreuerit, sicut sacra & mystica Nicæna Synodus de Nouatianis, & per indulgentiam, in epistola ad vniuersos Episcopos per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim constitutos, de Meletio damnato clementi consilio, dum subtili veráque ratione nullam veniam mereretur, & ab eo post damnationem illius ordinatis, quos Meletianos appellat, decreuit. Nam idem Meletius, vt in veraci & recipienda historia legimus, vnius ciuitatis Ægyptiorum Episcopus, sub Petro Alexandrinæ ciuitatis Archiepiscopo, qui suscepit Diocletiano imperante martyrium, depositus est, & propter alias multas causas, & maximè quia in persecutione fide negata sacrificauerat. Ergo damnatus habuit multos sequaces, & hæresiarches factus est eorum qui hactenus ab eo in Ægypto Meletiani vocantur, nullam iustitiæ satisfactionem habens cur remanserit ab Ecclesia separatus. Dicebat quidem iniustitiam se passum, & obloquebatur sibi, derogabátque Petro. Sed Petrus in persecutione percepta martyrij palma defunctus est. iste verò retulit detractiones in Achillam, qui post Petrum suscepit Episcopatum, & rursus in Alexandrum, qui post Achillam noscitur ordinatus. Inter hæc igitur superuenit quæstio Arriana, & Meletius vnà cum suis defendebat Arrium, conspiratione facta cum eo aduersus Episcopum. De quo Meletio, & eius complicibus, præfata sacra Synodus in præscripta epistola, pacis redintegrandæ & vnitatis gratia, hæc decreuit ad locum, Placuit, inquiens, Meletium quidem clementi consilio, dum subtili veráque ratione nullam veniam mereretur, manere quidem in propria ciuitate, nullam verò omnimodis habere potestatem neque eligendi, neque ordinandi, nec in prouincia, nec in qualibet ciuitate, purúmque nomen tantummodò possidere. eos autem qui ab eo sunt constituti, mystica ordinatione firmatos habere honorem & ministerium, vt tamen sequentes sint modis omnibus vniuersorum in singulis parochiis & Ecclesiis à carissimo & comministro nostro Alexandro consecratorum, vt in his nulla potestas sit placitos sibi eligere, aut nomina eorum præferre, aut omnino aliquid agere præter voluntatem Ecclesiæ catholicæ præsulis Alexandri. Gratia namque Dei, & orationibus vestris, in nullo schismate repertos, sed sine macula in catholica & Apostolica Ecclesia permanentes, dignum est potestatem habere & eligendi quemlibet, & nomina eorum dandi qui clero sunt digni, & absolutè facere omnia secundùm legem & sanctiones Ecclesiæ. Si quem verò contigerit requiescere in Ecclesia, tunc prouehi in honorem defuncti eos qui nuper adsumpti sunt, solummodò si videantur digni, & populus eos elegerit, condecernente simul & consignante maximæ Alexandriæ ciuitatis Episcopo. Hoc itaque aliis quidem concessum est omnibus: in persona verò Meletij nequaquam eadem placuerunt propter priorem indisciplinationem eius, & propter procacitates

[Margin notes: Can. 8. — Epistola Conc. Nicæni ad Ægyptios.]

eius, ac petulantiæ voluntatem, ne vlla daretur auctoritas vel potestas homini, qui possit rursus easdem indisciplinationes instruere.] Et Anastasius iunior Papa, ad Anastasium Imperatorem scribens de ordinatis à damnato Acacio, recipiendos in suis ordinibus dicit. Quamquam eadem epistola sacris canonibus, & decretis Innocentij, Zosimi, & Leonis, atque Gelasij, à quibusdam non conuenire dicatur. quia vt ambigua sententia in eadem epistolá idem Anastasius scribit, & baptizauit catholicè, non canonicè: nec secundùm sacras regulas, neque secundùm Ecclesiæ catholicæ consuetudinem sacerdotes vel leuitas damnatus ordinauit Acacius. quia possunt etiam interdum laici catholici baptizati, vt dicit Gelasius, catholicè baptizare, & etiam criminosi adhuc sedentes super cathedram, sicut Scribæ & Pharisæi, & sicut Iudas, pro ministerij dignitate inter Apostolos sibi commissa, & nondum iudicio aperto amissa, pro suo officio quæ in eodem ministerio operanda sunt operari. Sunt & alia, quæ hîc poni poterant, nisi obuiari eis ab aliis constitutis sanctorúmque decretis manifestè cognosceretur. quoniam, vt Daniel dicit, *pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*, aliter de huiusmodi decreta fuisse inueniuntur. Et idcirco ista posuisse sufficiat, quæ indulgentiæ potiùs misericordiam sequi, quàm censuram iustitiæ intentare videntur. His ergo ita se habentibus, quantum ex me est, sedis Apostolicæ benignitati, & vestræ fraternitatis beneplacitæ consensioni, sollicitus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, in fratrum istorum regulari statu non obuio. Quorum, sicut in præcedenti scedula vobis porrecta præmisi, salubrem ac regularem statum & cupiui & cupio, & quæsiui & quæro, & de quorum deiectione dolui satis & doleo, quia nemo maius dispendium habet de illorum deiectione, quàm ego. Et hæc quidem scripsi pro mediocritate ingenioli mei, deuotionem mentis meæ circa fratres ostendens, priscis, vt dicit Gelasius, pro suî reuerentia manentibus constitutis, & reseruato per omnia sententiæ ac iuris priuilegio Apostolicæ sedis, & non præiudicans vestræ vel cuiuscumque rationabiliori, seu plus tenendæ, ac maioris auctoritatis sententiæ, quam si mihi ostensa fuerit paratus sum sine contradictione aliqua sequi. Illa tamen modis omnibus in istorum statu, si tamen à vobis vnanimiter inde consensum, & à domno Papa fuerit confirmatum, conditione seruata, quam & Apostolica sedes pro Ecclesiastico vigore ab omnibus petimus faciat conseruari, & à vestra fraternitate necesse est prouideri, ne hac, quod absit, occasione auctoritatem in sacris ordinibus ministrandi vsurpent, qui aut penitùs non acceperint, aut contra regulas acceperint, vel quibus regulariter ministerium fuerit interdictum. quoniam si hoc impunè fuerit licitum, omnis ordo & vigor Ecclesiasticus non tantùm nutabit, quantum penitùs confundetur. Sunt cum istis & alia, de quibus prouidè domni Apostolici

Epistola vnica.

Dan. 12. 4.

ſumma auctoritas, & ſub eius magiſterio hinc veſtra ſolers conſiderabit ſagacitas, quæ in alio diplomate mea vobis oſtendet humilitas, ne ſub huius rei occaſione in Eccleſia poſſint emergi. Veſtra autem prudentia & hæc clariùs, & alia, quæ ſenſus mei paucitas non poteſt attingere, contemplabitur, & domni Apoſtolici ſuperemінens ſapientia multo ſollicitiùs & videbit quæ prouidenda ſunt, & præſentibus medelam & futuris imponet cuſtodiam.



XXI.

AD EPISCOPOS SYNODI SVESSIONENSIS,

DE VVLFADO, QVOD LINGONENSEM Eccleſiam paſtore viduatam vſurpare præſumpſerit, ac per ſatisfactionis libellum nunquam ſe vlteriùs ad graduum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem adſpiraturum profeſſus ſit.

Tomo III. Conciliorum Galliæ ex Cod. Laudunenſi.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS, Remigio, Veniloni, & ceteris Archiepiſcopis & Epiſcopis, domni Papæ Nicolai auctoritate ad Synodum, quò & exiguitatem meam cum Coepiſcopis noſtris venire præcepit, in hanc Sueſſorum ciuitatem pro cauſa Vulfadi & collegarum eius conuocatis.



QVOD inuitus dico, & ſupprimere in totum non audeo, ne fortè mihi ab his qui hoc ſciunt imputetur quòd calliditate aliqua occultauerim veritatem, & ſi hæc cauſa, iuxta veterum conſtitutionem iudicio Synodali decreta, ſine diffinitione Synodalis ſententiæ modo quolibet fuerit refragata, dilecto fratri noſtro Wlfado ad noxam cuiuſcumque rediuiuo furore valeat deputari. Iſdem namque dilectus frater noſter, poſt omnia quæ de ſua & collegarum ſuorum adiudicatione à Synodo Epiſcoporum quinque prouinciarum diffinita, & à ſedis Apoſtolicæ auctoritate ſub anathematis interpoſitione ſunt confirmata, ſine audientia & conſilio Epiſcopalis Concilij ſacerdotum qui eum iudicauerunt, ſinéque auctoritate Romani Pontificis qui ipſa iudicia confirmauit, inconſulta etiam Remenſi Eccleſia, extra prouinciam eius, in qua baptizatus, & in clericum tonſus, atque per plures annos in Eccleſia publicè ſacras ſcripturas legit, vbi ſicut Africanum decreuit Concilium cap. LVIII. poſtquam ſemel legit, ab alia Eccleſia in-

consultè recipi non debuerat, sicut idem Concilium cap. XXI. manifestè demonstrat, Lingonensem Ecclesiam pastore viduatam, vt ibi ordinaretur Episcopus, sub nomine vocati Episcopi vsurpare
Can. 25. præsumpsit, eiúsque facultates, quæ secundùm Chalcedonense Concilium penes œconomum futuro debuerant reseruari Episcopo, suis suorúmque vsibus arrogauit. decernente ipso Concilio, vt eos qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ & vniuersalis huius Synodi quicquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decreuit sancta Sy-
Can. 12. nodus à proprio huiusmodi gradu recedere. & Antiocheno Concilio, de damnatis aliquid præsumentibus de ministerio, vt nullo modo liceat eis nec in alia Synodo spem restitutionis habere. Et ab hac præsumptione synodali auctoritate, cuius habemus constitutionem, reuocatus, iubente Domino, si peccauerit frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi, per satisfactionis libellum propria manu firmatum recipere communionem, qua regulariter secundùm Nicænos & Chalcedonenses canones ac decreta Gelasij fuerat priuatus, promeruit, sicut idem ipse libellus, qui præ manibus habetur ostendit. In quo sub iureiurando per sanctam Trinitatem vnius deitatis professus est se nunquam & nusquam ad sibi interdictam præsumptionem, & ad graduum Ecclesiasticorum administrationem vlteriùs adspiraturum, neque aliam huiusmodi temeritatem, qua pax Ecclesiæ valeat perturbari, & quies sacerdotalis possit inquietari, scienter vel libenter vlteriùs moliturum. Quem libellum coram Episcopis Pardulo Laudunensi, Guntberto Ebroicensi, Ænea Parisij, corámque rege & quamplurimis aliis, nobis iudicibus suis à Synodo constitutis porrexit. decernente beato Gregorio, vt reuertentes à schismate iureiurando profiteantur & subscribant, se nunquam ad schisma quo redierant reuersuros. & secundùm traditionem Leonis Papæ scribentis ad Ianuarium Episco-
Epist. 3. pum, Saluberrimum est, inquit, & spiritalis medicinæ vtilitate plenissimum, vt siue presbyteri, siue diaconi, vel cuiuslibet ordinis clerici, qui se correctos videri volunt, priùs errorem suum damnari à se sine ambiguitate fateantur: vt sensibus prauis & dudum peremptis nulla adspirandi supersit occasio, nec vllum membrum Ecclesiæ talium possit societate violari, cùm per omnia illis professio propria cœperit obuiare.] Et ad Flauianum Constantinopolitanum Episco-
Epist. 12. pum de erroneo ab Ecclesiastica disciplina. Si, inquit, fideliter aut vtiliter dolet, & quàm rectè mota sit Episcopalis auctoritas vel serò cognoscit, vel si ad satisfactionis plenitudinem, omnia quæ ab eo malè sunt sensa, viua voce & præsenti subscriptione damnauerit, non erit reprehensibilis erga correctum quantulacumque miseratio, quia Dominus noster verus & bonus pastor, qui animam suam posuit pro ouibus suis, & qui venit animas saluare non perdere, imitatores nos suæ vult esse pietatis, vt peccantes iustitia coerceat, con-

uersos

uersos autem misericordia non repellat. Et item ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum de Attico presbytero scripsit, vt remota omni dubitatione Chalcedonensis Synodi diffinitionem de fide, quam & Apostolicæ sedis firmauit auctoritas, profiteatur se per omnia seruaturum, adiecta subscriptione manus propriæ, quæ in Ecclesia populo præsente recitetur. Quibus constat, eos qui ab Ecclesiastica traditione deuiant per contemptum, taliter recipi debere: quoniam, vt Hilarus dicit, non minùs in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in iniuriam ipsius Domini prosilitur. De quibus, si à sua professione vel subscriptione exorbitauerint, Carthaginense dicit Concilium, Si quis inquiens contra suam professionem vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore priuabit. & sanctus Gregorius ad Maximum Episcopum Salonitanum de Andrea diacono dicit, quia flagitari iudicium non debet de causa quam ipse iudicauit. Sed quia contempta fuerat indebita præsumptione, non solùm diffinitio synodalis Episcoporum, sed & Apostolicæ sedis domni Benedicti Papæ auctoritas, opportunitate inuenta, per venerabilem fratrem & Coepiscopum nostrum Hodonem exemplar priuilegij domni Benedicti sub fidei adstipulatione dirigens domni Nicolai Papæ auctoritati, ab eo quod suus decessor firmauerat corroborari poposci: non ad iniuriam, quod absit, sedis Apostolicæ, quasi eius adhuc in ambiguum sententia duceretur, & ob id non sufficerent quæ ab ea semel domni Benedicti Papæ auctoritate, vt inde quæstio nullis aliquando temporibus oriatur, & adspirantes indebitè anhelitus compressi funditus perpetuò maneant, fuerant confirmata: sed quoniam incauta præsumptio vt constitutio geminaretur exegit, quatenus si obstinatio permanere deligeret, se post tot prohibitiones diffinita impunè non posse tentare cognosceret. Hæc non per malitiam dicta, sed ne vt putarentur per vafritiem tacita, ad vestram notitiam necessarium duxi perducere, qui canonicè cuncta per ordinem, quæ in præfato fratre nostro Wlfado & collegis eius gesta sunt, secundùm præceptionem domni nostri Papæ, examinare & subtiliùs inuestigare, & si quid iustum piúmque sensum fuerit, de illorum reformatione debetis perficere, ne quid fortè prætermissum videatur, quod vobis scire, & vnde à vobis conueniat diffiniri.

Epist. 23. Epist. 2. Concilium Carth. II. can. 13. Epist. 129. lib. 7.



XXII.

AD NICOLAVM PAPAM,

PER EGILONEM MISSA CVM ACTIS Synodi Sueßionensis anno DCCCLXVI.

Ex veteri codice Bibliothecæ Thuanæ.

DOMINO SANCTISSIMO ET REVERENTISSIMO Patrum Patri, Nicolao primæ ac summæ sedis Apostolicæ & vniuersalis Ecclesiæ Papæ, Hincmarus Remorum Episcopus, & vestræ sanctissimæ paternitatis deuotissimus famulus.



DECIMO-QVINTO Kalend. Septembris XIV. Indictionis, secundùm vestram Apostolicam iussionem, ad Suessorum ciuitatem, cum fratribus ac Coepiscopis Remorum prouinciæ, Archiepiscopis & Episcopis illuc ex mandato vestro conuenientibus occurrere festinaui, quò etiam dilectum fratrem nostrum Wlfadum venire commonui. Eos etiam fratres nostros de ipsius collegio, qui sub nostra cura degunt, mecum adduxi. Quos sicut mihi scribere dignati estis, iustum quid vel pium sentiens, sine retractatione in suis ordinibus consensu ac iudicio Coepiscoporum Remensis prouinciæ restituere maturarem, si illos ab eisdem gradibus cum eorum tantùm iudicio deiecissem. Sed quoniam Synodi Episcoporum quinque prouinciarum, quorum meo consensu expetierunt iudicium, diffinitione fuêre deiecti: & sicut meliùs sapientia vestra nouit, sacri canones vsque ad similem excommunicationis vindictam decernunt, vt ab aliis deiecti ab aliis non recipiantur, minimè autem restituantur, sed aut eorumdem aut maioris Concilij Episcoporum diffinitiones ac iudicia præstolentur, aliorum opus in illorum restitutione nullatenus vsurparê præsumpsi, quos meo arbitrio ab officio non suspendi, & in præfata Synodo Episcoporum quinque Prouinciarum, non tantùm non iudicaui vel deieci, verùm nec cum iudicibus eorum subscripsi. quia mihi commissæ Ecclesiæ filij finitimos Episcopos iuxta canones Sardicenses pro causa sua interpellarunt, & Africæ Prouinciæ canones huiusmodi vicinos Episcopos audire, & inter eos ac proprium Episcopum adhibitos ab eis Episcopos iubent querimoniam diffinire. Vnde humiliter obsecro, ne pro inobedientia mihi reputetis, quoniam eos non statim restitui, qui ad Synodum, sicut præcepistis, hoc solo meo ausu agere veritus, obedienter occurri, & his quæ fratres & Coepiscopi nostri,

vestræ sanctissimæ paternitatis deuotissimi filij, vestra fulti auctoritate, de illorum restitutione decreuerunt, secundùm quod mystica Nicæna Synodus, scribens ad diœcesim Ecclesiæ Alexandrinæ, de ordinatis à Meletio damnato Episcopo clementi consilio statuit, videlicet vt mystica ordinatione firmati haberent honorem & ministerium, & proueheretur quilibet eorum in honorem Episcopi in Ecclesia defuncti, si visus foret dignus, & cum populus elegisset, cum consensu Alexandrini Episcopi, sub cuius cura diœcesis illa degebat, condecernente quodammodo similia Africano Concilio de Donatistis, quæ non vobis vt incognita ingeruntur, sed vt notissima inculcantur, sacrorum canonum & sedis Apostolicæ manentibus constitutis paratissimè annuere, & sollicitus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, obtemperare curaui: reseruato per omnia sententiæ ac iuris priuilegio eiusdem Apostolicæ sedis, & salua diffinitione ac confirmatione expectatæ vestræ discretionis, atque auctoritatis. Et quia Synodo, per hunc venerabilem Archiepiscopum Egilonem, qui interfuit actionibus, dirigente epistolam omnium nostrûm, qui adesse potuimus, cum ipso voce loquentem, quoniam si eis manum porrigitis, vobiscum pariter porrigemus, Vulfado & eius collegis pro disceptatione diuersa iudicantium, in eadem Synodo omnibus consonanter idipsum sentientibus, sedem Apostolicam non fuit necessarium appellare. Idcirco huiusmodi Legatum, qui meam vobis repræsentans personam, cuiuscumque diuersa sentientis allegationibus, quæ modò nullæ sunt, responderet, & vestram exinde diffinitionem referret, omisi dirigere. quia quæ verbis & scriptis mihi per istum religiosum Archiepiscopum exinde sequenda atque tenenda mandaueritis, pro scire & posse obedire & conseruare curabo, sicut hactenus ea, quæ inde fuerant statuta & confirmata, seruaui. Nec causa inobedientiæ missum meæ subditionis cum hoc venerando Archiepiscopo dimisi transmittere: sed quia sic intellexi in litteris vestræ auctoritatis contineri, tunc solùm, vt verbis earum vtar, si disceptantibus, vel fortassis alia atque alia decernentibus nobis, præfati deiecti sedem appellauerint Apostolicam, & eius speciali se iudicio damnari vel absolui petierint, si ego, vel si Wlfadus, aut socij eius, ad vos venire per nos non possemus, vicarios nostros ad hoc negotium ventilandum & finiendum, mox post consummatum Concilium XV. Kalend. Septembris præsentis XIV. Indictionis auctoritate vestra collectum, nostras præsentaturos vobis personas, nullam penitùs excusationem prætendentes, vtrique ad sedem beati Petri mitteremus. Vnde supplico, vt merear scripto hinc vestram diffinitionem recipere, quam paratus sum, vt oportet, obnixiùs obseruare. Gestorum autem seriem de omnibus quæ in Concilio relata, examinata, atque reperta sunt, quæ sicut veneranda decreta statuunt, discretioni vestræ dirigi præcepistis, vt quæ fa-

lubria videbuntur corroborentur: si fortè aliqua supersunt epistolæ Synodali, quæ debeant explanari, hic venerandus ac religiosus sanctitatis vestræ deuotissimus filius, & vnanimis frater ac consacerdos noster Egilo Archiepiscopus, plena fidelíque relatione Apostolicæ auctoritati vestræ poterit patefacere; & sicut ea visu & auditu comperit ac episcopaliter contulit intimare. Sed & de præfatis fratribus nostris, Remorum Ecclesiæ filiis, ab Ebone post depositionem suam ordinatis, qui inter canonicos & monachos, vrbanos & parochianos, vnà cum Wlfado apud nos non sunt ampliùs quàm nouem, de quibus sanctissima vestra paternitas mihi scripsit, vt cùm deiectionis suæ causam venire ad examen optauerint, nullam ex his quilibet indignationem meam sustineat, nullum ad cœpta peragenda per suggestionem meam patiatur incommodum, qualiter me anteà & posteà erga eos egisse in Synodo fratres & Coepiscopi nostri vnà cum eo repererint, sufficienter dignationi vestræ præualet enarrare. quorum salubrem ac singularem statum & cupiui & cupio, & quæsiui & quæro, & quorum deiectioni condolui, & statui eorum congaudeo. De Teutberga etiam regina, vnde sublimitati vestræ ab humilitate mea mandari rogastis, quia Hlotharium vel ipsam Teutbergam, postquam Arsenius venerandus Episcopus & sanctæ Ecclesiæ Romanæ Apocrisiarius, ab Attiniaco palatio domni Karoli regis gloriosi perrexit, non vidi, certæ salubritatis rationem vobis mandare non valeo. *Et alia manu.* Deus omnipotens sanctitatem vestram, ad doctrinam & correctionem sanctæ suæ Ecclesiæ, in suo apto seruitio per annorum multa curricula conseruare dignetur, Domine sanctissime & reuerentissime Patrum Pater in Domino. Data Kalendis Septemb. Indict. XIV.





XXIII.

AD EGILONEM ARCHIEPISCOPVM SENONENSEM.

ROMAM EVNTEM INSTRVIT DE IIS quæ in Synodo gesta sunt in causa Vulfadi, & quemadmodum in Urbe gerere se debeat.

Nunc primùm ex Codice S. Mariæ Laudunensis.

HINCMARVS NOMINE NON MERITO Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, sanctissimo & reuerentissimo Egiloni Archiepiscopo, & carißimo ac vnanimi atque fidißimo mihi, plurimam in Saluatore salutem.



QVANTA fiducia vestra vtar dilectione, ex vestra mente pensare potestis. Non enim aliter in mente mea vos teneo, quàm me alterum exceptis peccatis meis. Quapropter sicut in vobis & de vobis confido, & sicut vobis & pro vobis in omnibus esse cupio, ita erga me in omnibus sitis. Ceterùm exemplar epistolæ domni Apostolici ad domnum Karolum, quod non mandastis, sed & exemplar epistolæ mihi directæ, sicut mihi mandastis, dilectioni vestræ transmitto. Exemplar autem epistolæ, quæ vniformiter per Archiepiscopos istius regni directa est, vos habetis, sine qua ire non debetis. Mitto etiam vobis Capitula, in quibus summa continetur de omnibus epistolis, quas pro ista causa nobis omnibus domnus Apostolicus misit. Et necesse vobis erit, vt ipsa Capitula bene cognita habeatis, & memoria teneatis quæ sparsim in ipsis epistolis continentur, vt si illi quos scitis more suo sua dicta inuoluere voluerint, habeatis veritatem quam illis respondere possitis. De scriptis denique quæ porrexi in Synodo, de quibus mandastis vt discernerem si vobis ad portandum necessaria forent, non mihi visum est vos vllam habere necessitatem: sed videtur mihi, quia si ostensa fuerint Apostolico aut Romanis, vt aliquam dubitationem possint adferre domno Apostolico, quasi contentiones inter nos fuerint in restitutione Wlfadi, & vnà cum vestro missatico suspecta Synodi & mea epistola fiat, inde aliquod impedimentum & dilatio ad ea quæ senior noster citò obtinere vult de ipso Wlfado. Et puto non displicebit quibusdam, si aliqua occasio interciderit, vnde ad illos sit ei necesse recurrere. & sicut mihi iam mandatum est, increscit Apostolico & Romanis tanta legere.

In ſcripto quippe quod primum dedi, nihil aliud habetur, ni ſi quia ego non ſuſpendi eoſdem fratres ab officio, neque iudicaui, neque à gradibus Eccleſiaſticis eos deieci, neque cum iudicibus eorum ſubſcripſi; ſed Synodus Epiſcoporum quinque prouinciarum, & quod vos regulariter inde inueniretis, ego ſine cunctatione ſequerer ſecundùm tenorem epiſtolarum domni Apoſtolici. vnde & Synodus & ego rationem reddimus in epiſtolis noſtris domno Apoſtolico, quare eos ego non reſtitui. Alterum autem ſcriptum ideo dedi, quia ſicut ſcitis non putabat me Wlfadus ad illum condeſcendere velle. & licèt non in mea præſentia, tamen audiebam per alios illum dicere interdum, Ebonem non fuiſſe regulariter depoſitum, interdum autem regulariter reſtitutum. Et ideo demonſtraui eundem Ebonem regulariter depoſitum, & non regulariter reſtitutum. qui damnatus anno Incarnationis dominicæ DCCCXXXV. IV. Nonas Martias, & per decem & ſeptem annos poſtea in carne viuens, ſuam ſedem regulariter in Synodo non repetiit, neque obtinuit, nec etiam ſuam canonicam reſtitutionem, aut à ſede Apoſtolica, aut à Synodo regulariter factam, ſecundùm canones & decreta ſedis Romanæ vlli Synodo in vita ſua oſtendit, & omnem quæſtionem de illo ſecundùm leges Eccleſiaſticas & humanas iam tricennale & eo ampliùs tempus excludit. quoniam vt Leo ad Theodorum ſcribit, quod manens in corpore non recepit, conſequi exutus carne non poterit. De cuius depoſitione admodùm plura habeo quàm in Synodo modò oſtenderim, ſicut & in ipſo ſcripto in Synodo eſt relectum, vbi me canonicè electum & canonicè ordinatum monſtraui. In quibus ſicut ſcitis & rex & omnes concordauerunt, ſcientes me non in duritia velle contra Wlfadum perſiſtere, qui interdum etiam dicebat quòd meus non eſſet clericus, anguſtians ſicut ſcitis vt qualicumque modo gradus poſſet habere. Quæ etiam ſcripta vobis non ad oſtendendum ſed ad habendum mitterem, ſi notarius noſter infirmus illa tranſcribere concurriſſet. Poſtea autem oſtenſa eſt Synodus, cui ego non ſubſcripſi. in qua ab ipſis, qui Ebonis damnationi interfuerunt, & verbis & ſcriptis atque auctoritatibus, coram rege comprobatum fuit, qualiter Ebo à ſe, iuxta decreta Zoſimi, Leonis, Ioannis & Gregorij, per libellum profeſſionis manu ſua ſubſcriptum, & à quadraginta tribus Epiſcopis, ſecundùm ſuam profeſſionem & ſubſcriptionem, regulariter depoſitus fuit, & regulariter reſtitutus non fuit. & ob id, ſecundùm decreta Innocentij, qui ſcribens ad Martianum Naxitanum Epiſcopum, iuſſit eos recipi in ſuis ordinibus quos Bonoſus ante damnationem ſuam ordinauit. poſtea ſcribens ad Rufum & Euſebium ac ceteros Macedoniæ Epiſcopos, eos quos poſt damnationem ſuam idem Bonoſus ordinauit, nequaquam recipi in ordinibus Eccleſiaſticis permiſit. Et ſecundùm decreta Zoſimi ad Aurelium, & ad vniuerſos Epiſcopos per Afri-

Epiſt. LIX. ſub med. ũ. — Epiſt. 28. — Epiſt. 17. — Epiſt. 6.

cam & ceteras prouincias constitutos, & ad Massiliensem Ecclesiam, & ad Patroclum Arelatensem Episcopum, de his quos post damnationem suam Proculus ordinauit, qui se libello professionis suæ subscripto in Synodo deposuit. & secundùm decreta Leonis & sacrorum canonum, qui excommunicato communicarunt in deiectione permanere isti fratres iudicati fuerunt. Ostensa est etiam Synodus Episcoporum prouinciæ Bituricensis, cui præsedit Rodulfus, manibus eorum subscripta. in qua ab ipsis qui interfuerunt, & ab Aiulfo qui vnus fuit de iudicibus Ebonis audierunt, comprobatum fuit eundem Ebonem regulariter fuisse depositum. Deinde ostensa sunt priuilegia domni Benedicti & domni Nicolai, qui suis subscriptionibus & Ebonis depositionem & istorum deiectionem confirmauerunt. Quæ si omnia vobis longum fuerit enarrare, breuiter poteritis dicere, quæ bene firma tenere debetis, quia scitis quales sunt quidam. & peto vt non displiceat vobis quòd talia vobis mando firma tenere debere, quasi me putem vobis sapientiorem, quia ex caritate hoc dico, & talia mihi à vobis mandari vellem, si tale missaticum haberem sicut vos habetis. Verba autem quæ vos firma habere debetis, & etiam vestri, si aliquis inde fuerit tentatus, ista sunt, Quia secundùm tenorem epistolarum domni Apostolici, sicut in eis scriptum habetur, cuncta per ordinem quæ in istis fratribus gesta sunt canonicè examinantes, inuenistis Ebonem iustè & regulariter depositum & non regulariter restitutum, & istos fratres non à me, sed à Synodo Episcoporum quinque prouinciarum iudicatos secundùm sacros canones, & decreta Innocentij, Zosimi, & Leonis, sicut in Synodali epistola continetur. Et quia in domni Apostolici epistolis continetur, vt quæ statuta sunt non ducat dissoluenda, nisi sacris legibus inueniantur aduersa. & in eisdem epistolis intelligens Synodus ipsius benignitatem erga hos fratres, inuenta est ista auctoritas Nicæni Concilij de ordinatis à Meletio quondam damnato Episcopo, quam Episcopi in Synodali epistola illi vnanimiter mandant, vt priscis, sicut dicit Gelasius, pro suî reuerentia manentibus constitutis, & saluis Apostolicæ sedis priuilegiis, cum eorum etiam saluamento qui Synodo subscripserunt, in qua fratres de quibus agitur fuère deiecti, per indulgentiam & auctoritatem ipsius in suis ordinibus recipi & prouehi possint absque contradictione, migratis iam omnibus qui in Ebonis depositione fuerunt Episcopis, excepto solo Rothado. Verùm & illi Episcopi, qui eidem Eboni post depositionem suam dicebantur communicasse, iam ad diuinum iudicium migrauerunt, & aliis in eorum locis substitutis, ac per eos, vt ita dicamus, innumeris ordinatis, à nullo istorum fratrum restitutio contradicitur. Tamen si vos non grauaret, multùm vellem, vt omnem plenitudinem suprascriptam de Ebonis depositione, & de istorum adiudicatione domno Apostolico referretis. quod sapientiæ vestræ

committo arbitrio, cui melius credo, quàm si ipsa scripta transmitterem. Est etiam, quoniam si aliqua scripta per vos mitterem, & vos illa portassetis, nisi tantùm epistolam Synodalem, & meam epistolam concordantem eidem epistolæ, scitis quales sumus. posset fieri vt aliquorum mentes inde contra nos scandalum sumerent. quod & modò in Synodo quantum potui deuitaui, vbi sicut comprobatum est istos fratres non iudicaui, nec eidem Synodo subscripsi. Et erant auctoritates canonicæ, & decretorum sedis Romanæ Pontificum, quibus ipsi Episcopi hos fratres iudicauerunt. & qui eidem Synodo subscripserunt, me tacente necesse habebant hoc statuere quod iudicauerunt & subscripserunt, aut contra professionem & subscriptionem suam euntes, secundùm Carthaginense Concilium se honore priuarent. & priuilegia sedis Apostolicæ duorum Pontificum qualia sunt, & quæ confirmauerunt quod ipsi Episcopi iudicauerunt, ipsi vidistis & audistis. Tamen ne scandalum fieret, secutus exemplum Domini qui dixit ad Petrum, Nos censum non debemus, sed
Matt.17.26 ne scandalizemus eos, videlicet qui censum exigebant, *da staterem de ore piscis pro me & pro te*, vitato scandalo & præiudicio sedis Apostolicæ, vt non nos, sed ipsius auctoritas si voluerit, soluat & immutet suam sententiam quam ligauit & confirmauit, seruandam vidi vnitatem spiritus in vinculo pacis, similiter & in hoc sicut & ibi, vt nullum ego scriptum mittam, nec vos aliud portetis, nisi quòd cum rege & cum Episcopis nobis conuenit. Eamus simpliciter, quia sic-
Prou.10.9. ut scriptura dicit, *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* Sed si locum videritis, domno Apostolico aperire debetis, quoniam multi iam dicunt, si illa firma non fuerunt quæ tunc inde confirmata sunt, nec ista quæ modò fiunt firma erunt. Et nihil est iam firmum quod Episcopi & Apostolica sedes decernunt. neque de nostris iudiciis, nec etiam de excommunicatione curant. nec presbyteri à nobis degradati pro nostro iudicio suum ministerium dimittent, quia nihil est firmum quod agimus: sed sicut vult rex, & sicut nos aut odium mouet, aut gratia, aut cupiditas, aut timiditas, ita & nostra & Apostolicæ sedis vadunt iudicia. Et recordari debetis Apostolico, qualiter de sua excommunicatione & propriæ manus confirmatione fecit Guntharius. Qua de re prouidendum est in talibus, quia iam homines plus procliues & voluntarij sunt ad impunè peccandum, quàm ad regularem disciplinam suscipiendam & obseruandam. Et si domnus Apostolicus à vobis quæsierit ipsas auctoritates, qualiter isti deiiciendi iudicati fuerunt, potestis si vobis videtur illi respondere, quia vnanimiter Episcopi suum studium ad hoc conuerterunt, vt isti fratres restituerentur. vnde illi miserunt auctoritatem quam inuenerunt. Et quia non fuit eorum studium vt in deiectione permanerent, illas auctoritates sacrorum canonum, & decretorum Innocentij, Zosimi, Leonis, quæ suprà dictæ sunt, & illi sunt satis cognitæ,

ei transmittere omiserunt. De quorum restitutione, si Wlfadus in causa non foret, satis Ecclesia indurare potuisset, qui inter canonicos & monachos, vrbanos & parochianos, vnà cum Wlfado non sunt ampliùs quàm nouem. Ego dico quod mihi videtur caritatis affectu. vestra autem prudentia, & ad hæc & ad plura alia, Deo gratias satis sufficiet. Peto etiam, vt ad hoc quod domnus Apostolicus mihi scripsit de duritia Pharaonis, sicut in epistola mihi missa legetis, ei ex ordine condicatis quàm benignè eosdem fratres & anteà & posteà tractaui, sicut coram ipsis in Synodo comprobaui, ne talem me æstimet, sicut me æmuli mei illi depingunt. Et habete exemplaria de epistola synodali, & de mea epistola: vt si aliqui inde quiddam voluerint dicere, postquam illas Apostolico dederitis, habeatis earum exemplaria, & habeatis eas bene cognitas. Similiter satagite, vt illas epistolas, quas domnus Apostolicus de ista causa facere iubebit, legatis antequàm huc mittantur, ne aliquem dolum in eis scriptores, sicut dicuntur facere, possint imponere. Et non obliuiscamini vt faciatis certum Apostolicum, quia illa epistola quarti Leonis Papæ de istorum fratrum reclamatione, quàm memorat in suis epistolis, istis Cisalpinis regionibus non innotuit, nisi per suas nuper missas epistolas. & rogate aliquem de vestris memorosum hominem, qui vos sæpè admoneat, quoniam occupati eritis, vt non obliuiscamini impetrare gesta Pontificum, ab initio gestorum Sergij Papæ, in quibus inuenitur Ebo fuisse damnatus, vsque ad præsentem annum istius præsulatus, quia nos in istis regionibus satis hoc indigemus. Nam aliorum Pontificum gesta, si vos non habetis, per me aut per Fulcricum habere poteritis. De omnibus istis quæ dilectioni vestræ mando, qualiter vobis placeant, aut qualiter displiceant, quantum vobis placuerit & licuerit, & quæ mitto qualiter ad vos salua peruenerint, per istum missum nostrum mihi litteris remandate. In conclusione autem vobis scribo, quod sanctus Petrus Apostolus Apollinari dixit, quando eum Rauennam prædicare transmisit, Dominus meus Iesus Christus mittat Angelum suum coram te, qui custodiat vias tuas ante te, & annuat quæ postulaueris.



XXIV.

AD EGILONEM EVNDEM ARCHIEPISCOPVM,

DE GOTHESCALCO EIVSQVE ASSERTIONIBVS, & de Prudentio Episcopo, vt suggerat Pontifici.

Nunc primùm ex Codice Laudunensi.

CARISSIMO ET FIDISSIMO MIHI PLVRIMAM in Christo salutem.

IN aliis litteris ideo tanta vobis scripsi, vt haberetis rei ordinem & plenitudinem, ac veritatem de his quæ fuerunt gesta in Synodo, quia domnus Apostolicus, sicut in vobis directa legetis epistola, cuncta quæ ibi gesta fuerunt plena fidelíque narratione ad se referri præcepit, & animus vester, ad iter subitaneum & difficile occupatus, intendere fortè ad cuncta non potuit, licèt inde in epistola Synodi sufficienter sit positum, & etiam de aliis quæ scribo, mihi verbis vobiscum conferre non licuit, quæ peto, sed & ista quæ sequuntur, vt in talium manus non veniant, vnde scandalum possit oriri. Post illas autem scriptas litteras, nuntiatum est mihi, de Cella nostra, quæ vocatur Altumuillare, monachum nostrum nomine Guntbertum aufugisse cum libris, & vestimentis, & caballis, & aliis etiam quæ furari potuit. Qui sæpè pro suis negligentiis regulariter correptus fuit: & quia sæpè Gothescalco furtim se coniunxerat, & litteras ei dederat, & ab eo acceperat, secundùm regulam in grauioribus culpis missus fuit, & dicitur illius peruersa doctrina deprauatus. Et sicut mihi dictum est, quasi ipsius Gothescalci reclamationem vult perferre ad domnum Apostolicum, videns qualiter illa aduersum me, quæ de istis partibus ad illum veniunt, suum cursum accipiunt. Et audiens, quòd domnus Apostolicus domno regi Karolo de me scripsit, quia semper me tegere non debet à talibus, nec valet: vt prouiderem ne pro eis tandem aliquando incurram quæ non opto, & ipse frater & alij licenter quæ volunt aut moliuntur, aut faciunt. Nam ego nescio in quibus domnus Apostolicus tam sæpè se texisse me dicat. Si enim de Rothado dicit, non singulariter mea auctoritas, sed Episcoporum regni domni nostri Karoli, ad quos contra me prouocauit, eum deiecit, sicut subscriptiones eorum demonstrant. Si de istis ordinatis dicit, sicut modò comprobatum vidistis & audistis, ego eos non iudicaui, neque deieci, neque cum iudicibus eorum subscripsi. Si de Gothescalco di-

cit, de quo, sed & de præfatis ordinatis, ab Arsenio scripto interrogatus scriptis rationem reddidi, eundem Gothescalcum à duabus Synodis damnatum, iubentibus Episcopis postquam iudicatus fuit custodiendum accepi, ne alios sua peruersa doctrina noceret qui sibi prodesse nolebat. De quo etiam litteris domno Apostolico suggessi, qualis eius sit doctrina, & vtrum vellet vt ei licentiam ad eum eundi darem, an alteri eum per suam iussionem commendarem, ne sine auctoritate duarum Synodorum diffinitionem dissoluerem. Si illi placet per seipsum audire, mandet, & ego illum dimittam vt ad eum vadat: quia si rex illum non miserit, ego non habeo tantos custodes qui eum deducant. Si etiam illi placet vt alius eum recipiat, & suam doctrinam siue Synodus, siue quilibet Episcopus audiat, & si bona est sequatur, si praua est, ab eis qui eum audierint refellatur. & illi quibus hoc commendauerit, facient de illo quod sacris regulis viderint conuenire, sicut illi de eo fecerunt qui se sacras regulas intellexisse putarunt, nihil mea interest. Tamen si aliquis vos interrogauerit de sua doctrina, hanc esse illi respondere potestis, sicut & verba & scripta illius demonstrant. 1. Dicit enim deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse, sicut sunt tres sanctæ Trinitatis personæ. 2. Dicit ita geminam esse Dei prædestinationem, vt sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinauerit ad mortem æternam. 3. Dicit quòd non vult Deus omnes homines saluos fieri, sed tantùm eos qui saluantur: omnes autem saluari quoscumque ipse saluare voluerit. ac per hoc quicumque non saluantur, penitùs non esse voluntatis illius vt saluentur. 4. Dicit quòd non pro totius mundi redemptione, id est, pro omnium hominum salute & redemptione, Dominus & saluator noster Iesus Christus sit crucifixus & mortuus, sed tantùm pro his qui saluantur. 5. Dicit exponens sententiam Apostoli Petri, *eum qui emit eos Dominum negantes*, Baptismi, inquit, sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque sanguinem fudit. vnde latiùs dicta in suis scriptis inueniuntur, quæ in altera scedula vobis mitto, vt si fuerit vobis visum, domno Apostolico eam monstretis à me vobis directam, non ad illi ex mea parte ostendendam, sed ad vobis habendam. Sunt & alia quæ dicit, quæ mihi videntur esse perniciosa & fidei catholicæ contraria, quæ si ad hoc venerit probabunt sapientes atque catholici. Mihi de tantis ac talibus taliter impetito sufficit sedere in angulo domatis, & non conserere contentionum manus cum muliere litigiosa in domo communi: & sufficit vt sit mihi anima mea pro spolio. Nam idem Gothescalcus, vel quia iam tempus est vt veniat quod Paulus prædixit Apostolus de vltimis temporibus, vel inuidia meî, quasi me tangat quòd iussu Episcoporum illum custodio, dicitur multos habere fautores. sicut habuit domnum Prudentium, sicut scripta

ipſius teſtantur, quæ à pluribus qui illa habent poſſunt proferri. Qui etiam, videlicet domnus Prudentius, in Annali geſtorum noſtrorum Regum, quæ compoſuit, ad confirmandam ſuam ſententiam, geſtis anni Dominicæ Incarnationis DCCCLVIIII. indidit dicens, Nicolaus Pontifex Romanus de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate geminæ prædeſtinationis, & de ſanguine Chriſti, vt pro credentibus omnibus fuſus ſit, fideliter confirmat & catholicè decernit.] quod per alium non audiuimus, nec alibi legimus. Vnde quoniam ipſa geſta, quibus hæc conſcripta ſunt, iam in plurimorum manus deuenerunt, neceſſe eſt vt taliter de hoc domno Apoſtolico ſuggeratis, ne ſcandalum inde in Eccleſia veniat, quaſi ipſe quod abſit talia ſicut Gotheſcalcus ſentiat. Et precor vt de mea parte nihil ei dicatur, quia commotum dicitur habere ſuum animum erga me, multis ad eum contra me ſcribentibus, & mihi derogantibus, ne ſcandalum in me inde retorqueat vnde culpam non habeo. Ipſum autem Annale quod dico rex habet, & ipſe eſt ille liber, quem coram vobis in Eccleſia, vbi vos nobis commendauit, coram vobis ab illo mihi præſtitum ei reddidi. Plura denique vobis de ipſo Gotheſcalco ſcribere poteram, quàm pernicioſus ſit, & multò magis noxius erit multis, ſi ab ipſa cuſtodia fuerit abſolutus: quia pro certo talia dicit & talia facit, in quibus euidenter cognoſcitur aut dæmoniacus eſſe, aut maniaticus. & ſcitis quoniam mania eſſe non ſolet abſque dæmone. Et ſi aliquis vos interrogauerit de ipſius cuſtodia, talem eſſe veraciter illi reſpondere poteſtis. quicquid fratres in cibo & potu habent, hoc ei quotidie ſine vlla negligentia miniſtratur. veſtimenta illi ad ſufficientiam offeruntur, ſi vult ille accipere: ligna ad focum faciendum illi ſufficienter dantur. In manſione in qua degit caminatum habet, & neceſſarium. Lauacra illi non denegantur: ſed poſtquam in eandem manſionem intrauit, non ſolùm corpus lauare noluit, verùm nec manus, nec faciem. Antea enim, ſicut illi teſtantur inter quos conuerſatus erat, turpiſſimus & adhuc quantum poteſt in ſua turpitudine manet. Et ſciatis quia maxima nauſea in iſta Eccleſia commouebitur, ſi ad Synodum venire iuſſus fuerit, aut de ipſa cuſtodia abſolutus extiterit. Quæ non pro me dico, quia nulla mihi inde eſt cura niſi pro aliis, ſed vos probabitis me verum dicere. Tales enim ſurgent qui adhuc latent.



XXV.

AD EGILONEM EVNDEM ARCHIEPISCOPVM.

GOTHESCALCI EIVSDEM DOCTRINÆ vberior expositio, quam præcedenti epistola promittebat.

Nunc primùm edita ex Codice Laudunensi.

HINCMARVS NOMINE NON MERITO Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, sanctissimo & reuerentissimo Egiloni Archiepiscopo,



SI aliquis vos interrogauerit de Gothescalci doctrina, vnde vobis iam quædam scripsi, hanc esse interroganti respondere potestis, sicut & verba & scripta illius demonstrant. 1. Dicit enim deitatem sanctæ Trinitatis trinam esse, sicut sunt tres sanctæ Trinitatis personæ. 2. Dicit ita geminam esse Dei prædestinationem, vt sicut Deus quosdam ad vitam æternam, ita quosdam prædestinauerit ad mortem æternam. 3. Dicit quòd non vult Deus omnes homines saluos fieri, sed tantùm eos qui saluantur: omnes autem saluari, quoscumque ipse saluare voluerit. ac per hoc quicumque non saluantur, penitùs non esse voluntatis illius vt saluentur. *Omnia*, inquit scriptura, *quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis.* &, *In voluntate tua Domine cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Ergo non vult omnes saluos fieri, sed tantùm eos qui saluantur: quia si vult quod non potest, omnipotens non est. 4. Dicit quòd non pro totius mundi redemptione, id est non pro omnium hominum salute & redemptione, Dominus & saluator noster Iesus Christus sit crucifixus, sed tantùm pro his qui saluantur. 5. Dicit exponens sententiam Apostoli Petri, *eum qui emit eos Dominum negantes*, Baptismi, inquit, sacramento eos emit, non tamen pro eis crucem subiit, neque mortem pertulit, neque sanguinem fudit. Vnde latiùs dicta in suis scriptis inueniuntur. Ex quibus mortiferis Capitulis quanta exitiosa prodeant, catholicus & litteratus quisque conspicere potest. 1. Hinc enim adinuentione diaboli dicentis ad Adam, *eritis sicut dij*, pluralitas Deorum inducitur: quoniam si trina est deitas, tres dij erunt. Vnitatem quippe in Trinitate, non eadem persona, sed eadem implet essentia, id est deitas, quæ Trinitatis est vnitas. Et in lege Domino dicente, *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est.* & in Euangelio, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine pa-*

Psal. 134. 6. Esther 13. 9. 2. Petr. 2. 1. Gen. 3. 5. Deut. 6. 4. Matt. 28. 19

Esa 6.3. *tris, & filij, & Spiritus sancti.* & cantantibus Seraphim, *Sanctus, Sanctus,*
Psal.66.8. *Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* & concinente Dauid, *Benedicat nos Deus Deus noster: benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.*
Rom.11.36. & confitente Paulo, *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria.* Cùm esse Deus vnus dicitur, & in nomine, non in nominibus, credens quique baptizari præcipitur, & à Seraphim ter Sanctus cantatur, & vnus Dominus Deus Sabaoth confitetur, & à Dauid ter Deus nominatur, & metui per omnes fines terræ vnus oratur, & à Paulo post Trinitatis confessionem vnus Deus glorificatur, trium personarum sanctæ Trinitatis vna deitas, quæ Trinitatis est vnitas, demonstratur. ac per hoc, quantum ex se est, ista perniciosissima hæresi, idololatriæ videlicet matre, à mystica Nicæna Synodo gladio verbi Dei perempta, & ab isto nuper resuscitata, fides in qua baptizati sumus, & qua corde creditur ad iustitiam, & ore confitetur ad salutem, euertitur. 2. Liberi arbitrij opera, siue bona siue mala, nihil valere ad meritum, sed siue ad vitam siue ad mortem, cuncta Dei prædestinationem agere, ab ista praua doctrina enucleatur. à qua & reprobis tollitur meritum damnationis, & iustis meritum aufertur salutis. ac per hoc nec illi iustè damnantur, qui iusti esse non possunt: nec isti iustè remunerantur, quia aliud quàm iusti esse non possunt. Nec iniustis ergo quiddam adquirit meritum, nec in electis aliquid gratia operatur: sed in vtraque parte & perditio & salus non est ex iudicio propriæ actionis, sed ex præiudicio Domini voluntatis, totúmque Dei opificio reputabitur. Non enim potest dicere figmentum ei qui se finxit, quare me fecisti sic? Non igitur aliquis libero arbitrio condemnabitur, nec quisquam pro gratia misericordias Domini in æternum cantabit. Si enim, quod cæcus iste in meridie palpans non videt, liberum non esset arbitrium, vnde totus in massa perditionis Adam perditus, cum suis etiam additis iustè iudicaretur mundus? Et rursum, nisi Dei gratia esset, quomodo ex eadem massa perditionis electus, id est, gratia lectus saluaretur mun-
Psal 84.11. dus? *Misericordia*, inquit Psalmus, *& veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.* Misericordia quidem est, qua saluantur electi: veritas autem est, qua in massa perditionis deseruntur relicti. Iustitia quidem est, quia non adsumuntur reprobi: pax verò his est, qua de vna eadémque massa perditionis gratia fiunt probi. vnde
Rom.6.23. Paulus dicit, *Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna.* 3. Sed & malè interpretando scripturam, *Omnia quæcumque voluit*
Psal 134.6. *Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis.* &, *In vo-*
Esther 13.9. *luntate tua Domine cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati*, iniquus Deus, qui infert iram his qui contra prædestinationem & voluntatem eius saluari non possunt, & his qui alieno, id est primi parentis peccato venditi sunt, & pro quibus non est data redemptio, ab illo asseueratur. Et vel non intelligens, vel scienter

mendaciter interpretans ex ſcripturis quod bene & verè dictum eſt, dum Deum infirmum dicere vitat, iniquum facit, dedignans, vſus peſſimo præceptore ſeipſo, ab alio diſcere qualiter debeat intelligere, quia ſunt quædam quæ dicitur non poſſe omnipotens, docente Paulo, *Deus fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt.* qui etiam mutari, mentiri, 2.Tim.2.13.
falli, peccare, miſer fieri, vinci ac mori non poteſt. Quæ & his ſimilia ſi poſſet, vel ſi hæc velle poſſet, omnipotens non eſſet. Vnde nunc longum eſt ſcribere, & ſi hic nebulo in his ſanum ſenſum haberet, in hac ſententia non erraret, qui dum dedignatur fieri diſcipulus veritatis, ſi ei liceret, magiſter fieri vellet erroris. 4. Nec non & loquente de ſeipſo in magno Petro, *Non tardat Dominus promiſsis ſuis, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* & in diuino Paulo, *Omnes homines vult ſaluos fieri, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* &, *Gratia Dei pro omnibus guſtauit mortem.* &, *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* & in Propheta cum iuramento propter incredulos, *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris ſed vt conuertatur & viuat.* Et in omni catholica Eccleſia, quæ pro omnibus hominibus ex traditione Apoſtolica illi ſupplicans, legem hinc credendi lege nobis ſtatuit ſupplicandi, veritatem mendacem dogmatizat. Et cùm Chriſtus de diabolo dicat, *Mendax eſt ab initio, & pater eius,* ſi idem Chriſtus iuxta iſtius doctrinam mendax eſt, ſuis ipſis verbis, quod nefas eſt dicere, ſimilis ei, id eſt diabolo, mendax eſſe conuincitur. Eſt autem Deus verax, & Gotheſcalcus mendax, quia vnus idémque Sol iuſtitiæ Chriſtus, vt repararet omnium vitam, recepit omnium cauſam. inde in omnes manante iuſtitia, vbi eſt omnis humana ſuſcepta natura, non culpa. qui omnibus ortus eſt, omnibus venit, & pro omnibus paſſus eſt, & omnes vult ſaluos fieri qui pro omnibus paſſus eſt: ſed non ab omnibus videtur, & non omnes ſaluantur. Lux enim lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. quod non pertinet ad culpam lucis, ſed ad tenebrarum. Lux quippe venit in mundum dicens, *Ego ſum lux mundi. qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Sed dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Et item comprehendentibus lucem tenebris, ipſa lux per Apoſtolum dicit, *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Quòd autem quidam ſequentes lucem ſaluantur, ſaluantis eſt donum: & quòd quidam in tenebris remanentes pereunt, pereuntium eſt meritum. Vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas. vt enim reus damnetur, inculpabilis Dei iuſtitia eſt: vt autem reus iuſtificetur, ineffabilis Dei gratia eſt. Et redemptio humani generis omnibus propoſita eſt, ſed fidelibus dat ſalutem. Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. qui autem non credit,


Marginal references: 2.Petr.3.9. — 1.Tim.2.4. & 6. — Hebr.2.9. — 2.Cor.5.14. — Ioan 8.44. — Ioan.8.12. — Ephes.5.8.

iam iudicatus est. Quod & Dominus ostendit quando sacramenta pas-
Luc.22.19. sionis suæ discipulis & Apostolis suis tradidit dicens, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* &, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur.* Vtrumque enim in Euangelio inuenitur. Inter quos, quibus hæc tradidit, erat & Iudas reproborum tenens partem, sicut & ceteri discipuli electorum partem ferebant. Idem quippe non pro omnibus sed pro multis dixit, quia non omnes credituri erant. Effusio enim sanguinis Christi, iusti pro iniustis, tam fuit diues ad pretium, vt si vniuersitas captiuorum in redemptorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent. Qui autem non credunt, ipsi sibi damnationem adquirunt. Nam sicut incarnatio, prædicatio, miracula, ita & mors Christi, salus & honor est credentibus, non credentibus autem lapis offensionis & petra scandali, veluti in scripturis multoties & passim qui legunt inueniunt, & in natura crea-
Rom.1.20. turarum conspicitur, per quas inuisibilia Dei cognosci à Paulo dicuntur. Vnus namque ac idem sol lutum stringit, & ceram liquat, & conditor ac redemptor, atque saluator noster, non alia cogitatione iustos adiuuat, atque alia iniustos damnat: sed vna eadémque vi naturæ singularis, sibi semper indissimilis, dissimilia disponit vna prædestinatione sua, quæ semper in bono est, & sic est gemina, sicut vnus sanctus Spiritus & duo eiusdem data, vna caritas & duo ipsius præcepta. Vna Dei prædestinatio, aut ad donum pertinens gratiæ, aut ad retributionem iustitiæ. Non vt Deus reprobos prædestinasse credatur, quod absit, ad pœnam, sicut creditur electos prædestinasse ad gloriam, & eis gloriam præparasse perennem: sed eius prædestinatione, veluti ei canitur à Propheta, *Misericordia & veritas præce-*
Psal.88.15. *dent faciem tuam*, per misericordiam conferantur quæ ad donum pertinent gratiæ, & ad veritatem iusti iudicij referantur quæ redduntur retributione iustitiæ. Bonus est enim & iustus in omnibus Dominus, quoniam bonum est cùm debitum redditur, & iustum est, cùm indebitum sine cuiusquam fraude donatur. sicut scriptum est,
Rom.9.18. *Cui vult miseretur, & quem vult indurat.* Miseretur nimirum Deus, gratis impartiendo misericordiam, & auferendo nequitiam: obdurat autem, non impartiendo malitiam, sed iustè non impartiendo misericordiam. sicut dicitur obdurasse cor Pharaonis, id est per gratiam non emollisse, & tradidisse quosdam in reprobum sensum, id est, ex retributione iustitiæ per gratiam non liberasse à reprobo sensu. Et multa alia hoc genere locutionis dicta in scripturis inueniuntur. 5. Et qui locutus est per Prophetas, dicente Dei spiritu per A-
Ephes.4.5. postolos & Euangelistas, *Vnus est Deus, vna fides, vnum est & baptis-*
1.Pet.2. *ma.* in quo sanctificatio spiritus per aspersionem fit sanguinis Christi, quo redempti sumus de vana nostra conuersatione paternæ traditionis. Sanguis enim eiusdem Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato, qui venit per aquam & sanguinem Iesus Christus.
non

non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. & spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas: quia tres sunt qui testimonium dant, spiritus, aqua, & sanguis, & tres vnum sunt: spiritus vtique sanctificationis, & sanguis redemptionis, & aqua baptismatis: quæ tria vnum sunt, & indiuidua manent, nihílque eorum à suî connexione seiungitur. Et hac fide viuit & proficit catholica Ecclesia, mundata lauacro aquæ in verbo. quoniam non est vnum & salutare baptisma, quod in eadem catholica celebratur Ecclesia, vel aqua sine verbo, vel verbum sine aqua: sed cùm accedit verbum ad elementum, efficitur sacramentum, spiritu qui in principio ferebatur super aquas sanctificatum, quod vno militum lancea aperiente latus Christi in cruce, continuò exiuit de secreto diuinæ humanitatis & humanæ diuinitatis, scilicet sanguis & aqua, vnde lauacro rigatur & poculo Ecclesia credentium, quorum corda fide quæ datur per spiritum purificantur, quíque spe salui fiunt, quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, in quo credentes signati sumus spiritu promissionis sanctæ. Et item eodem dicente Apostolo, *in quo signati sumus in die redemptionis*, id est in eodem sacramento baptismatis, in quo nulla est discretio renatorum, dicente Apostolo, *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.* &, *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque femina. omnes enim vnum estis in Christo Iesu.* Quoniam quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, ab immaculato diuini fontis vtero omnes in vnam parit gratia mater infantiam, & renatus ex aqua & spiritu, non solùm spiritalis, sed etiam inuisibiliter fit spiritus, & per adoptionis gratiam Dei filius, cùm visibiliter videntibus appareat caro & hominis filius. Contra quæ omnia, ipsius vnius eiusdémque baptismatis veritas isto pestilentissimo dogmate euacuatur, quòd nullam credentibus spem salutis relinquit, nec à quo credentes salutem sperare possimus, faciens Deum iniquum atque mendacem, & personarum acceptorem, dimittit. Quæ, sed & aliæ ipsius blasphemiæ, scripturarum auctoritate, & catholicorum traditione, qui in se loquente Domino, à cuius facie est sapientia & intellectus, & qui docet hominem scientiam, hæc praua in directa & aspera in vias planas fecerunt, facilè posse reuinci cognoscitis. Non igitur est perfunctoriè transeundum quod Cælestinus scripsit pro talibus atque de talibus. Meritò, inquiens, causa nos respicit, si silentio faueamus errori. Ergo corripiantur huiusmodi. non sit his liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat, si ita res sunt, incessere nouitas vetustatem. desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare.] Alioquin, vt Leo dicit, inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis sunt referendæ, quàm ad desides negligentésque rectores, qui inultam sæpè nutriunt pestilen-

1. Ioan. 1.7. 1. Ioan. 5.6. Ephes. 4. 30. Rom. 6.3. Gal. 3.27. Epist. VIII. ad Episcop. Galliæ.

tiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. Multa vobis scribere poteram de his, sed & de aliis exitiosissimis dictis huius procacissimi hominis, si licuisset, & antea hinc vobis scribere meditatus fuissem. Sed quia in articulo iam profectionis missi nostri, quem ad vos dirigebam, nuntiatum est mihi, habitu tantummodò monachum nostrum, eiusdem Gothescalci complicem, in partes Italiæ quò pergitis, cum his quæ furari de monasterio potuit aufugisse, necessarium duxi accito notario, vel hæc parua & tumultuario sermone quæ mens ori suggessit emissa, vestræ sapientiæ intimare. vt si fortè isdem pestifer in illis partibus de zizania magistri sui aliqua seminauerit, & à quibusdam inde interrogati fueritis, habeatis quæ illis de doctrina eius certa respondere possitis, & ne pro multis detentus missus noster, tam diu morari cogeretur, vt ei necesse foret vos longiùs sequi.



XXVI.

AD NICOLAVM PAPAM.

RESPONDET INCREPATORIIS EIVS LITTERIS, purgans se de tumore ac dolo, & de obiectis in causa Ebonis & Vulfadi, tum de Benedicti Papæ priuilegio, & actis Synodi Suessionensis, déque immoderato vsu pallij.

Nunc primùm edita ex codice S. Mariæ Laudunensis.

DOMINO SANCTISSIMO ET REVERENTISSIMO Patrum Patri Nicolao, primæ ac summæ sedis Apostolicæ & vniuersalis Ecclesiæ Papæ, Hincmarus Remorum Episcopus, & vestræ sanctissimæ paternitatis deuotissimus famulus.



DECIMO-TERTIO Kalend. Iunij præsentis XV. Indictionis, mandatus à domno nostro, deuotissimo filio vestro, Karolo rege glorioso, obuiam illi eunti ad colloquium fratris sui Hludouuici regis gloriosi ad Metis ciuitatem, quò secum me duxit, ad palatium eius quod Salmontiacus dicitur in Laudunensi parochia veniens, & secundùm iussionem illius fratres nostros de Wlfadi collegio mecum ducens, quò & fratres ac consacerdotes nostri, Rothadus Suessorum Episcopus, & Hincmarus Laudunensis Episcopus conuenerunt, conueniente etiam præfato dilecto fratre nostro Wlfado, litteras sanctissimæ paternitatis & præcellentissimæ auctoritatis vestræ coram eodem domno rege & prædictis fratribus nostris, ab Egilone venerabili Archiepiscopo Sennensi accepi. In

quibus, sed & in litteris generaliter ad Episcopos qui in Synodo vestra auctoritate congregata apud Suessiones fuerunt ibidem relectis, tantas & tales increpationes indignitati meæ à dignitate vestra inlatas inueni, sicut peccata mea merentur. Vnde si præsens corpore vobis adessem, quod sanctus Spiritus per os beati Benedicti in Regula ab ipso dictata præcipit, sine cunctatione vel aliqua mora exsequi procurarem. Si quis, inquit, frater pro quauis minima causa à quocumque priore suo corripitur, quolibet modo vel si leuiter senserit animos prioris cuiuscumque contra se iratos vel commotos quamuis modicè, mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio.] Quod quia corporaliter ante vestræ sanctitatis vestigia implere non valeo, mente & spiritu vbicumque sum cum debita mentis deuotione adimpleo. suadente beato Gregorio, sanctitatis vestræ prædecessore, atque dicente in expositione Euangelicæ sententiæ, *Si offers munus tuum ad altare*, ac reliqua. Debemus, inquit, Matt 5.23. ad proximum quamuis longè positum longéque disiunctum mente ire, eíque animum subdere, humilitate illum ac beneuolentia placare. & scilicet conditor noster, dum tale placitum nostræ mentis adspexerit, à peccato nos soluet, quia munus pro culpa sumet.] Et quia tempus annuum, quod in litteris humilitati meæ directis de causa fratris Wlfadi collegarúmque eius inueni, ex benignitatis vestræ commotione mihi concessum intellexi, diutiùs sustinere passus non fui, quin post reuersionem de præfato itinere, nunc consequenter isto qui instat mense Iulio præsentis xv. Indictionis, cum domno nostro rege in hoste ex omni regno suo collecta contra Brittones & Nortmannos illis coniunctos, sicut & ceteri confratres ac consacerdotes nostri, secundùm nostrarum regionum grauem consuetudinem, cum suis vadunt, quàm longè infirmitate attritus potero, cum hominibus commissæ mihi Ecclesiæ perrecturus, quantociùs potui vestræ sublimitati satisfacturus, has humilitatis meæ litteras ad vestræ sanctitatis vestigia, quoniam propter insidias principum mihi infestorum, quibus ad sua vota placere non audeo, apertè non valui, modo quo potui transmittere maturaui. Denique post præfatas vestræ auctoritatis epistolas, relectum est in supradicto loco decretum vestræ præceptionis de restitutione prædictorum fratrum nostrorum, & quod decreuistis libenter amplexi sumus. Et quod præfatus venerandus Archiepiscopus Egilo mihi ex vestro mandato inde iniunxit, sine retractatione exequi procuraui. Qua de re nil aliter, nisi veluti à vestra auctoritate est diffinitum, in postmodum repetere cupio, sicut in processu horum doloris mei apicum pro commotione erga me vestra explanans pleniùs inculcabo. in quibus vt legitur à doloroso dictum, *Si locutus fuero non quiescet* Iob 16.7. *dolor meus, & si tacuero non recedet à me.* Scio enim quia nisi multam

rubiginem in me conſpiceret fictor meus, non totiens me iſto igne purgationis, ex Apoſtolicæ ſedis auctoritate quorumdam factione aduerſus exiguitatem meam commota, tam duriter conflaret, & vtinam expurgaret. Sic enim bonæ memoriæ domnus Hlotharius in initio ordinationis meæ, apud Sergium, & poſtea apud ſucceſſorem ipſius Leonem, pro contentione regni quam erga fratrem ſuum habebat domnum Karolum, cuius obſequiis fideliter adhærebam, ſategit. Vnde poſtea Deo inſpirante pœnitentiam egit, & litteris ad ſedem Apoſtolicam miſſis quod exceſſerat corrigere ſtuduit. Per quos etiam ſereniſſima ſanctitatis veſtræ tranquillitas erga indignitatem meam totiens & adeo ſit commota, non debet à me conquiri, nec indebitis ſuſpicionibus debeo agitari. Duo tamen ſunt, quæ tenere me veraciter puto, & tertium quod in mente mea cognoſco. Scilicet quia commotio animi veſtri erga humilitatem meam, non ex veſtris propriis motibus, ſed alienis procedat ſuggeſtionibus. Et ſi vera eſſent quæ vobis de me à quibuſdam audio dicta, non ſolùm meritò erga me taliter moueremini, verùm & incomparabiliter ſeueriùs quàm moueamini zelo rectitudinis accenderemini. Sed gratias illi cuius gratia ſum id quod ſum, quia perhibente mihi teſtimonium conſcientia mea, licèt in aliis ſim peccator, tamen in his de quibus me apud auctoritatem veſtram audio denotari, non talis ſum in oculis diuinis, qualis depingor in auribus humanis. De tumore namque erga ſedem Apoſtolicam, omnium Eccleſiarum matrem atque magiſtram, iam apud ſanctæ recordationis Sergium atque Leonem fueram denotatus: ſed debitis obſequiis, cooperante Domino, quocumque ſe locus mihi præbuit, demonſtraui quòd fidelis & deuotus, humilis quoque atque ſubiectus ſemper in omnibus & vbique erga ſedem Apoſtolicam & eius rectores extiterim: & modò cum tumore, quem quantum potui ab ineunte ætate vitaui, doloſitate atque crudelitate, apud ſanctam & prudentiſſimam ſimplicitatem veſtram videor denotari. Qui poſtquam ſenſualiter percepi dictum à ſancto Spiritu, & imprecari à ſancta Dei Eccleſia,
Pſal. 11. 4. de his qui in corde & corde loquuntur, *Diſperdat Dominus vniuerſa*
Pſal. 30. 19. *labia doloſa.* ac *muta fiant labia doloſa.* & vt *virum ſanguinum*, ita nihilo-
Pſal. 5. 7. minus *& doloſum* abominari à Domino, doloſitatem & crudelita-
Eccli. 21. 2. tem quaſi *à facie colubri* fugiens execrari curaui, ſciens beatos eſſe miſericordes, & iudicium illi futurum ſine miſericordia, qui non facit miſericordiam. De quibus vitiis in iſtis partibus Eccleſia mihi commiſſa, ſed nec vicinæ Eccleſiæ aduerſum me hactenus fuêre conqueſtæ, ſed nec modò conqueruntur. Vnde datur intelligi, quoniam illi qui de me iſta falsò diſſeminant, ſi vel ſimilitudines aliorum criminum in me percepiſſent, (quod non ad excuſandum excuſationes in peccatis fateor) vtique vobis non tacuiſſent. Sed benedictus Dominus, qui hactenus non dedit me in captionem dentibus eo-

rum, qui sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, & non potuerunt mihi, protegente Domino, qui de multis tribulationibus eripuit me, in quem spero quia & adhuc eripiet. Hæc, domine & pater sanctissime, cum omni animi contritione, & qua possum humilitate deposco, vt pensantes quanto cordis mœrore sint dicta, non aspernanter accipiatis, & non subdolè auctoritati vestræ subiectionem meam scripsisse vobis à quoquam persuaderi sinatis. Nec ea quæ modò dignationi vestræ scribere fisus de clementia vestræ benignitatis præsumo, ad hoc scripta intelligatis, quasi increpationibus vestris duriter susceptis, contumaci corde resistere, & quæ scripsistis inreuerenti fronte vel erecta cordis ceruice dissoluere, aut vestris Apostolicis iussionibus, vel diffinitionibus resultare modo quolibet vel in modico velim, qui sicut domino famulus & patri filius, in omnibus satisfacere & parere Apostolicæ vestræ auctoritati desidero. Ceterùm de Ebone, de quo humilitati meæ sanctitatis vestræ sublimitas scripsit, multa & in regum & in gestis Episcoporum, qui iam nos ad Dominum præcesserunt, & adhuc nobiscum in suis monimentis atque subscriptionibus viuunt, habentur, quæ apud nos & apud alios in nostris regionibus conseruantur, multa etiam in scrinio sanctæ & summæ sedis Romanæ haberi non dubito. Vnde ne videar quasi meî causa mortuo derogare, & sepulti reprehensibilia gesta velle resuscitare, de actis quæ apud nos exinde conseruantur, cur & qualiter depositio eius acciderit, rationabiliùs videtur à nobis sileri, quàm pleniter & ex ordine dici. Sed & contra multiplicem sapientiam vestram, quæ excedit nostrum sensum atque intelligentiam, & contra vestram summam auctoritatem, quæ supereminet nostram subiectionem, de illius qualicumque depositione quamcumque contentionem, quod absit, conserere, vel quamcumque resultationem inire non volo, non præsumo, non debeo. Præsertim cùm & ipse, & illi qui eum non clamantem vel resistentem, sed potiùs, quantum ab eis qui interfuerunt videri potuit, spontè conniuentem, ante triginta & tres annos iam euolutos iudicauerunt, illic proculdubio sint, vbi vnusquisque sub tanto iudice, cuius oculis nuda & aperta sunt omnia, non possunt perdere sui meriti qualitatem. Verùm tamen vt pauca ex eorum gestis ob rei notitiam vobis suggerendam commemoremus, Hildemanno Ecclesiæ Belgiuacorum Episcopo calumniis, quibus fuerat denotatus, regulari satisfactione exuto, Ebo, qui pridem cum aliis Archiepiscopis & Episcopis libellum, quem habemus, de restitutione Imperatoris Hludouuici manu sua cum additamento Archiepiscopi edidit, in eadem Synodo secundùm traditionem Apostolicæ sedis, velut Zosimus de Proculo, Ioannes de Contumelioso, Gregorius de Paulo decernentes ostendunt, & sicut Gregorius multoties de Episcopo non valente pro infirmitate corporis ad ministerium Episcopale adsurgere,

quòd si voluerit hoc modo, videlicet dato libello, ab Episcopatu se remouere valeat scripsit, datis litteris in abdicationem suî sacerdotio se sponte amouit. Quem, vt Alexander Papa in decretis suis ostendit, metus aut vis vel fraus, quæ à nemine pertulit, innoxium vel excusabilem reddere nequiuerunt. neque, vt Gregorius de Pompeio monstrat, violentia aut afflictio, quæ à nullo sustinuit. nec etiam reclamatio ad Apostolicam sedem, quam præsens in iudicio non emisit, ei consulere debuerunt, qui nullo cogente, nec etiam postulante, sed propria sponte, conscius criminum, de quibus partim in Synodo fuerat accusatus, partim autem, nisi locum peteret quærendi consilium cum quibusdam Episcopis, foret nihilominus accusandus, & de quibus se purgare non poterat, secundùm eorumdem Episcoporum consilium, sequentium Africanum Concilium, propter Ecclesiæ opprobrium, & insolentem insultationem sæcularium, ne dignitas sacerdotalis pollueretur, libellum temperantia, quam beatus Leo ad vniuersos Episcopos per Campaniam & Samnium ceteráſque prouincias decreuit, manu sua subscriptum, propriáque confessione attestatum, Synodo sine vlla resultatione porrexit. Et Africani canones testimonio Episcopi, etiam de se mentientis, adeo credi debere dicant, vt Episcopatum amittat, sicut & Dominus in Euangelio monstrat dicens, *Ex ore tuo te iudico*, &, *ex verbis tuis iu-*
Luc.19.22. Matt.12.37. *stificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* & Dauid propheta men-
2.Reg.1.16. tienti quòd occiderit Saul, *Sanguis tuus super caput tuum. os enim tuum locutum est aduersum te.* Et sanctus Gregorius de Andrea, Quia flagitari iudicium non debet de causa quam ipse iudicauit, quia si verum de se confessus fuit, (sicut in libello suæ professionis quem habemus scriptum est, cuius exemplar cum exemplari notitiæ Synodalis sanctæ memoriæ Leoni Papæ directum est, in quo pro reatibus suis à pontificali ministerio alienum se reddidit, & alium in loco suo absque repetitione canonica consecrari decreuit,) tamquam criminosus suo testimonio à ministerio Pontificali cessare, & iuxta Leonis & Gregorij decreta, ad promerendam misericordiam Dei, priuatam secessionem expetere debuit. Et si falsum de se protulit, tamquam falsus contra semetipsum testis abiiciendus fuit, prohibente Domi-
Exod.20.16. no, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Quòd si non licuit contra proximum, multo minùs contra semetipsum. Et idcirco, vt iudices sui dixerunt, iustè & rationabiliter à Pontificali ministerio alienum vnà cum ipso eum reddiderunt. De quibus, quantum rescire possumus, qui in nomine Episcopi tunc fuerunt, in istis Cisalpinis regionibus nemo in corpore viuit, nisi solus Rothadus: licèt adhuc plures supersint, qui Ecclesiam & prouinciam suam eum priùs nullo impetente deseruisse contra regulas sacras nouerunt, & pòst eius depositionis ordinem cognouerunt. Et Apostolus
Heb.7.9. *testamentum* dicit *in mortuis confirmatum.* Verùm & de his qui me in

illius loco ordinauerunt, non habentur superstites, nisi præfatus Rothadus & Erpoinus. quamuis in istis prouinciis, Remorum scilicet, Treuirorum, Agrippinensium, Moguntinæ, Lugdunensium, Arelatensium, Narbonensium, Rotomagensium, Turonensium, Senonum, Bituricensium, Burdegalensium, non facilè plures inueniri possint Episcopi, vel presbyteri, aut diacones, qui aut ab illis non sint ordinati, qui in Ebonis depositione fuerunt, & me quidam eorum & ab eis ordinati ordinauerunt, aut qui in ordinatione mea consentientes non subscripserunt, seu qui à me aut ab illis non sint ordinati: quos ego Dei gratia ordinaui. Qui post decennium quàm idem Ebo, sicut Cisalpini Episcopi dixerunt, depositus fuerat, & sine regulari repetitione vel reclamatione permanserat, atque post annum quàm à Sergio Papa sententiam notam susceperat, quam rectissimè auctoritas vestra, vt videlicet diuinæ legis oraculum, in epistola Synodali per Egilonem directa nobis exposuit, in Synodo apud Belgiuacum ciuitâtem Remensis prouinciæ, à clero & plebe Remorum Metropolis, sed & ab Episcopis eiusdem prouinciæ petitus & electus, & cum decreto canonico præsentia & vnanimitatis consensu omnium Suffraganeorum ipsius Metropolis, cunctis adclamantibus, nullo autem reclamante vel contradicente, regulariter in eadem Ecclesia sum ordinatus, sicut epistolæ de ordinatione mea sanctæ memoriæ Leoni Papæ directæ, & scripta Ecclesiasticæ traditionis, quæ in Remensi Ecclesia conseruantur, ostendunt. In quibus inter cetera secutos se fore dixerunt Episcopi, ordinatores videlicet mei, auctoritatem Africani Concilij, quod missis Episcopis, Ecclesiæ diutino tempore pro fuga Equitij destitutæ iussit ordinari Episcopum. Et Damasi Papæ decreta, ad Paulinum Episcopum à congregata in vrbe Roma Synodo directa, de Episcopis adhuc etiam in statu suo manentibus, & contra regulas transmigrantibus. Eos, inquit, qui de Ecclesiis ad Ecclesias migrauerunt, tamdiu à communione nostra habemus alienos, quamdiu ad eas redierint ciuitates in quibus primùm sunt constituti. Quòd si alius alio transmigrante, in loco viuentis est ordinatus, tam diu vacet sacerdotij dignitate qui suam deseruit ciuitatem, quamdiu successor eius quiescat in Domino.] Ego autem decernentibus sacris canonibus Carthaginensis Concilij, vt quicumque clerici vel diaconi, pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperauerint Episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promouere, nec illic in gradu suo ministrent, vnde recedere noluerunt: quod & sanctus Gregorius in epistola ad Galliarum Episcopos adprobat dicens, Sicut is qui inuitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus, sic qui vltro ambit, vel importunum se ingerit, est proculdubio repellendus.] mentis & corporis ad obediendum Episcopis & ordinatoribus meis colla supposui. quoniam aliter ductus de-

Epist. 5. (margin, beside "ad Paulinum Episcopum")
Lib. 7. epist. 110. Ind. 11. (margin, beside "sanctus Gregorius")

uotione, ſicut tunc mihi videre videbar, agere non præſumpſi. Qui in monaſterio, vbi ab ipſis rudimentis infantiæ ſub canonico habitu educatus, indéque eductus, in palatio domni Hludouuici Imperatoris non modico tempore manſi. Conuerſis autem ad regularem vitam & habitum fratribus in monaſterio ſancti Dionyſij, vbi nutritus fueram, in illud, ſæculum fugiens, ſine ſpe vel appetitu Epiſcopatus, aut alicuius prælationis, diutiùs degui: & exinde adſumptus, familiaribus obſequiis præfati Imperatoris, ac Epiſcoporum conuentibus, pro ſola obedientia mihi iniuncta inſeruiens, poſt aliquot annos monaſterij quietem repetij. A quo, peccatis meis exigentibus, rupto ancoræ fune, quo me in portu negligenter deuinxeram, ſub obtentu ſalutis plurimorum, perſuaſus hortamentis eorum, quibus faciliùs quàm mihi neceſſe foret credidi, ad tempeſtates maris magni & ſpatioſi periculoſiſſimè ſum reiactatus. Emenſo autem anno poſt ordinationem meam, Hlotharius Imperator, vt prædixi, cauſa fratris ſui erga me commotus, epiſtolas à Sergio Papa exegit, ſicut poſtea mihi innotuit, pro refricando Concilio de Ebonis depoſitione, quaſi diſcordia eſſet in Remenſi Eccleſia pro mea ordinatione, quod nullatenus conſtitit. Vnde iſdem domnus Apoſtolicus litteras domno Karolo miſit, præcipiens vt Guntboldum Rotomagenſem Archiepiſcopum, cum ceteris Epiſcopis regni ſui quos prædictus Guntboldus ad hoc ſibi eligeret, obuiam miſſis eius Treueris ad hanc cauſam diſcutiendum dirigeret, & me ad ipſam Synodum venire faceret. Ipſi quoque Guntboldo inde litteras miſit, vt cùm poſt diem ſanctæ Reſurrectionis miſſos ſuos idem domnus Papa in ſeruitium Imperatoris mitteret, ad prædictum locum cum Epiſcopis hanc cauſam diffiniturus adiret. Sed & mihi inde litteras miſit, vt ad idem venirem Concilium. Nos autem expectauimus eoſdem miſſos vſque ad condictum terminum, & non venerunt. Quapropter auctoritate litterarum domni Papæ Sergij, annuente domno noſtro rege Karolo, cum conſenſu Archiepiſcoporum & ceterorum Epiſcoporum regni ipſius, Guntboldus Synodum condixit, quò Ebonem litteris, quarum exemplar habemus, per Erpoinum prouinciæ Remenſis Epiſcopum directis, ex auctoritate prædicti Papæ conuocauit, vt ſecundùm eius commendationem hanc cauſam regulariter diffiniret, & diffinitionem ipſius rei ad ſedem Apoſtolicam ſecundùm ſacras regulas referre curaret. Quò iſdem Ebo ſibi conſcius venire non voluit, nec vt apud ſedem Apoſtolicam, à qua notam ſententiam ſuſcepit, abſolueretur ſategit, cùm eundi illuc facultatem habuerit, quoniam diu in Italia immoratus, & proprietatem de facultatibus Remenſis Eccleſiæ comparatam poſſederit, & Abbatiam ſancti Columbani apud Hlotharium obtinuerit, ſed & in iſtis regionibus alteram Abbatiam adeptus fuerit, quas & habuit vſque dum legationem in Græciam à Hlothario ſuſceptam

exequi

exequi detrectauit, & ob id honores quos à præfato Imperatore acceperat perdidit, & per clementiam Hludouuici regis Germaniæ in prouincia Moguntina conductum promeruit. Et nullum documentum canonicum de sua restitutione, vel à sede Apostolica absolutione, sicut præcipiunt regulæ, in vita sua Synodo vlli ostendit. Qui sine documenti testimonio, vel litteris de sua restitutione, vt Felix Papa decreuit, ministrare vel recipi in ministerio sacro non debuit, à se & à plurimarum prouinciarum Metropolitanis cum suis Coepiscopis in iudicio præsens, & ad sedem Apostolicam non reclamans, consonanter exclusus. Maximè quia per tot annos, etiam post acceptam sententiam à sede Apostolica, innocentiam suam non asseruit, quam demonstrare non potuit: sed & quia ante regularem audientiam, vel ante prolatam & confirmatam atque ostensam à sede Apostolica suam restitutionem, per edictum imperiale Hlotharij Imperatoris, quod habemus, ministerium Episcopale præsumpsit, quod, vt Gelasius in epistolis suis de Acacij damnatione ostendit, manifestissimè sacris est canonibus inimicum, qualia & quanta iudicia incurrerit meliùs ipsi scitis. Nam & si, vt prædiximus, exigente Imperatore Hlothario, à sede Apostolica litteræ missæ fuerunt pro Synodo ex hac causa congreganda, cùm legatus ipsius Sedis in has partes veniret: tamen sicut ad nullam Synodum, sed nec ad eam, quam Guntboldus auctoritate litterarum domni Sergij Papæ congregauit, isdem Ebo conuenit: ita nec missus à Sede Apostolica pro Synodo ex hoc congreganda in istas partes aduenit, veluti & epistola ipsius Imperatoris, necnon & Episcoporum Belgicæ Galliæ, Neustriæ, & Aquitaniæ prouinciarum epistola, cum litteris domni regis Karoli, sanctæ memoriæ Leoni Papæ directæ, quas in scrinio Romano credimus seruari, demonstrant. Sicque sæpedictus Ebo, absque vlla repetitione vel reclamatione suæ sedis apud quamcumque Synodum, vel apud sedem Apostolicam, à qua fuerat decretum vt nec communionem inter clericos susciperet, post datas litteras Papæ Sergij pro Synodo ex hac causa congreganda, cùm missos suos in istas partes dirigeret, & post Synodum auctoritate litterarum ipsius congregatam, quò vocatus, vt prædiximus, non conuenit, vsque ad obitum suum permansit. Videlicet, sicut superiùs memoratæ litteræ auctoritatis vestræ demonstrant, talis à sede Apostolica & Papa Sergio habitus, qualis ab aliis non ignorabatur haberi, id est, vt codex Episcopalis ostendit, pro criminibus suis honore priuatus, & ab Ecclesia pulsus, & ideo, ante Synodalis examinis discussionem, ad quam Dei iudicio non peruenit, secundùm sacros Nicænos canones non receptus. Quod ergo, vt Leo scribit, manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. sicut sanctus Gelasius de Acacio dicit, qui à sede Apostolica damnatus & non restitutus, licèt Anastasius Papa, sicut in libro

Episcopali legimus, cum recipere voluerit, vitam finiuit. Talis est inquiens, dictus qualis signatus est nunquã esse soluendus, talis vsque in finem permansit, talis esse non destitit. Ita talis est hodie qualis est & dictus, non talis esse iam non potest. nunquam igitur talis permanendo soluendus est. De dilecto autẽ fratre nostro Wlfado & eius collegis, de quibus mihi summa dignitatis vestræ auctoritas quæ sibi placuit scripsit, nihil aliud sanctitati vestræ scribere præsumpsi, nisi quòd increpationes vestras non negligenter sed diligenter suscipio, & præceptiones obedienter obaudio. & quia illis sufficere debet præstabilis auctoritatis vestræ benignitas, & mihi abundanter sufficiet, si satisfactionem humilitatis meæ suscipientes, credere dignati fueritis me vobis simpliciter scripsisse. Nam secundùm ordinatorum meorum præceptionem, qui mihi necdum duobus exactis mensibus post ordinationem meam, in Synodo apud Meldis ciuitatem habita præceperunt, eatenus ignoranti, quòd Ebo post depositionem suam aliquos in Remensi Ecclesia ordinauerit, vt eis mecum vsque ad diligentiorem tractatum ministrare non permitterem, egi. Et hoc ipsum eisdem fratribus, decernente Carthaginensi Concilio vt ordinatis Episcopis vel clericis priùs ab ordinatoribus suis placita Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne se aliquid contra statuta Concilij fecisse pœniteant, per Pardulum tunc diaconum Ecclesiæ Remensis qui interfuit Synodo mandauerunt. quoniam canones posteriores anterioribus iubent deferre, post Synodum apud Suessiones habitam, cum eorum litteris, quarum exemplar habemus, & quas in Romano scrinio inueniri posse existimo, cum meis pro eorum petitione litteris, & cum aliis petitionibus meis, ad sedem Apostolicam domno Papæ Leoni pro confirmandis eorum gestis ex eisdem fratribus ad Synodum non coactis, quæ non scripsi, nec eis subscripsi, sicut & in Synodo vestra auctoritate collecta ostendi, me direxisse non denego. In quibus gestis veram præfatorum fratrum prosecutionem aduersum me silentio non firmaui. Vnde ex communi consensu, secundùm canones sicut eos intelleximus, iudices postulaui. quorum sententiam sequendam vidi vsquequò maioris auctoritatis aliter exinde diffinitionem acciperem. Recepta autem domni Papæ Leonis excusatoria epistola cur eadem gesta non confirmauerit, dicens inter cetera, Causas pro quibus hoc vsque ad tempus suspendimus caritati vestræ dicemus. Prima igitur hæc est, quia sicut ab Episcopis prænominata Synodus vtiliter ventilata siue sopita est, ita per aliquos ex eis, vt dubitatio foret radicitus euulsa, statuta vestræ Synodi destinare debuistis.] nesciens quia nos Metropolitani in istis regionibus non habemus potestatem, vt sine consensu vel iussione regis, aut nos ipsi ire, aut Coepiscopos nostros quoquam longiùs possimus dirigere. Subiunxit autem idem Pontifex in suis Apostolicis litteris dicens, Alia autem iuxta votum vestri desiderij id

nos perficere minimè permisit, eo quòd legati sedis Apostolicæ præsentes ibidem non fuerunt, neque Imperialis epistola nobis talis est præsentata, quæ hoc quod expetendum misistis specialiter indicare potuisset. Quarta scilicet causa hæc est, quia hi, quos depositos caritas vestra auctoritate Synodi fore adfirmat, per proprias litteras sedem Apostolicam appellati sunt, & volunt iterum nostra se Apostolica audiri præsentia, & tunc si culpabiles inuenti fuerint, non se abnuunt canonicam subire censuram.] Et postquam has litteras domni Papæ Leonis accepi, sicut mihi innotuit, domnus Hlotharius, petente quodam Episcopo regni sui qui adhuc viuit, per Petrum Aretinum Episcopum præfato domno Papæ mandauit, vt gesta Episcoporum de eisdem clericis non firmaret. Quæ cùm ad fratres & Coepiscopos nostros retuli, rogantibus eis apud Hlotharium Imperatorem, epistolam exinde, ipso ex animo largiente, per missos meos obtinui, vbi inter cetera ita scriptum habetur. Sed ad nostras petitiones exequendas & obtinendas Petrum venerabilem & dilectissimum nobis Spoletinum Episcopum viua voce nostra vice executorem instruximus: & alium Petrum, venerabilem æquè & amantissimum Episcopum Aretinum, litteris commonuimus, & alios fideles vestros atque nostros similiter inde monuimus, & reliqua.] Sícque cum ista epistola, & cum legatione Imperatoris, per præfatum venerabilem Episcopum missos meos cum litteris Romam direxi. quibus in via nuntius venit de obitu Papæ Leonis. Peruenientes autem Romam cum præfatis litteris, & interuenientibus prædictis Episcopis, domnus nomine & gratia Benedictus mihi quod nostis priuilegium inde direxit. Synodum autem pro sæpè dictis clericis, aut à Petro Spoletino, aut ab alio aliquo in istis regionibus, nec fama nec veritate ex Apostolica auctoritate congregatam, vel congregari iussam, sicut & per alios in istis partibus rescire potestis, vmquam audiui. nisi illam quæ anno præterito vestræ auctoritatis iussione extitit congregata. in qua eorum restitutioni secundùm traditionem maiorum paratissimè annui. Quam posteaquàm litteras vestræ auctoritatis inde suscepi, salubrem ac regularem cupiui. & idcirco ab ipsis qui eos destituerunt, vel non à minori numero, vnà cum meo consensu eos restitui peroptaui. & propterea inde vsque ad Synodum expectaui, & pleniùs à sede Apostolica vestra auctoritate firmandam cupiui, cuius arbitrio potestatis reseruata erat summa ac firmitas priuilegiorum Apostolicæ sedis, sicut & vestræ epistolæ nobis directæ continent, & in epistola Synodali, cuius exemplar habemus, sanctæ auctoritati vestræ directa communi consensu scripsimus. In qua nullam mentionem de quacumque Ebonis depositione habuimus. Sed & litteris meæ exiguitatis simplici mente inserui inter cetera dicens, Quia Synodo per hunc venerabilem Archiepiscopum Egilonem, qui interfuit actionibus, dirigente epistolam

omnium nostrûm qui adesse potuimus, cum ipso voce loquentem. quoniam si eis manus porrigitis, vobiscum pariter porrigemus. & item post aliquanta. Quæ verbis & scriptis mihi per istum religiosum Archiepiscopum exinde sequenda atque tenenda mandaueritis, pro scire & posse obedire & conseruare curabo.] Quam epistolam idcirco vt veraciter vobis confitear sigillatam non misi, quia Synodus epistolam à se directam non sigillauit, ducens incongruum, vt quoniam Archiepiscopus de ipsa Synodo, qui eidem vestris ad eam vocatus Apostolicis litteris interfuit, ad vos mittebatur, quasi incredulo epistola sigillata committeretur, & quod Synodus non egit ego agere, ne scandalum cuiquam generarem, non præsumpsi. Sanctitas igitur vestra, caritate quæ omnia credit repleta, veraciter mihi credat, quia simpliciter & absque vllo dolo in restitutione prædictorum fratrum, postquam vestram dispositionem inde resciui, ex beniuola mente consensi, & simpliciter ac sine vllo dolo scripsi quæ vestræ sanctitati transmisi. A quo consensu modo quolibet postea non diuerti, nisi veluti in præfatis litteris vobis scripsi, dicens, reseruato per omnia sententiæ ac iuris priuilegio Apostolicæ sedis, & salua diffinitione ac confirmatione expectatæ vestræ discretionis atque auctoritatis. Nunc autem, suscepta diffinitione de illorum restitutione, quam vestra sicut decuit & ordo poposcit summa auctoritas præcessit, & subsequente Synodali consensu vestræ perfectio firmationis corroborauit, nunquam vel nusquam exinde quamcumque querimoniam contra quemcumque molior vel dispono, intendo vel cupio habere, remouere, excitare siue conserere. nec meditatus sum, litteris pro hoc vestræ benignitatis acceptis, à consensu in Synodo, contra ipsius diffinitionem & vestram confirmationem, aliquid remouere extunc in postmodum vsque in sempiternum. Quia enim nullo crimine proprio denotati, nescientes Ebonem damnatum, non importunè ad ordinationem, sicut ipsi dicunt, & non est qui contradicat, se ingesserunt, sed electi & vocati obedierunt, sicut secundùm excellentiam sapientiæ vestræ domno regi Karolo scripsistis, si nollent obedire volenti eos ad maiorem gradum prouehere, omnes illi velut procaciter renitentes reprehenderentur, & tamquam contumaces circa sacros canones damnarentur, veluti in epistola Episcopis, qui per gratiam Dei & decretum vestrum apud Suessionis vrbem conuenerunt, directa intimastis. qualiscumque fuerit vel quæcumque pertulerit Ebo, à se ordinatis, qui nihil præter humilitatem & obedientiam exhibuerunt, nullum prorsus intulit offendiculum: quoniam & beatissimus Leo ad Mauros scribens, ita de quodam Maximo præcipit dicens, Maximum quoque, licèt reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista iam non est, & à spiritu schismaticæ prauitatis alienus est, ab Episcopali, quam quoquomodo adeptus est, non repellimus dignitate.] Et Anastasius eiusdem Apo-

Epist. 91. sub finem.

ſtolicæ ſedis Præſul, quòd mali bona miniſtrando ſibi tantummodò noceant, nec Eccleſiæ ſacramenta commaculent, ad Anaſtaſium principem ſcribens, euidentiſſima ratione demonſtrat. Cui ſanè pio ſenſui, ſicut in eorum decretis cum additamento conditionum legimus, iuxta quendam modum non inconuenienter coaptari poſſe videtur quod beatus Auguſtinus ſcripſit, de cuius ſenſu ac verbis Anaſtaſius Papa in præfata epiſtola hinc quædam adſumpſit. Si quem fortè, inquit, coëgerit extrema neceſſitas, vbi catholicum per quem accipiat non inuenerit, & in animo pacem catholicam cuſtodiat, per aliquem extra vnitatem catholicam poſitum acceperit quod erat in ipſa catholica vnitate accepturus, ſi ſtatim etiam de hac vita emigrauerit, non eum niſi catholicum deputamus. Si autem fuerit à corporali morte liberatus, cùm catholicæ congregationi etiam præſentia corporali redierit, vnde nunquam corde diſceſſerat, non ſolùm non improbamus quod fecit, ſed etiam ſecuriſſimè veriſſiméque laudamus, quia præſentem Deum credidit cordi ſuo, vbi vnitatem ſeruabat. Exemplar denique priuilegij ſanctæ memoriæ Benedicti, ſine vlla mutilatione vel adiectione ſeu immutatione, per venerabilem fratrem & Coepiſcopum noſtrum Hodonem ſanctiſſimæ paternitati veſtræ tranſmiſi. De quo & in epiſtola à me per illum vobis directa, inter alia ſi placet poteſtis relegere, vbi ſcriptum habetur, Mitterem inquam ipſam authenticam priuilegij chartam, quam beatæ recordationis præceſſor veſter domnus Benedictus mihi ſua auctoritate direxit: ſed timui ne mihi inde aliquid ſiniſtri in via contingeret, & ſolatio, quod inde aduerſus inſurgentium impetus habeo, fierem deſtitutus. Veſtra verò dignatio in ſcrinio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ex more exemplar illius poteſt requirere, & vtrum ita ſe habeat euidenter agnoſcere. In quo ſi veſtræ ſanctitati placet, neceſſe eſt nobis vt quædam ſuperaddatis, quæ hic frater ac filius noſter, iuxta quod neceſſitates noſtras cognoſcit, veſtræ ſuggeret ſanctitati. Quia ſicut S. Auguſtinus dicit, neceſſe eſt vt ad noua morborum genera noua quærantur medicamentorum experimenta. Sed & de Synodo apud Sueſſionis habita, de qua, factione cuiuſdam clerici noſtri, qui à nobis negligentiis ſuis territus aufugerat, quiddam ibi ſub quadam dubitatione eſt poſitum, hic frater ac filius noſter vobis rei veritatem poteſt narrare, qui eidem Synodo interfuit, & adhuc in nomine Abbatis ſubſcripſit.] Hæc ſunt verba mea in epiſtola ſanctæ paternitati veſtræ directa, Nam ſi inde quod ibi eſt poſitum *ſi ita eſt* eraſiſſem, ſuperfluè quòd quiddam ibi ſub quadam dubitatione eſſet poſitum ſcriberem. Et ſi aliquid ibi adderem, mutarem, vel demerem, vt in ſcrinio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ exemplar illius requireretis, & vtrum ita ſe haberet agnoſceretis, ſcribere non auderem. Ceterùm ſi quocumque modo, quacumque occaſione, à quocumque aliter ad vos delatum fuit, tamen ego per præfatum vene-

Epiſtola vnica.

rabilem Coepiſcopum noſtrum, ſicut ſe habet, exemplar ipſius priuilegij vobis direxi. Quòd ſi vobis non fuerit tædium reſeruato in Romano ſcrinio illud quod per eum miſi conferre, verum inuenietis. Sed & illum ipſum priuilegij tomum, & non exemplar, Synodo veſtra auctoritate congregatæ cum priuilegio veſtræ ſanctitatis oſtendi, & incorruptas ſcripturas atque ſigilla monſtraui, & ex integro, coram filio veſtro domno rege Karolo, audientibus omnibus Epiſcopis & qui Synodo interfuerunt, relegi feci. Vnde in epiſtola Synodi veſtræ auctoritati directa ſcriptum inter cetera habetur ad locum, In ſuis ordinibus reſtituere maturaremus, quin prædictos fratres, niſi priuilegiis ſanctæ Romanæ ſedis, per reuerendum confratrem noſtrum Hincmarum Archiepiſcopum noſtræ vnanimitati prolatis, quæ de ipſis viris quædam ſtatuerunt, debita reuerentia exhiberetur: quorum ſumma perfecta & integra firmitas, vt claret & iuſtum eſt, in Apoſtolicæ ſedis reſeruata eſt arbitrio poteſtatis.] Quod Synodus vobis non ſcriberet, ſi integra priuilegia eis non oſtendiſſem. De eo quòd benigniſſima & ſanctiſſima paternitas veſtra mihi eſt dignata ſcribere, vt non arbitrarer ad diſcrimen quodlibet quæ mihi mandata ſunt exaggeraſſe, cùm meliora eſſe vulnera diligentis, quàm fraudulenta odientis oſcula eſſe non neſciam, ſed ne adeo in priuilegiorum meorum defenſionem vel elationem immoderatiùs erigar, vt Apoſtolicæ ſedis iura quoquomódo temerè tetigiſſe videar, veraciter fateor, hoc nunquam in cor meum aſcendit, qui ſemper & Apoſtolicæ ſedi, & eius rectoribus, poſtquam me noſſe potui, pro meo ſcire & poſſe fidelis & deuotus, & humilis ac ſubiectus extiti, ſum, & adiuuante Domino permanebo. Priuilegia autem ſedis Apoſtolicæ non ideo petij, vt mihi non ſufficeret quod ſacri canones & decreta ſedis Romanæ Pontificum cuique Metropoli ſedi concedunt, & nec alia, vel ampliùs quàm Eccleſiæ Remorum conlatum eſt ex antiquo, mihi largiri ſpecialiter petij, neque appeto. Sed quia non ſolùm diœceſis, verùm & parochia mea, inter duo regna ſub duobus regibus habetur diuiſa, & res mihi commiſſæ Eccleſiæ ſub multorum principum poteſtate coniacere videntur, de quibus aut parum aut nihil vtilitatis Eccleſia noſtra poteſt habere: quia veteres conſtitutiones iam quaſi pro vili apud quoſdam habentur, his nouis decretis carnales & animales homines territi, quiddam reuerentius contra Eccleſiam indignitati meæ commiſſam agerent. De quibus priuilegiis, quorum defenſionem mihi non atrogo, ſed nec de aliis quibuſcumque eſt vnde inflari valeam vel efferri, qui & ſi iuſtus fuero, non leuabo caput ſaturatus afflictione & miſeria. Poſtremò de pallio, à mea præſumptione non certis temporibus & iuxta morem aliis Metropolitanis diffinitis vſo, vnde veſtræ ſanctitatis auribus intimatum eſſe indignitati meæ ſcripſiſtis, auctoritati veſtræ veraciter fateor, quod & in iſtis regionibus per alios

ſi vobis placuerit reſcire valebitis, quia niſi in die Natalis dominici, & in die ſanctæ Reſurrectionis eius, vix in toto anno eodem pallio vtor. quoniam de illorum numero peccatis meis exigentibus factus, de quibus ſcriptum eſt, Impedimenta ſæculi fecerunt eos miſeros; rarò in decretis feſtiuitatibus, quo pallio vti Metropolitanis conceditur, in ſede mea, propter multas occupationes & neceſſitates Eccleſiæ & regni, eſſe mihi permittitur. & niſi quando in eadem ſede ſum in decretis feſtiuitatibus, non ſolùm non totiens ſicut mihi conceſſum eſt, verùm vix aut nunquam eodem pallio vtor. Pro cuius vſu apud ſedem Apoſtolicam nihil petij, niſi ſicut deceſſores ac prædeceſſores mei eo vti & in Epiſcopi ordinatione ſolebant. Non enim vſum pallij eſſe meæ dignitatis puto, ſed genij ſedis Metropolis eſſe cognoſco. Et cùm multi ſint ſancti Epiſcopi, qui eodem pallio non vtuntur, non neſcio quia ſi ſine virtutibus, quas exponente beato Gregorio pallium ſignat, pallio vtor, etſi excellentiorem ceteris Remorum prouinciæ ſedibus Metropolim ſedem pallij vſus demonſtrat in oculis hominum, non tamen maiorem me facit in oculis Domini. Et veraciter confiteor ſanctæ veſtræ paternitati, quia ſi Epiſcopus ordinatus non eſſem, non ſolùm pallij vſum non quærerem, quoniam ſcio, ſine ordinatione Epiſcopali, fide recta & operibus bonis per Dei gratiam vitam æternam me potuiſſe adquirere. in iſto ſæculo cognoſcens illud, ſicut modò cognoſco, Epiſcopalem ordinem non ſubirem, ſi vitare valerem. Sed & nunc iam ſufficit mihi anima mea pro ſpolio. Ego enim multis afflictus infirmitatibus, & ætate grauatus, ac iniuriis fatigatus, iam delibor, & tempus meæ reſolutionis inſtat. Quapropter licèt alius ab amicis meis Ciſalpinis in partibus Romanis, vt à multis iactatur, confingar, ad aliud me oportet tendere, & de aliis cogitare, quàm alicui pompæ ac oſtentationi, minimè autem in Eccleſiaſtico miniſterio adplaudere, aut modo quolibet inſeruire. Hæc autem, de quibus clariſſimæ ſanctitati & famoſiſſimæ ſapientiæ veſtræ ſcripſi, non ad vllam controuerſiam, vel contumacem reſultationem, quod abſit, protuli: ſed animatus veridica ſententia veſtræ immo diuinæ auctoritatis, quam mihi ſcribere dignati fuiſtis, dicentes quia veritas liberet, mendacium verò perdat, humiliter veritatis narrationem ſuggeſſi. Tandem meæ ſeruituti à veſtra dignatione remandari depoſco de fratribus noſtris, Remenſis Eccleſiæ filiis, veſtra auctoritate in ſuis ordinibus reſtitutis, quoniam venerandus Archiepiſcopus Egilo ex veſtra auctoritate eis præcepit, vt in ſuis gradibus miniſtrarent, & ad altiores aſcendere non præſumerent, vtrum debeam eos ad altiores gradus prouehere, ſi confratres ac comminiſtri noſtri illos elegerint: quoniam eorum animos mea incuria lædere nolo, & ne contra veſtram iuſſionem ac diſpoſitionem agam modis omnibus deuitare cupio, qui Apoſtolicæ ſedis decretis in omnibus parere deſide-

ro. Deus omnipotens ſinceritatem veſtram, ad doctrinam & correctionem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ, in ſuo apto ſeruitio per annorum multa curricula conſeruare dignetur, domne ſanctiſſime & reuerentiſſime patrum pater in Domino.

XXVII.

AD NICOLAVM PAPAM.

EIVSDEM ARGVMENTI CVM SVPERIORE, maximáque ex parte iiſdem verbis contexta.

Ex editione Pariſienſi, iis omiſſis quæ in ſuperiore continentur.

DOMINO SANCTISSIMO ET REVERENTISSIMO Patrum Patri Nicolao, primæ ac ſummæ ſedis Apoſtolicæ & vniuerſalis Eccleſiæ Papæ, Hincmarus Remorum Epiſcopus, & veſtræ ſanctiſſimæ paternitatis deuotiſſimus famulus.



ITTERAS ſanctiſſimæ paternitatis & præcellentiſſimæ auctoritatis veſtræ, XIII. Kalendas Iunij XV. Indictionis ab Egilone venerabili Archiepiſcopo Senenſi accepi, in quibus, ſed & litteris generaliter ad Epiſcopos, qui in Synodo veſtra auctoritate congregata apud Sueſſiones præterito anno fuerunt, tantas & tales increpationes indignitati meæ à dignitate veſtra inlatas inueni, ſicut peccata mea merentur. Quibus ad omnia reſpondere, & humilitati meæ præſumptioſum, & ſublimitati veſtræ conſtat incongruum. præſertim cùm poſt multa, puſillitatem meam refouentes, mihi ſcribere dignati fueritis dicentes, Hæc ne nos arbitreris ad diſcrimen quodlibet tuæ ſanctitatis vel dignitatis exaggeraſſe, cùm meliora eſſe vulnera diligentis, quàm fraudulenta odientis oſcula non neſcias.] Ceterùm quoniam propter multas & maximas ac penè continuas infeſtationes paganorum atque falſorum Chriſtianorum, quas patimur, continuè laborantibus antea Epiſcopis regionum noſtrarum, in vnum conuenire non licuit, vt nobis communiter veſtræ ſanctitatis epiſtola communiter miſſa relegeretur, & ſicut iuſſiſtis, quæcumque ſuper hac re, de qua agitur, ſcripta tam à vobis priùs & nunc, quàm à nobis edita reperiuntur, & quid inde humilitas mea, & illi deiecti clerici ſedi Apoſtolicæ ſuggeſſerimus vel retulerimus, in volumen vnum ordine quo miſſa ſunt redigerentur, & Apoſtolicæ ſedi, vt competens eſt, eorum nobis exemplaribus reſeruatis, ſummo ſtudio dirigerentur. Nunc in aliqua regni parte aliquantulum de paganorum infeſtatione reſpirantes, ſed aliarum anxietatum gemitibus laborantes, & adhuc

gra-

grauiora quæ imminent metuentes, & fratres ac Coepiſcopi noſtri deuotiſſimi filij veſtri, quæ iuſſiſtis, videlicet de Ebonis deiectione, & de ipſius reſtitutione, ac fratris Wlfadi & collegarum eius promotione, & de præfati Ebonis iterata repulſione, atque ad aliam Eccleſiam migratione, ſed & quæ de ordinatione mea compererunt, exequi ſtudio fideli procurant. & humilis mea ſeruitus, de his quæ indignitati meæ veſtra ſcripſit dignatio, omni humilitate ac puritate conſcripta, his quæ auctoritati veſtræ collectis dirigunt, ſubiungenda & ſuggerenda atque perferenda ſecundùm veſtram præceptionem eis porrexi. De dilecto ſcilicet fratre noſtro Wlfado & eius collegis, de quibus mihi ſumma dignitatis veſtræ auctoritas quæ ſibi placuit ſcripſit, nihil aliud ſanctitati veſtræ ſcribere præſumo, niſi quòd increpationes veſtras non negligenter, ſed diligenter ſuſcipio, & præceptiones obedienter obaudio. Et quia illis ſufficere debet præſtabilis auctoritatis veſtræ benignitas, & mihi abundanter ſufficiet, ſi ſatisfactionem humilitatis meæ ſuſcipientes credere dignati eritis, me vobis ſimpliciter ac veraciter inde ſcripſiſſe. Nam ſecundùm ordinatorum meorum præceptionem, qui in Ebonis deiectione fuerunt, & mihi necdum duobus exactis menſibus poſt ordinationem meam, in Synodo apud Meldis ciuitatem habita præceperunt, eatenus ignoranti quòd Ebo poſt deiectionem ſuam aliquos in Remenſi Eccleſia ordinauerit, vt eis mecum vſque ad diligentiorem tractatum miniſtrare non permitterem, egi. & hoc ipſum eiſdem fratribus, decernente Carthaginenſi Concilio, vt ordinatis Epiſcopis vel clericis priùs ab ordinatoribus ſuis placita Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilij feciſſe pœniteant, per Pardulum, tunc diaconum Remenſis Eccleſiæ, qui interfuit Synodo, mandauerunt. Ab ea autem Synodo Pardulus mecum Remis reuerſus, eiſdem fratribus, qui nobiſcum erant & de quibus agebatur, hoc quod mihi præceperunt Epiſcopi retulit, & vt non in gradibus, quos ab Ebone poſt depoſitionem ſuam acceperant miniſtrarent, vſque ad diligentiorem tractatum obſeruarent præcepit. Frater quippe Wlfadus adhuc mecum non erat: ſed poſt plures euolutos menſes, ſi ritè remetior, antequam ferè anni ſpatium compleretur, de alia prouincia ad me veniens, cum benignitate eſt & cum liberalitate ſuſceptus, & honorabiliter habitus, vſquequò domno noſtro regi Carolo ipſo petente illum commendaui. Defuncto autem Ebone anno Incarnationis Dominicæ DCCCLI. Indictione XIV. XIII. Kalend. Aprilis, quia præfati fratres noſtri ab eo ordinati qui mecum erant, poſt annos circiter octo ſuæ ab officio ſuſpenſionis, anno ſcilicet Incarnationis Dominicæ DCCCLIII. me petierunt, eiſdem fratribus ad Synodum ire permiſi, & his qui indiguerunt, ſubſidium neceſſarium, vt ad ipſum Concilium ſine difficultate ire poſſent, miniſtrari præcepi. Vbi

eos non iudicaui, neque deieci, nec etiam cum iudicibus eorum subscripsi, sicut norunt qui interfuerunt, & ipsa Episcopalia gesta, quæ authentica cum subscriptionibus Episcoporum qui eis subscripserunt, sine mea subscriptione, præterito anno in Synodo vestra auctoritate apud Suessiones habita ostendi, demonstrant. Et quoniam canones posteriores anterioribus iubent deferre, præcipientibus eisdem Episcopis, cum eorum litteris, quarum exemplar habemus, & quas in Romano scrinio inueniri posse existimo, cum meis pro eorum petitione litteris, & cum aliis petitionibus meis ad sedem Apostolicam domno Papæ Leoni pro confirmandis eorum gestis, quæ non scripsi, me direxisse non denego. In quibus gestis veram præfatorum fratrum prosecutionem aduersum me silentio non firmaui. Vnde ex communi consensu secundùm canones, sicut eos intelleximus, iudices postulaui, quorum sententiam sequendam vidi, vsquequo maioris auctoritatis aliter exinde diffinitionem acciperem. Recepta autem domni Papæ Leonis excusatoria epistola, *& cetera, vt suprà pag. 306. vsque ad finem epistolæ.*



XXVIII.
AD MONACHOS ALTOVILLARENSIS MONASTERII.

Vt Gothescalco, si ante mortem resipuerit, spiritalem & corporalem humanitatem exhibeant. Flodoard. lib. III. cap. 28.

Nunc primùm edita ex Codice S. Remigij Remensis.



RO tempore, sicut mihi licuit, dixi vobis qua conditione, si se Gothescalcus, antequam anima illius egrediatur de corpore, recognouerit, & spiritalem & corporalem humanitatem illi exhibeatis. Sed ne quid vobis desit in vlla gratia, auctoritatem inde Ecclesiasticam ex verbis orthodoxorum vobis transmitto. Ait enim de huiusmodi Leo, vt si fideliter & vtiliter dolet, & quàm rectè mota sit erga eum Episcopalis auctoritas vel serò cognoscit, vel si ad satisfactionis plenitudinem, omnia quæ ab eo malè sunt sensa, vel viua voce vel signo competenti damnauerit, reconciliatio & communio illi non denegetur, sicut Cælestinus, & Leo, & sacri canones decreuerunt. Et si in hac confessione ac communione obierit, sicut ceteris fratribus, ita & illi communem sepulturam, ac sepeliendi officium & orationem post obitum exhibete. Quia Dominus noster, verus & bonus pastor, qui animam suam posuit pro ouibus suis, & qui venit animas hominum saluare, non perdere,

Epist. XII. ad Flauianum.

Leo ibid.

imitatores nos suæ vult esse pietatis, vt peccantes quidem iustitia coërceat, conuersos autem misericordia non repellat.] Si autem in obstinatione sua vsque ad mortem permanserit, tenendum nobis de illo est, quod sanctus Leo de communione priuatis & ita defunctis dicit, Horum inquiens causa Dei iudicio reseruanda est, Epist.95.ad Rusticum.
in cuius manu fuit, vt talium obitus vsque ad communionis remedium non differretur. Nos autem quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.] Et item, Si, Epist.59.ad Theodorū.
inquit, aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia peruenerit, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus corpore non poterit. Nec necesse est nos eorum qui sic obierint merita actúsque discutere, cùm Dominus Deus noster, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ iustitiæ reseruauit.] Et sanctus Ioannes Apostolus dicit, *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt quis roget.* Peccatum, inquit Gregorius, est vsque ad mortem. quia scilicet peccatum quod in hac vita non corrigitur, eius venia frustrà post mortem postulatur.] Peccatum quippe vsque ad inferos dicitur, quod ante finem vitæ præsentis per correctionem ac pœnitentiam non emendatur. Et talium memoriam, scilicet in peccato perseuerantium vsque ad mortem, minimè licet inter sacra altaris mysteria celebrari, in quibus pro eis oratur, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, in Christo videlicet quiescentes. Dormiunt ergo, vt catholici doctores dicunt, in somno pacis, qui ab vnitate & societate Christi Ecclesiæ nec per hæreses, nec per schismata, nec per mortalia crimina separati sunt. In quibus etsi aliquando fuerunt, tamen per pœnitentiam sanati, & per orationem Ecclesiæ, cui in Petro dictum est, *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*, reconciliati & redemptionis mysterio sociati, vtique in pace obierunt, miserante illo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ regnat nunc cum Christo in viuis & mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus, *mortuus est Christus, vt & viuorum & mortuorum dominetur.* vnde & alibi ait, *Quoniam non posuit nos ad iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis, vt siue vigilemus siue dormiamus, simul cum illo viuamus.* Quiescentes autem in Christo sunt, de quibus dicit Apostolus, *Et mortui qui in Christo sunt resurgent primi.* & de quibus item scriptum est, *Beatus qui habuerit partem in resurrectione prima: non lædetur à morte secunda.* Vnde & Iuda Pontifex, sicut in libro Machabæorum legimus, pro his qui cum pietate dormitionem acceperunt, misit Hie-

Marginal references: 1.Ioan.5.16 — Moral xvi. cap.18. — Matt.16.19 — Rom.14.9 — 1.Thess.5.9 — 1.Thess.4.16. — Apoc.20 6. — 2.Mac.12.46.

rosolymis offerenda. Et si, vt præmisi, in obstinatione sua permanens mortuus fuerit, sicut ex auctoritate beati Gregorij & sacrorum canonum accepimus, cum psalmis & hymnis ad sepulturam deportari, vel in communi fratrum sepultura sepeliri non debet: priuatæ autem sepulturæ humanitas, sicut vobis dixi, ei non est deneganda.



DEHINC QVÆ AD HINCMARI LAVDVNENSIS causam spectant, & mutuæ inter vtrumque Hincmarum epistolæ.



XXIX.

AD CAROLVM CALVVM REGEM.

PRO HINCMARO LAVDVNENSI; quòd in iudiciis publicis discuti Episcoporum causæ non debeant.

Nunc primùm in lucem edita ex Codice Suessionensi.

DOMINO CAROLO REGI GLORIOSO Hincmarus nomine non merito Remorum Episcopus, plebis Dei famulus.



LICET antea quàm nunc proximè Remis venerim, vnde mox litteras dominationi vestræ direxi, quædam ex his de quibus scripturus sum auditu compererim, pleniùs tamen non incerta relatione eorum postea historiam didici. Et vtique causa, quæ initio rationabili, scilicet sacris legibus non contrario, & aliquanto progressu, quia cum audientia Episcopali, & non in loco publico, sed in priuato & familiari examine cœpta est discuti, si eodem fine terminata fuisset, sermonem non occupem inde. Dicam vnde plus doleo. Audiui namque, quia residentibus vobis cum fidelibus vestris, coram fratre & Coepiscopo nostro Hincmaro, filius Liudonis ad vestram dominationem se reclamauit, quia isdem frater noster ab eo exenium acceperit, & patris sui beneficium ei donauerit, & deinde ab eo irrationabiliter tulerit, & ex hac ratione, fortè

minùs necessaria grauitatis cautela, quæ in Episcopo non modicum est ornamentum, adeo animus vestræ serenitatis fuerit commotus, vt eundem Episcopum coram omnibus, & voce publica, quàm plurimis contumeliis affeceritis, quæ sacerdotali ordini à nullo homine, minimè autem à rege, in quem sicut & in Episcopum omnium oculi sunt intendentes, impeti competit, missa ante oculos & seruata reuerentia Dei, qui dicit quod sanctus Paulus de sacerdote est interpretatus, *Principem populi tui non maledices.* &, *Diis ne detrahas*, id est sacerdotibus. Detrahit enim & ille sacerdotibus qui contumelias inrogat. De quibus item Dominus dicit, *Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* &, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* &, *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.* &, *Honorificantes me honorificabo, & qui contemnunt me erunt ignobiles.* Deinde iussistis præfatum Episcopum, vt die & loco denominato veniret ad causas vestras, id est ad iudicia sæcularia, & suum aduocatum de suo capite, videlicet de suo quod ipse egit actu, idem non conscio quocumque Coepiscopo suo donaret. Qui mittens ad dominationem vestram, excusationem impossibilitatis suæ illuc veniendi mandauit. Requisita est quam patriotica lingua nominamus exoniam, quia venire nequiuerit, quod hactenus est inauditum. Et requisito & non inuento aduocato illius, qui de eius capite ex prædicta causa redderet rationem, excepta Ecclesia & Episcopij domo, ac clericorum claustro, quicquid de rebus & facultatibus Ecclesiasticis, sibi in Episcopali ordinatione munere Spiritus sancti ad gubernandum & dispensandum commissis acceperat, iussione vestra per Vicecomitem ipsius pagi in bannum, quod ius lingua Latina proscriptio confiscandi vocatur, est missum. Et postea, sicut audiui, per Cancellarium palatij vestri mandastis Vicedomino & Præposito istius Ecclesiæ, cùm non modica interminatione, vt prouiderent, quatenus nullum obsequium ab Ecclesiæ ipsius hominibus, nullúmque subsidium de facultatibus Ecclesiasticis, per clericum vel laicum, ipse Episcopus posset habere: & Vicedominus laicos cum carris & operariis, & Præpositus clericos habentes beneficia huc secum adducerent. Et impletum est quod olim prædictum est, *Et erit sicut populus sic sacerdos*, nulla discretionis lege distans à vulgo. & illud nihilominus, quod more scripturæ ponens præteritum pro futuro prædixit beatus Ioannes Apostolus, cui cum aliis Apostolis dictum est, *Beati oculi qui vident quæ videtis*, infelicibus oculis nostris videmus. *& Sol*, inquit, *factus est niger tanquam saccus cilicinus.* In extremo quippe hoc tempore Sol quasi cilicinus saccus ostenditur, quia fulgens vita prædicantium nos præcedentium Episcoporum, in nobis miseris ante sæcularium oculos aspera & despecta monstratur. Et licèt credendum sit de vestræ Christianitatis religione, quoniam ad correptionem ipsius Episcopi

Act. 23. 5. Exod. 22. 28
Psal. 104. 15
Zach. 2. 8.
Luc. 10. 16.
1. Reg. 2. 30.
Esa. 24. 2.
Luc. 10. 23.
Apoc. 6. 12.

hoc egeritis, tamen miranda est vestra sapientia, quæ sic medicamentum illius vulneri temperauit, vt de medicamento ipsa vulneraretur, cùm Dominus mensuram in proximi dilectione talem ponat, vt proximum sicut nos ipsos, & non plus nos ipsos diligamus. Fama enim, quin potiùs infamia, hæc Burgundiam & Prouinciam atque Italiam penetrans Romam perueniet, & per regnum nepotis vestri, non solùm vsque ad citeriorem, verùm & vsque Germaniam vlteriorem perueniet, Aquitaniam & Septimaniam per Neustriam volitans occupabit. Et quis oculum simplicem, id est rectam intentionem, quam in vobis nescit putabit, vbi factum Deo contrarium, & inimicum sacris canonibus, sicut beatus Leo scribit, spiritu Dei conditis, & totius mundi reuerentia consecratis, quorum conditores in cælo cum Deo regnantes, & in terris miraculis coruscantes, adhuc nobiscum in suis constitutionibus viuunt, sed & legibus, quibus vnà cum eisdem sacris canonibus sancta moderatur Ecclesia, constat esse aduersum? Quid enim dicent de vobis qui audierunt quòd detestabamini, & eos reprehendebatis, qui Dei Ecclesias non venerabantur, & sacerdotibus honorem debitum non exhibebant, & præcipuè Romano Pontifici, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum matri, cùm audient quòd illius filiam, ac per hoc illam ipsam, quin immo vniuersalem Ecclesiam, præiudicio potiùs quàm iudicio laicorum proscripsistis, quod nec in legibus, nec in libris Ecclesiasticis quemquam Christianorum principum fecisse legimus? Et talium etiam, vt fertur, quarumdam personarum præiudicio istud commissum admissum est, quæ & in legibus & in sacris canonibus infames personæ notantur, & si vigor Ecclesiasticus sic vigeret, sicut tempore antecessorum vestrorum & nostrorum prædecessorum viguit, inter criminosos, quia videlicet vt à multis dicitur criminosi, à liminibus Ecclesiæ forent extorres: nunc autem nostra dissolutione, vt quidam dicunt, in Ecclesiam ipsi insiliunt, qui ab Ecclesia separari debuerant. Et hoc nostris peccatis, in quos fines sæculorum deuenerunt, meritò reputamus, qui ad nostram contumeliam, non ad Ecclesiæ gloriam sacerdotes dicimur, qui à talibus inculcamur: & ipsi de sacerdotum capitibus iudicant, quorum iudicium vel compellationem liberi & sani capitis laici in iudicio publico legaliter non reciperent, si reiicere vellent. In quo facto, vt sanctus Cælestinus scribit, non est agentium causa solorum, vniuersalis Ecclesia quacumque nouitate pulsatur. Nouum est enim quod nunc factum est. quia non est de sub isto cælo auditum, vt Episcopus cum sua Ecclesia proscriptionis titulo ab vllo religioso principe laicorum iudicio vsque modò fuerit confiscatus, postquam Constantinus magnus Imperator legem vniuersis clericis dedit dicens, Constantinus clericis salutem dicit. Iuxta sanctionem, quam dudum meruisse perhibemini, fundos & mancipia vestra nul-

Cod. Th. L. VIII. De Episcopis &c.

lus nouis collationibus obligabit, ſed vacatione gaudebitis.] Cùm enim dicit nullus, nemo excipitur, verùm in hac comprehenſione etiam principalis poteſtas concluditur. Conſtantius quoque, licèt Arrianus fuerit, & Conſtans hanc immunitatem dederunt Eccleſiæ dicentes, In qualibet ciuitate, in quolibet oppido, vico, caſtello, municipio, quicumque voto Chriſtianæ legis meritum eximiæ ſingularíſque virtutis omnibus intimauerit, ſecuritate perpetua potiatur. Gaudere enim & gloriari ex fide ſemper volumus, ſcientes magis religionibus, quàm officiis, & labore corporis vel ſudore, noſtram rempublicam contineri.] Valentinianus quoque & Valens decreuerunt dicentes, Vniuerſos, quos conſtiterit cuſtodes Eccleſiarum eſſe, vel ſanctorum locorum ac religioſis obſequiis deſeruire, nullius attentationis moleſtiam ſuſtinere decernimus.] Archadius nihilominus, & Honorius, Quæcumque, inquiunt, à parentibus noſtris diuerſis ſunt ſtatuta temporibus, manere inuiolata atque incorrupta circa ſacroſanctas Eccleſias præcipimus. Nihil igitur à priuilegiis immutetur, omnibúſque qui Eccleſiis ſeruiunt tuitio deferatur: quia temporibus noſtris addi potiùs reuerentiæ cupimus, quàm ex his quæ olim præſtita ſunt immutari.] Et item iidem, Non tam nouum aliquid præſenti ſanctione præcipimus, quàm illa quæ olim videntur indulta firmamus. Priuilegia igitur, quæ olim reuerentia religionis obtinuit, mutilari ſub pœnæ etiam interminatione prohibemus: ita vt hi quoque qui Eccleſiæ obtemperant, ipſius beneficiis perfruantur.] Et idem iidem Auguſti, Si quis in hoc genus ſacrilegij proruperit, vt in Eccleſias catholicas irruens, ſacerdotibus & miniſtris, vel ipſo cultui locóque aliquid importet iniuriæ, quod geritur litteris ordinum magiſtratuum, & curatorum, & notariis apparitorum, quos ſtationarios appellant, deferatur in notitiam poteſtatum: ita vt vocabula eorum, qui agnoſci potuerint declarentur. Et ſi per multitudinem commiſſum dicitur, ſi non omnes, poſſunt tamen aliquanti cognoſci, quorum confeſſione ſociorum nomina publicentur. Atque ita prouinciæ moderator, ſacerdotum & catholicæ Eccleſiæ miniſtrorum, loci quoque ipſius & diuini cultus iniuriam capitali in conuictos ſiue confeſſos reos ſententia nouerit vindicandum. Nec expectet vt Epiſcopus iniuriæ propriæ vltionem depoſcat, cui ſanctitas ignoſcendi ſolam gloriam dereliquit. Sítque cunctis non ſolùm liberum, ſed etiam laudabile, factas atroces ſacerdotibus aut miniſtris iniurias, veluti publicum crimen perſequi, ac de talibus reis vltionem mereri. Quòd ſi multitudo violenta ciuilis apparitionis exſecutione & adminiculo ordinum poſſeſſorúmve non potuerit præſentari, quòd ſe armis aut locorum difficultatibus tueatur, Iudices armatæ apparitionis præſidium, datis ad virum ſpectabilem Comitem Africæ litteris, prælato legis iſtius tenore depoſcant, vt rei talium criminum non euadant.] Item

Cod. eodē L. XVI.

Cod. eodē L. XXVI.

Cod. eodē L. XXIX.

Cod. eodē L. XXX.

Ib. L. XXXII.

iidem Augusti. Si Ecclesiæ venerabilis priuilegia cuiusquam fuerint vel temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum quinque librarum auri, sicut etiam priùs constitutum est, condemnatione plectatur.] Multa etiam hinc poni poterant, quæ ab omnibus salubriter regnantibus, & iustè iudicantibus, longo tempore conseruata sunt: sed scio sapientiam vestram ex iis, quæ de decimo sexto libro Theodosianæ legis sunt posita, debere comprehendere plura. Et horum Imperatorum imitantes religionem antiqui etiam & moderni reges Francorum, immunitates Ecclesiis & seruis Dei facere consueuerunt, quas qui non seruant, de illorum eleemosyna sua peccata accumulant. Itaque cùm de aliis memorabilibus Imperatoribus ac legibus loquimur, aui vestri magni Imperatoris Caroli non est prætereunda memoria. Cui cùm sicut assolet adulantium linguis subreptum fuerit, vt Ecclesiis de rebus suis præiudicium quoddam inferret, obsistentibus Episcopis, & specialiter Paulino patriarcha, sicut vobis bene notum esse cognosco, adeo se recognouit, & Ecclesiæ ac Episcopis satisfecit, vt præsens oris sui confessio ei non suffecerit, sed ad posteros suos, qui ex illius progenie exorturi erant, confessionis & correctionis suæ scriptum manu sua firmatum transmiserit. De quo edicto partem in libro vestro, qui appellatur Liber Capitulorum Imperialium, scriptum habetur capitulo LXXVII. vbi
Lib.I.Capitul.c.83. scriptum est, Quia iuxta sanctorum patrum traditionem nouimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non solùm habita conseruare, verùm etiam multa Deo opitulante conferre optamus: tamen vt ab Ecclesiasticis de non diuidendis rebus illius suspicionem dudum conceptam penitùs amoueremus, statuimus vt neque nostris, neque filiorum & Deo dispensante successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, vllam penitùs diuisionem aut iacturam patiatur.] Sicut enim
Epist. 1. Symmachus Papa ad Æonium scripsit, non licet cuiquam decessorum suorum ordinationē sub necessitate qualibet transgredi, sed roborādo quæ à decessoribus suis bene gesta sunt facere debet rata esse quæ gesserit. Vnde non solùm ea quæ à decessoribus & prædecessoribus vestris bene statuta sunt seruando, vos firmitatē eis dare oportet: verùm & illa quæ ipsi gessistis, & manu propria subscripsistis, & cum maxima obtestatione vos seruaturos perpetuò promittentes, in manibus sacerdotum ad vicem Dei tradidistis, ante oculos & mentis & corporis reuocare debetis: & non modica necessitas vobis incumbit, vt si contra ea in aliquo egistis, hoc quantociùs emendare, & de cetero ne contra illa faciatis, cauere summopere procuretis. Quia enim post
1.Pet.2.9. illam vnctionem, qua cum ceteris fidelibus meruistis hoc consequi quod beatus Petrus Apostolus dicit, *Vos genus electum, regale sacerdotium*, Episcopali & spiritali vnctione ac benedictione regiam dignitatem

gnitatem, potiùs quàm terrena poteſtate conſecuti eſtis, attendere ſubtili intellectu debetis, quoniam à definitione ſancti Spiritus, quam Synodali auctoritate protulit, excepti non eſtis. Si quis, inquit, contra ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem venerit in aliquo, ipſe ſe honore priuabit. Quod licèt non fiat ſicut ſæpè ſolet accidere in oculis hominum, fit tamen ſemper in oculis Domini. Sed ſicut Dauid ſuperbiendo, quia initium omnis peccati ſuperbia, faciens contra profeſſionem ſuam, quam profeſſus eſt dicens, *Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, & ero humilis in oculis meis*, prophetiæ gratiam & dignitatem regiam, quam peccando perdidit, confeſſus coram Nathan pœnitendo recuperauit: & ſicut Petrus faciens contra profeſſionem ſuam, quam profeſſus eſt dicens, *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, quia tertiò Dominum negauerat, tertiò confeſſus, vt beatus oſtendit Gregorius, coram omnibus Apoſtolis, quia fleuit amarè quod negauerat lacrymis lauit, & Apoſtolatum, quem negando perdiderat, confitendo & flendo recepit: ita etiam quiſque, confitendo & pœnitendo ac corrigendo quæ perperè contra profeſſionem & ſubſcriptionem ſuam fecit, ad honorem redire & in honore præualet Domino miſerante manere. Alioqui contra claues datas Eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt, *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*. Chriſtus enim Ieſus, vt catholica tenet & docet Eccleſia, hanc Præpoſitis eiuſdem Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, (quæ ſatisfactio pœnitentiæ in ipſa iam cognoſcitur confeſſione peccati,) per reconciliationis gratiam reſtituerent. Et hæc reſtitutio reconciliationis quomodo non ſit contraria ſacris regulis, hîc ponere non permiſerunt breuitas operis & anguſtia temporis. Hæc namque cum aliis, quæ ibidem continentur, anno Incarnationis dominicæ DCCCXLV. menſe Aprili, anno VI. regni veſtri, in Belgiuaco ciuitate, cum maxima conteſtatione cunctis diebus vitæ veſtræ vos ſeruaturos promiſiſtis eiſdem Epiſcopis qui præſentes aderant, & ceteris regni veſtri Epiſcopis qui corpore præſentes non aderant, & omnibus eorum ſucceſſoribus, & omnibus Epiſcopis in regno veſtro conſiſtentibus, & in manus eorumdem Epiſcoporum ad petitionem eorum dediſtis. CAP. I. Vt ius Eccleſiaſticum & legem canonicam nobis ita conſeruetis, ſicut anteceſſores veſtri, qui hoc bene & rationabiliter obſeruauerunt, iuxta quod ſciri poterit, & Deus vobis poſſe dederit, noſtris prædeceſſoribus conſeruauerunt. II. Quòd in mea perſona, nec in meo ordine, niſi fortè, quod abſit, in anteà contra Deum & contra vos manifeſtè fecero, vt damnari canonicè debeam, aduerſum me & meum ordinem ita damnabiliter non faciatis pro quacumque præterita cauſa, vt mihi dehonoratio aut damnatio veniat. III. Quòd res ad Eccleſiam mihi commiſ-

2.Reg.6.22 · Matt.26.35 · Matt.18.18.

ſam pertinentes, & tempore principatus veſtri ablatas, ita præſentaliter reſtituatis, & reſtitutas conſeruetis, ſicut tempore aui & patris veſtri fuerunt, & excepto ſuperpoſito, quod in vſus poſſidentium vel ex ædificiis abſumptum eſt, quomodo tunc erant, quantum ad hoc quod res vſitato nomine appellamus, conſtat quando vos inde illas tuliſtis. IV. Vt præcepta inlicita de rebus Eccleſiæ mihi commiſſæ à vobis facta reſcindantur, & vt de cetero ne fiant caueatis. V. Vt ab Eccleſia mihi commiſſa indebitas conſuetudines & iniuſtas exactationes de cetero non exacteris, ſed ſic eas conſeruetis, ſicut tempore aui & patris veſtri conſeruatæ fuerunt. VI. Vt contra deprædatores & oppreſſores Eccleſiarum noſtrarum, & rerum ad eaſdem pertinentium, defenſionem ſecundùm miniſterium veſtrum, quantum poſſe vobis Deus dederit, exhibeatis. VII. Vt præcepta, quæ auus & pater veſter Eccleſiis nobis commiſſis fecerunt, & firmauerunt, & ſtabilia conſeruauerunt, quæ etiam vos confirmaſtis, de cetero rata conſeruetis. VIII. Vt ſi vos contra hæc Capitula, aut nos, quod abſit, non malitia nec peruerſo ſtudio, ſed aut per humanam fragilitatem, aut per ignorantiam vel ſubreptionem, non damnabiliter egerimus, mutuo hoc conſilio corrigamus, & firmata deinceps conuenientia maneat.] Et hæc ſequentia apud Cariſiacum palatium anno Incarnationis dominicæ DCCCLVIII. regni autem veſtri XVIII. XII. Kalendas Aprilis, vos ſeruaturos Epiſcopis & ceteris fidelibus veſtris manu propria veſtra firmaſtis. Quantum ſciero & rationabiliter potuero, Domino adiuuante, vnumquemque veſtrum ſecundùm ſuum ordinem & perſonam honorabo & ſaluabo, & honoratum ac ſaluatum abſque vllo dolo ac damnatione vel deceptione conſeruabo, & vnicuique competentem legem & iuſtitiam conſeruabo, & qui illam neceſſe habuerit, & rationabiliter petierit, rationabilem miſericordiam exhibebo, ſicut fidelis rex ſuos fideles per rectum honorare & ſaluare, & vnicuique competentem legem & iuſtitiam in vno quoque ordine conſeruare, & indigentibus & rationabiliter petentibus rationabilem miſericordiam debet impendere. & pro nullo homine ab hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per ſtudium aut maliuolentiam, vel alicuius indebitum hortamentum deuiabo, quantum mihi Deus intellectum & poſſibilitatem donauerit. Et ſi per fragilitatem contra hoc mihi ſubreptum fuerit, cùm hoc recognouero, voluntariè illud emendare curabo.] Sed & alia ex hoc firmaſtis, quæ hîc non poſui. Et poſt hæc omnia, & alia quæ ſæpe fidelibus veſtris, & etiam in Cariſiaco, quando veniam petentes ab Epiſcopis qui adfuerunt, manus impoſitionem accepiſtis, quin & in villa Breona promiſiſtis. Nunc tantam Laudunenſis Eccleſia, immo in ea omnis Eccleſia, iacturam patitur, vt quod antea inauditum eſt, titulum proſcriptionis ſuſtineat contra decreta omnium ſanctorum Epiſcoporum, qui ſedi

Apostolicæ præsederunt. quoniam omnium decreta hîc nimis est longum inserere : vnde quædam causa compendij studui ponere. Ait enim sanctus Vrbanus Papa & martyr, hinc inter cetera loquens, Epist. 1.
Innitendum est omnibus & fideliter custodiendum, & vllius vsurpationis contumelia depellenda, ne prædia sibi secretorum cælestium dicata à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit, post debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetuæ damnationis deportetur. quoniam iuxta Apostolum tradere oportet *huiusmodi hominem Satanæ, vt spiritus eius saluus sit in die Domini.*] 1. Cor. 5. 5.
Sanctus quoque Lucius omnibus Episcopis in partibus Occidentalibus tam in Galliis quàm in Hispaniis consistentibus scripsit dicens, Epistola vnica versus finem.
Res Ecclesiarum vestrarum, & oblationes fidelium, quas significastis à quibusdam irruentibus vexari, vobísque ac Ecclesiis vestris auferri, indubitanter maximum est peccatum.] Et post pauca, Qui rapit pecuniam proximi sui iniquitatem facit : qui autem pecunias vel res Ecclesiasticas tulerit, sacrilegium facit. Vnde & Iudas, qui pecuniam fraudauit, quæ vsibus Ecclesiæ, id est pauperibus, quos Ecclesia pascere debet distribuebat iussu Saluatoris, cuius vicem Episcopi tenent, non solùm fur, sed & fur sacrilegus effectus est.] Et item post aliquanta, Hæc fieri Prophetæ, hæc Apostoli, hæc successores eorum, & omnium catholicorum patrum vetant decreta. & tales præsumptiones sacrilegia esse diiudicant. Quorum nos sequentes exempla, omnes tales præsumptores, & Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores, vnà vobiscum à liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematizatos Apostolica auctoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus. & non solùm eos, sed & omnes consentientes eis, quia non solùm qui faciunt rei iudicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna & agentes & consentientes comprehendit.] Et sanctus Stephanus Epist. 11. sub initium
Papa & martyr, Quicquid in sacratis Deo rebus & Episcopis iniustè agitur, pro sacrilegio reputabitur.] Et quia scriptum est, *in ore* Matt. 18. 16.
duorum vel trium testium stabit omne verbum, pro omnium hæc similiter decernentium sedis Apostolicæ Pontificum decretis, ista tria luminaria ad illuminanda corda eorum, qui in Deum credunt, & iussa atque mandata illius custodire desiderant, sufficere putamus. Attendere tamen, & in Dei honore non solùm venerari, sed & reuereri debetis vnum per omnes Episcopos sanctissimum sacerdotium : quia, vt sanctus Symmachus Papa scribit, ad Trinitatis instar, Epist. 1. ad Æonium.
cuius vna est atque indiuidua potestas, vnum est per diuersos Antistites sacerdotium,] nec sanctius in iusto, nec minus in peccatore. sicut & Sol iste visibilis, quando splendet in aurum, non ipse est pulchrior, sed aurum splendidius reddit : quando autem radios suos emittit in fimum, clariùs fimus quod est apparet, Sol autem cùm

radios ſuos inde retrahit, nullam inde immunditiam contrahit. Et ſiue ſanctus, ſiue peccator ſacramenta cæleſtia vobis tribuat, ipſa ſacramenta in ſe ſunt inuiolabilia & perfecta. quia quiſquis in nomine ſanctæ Trinitatis baptizet, vt Euangelica veritas monſtrat, ſuper quem Baptiſta Ioannes Spiritum deſcendiſſe, & in eo manſiſſe vidit, *ipſe eſt qui baptizat.* quiſquis autem ſacramenta cæleſtia catholicè conſecret, qui dixit, *Hæc quotieſcumque feceritis, in meî memoriam facietis*, ipſe eſt qui conſecrat. Non igitur vilipendatis, ſi in nobis reprehenſibilia videtis: quia quid in ſecreto ſuæ diuinitatis de nobis vel de vobis diſponat terribilis in conſiliis ſuper filios hominum ignoratis. Recordari denique poteſtis, vos mihi dixiſſe, quia ſicut vobis dixeram ordinem diſcuſſionis, quando quis de beneficio ab Epiſcopo ſibi tulto ad vos ſe reclamauerit, qualiter ipſam rationem diſcuti iubere deberetis, ita & poſtea legiſſe vos contigit, & hoc anteceſſores & progenitores veſtros tenuiſſe, & vos velle tenere. Quem ordinem ſi tenueritis, & Dominum in veſtra iuſſione non offendetis, & Eccleſiaſticam auctoritatem ſeruabitis, & dignitatem veſtram honorabitis, & æquitatem atque iuſtitiam erga eum de quo reclamatur, & erga illum qui ſe reclamauerit exequemini. Et hoc ſancti & clariſſimi progenitores veſtri viderunt & ſeruauerunt. & vos adulantium, & fortè aliter quàm ſe veritas habeat vobis ſuggerentium, linguis facilè adſenſum contra veſtram, quod abſit, ſalutem & miniſterij dignitatem accommodare nequaquam debetis. Porrò Epiſcopus, diſpoſitis quæ ſunt Eccleſiæ ac ſuis, Eccleſiaſticorum nihilominùs & pauperum hoſpitúmque ſubſidiis, cùm de rebus Eccleſiæ propter militiam beneficium donat, aut filiis patrum, qui eidem Eccleſiæ profuerunt, & patribus vtiliter ſuccedere poterunt, quoniam vt quidam ſcripſit, niſi vitulus nutriatur, bos aratro non iungitur, aut talibus dare debet, qui idonei ſunt reddere Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei Deo, exceptis huiuſmodi beneficiis, quæ miniſtris Eccleſiæ & ſibi neceſſariis, ſine quibus eſſe nec debemus nec poſſumus, tribuenda ſunt iubente Domino, *Non obturabis os boui trituranti.* Qui homines militares ſtudere debent, vt ſecundùm quantitatem & qualitatem beneficij, illud erga Epiſcopum, ac per hoc erga Eccleſiam, fideliter & vtiliter deſeruiant, & regio obſequio, ad defenſionem generaliter ſanctæ Dei Eccleſiæ, ſed & ſpecialiter ipſius Eccleſiæ proficere valeant. A quibus, vel ab eo, qui diu & Eccleſiæ vtilitatibus ac neceſſitatibus profuit, & reipublicæ ac militiæ vtilis fuit, & infirmitate vel ætate confectus iam per ſeipſum ea exequi non valet, præcipuè autem ſibi ſeruientem filium habenti, qui pro eo hæc valeat exequi, ſi Epiſcopus beneficium quacumque occaſione abſtulerit, & à vicini Epiſcopi monitis & precibus, vel cuiuſce alterius, iuſtitiam obtinere nequiuerit, non abhorret à ratione, ſi non accuſet Epiſcopum ad publicos iudi-

Ioan. 1. 33.
1. Cor. 11. 25
1. Tim. 5. 18

ces, quod non licet, ſed ad vos ſe reclamat de beneficio militiæ, quaſi de ſtipendiis & roga, quæ antea ſicut hodiéque fit alibi, dabantur militibus de publico, & aucta fidelium deuotione, apud noſtrates beneficia de rebus Eccleſiaſticis, quæ ſunt vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum, alimoniæ Domini ſeruorum & ancillarum, cum aliis exeniis obſecutoribus Principis diſpenſandis, cauſa ſuæ defenſionis regi ac reipublicæ vectigalia, quæ nobiſcum annua dona vocantur, præſtat Eccleſia, ſeruans quod iubet Apoſtolus, *Cui honorem honorem, cui vectigal vectigal*, ſubauditur præſtate regi ac defenſoribus veſtris. Qui ergo ſtipendia Ecleſiæ, cuiuſcumque ſint ordinis, loci, vel dignitatis, accipiunt, ſi pro illius ſalute ac quietis honore atque defenſione ſollicitè ac pro viribus non laborant, indignè quin & ad iudicium illa ſibi vſurpant. quia ſicut res & facultates Eccleſiæ ſunt Epiſcopo ad diſponendum & diſpenſandum commiſſæ, ita regiæ poteſtati commiſſæ ſunt ad defendendum atque tuendum, & per iura regum Eccleſia poſſidet poſſeſſiones, ſicut S. Auguſtinus in ſermone Ioannis Euangelij dicit, Leguntur inquiens leges manifeſtæ, vbi præceperunt Imperatores eos qui præter Eccleſiæ catholicæ [communionem vſurpant nomen Chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Eccleſiæ audeant poſſidere. * * * Manſuetudinis noſtræ lege prohibemus in iudiciis Epiſcopos accuſari, ne dum adfutura] ipſorum beneficio impunitas æſtimatur, libera ſit ad arguendos eos animis furialibus copia. Si quid eſt igitur querelarum, quod quiſpiam defert, apud alios potiſſimùm Epiſcopos conuenit explorari, vt opportuna atque commoda cunctorum quæſtionibus audientia commodetur. Et interpretatio eiuſdem legis. Specialiter prohibetur, ne quis audeat apud iudices publicos Epiſcopum accuſare, ſed in Epiſcoporum audientiam perferre non differat quicquid ſibi pro qualitate negotij putat poſſe competere, vt in Epiſcoporum aliorum iudicio quæ adſerit contra Epiſcopum debeant diffiniri.] Et item Valens, Gratianus, & Valentinianus, Qui mos eſt cauſarum ciuilium, idem in negotiis Eccleſiaſticis obtinendus eſt, vt ſi quæ ſunt ex quibuſdam diſſenſionibus, leuibúſque delictis, ad religionis obſeruantiam pertinentia, locis ſuis & à ſuæ diœceſeos Synodis audiantur, & reliqua.] & interpretatio eiuſdem legis, Quoties ex qualibet re ad religionem pertinente, inter clericos fuerit nata contentio, id ſpecialiter obſeruetur, vt conuocatis ab Epiſcopo diœceſaneis preſbyteris, quæ in contentionem venerint iudicio terminentur, & reliqua.] Et Theodoſius Chriſtianiſſimus Imperator, & beati Ambroſij, immo per eum Domini humillimus auditor, ad Optatum Auguſtalem inlata lege ad locum, Continua lege ſancimus, nomina Epiſcoporum, vel eorum qui Eccleſiæ neceſſitatibus ſeruiunt, ne ad iudicia ſiue

Rom. 13. 7. — Tract. VI. — Cod. Th. de Epiſcopis. L. 12. — Cod. eodē L. XXIII. — Cod. eodē poſt finem libri XVI.

Cod. eodẽ L. XLI. ordinariorum, siue extraordinariorum iudicum pertrahantur. Habent illi iudices suos, nec quicquam his publicis commune cum legibus, & reliqua.] Et item idem, Clericos, inquit, non nisi apud Episcopos accusari conuenit. Igitur si Episcopus, vel presbyter, diaconus, & quicumque inferioris loci Christianæ legis minister, apud Episcopum, si quidem alibi non oportet, à qualibet persona fuerint accusati, siue ille sublimis vir honoris, siue vllius alterius dignitatis, qui hoc genus inlaudabilis intentionis arripiet, nouerit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre. Si quis ergo contra huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intelligat se iacturæ famæ propriæ subiacere, vt damno pudoris existimationísque dispendio discat sibi alienæ verecundiæ impunè insidiari saltem de cetero non licere.] Quæ sit autem iactura infamiæ propriæ, & quæ sint personæ infames, leges Romanæ ac canones, sed & decreta sedis Romanæ Pontificum multotiens inde loquentes exponunt. Inter quos beatus Stephanus sancto Hilario scribens, ita dicit, Quòd verò consuluisti sedem A- Epist. I. postolicam, qui sint infames, aut qui ad gradus Ecclesiasticos non sint admittendi, & nosse te credimus, & pro auctoritate sedis Apostolicæ te informare non denegamus. Infames autem eas esse personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia. id est, omnes qui Christianæ legis normam abiiciunt, & statuta Ecclesiastica contemnunt. Similiter fures, sacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos. Sepulcrorum quoque violatores, & Apostolorum, atque successorum eorum, reliquorúmque sanctorum patrum statuta libenter violantes, & omnes qui aduersus patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur. Similiter & incestuosos, homicidas, periuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis fugientes, & qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt iniustè, & qui fratres calumniantur, aut accusant & non probant, vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam prouocant, & omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, & omnes quos Ecclesiasticæ vel sæculi leges infames pronuntiant. Hos verò non ad sacros ordines licet promouere, nec seruos ante legitimam libertatem, nec pœnitentes, nec digamos, nec eos qui curiæ deseruiunt, vel qui non sunt integri corpore, aut sanam non habent mentem vel intellectum, aut inobedientes sanctorum decretis existunt, aut furiosi manifestantur. Hi omnes nec ad sacros gradus debent prouehi, nec isti, nec liberti, neque suspecti, nec rectam fidem vel dignam conuersationem non Conc. Africanũ can. 95. 96. habentes, summos sacerdotes possunt accusare.] Et secundùm Africæ prouinciæ canones, criminosi, quos dicit Dominus ex his quæ Matt. 15. 18. 1. Cor. 15. 50 de corde procedunt coinquinatos, quósque docet Apostolus à regno Dei exclusos, excommunicati etiam, & omnes infamiæ

maculis aſperſi, omnéſque quos ad accuſanda publica crimina leges publicæ non admittunt, Eccleſiaſticos clericos niſi in propriis cauſis accuſare non poſſunt, nec ad teſtimonium aduerſus eos recipiuntur. Quia verò Chriſtiani ac religioſi principes, ſicut & ſuprà oſtendimus, Eccleſiæ clericos ad iudicia publica trahi vel inuitari noluerunt vel permiſerunt, in edicto Honorij & Theodoſij luce clariùs manifeſtatur, & qualiter eum habuerint, qui hoc agere contra Deum præſumpſit, in eodem edicto demonſtrant dicentes, Priuilegia Eccleſiarum omnium, quæ ſæculo noſtro Tyrannus inuiderat, prona deuotione reuocamus. ſcilicet vt quæcumque à diuis principibus conſtituta ſunt, vel quæ ſinguli quique Antiſtites pro cauſis Eccleſiaſticis impetrarunt, ſub pœna ſacrilegij iugi ſolidata æternitate ſeruentur. Clericos etiam, quos indiſcretim ad ſæculares iudices debere deduci infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſeruamus. Fas enim non eſt, vti diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.] Vnde ſanctus Leo, cum Synodo Romæ habita, Sarmationi & ceteris Epiſcopis ſcribit dicens, Tantam ſæculi poteſtates circa ſacerdotalem ordinem reuerentiam præualere voluerunt, etiam hi quos ſub imperiali nomine terris diuina potentia præeſſe præcepit, vt ius diſtringendorum negotiorum Epiſcopis ſanctis iuxta diualia conſtituta permiſerint. Quod cùm & iuris antiqui edictis & inlatis frequentiùs ſit legibus confirmatum, præſenti tempore à pleriſque inuenimus fuiſſe calcatum. Nam prætermiſſo ſacerdotali iudicio, paſſim ad examen ſęcularium tranſierunt. Quocirca nobis viſum eſt, vt hanc & ſacrarum legum & noſtri ordinis contumeliam, & ad præſens vlciſceretur plena diſtrictio, & obſeruandam formulam conſtitueret in futurum. Cenſemus itaque, vt quicumque, prætermiſſo ſacerdote Eccleſiæ ſuæ, ad diſceptationem venerit ſæcularium, ſacris liminibus expulſus, à cæleſti arceatur altario, & reliqua quæ inde ibi proſequitur.] Epiſcopi ſiquidem, & reliqui Eccleſiaſtici clerici, ſecundùm Apoſtolicam doctrinam, & ſacros canones, ac leges, ex quarum ſenſu magna pars in eiſdem, ſed & in decretis ſedis Romanæ Pontificum, ad regularia exequenda iudicia habetur inſerta, veluti de ſingulis ſubter commemoratis ibidem poteſtis relegere, ſi accuſantur, in eis locis vnde ſunt ipſi accuſati cauſa finietur: & nemo eorum rebus vel ſuis facultatibus ſpoliatus, à quoquam de quacumque cauſa interpellatus, reddet canonicè ac legaliter rationem, donec inde reſtitutus, & eis legitimè vſus, & ſic demùm regulariter ſit ad iudicium euocatus. & non de crimine, neque de ciuili cauſa apud ſæculares iudicari, neque ad ſæcularia iudicia debent inuitari vel trahi, ſicut tunc temporis fiebat, quando Chriſti nomen ab infidelibus non reuerebatur. Vnde Iacobus Apoſtolus ſcribit fidelibus, *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad iudicia?* Nec clericus, minimè autem Epiſcopus,

Cod. Th. de Epiſcopis, &c. L. XLVI.

Epiſt. XLVI.

Iac 2.6.

publicis iudiciis se potest purgare, quia nec potest vllius alterius, nisi Episcoporum & suorum regularium iudicum, subdi vel teneri iudicio: neque cuiquam licet Episcopum, vel alicuius ordinis clericum, quolibet modo damnare, nisi canonico Episcoporum iudicatum iudicio, vel si causa exegerit, regulari eorum petitione. Quot autem & quibus modis excedens Episcopus ab aliis Episcopis debeat corripi vel iudicari, canones sacri demonstrant. quos quiqui diligenter aduertit, in eisdem regulis comprehendit. quos & ego hîc ponerem, si necesse fore putarem. De sibi autem commissæ Ecclesiæ rebus ac mancipiis, quæ licèt legaliter, (nam aliter non debent,) in bannum mittantur, tamen sicut ipsi meliùs scitis, sicut res hominum liberorum non possunt in fiscum redigi, quia sunt Deo dicata, Episcopus secundùm leges quas Ecclesia recipit, & venerabiliter comprobat, & secundùm sacros canones ac decreta sedis Romanæ Pontificum, aduocatum publicis iudiciis dare debet: ex capite autem suo, tam pro crimine quàm pro ciuili causa, aut apud electos iudices, de quibus & sicut sacræ leges definiunt, aut ipse in Synodo coram Episcopis debet reddere rationem. sicut Arcadius, Honorius, & Theodosius in edicto suo decreuerunt dicentes, Priuilegia quæ Ecclesiis & clericis legum decernit auctoritas, hac quoque præceptione sancta & inuiolata permanere decernimus, atque hoc ipsis præcipuum ac singulare deferimus, vt quæcumque de nobis ad Ecclesiam tantùm pertinentium specialiter fuerint impetrata, non per coronatos, sed per aduocatos eorum arbitratu, & iudicibus innotescat, & sortiatur effectum. Sacerdotes verò prouinciæ erunt solliciti, ne sub hac scilicet priuilegij excusatione, etiam contra eorum vtilitatem aliquid his inferatur incommodum.] In hoc namque Capitulo euidenter ostenditur, quia de his quæ sunt Ecclesiæ, & quæ ab Imperatoribus, id est eorum liberalitate, ac per eorum leges collata ad Ecclesiam pertinent, Ecclesiastici clerici aduocatos iudicibus & non de se dare debent. Cùm enim dicunt, quæcumque de nobis ad Ecclesiam tantùm pertinentium specialiter fuerint impetrata, non Ecclesiastici clerici, minimè autem caput Episcopi comprehendit, cui tuendi clericos curam committit. Et in primo libro Capitulorum nostrorum Imperatorum, vestrorum autem progenitorum, præcipitur vt Episcopi suffraganei ad Metropolitanum respiciant, & clerici Ecclesiastici, si culpam incurrerint, vel inter se negotium aliquod habuerint, apud Ecclesiasticos iudicentur, non apud sæculares. Et sanctus Papa Gelasius in decretis suis, ad Episcopos paruipendentes fratrum vexationes cum digna increpatione scribit, dicens, Cur non compassi estis tantis fratribus vestris? cur non adistis Imperatorem? cur non Ecclesiæ causam & sacerdotum miserabilem decolorationem continuatis vocibus defleuistis, allegantes nunquam de Pontificibus nisi Ecclesiam iudicasse? Non est hu-

Cod.Th. de Episcopis, &c. L. XXXVIII.

Lib. I. Capitul. c. 8. & 10.

Epist. ad Orientales

humanarum legum de talibus ferre sententiam absque Ecclesiæ principaliter constitutis Pontificibus. obsequi solere principes Christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem: Episcopis caput subdere principem solitum, non de eorum capitibus iudicare. Vnde constat quia si non licet principi, nec cuiquam alteri licet nisi Episcopis, de Episcoporum capitibus iudicare. Quin etiam ipsæ leges publicæ, Ecclesiasticis regulis obsequentes, tales personas non nisi ab Episcopis sanxerunt iudicari. Et item Gelasius ad Anastasium Imperatorem, Duo sunt, inquit, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum & regalis potestas. in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quoniam licèt præsideas humano generi dignitate rerum, tamen Præsulibus diuinitatis intuitu deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumendis cælestibus sacramentis, eísque vt competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potiùs quàm præesse. Itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione conlatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obuiare sententiæ, quo oro te decet affectu & conuenit eis obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Proinde sicut non leue discrimen incumbit Pontificibus, siluisse pro diuinitatis cultu quod congruit, ita his quod absit non mediocre periculum est, qui cùm debeant parere despiciunt.] Vnde carissimum & venerabillimum mihi caput, verbis beati Gregorij ex Homilia Euangelij deuotissimam Christianitatem vestram alloquar dicens, Si nos indignos & qualescumque sacerdotes forsitan dignè despicitis, in mente tamen vestra vocantis vos per indignitatem nostram ad cælestia regna Domini reuerentiam seruate. Sæpe enim solet euenire quod dico, vt persona potens famulum habeat despectum. Cúmque per eum suis fortè vel extraneis aliquod responsum mandat, non despicitur persona loquentis serui, quia seruatur in corde reuerentia mittentis domini, nec pensant qui audiunt per quem, sed quid vel à quo audiunt.] Et si in nobis discernitis mores & conuersationem, at dignitatem attendite. Episcopis autem & res ac facultates Ecclesiasticas, Domini & Apostolorum eius traditione, ipsius sanctæ & primæ sedis omnes Pontifices commiserunt. De quibus propter prolixitatem operis, & breuitatem temporis, & festinantiam, hæc ad vos transmissionis collectione hìc omisi connectere, & in suis locis, si vobis placet, potestis ex integro legere. Sed & Antiocheni canones ita inde præcipiunt. Quæ sunt Ecclesiæ, sub omni

[Margin: Epist. x. — Homil. 36. in Euang. — Can. xxiv.]

sollicitudine, & conscientia bona, & fide quæ in Deum est, qui cuncta considerat iudicátque seruentur. quæ etiam dispensanda sunt iudicio & potestate Pontificis, cui commissus est populus & animæ
Can.xxv. quæ intra Ecclesiam congregantur.] *&* *item*, Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reuerentia & timore Dei. participet autem & ipse quibus indiget, si tamen indiget, tam suis quàm fratrum qui ab eo suscipiuntur necessariis vsibus profuturis, & reliqua.] Et
Can.vii. Gangrenses canones dicunt, Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit præter conscientiam Episcopi, vel eius cui huiuscemodi officia commissa sunt, nec cum eius volue-
Can.viii. rit agere consilio, anathema sit.] *&* *item*, Si quis dederit vel acceperit oblata præter Episcopum, vel eius qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat & qui accipit anathema sit.] Et adeo res & facultates Ecclesiæ potestati Episcopi sancto Spiritu decernente committuntur, vt à magna Synodo
Can.xxv. Chalcedonensi, etiam post mortem Episcopi, reditus Ecclesiæ viduatæ futuro Episcopo penes Oeconomum eiusdem Ecclesiæ integræ conseruari iubeantur. De quibus, siue viuente, siue defuncto Episcopo, quicumque quocumque ingenio, vnde grauetur Ecclesia, per angarias vel indebitas pensiones exigunt, sine timore ne sacrilegium admittant esse non possunt: etiamsi violenter non rapiant, sed quasi prudenter ingenio iniustè accipiant, cùm eos conscientia quacumque sinistra intentione in conspectu Domini cor intuentis
1.Ioan.3.20 accuset. præsertim cùm Ioannes dicat, *Si cor nostrum non reprehenderit nos, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.* * * * per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quando nos vitam corrigere valeamus alienam qui negligimus nostram? Curis enim sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intùs efficimur, quanto ad ea quæ foris sunt studiosiores videmur. Vsu quippe curæ terrenæ à cælesti desiderio obdurescit animus, & dum ipso suo vsu durus efficitur per actionem sæculi, ad ea emolliri non valet quæ pertinent ad caritatem Dei. & reliqua, quæ ibidem idem sanctus de negligentibus sacerdotibus prosequitur.] Vnde quanto minoris meriti sumus, vt Dominum contra vos si iratus fuerit tenere possimus, tanto magis non solùm actus vestros corrigere, verùm ne in præceptionibus vestris, quas vel verbo vel scripto decernitis, vel decreuistis, siue decreueritis, quod absit, aliqua iniustitia vel præsumptio siue indiscretio sit, sollicitè prouidere debetis, timentes com-
Esa. 10.1. minationem æterni iudicis qui dicit, *Væ his qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longè venientis? ad cuius auxilium confugietis? & vbi derelinquetis gloriam vestram, ne*

incuruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis. Super omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.] Et quia, sicut suprà Epist.x.
ostendi ex verbis beati Gelasij, duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas, in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem, sollerter prouidere debetis, ne extra ministerium vestrum, sicut Deo gratias hactenus prouidistis, manum in sacerdotalem ordinem, & in his quæ eidem ordini Spiritus sancti dono commissa sunt, contra præceptum Domini extendatis. lectione frequentantes, & mente condentes, quod scriptum est in secundo libro Paralipomenon, 2. Paral. 26. 4.
Fecit, inquit, *Ozias rex quod erat rectum in oculis Domini, & exquisiuit Dominum. Cúmque requireret Dominum, direxit eum in omnibus, & adiuuit eum contra Philisthiim & contra Arabes qui habitabant in Carbaal, & contra Ammonitas, & diuulgatum est nomen eius vsque in introitum Ægypti propter crebras victorias. & habuit multa pecora tam in campestribus quàm in eremi vastitate. vineas quoque habuit & vinitores in montibus & in carmelo. erat quippe homo agriculturæ deditus. Et fuit numerus totius exercitus eius trecentorum decem millium & centum. Sed cùm roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum suum. ingressúsque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. statímque ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt regi atque dixerunt, Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino. Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium, est istud officium. Egredere de sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratus est Ozias, & tenens in manu thuribulum vt adoleret incensum, minabatur sacerdotibus: statímque orta est lepra in fronte eius, coram sacerdotibus in domo Domini super altare thymiamatis. Cúmque respexisset eum Azarias pontifex, & omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & festinatò expulerunt eum. Sed & ipse perterritus accelerauit egredi, eo quòd sensisset illico plagam Domini. Fuit igitur Ozias rex leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus lepra, ob quam & eiectus fuerat de domo Domini.* In quo facto, quia sicut scriptura dicit, *Hæc autem in figura contingebant illis, scripta sunt autem propter nos*, diligenter attendendum est, quoniam quandiu Ozias Dominum coluit, pacificè regnum tenuit, & contra vicinas & alienigenas gentes crebras victorias habuit. Postquam autem officium non suum præsumpsit, sed in sacerdotale ministerium contra fas manum præsumptionis extendit, vsque ad diem mortis suæ lepra plenus in domo separata permansit. & victoriam nullam fecit, nec cum aliis qui bellabant bella Domini pro inimicis Israel qui Ecclesiæ typum tenuerat, perfusus lepra, id est, graui peccato percussus atque perculsus, habitare præualuit. Sic & eorum iudicio, qui- 1. Cor. 10. 11.

Matt.10.20 bus dicit Dominus, *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris mei qui loquitur in vobis*, & per quos eodem spiritu promulgati sunt canones, voluntariè atque ex deliberatione quiscumque violans & conuel-
Act.10.34. lens constituta diuina, quia docente Petro, *Non est personarum acceptor Deus*, ab Ecclesiæ corpore separatus, nisi per pœnitentiam & sacerdotalis indulgentiæ reconciliationem eidem Ecclesiæ fuerit reincorporatus, erit ab æterna Ecclesia separatus. Vnde & Apostolus præcipit cùm hu * * * sentientes Episcopi aut maiestatis rei, aut criminibus accusati. Verùm Arrius & Eutyches presbyteri, non nisi Conciliorum iudicio gradibus spoliati, & eorum decreto ab Imperatoribus leguntur proscripti, & in exilium deportati. Ego verò verbis non possum exprimere, quanta cõstringar in mente angustia, quoniam per ora multorùm audio volitare, quia homines omnium gentium, etiam & Iudæi Christianæ legis inimici, passim legum suarum iudicantur iudicio, bubulcus quoque, & subulcus, atque opilio, habent legem. & contra omnem consuetudinem Christianorum principum, (& contra præcepta Domini dominorum, dicentis in lege, & in Propheta, atque
Leuit.19. in Euangelio, & in Apostolo, *Non facies quod iniquum est, nec iniustè iu-*
Psal.57.1. Matt.7.2. *dicabis. Iustè iudica proximo tuo*, &, *Si verè vtique iustitiam loquimini. Iustè iudicate filij hominum*, quia, *in quo iudicio iudicaueritis iudicabitur de vobis.* videlicet aut iusto iudicio damnabimini pro eo quod fratrem iniusto iudicio condemnastis, aut iustè iudicantibus vobis iustitia respondebit, ergo sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari, hoc est per legem libertatis scilicet Euangelij iudicandi.) Episcopus qualiscumque cum sua Ecclesia, legem Ecclesiasticam, laicorum ac quarumdam infamium personarum non iudicio sed conludio atque ludibrio à vobis ignominiosè proscriptus, habere non potuit. Vnde legalis sententia, quam, vt & prædecessores
Libro XI. Epist.LIV. illius, beatus Gregorius in commonitorio Ioanni dato decreuit esse canonicam dicit, Necesse est vt quod contra leges actum est firmitatem non habeat. Et sanctus Augustinus in libro de vera religione dicit,
Cap.XXXI. In istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundùm ipsas. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum est, vt secundùm eius incommutabiles regulas quid sit per tempora iubendum vetandúmque discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est cognosce-
Epist.XLI. re, nefas est iudicare.] de qua beatus Prosper dixit,

Lex æterna Dei stabili regit omnia nutu.
Non mutat vario tempore consilium.

Nam si Imperatores Romanorum suam legem æternam ac perpetuam appellauerunt, multo magis lex illa æterna est, quæ est sancto
Epist.95.ad Rusticum. Spiritu promulgata. De qua sanctus Leo post discretionem quæ in ea

eſt oſtenſam dicit, In his quæ vel dubia fuerint vel obſcura, vel id nouerimus ſequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum inueniatur aduerſum. Quæ, inquit ſanctus Cæleſtinus, à nobis res digna ſeruabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permiſſa frangatur? Et ſacrum Carthaginenſe Concilium ſub Grato Epiſcopo dicit, De quibus apertiſſimè diuina ſcriptura ſanxit, non differenda ſententia eſt, ſed potiùs exequenda. Nemo contra prophetas, nemo contra Euangelia, nemo contra Apoſtolos facit ſine periculo, & quæ vel facta vel dicta ſuperiùs comprehenſa ſunt, vel aliis Conciliis conſcripta, quæ ſecundùm legem inueniuntur, cuſtodire nos oportet. Si quis verò ſtatuta ſupergreſſus corruperit, vel pro nihilo habenda putauerit, ſi laicus eſt communione, ſi clericus honore priuetur.] Quia vt ſanctus Papa Hilarius decernens dicit, non minus in ſanctarum traditionem delinquitur ſanctiones, quàm in iniuriam ipſius Domini proſilitur.] Qua de re flens dico, & corde mœrenti gemens pronuntio, quia nunc lex Domini inreprehenſibilis noſtris infelicibus & periculoſiſſimis temporibus tantum vigorem non habet reuerentia diuinitatis, ſicut antequam nomen Chriſti in honore per vniuerſum orbem fieret, leges Romanæ habebant timore Imperatoris. Legimus quippe in actibus Apoſtolorum, quoniam cùm Paulus & Silas cæſi in carcerem miſſi ſunt, quia miſerunt magiſtratus vt dimitterentur, Paulus autem dixit eis, *Cæſos nos publicè indemnatos homines Romanos miſerunt in carcerem & nunc occultè nos eiiciunt. Non ita, ſed veniant & ipſi nos eiiciant. Nuntiauerunt autem magiſtratibus lictores verba hæc, timuerúntque audientes quòd Romani eſſent, & venientes deprecati ſunt eos, & eiicientes rogabant vt egrederentur de vrbe.* Et item in eadem ſacra hiſtoria, *Quia non eſt conſuetudo Romanis, damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Et item cùm torquendus eſſet, dicens ſe eſſe Romanum dimiſſus eſt. Vnde non perfunctoriè audire de * * *

Epiſt. 2. Conc. I. cap. 13. & 14 Epiſt. 4. Act. 16. 37. Act. 25. 16.

Hîc deſinit vetus exemplar, in quo, notæ alioqui non infimæ, tanta erat partium aliquot Epiſtolæ perturbatio, vt de his etiam quas aſteriſcis diſtinximus, incertum ſit an ſuum locum teneant.



XXX.

AD HINCMARVM LAVDVNENSEM.

DE NIVINO EIVSQVE FRATRE BERTRICO. quos vt ſceleribus infames è parochia Remenſi eiecerat.

Nunc primùm edita ex Codice Laudunenſi.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS Hincmaro Coepiſcopo noſtro ſalutem.



NIVINVS in parochia mea ſacrilega infamia eſt diffamatus de quadam ſanctimoniali, ab infantia in Monaſterio Deo dicata, & à ſacerdote velata, quòd clanculò eam priùs corruperit, & poſtea ab ipſis Monaſterij clauſtris furtim educi fecerit; & in parochia mea aliquandiu multis ſcientibus habuerit, ac demùm latenter in alteram prouinciam abduxerit. Vnde recogitandi, ſiue ad noxam confitendam, ſiue ad infamiam ſuam purgandam, ei legales ac regulares conſilio & conſenſu clericorum ac nobilium laicorum noſtrorum inducias dedi: ſed ipſe nec confiteri peccatum, nec ab infamia ſe purgare legaliter adquieuit. Quapropter, quia non eſt de mea prouincia, illum à mea parochia excommunicaui, donec aut confiteretur, aut ſe ab obiectis purgaret. Nunc verò dici à multis audio, quoniam in altera prouincia res proprietatis ſuæ in pretium ab eo accipias, & illi res ac facultates Eccleſiaſticas, quas in ordinatione Epiſcopali ad regendum & regulariter diſpenſandum ſine pretio ſuſcepiſti, ad turpis lucri præmium in beneficium dones. Quod ſatis ſupérque ſanctarum ſcripturarum auctoritati contrarium, & canonum eſt ſacrorum decretis aduerſum: & ſi ita eſt, vt paſſim à multis, & etiam publicè in publicis placitis diuulgatur, quantum periculum ac detrimentum inde incurras, quantámque vituperationem ſacerdotali miniſterio ingeras, ſi ſanum ſapis, intelligis. Bertricum etiam, ipſius Niuini fratrem, frequentiſſimè de adulteriis & aliis inceſtis pollutionibus regulariter correptum, & non correctum, & diutiùs toleratum, atque vt à prauitatibus ſuis ſe cohiberet expectatum, quoniam à ſuis iniquitatibus eum coërcere non potui, quia non eſt de mea prouincia, à mea parochia regulariter exire cum ſuis præcepi. Quæ tibi, ſicut ſacri præcipiunt canones, nota facere procuraui. Data Idibus Februar. præſentis tertiæ Indictionis.



HINCMARI LAVDVNENSIS AD REMENSEM.

Purgat Niuinum séque ipsum in eius negotio, & Hincmarum Remensem perstringit.

Nunc primùm edita ex Codice Laudunensi.

Reuerentissimo Remorum Archiepiscopo HINCMARO, *Laudunensis Ecclesiæ minimus Episcoporum* HINCMARVS, *debitam in Christo deuotionem.*



FATEOR nunquam me voluisse aut velle vobis loqui aut scribere, quod contingat vestræ serenitati refraganda pernicie obuiare, aut fucabili decoloratione displicere, memor Cham, Sem, & Iaphet, scilicet maledictionis paternæ ac benedictionis. At modò ipsa temporis ratio pauca de his quæ instanter scripsistis exigit respondenda. De Niuini videlicet à parochia vestra excommunicatione mihi intimata, sic erat de ordinabiliter accusato, & se purgare nolente, aut non valente, nec confiteri adquiescente, vel à scientibus conuicto agendum. Sed tamen quæ aliter audiui, scilicet quòd à vestra accepto dominatione spatio, tenoréque suscepto, nullo tamen accusante nisi vestra probabilitate, pro æmulorum quidem suggestione, ei imputante, vt se ab octo ex paterna parte propinquis, & à quatuor æquè ex materna purgaret, venerit die locóque statuto ad hæc exequenda paratus, & nec vos ibidem nec missum repererit vestrum. & post hoc iterum coram vobis vestrísque, quamuis inopinatè remonitus, legaliter se expurgare voluerit ac valuerit. sed vos illi cum sua tertia manu quæsisse denominatim tales qui eum non curabant, ipso resultante quòd Francus esset, & vt liber se defendere vellet & quiret, & quidem cum ita idoneis quibus nullum posset crimen imponi. hoc refutantes eundem excommunicaueritis, vt in parochia vestra non ampliùs vna consisteret nocte, obsecrantes & contestantes nihilominus, vt nihil de suo collaborato perciperet. nullatenus credere potui, sicut non debui, quia quod vestra dignum est auctoritate, vestram non potest latere aut effugere sapientiam. Non enim detractoribus facilè credendum est. præsertim minimè de his qui vobiscum vnà in beatum Iob veraciter decantant, *Causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabam.* ad quos benedictio petituri peruenit, qui cor viduæ consolantur iustitia velut veste amicti, in iudicio etiam diademate redimiti. qui sunt oculus cæco & pes claudo, quos sentit pauper patres, quíque conterunt molas iniqui, & de dentibus eius auferunt prædam. Quod aute madicitis, vos à multis audisse me proprietatis suæ res in pretium ab eo accipere, & illi res ac facultates Ecclesiasticas ad turpis lucri præmium in beneficium donare, mentiri audistis. possémque mirari talia nunc vobis tali ac tanto dici, nisi sæpiùs similia vos audisse, ac falsò audita pro veris recepisse atque tenuisse scissem atque sensissem. de quibus non est modò dicendum per singula. Scio satis à beato Papa Anacleto dici, Nemo inuito auditori libenter refert. Nec inde debetis acidiari, si de his loquor, quæ scitis, quia nihil possum loqui de scripturarum tramite, saltem si sit chreston, quod nesciatis. Nam quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Et quod scimus loqui licet, & ea quæ vidimus & audiuimus testari possumus, & quod nescimus temerè veridicare non licet. Vnde Papa Victor inquit, Au-

Marginal notes: Iob 29.16. — Epist.III. — Epist.I.

diuimus namque apud vos vestrósque diuersa iudicia fieri & incerta iudicare. Incerta carissimi nullatenus iudicemus, quoad vsque veniat Dominus, qui latentia producet in lucem, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. quia quamuis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciali ordine publicantur.] Nam nunquam hactenus ab ineunte ætate, Deo miserante, de vllius turpis lucri præmio accepto me reprehendistis, aut exercuisse cognouistis, nec cognoscitis, nec Deo protegente cognoscetis. Negotij qualitas vnumquemque aut excusat, aut vt aiunt Apostolici canones accusat. Addo quòd homines vestri Eutramnus & Humarus nouerunt, quia actis retro annis idem Niuinus quasdam suæ proprietatis res mihi gratis per eorumdem manus delegauit, quia cum meis adiacebant, à suis autem longè distabant, quærens à me suffragari, quia multis indigebat. ego tamen & eum sponte in quibus potui carituosè adiuui, & easdem res, sicut præcipuè Eutramnus cognoscit, qui me ex hoc postea sæpè monuit vt eas requirerem, recipere nolui. quas etiam ipse Niuinus iam quoque, me neque resistente, alteri dedit. Ecce quibus indiciis declaratur falsum esse quod mihi imponitur. Ego autem non reuereor vllis de alicuius turpis lucri præmio notari argumentis. nec nego in quibus debeo & possum, fraterna caritate velle ac optare indigentibus subuenire. Oportet enim Episcopum in omnibus benefacere, omnésque recipere fideles. Nec recognosco me alicui parentum meorum velut sargæ dedisse beneficium. ex quo & reipublicæ probitas, & Ecclesiæ cui licèt indignus præsideo vtilitas non respondeat. Habeo quoque, nec denego, tales mihi consanguinitate coniunctos, quos si adiuuo tam in rebus adquirendis, quàm & in aliis eorum necessitatibus, non Ecclesiæ infero detrimentum, immo statui eius confero augmentum, quin & reipublicæ addo expedibile adminiculum. Nullum tamen tam mihi secundùm carnem habeo carum, pro cuius turpis lucri præmio à se ab aliquo altero in adquisitione rerum mercato consentiam, quod meo non congruit proposito, aut ad dantis vel accipientis periculosum redundet dispendium. quod ait Dominus, *Qui amat patrem aut matrem, aut fratrem, aut vxorem, aut agros plusquam me, non est me dignus.* Gratias autem ago de eo quòd testificamini, quia res ac facultates Ecclesiasticas in ordinatione Episcopali ad regendum & regulariter dispensandum sine pretio suscepi. Sed & quod Deo miserante vestris sum assecutus studiis, ingratus vobis fieri nunquam optaui, sed humillimus famulator extitisse contendi. Prosequimini satis supérque sanctarum scripturarum auctoritati contrarium, & canonum sacrorum esse decretis aduersum. Ergo vt ratione liquet, nec in hoc probor sacris iniuriam scripturis irrogare, nec canonum sacrorum decretis obuiare, à quibus Apostolica dumtaxat auctoritate roboratis, nunquam opto me deuiare, nec etiam reor me ab eis in præterito deuiasse. Annectitis quoque, si ita est, vt passim à multis & etiam publicè in publicis placitis diuulgatur, quantum periculum ac detrimentum inde incurram, quantámque vituperationem sacerdotali ministerio ingeram, si sanum sapio intelligere me. Istud mihi mirum est, quòd passim à multis & etiam publicè in publicis placitis illud diuulgatur, quod nec occultè à me cogitatur. Vtrum verò aliqui ex his placitis fecissent à vobis pro hoc petitionem negotio miror, inculcante beato Papa Callisto: Nullus ergo doctorem per scripta accuset, nec sine fideli & legitimo, qui etiam inreprehensibilem vitam ac conuersationem ducat, accusatore respondeat.] Et Papa Eleutherus testatur, Qui fratres accusant vel infestant, non eos diligunt, sed magis negligunt, & peccant, dicente Apostolo, *Dilectio proximi malum non operatur.* Item idem, *Frater autem fratrem adiuuans exaltabitur, & allidens dissipabitur.*] Et Papa Felix, ex diuino nos admonens oraculo, suis hæc ita prosecutus est institutis pro loco. Nam & à nostris antecessoribus, atque reliquis sanctis Patribus, multoties inhibitum est, ne quis

Domi-

Matt.10.37 — Epist.1. — Epist. vnica sub finem. — Rom.13.10 — Prou.18.10

Domini sacerdotibus detractiones irroget, quanto magis accusationes non ex radice caritatis prolatas? Quiescite, inquiunt, & nolite persequi eos qui Deo perfectè ministrant, quorum orationibus & terrena bella sedantur, & recedentium à Deo Angelorum pelluntur incursus, quique omnes dæmones corruptores precum assiduitate confundunt. Induciæ namque non sub angusto tempore, sed sub longo spatio concedendæ sunt, vt accusati se præparare, & vniuersos communicatores in prouinciis positos conuenire, & testes præparare, atque contra insidiatores se pleniter armare valeant. Iudices enim & accusatores tales esse debent, qui omni careant suspicione, & ex radice caritatis suam desiderent promere sententiam. His igitur tam legaliter, quàm & canonicè prolatis, etiam omnium Christianorum reuerentiam congaudere deposcimus, spirituali intercedente dilectione, & timore dominico, per quem humana remouetur offensio, & Ecclesiarum ædificatio præponitur vniuersis, vt magis vniuersi ad ædificationem fratrum laborent, quàm ad damnationem, quoniam, inquit Dominus, *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Iam enim formam dedimus, & à prædecessoribus nostris datam esse cognouimus, vt si quis se cognouerit Christianum, illud seruet quod ab Apostolis noscitur esse traditum, dicente Apostolo Paulo, *Si quis vobis annuntiauerit præter quod accepistis, anathema sit.* Christus enim Dei filius Dominus noster humano generi per propriam passionem salutem plenissimam condonauit, vt nos liberaret. Et si Deus in tantum nos dilexit, vt etiam proprio filio non parceret, sed pro nobis omnibus illum traderet, vt nos liberaret: vt quid nos non diligimus fratres, aut eos temerè iudicamus, cùm prædictus dicat Apostolus, *Nolite iudicare inuicem, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum?* Nam si illi qui fratres diligunt, ex Deo nati sunt, & vident Deum, quid ergo erit illis qui eos persequuntur, & eos detrahendo, machinando, accusando, infestando damnare moliuntur? Si illi filij Dei, proculdubio hi filij sunt diaboli, qui semper sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret, ita fratres insequuntur vt perdant. Qui verò adiuuare fratres refugiunt, maius peccatorum onus adquirunt, & fraternitatis solatio rei existunt. *Væ*, inquit Propheta, *qui potum dat amico suo mittens fel suum.* Et iterum sapientissimus Salomon ait, *Quoniam qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus ergo impij interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Dominum perueniet ad correptionem iniquitatum illius: quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.* Hæc enim si amplecti voluissent proprio & sano sensu, ad reprobum sensum minimè laberentur: sed per Dei timorem sermonum suorum præcauentes custodiam, piam sanctorum patrum definitionem sine quadam nocumenti præsumptione vtique conseruarent. quoniam dicit sacrum eloquium, *Consilium bonum conseruabit te, & mens bona custodiet te.* Non enim de fontibus salutiferis spiritualiter ad adquisitionem æternæ vitæ procedunt tales accusationes & detractiones. atque ideo competenter nos B. Paulus Apostolus præmonens ait, Non debere plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. In diffinitione pietatis perduremus. Qui enim hanc prætereunt, non tantùm ipsi sunt decidentes à corroboratione sua, sed insipientiæ suæ dereliquerunt omnibus memoriam, vt in his in quibus peccauerunt minimè latere potuissent.] Et Papa Damasus vniuersis Episcopis per Italiam constitutis scripsit: Relatum est enim ad sedem Apostolicam, vos accusationes fratrum per scripta suscipere absque legitimo accusatore. quod deinceps in omni orbe terrarum fieri Apostolica auctoritate prohibemus, & quod nuper factum est, absque vlla retardatione corrigi rogamus, nec vnquam priùs per scripta eorum qui accusantur causam discutere liceat, quàm per querulantiū institutiones vocati canonicè ad Synodum veniant, & præsens per præsentem agnoscat veraciter & intelligat quæ ei obiiciuntur. quod bene & per sapientiam Salomonis dicitur, *Antequàm scruteris non*

Felix II. epist. 1.
Ioan. 13.35.
Gal. 1.9.
Rom. 14.13.
Abac. 2.15.
Sap. 1.8.
Prou. 2.11.
Rom. 12.3.
Epist. IV.
Eccli. 11.

reprehendas. intellige priùs & tunc increpa. antequam audieris, non respondeas. Et licèt apertissima sit contrariorum reprehensio, verumtamen oportet his qui dati sunt ad eorum examinationẽ ordinem seruari ab his qui secundùm Deum perscrutari deputati sunt: quatinus ita cum operatione cooperante inueniamus & confessorem Deum, qui dicit, *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Nam & Dominus noster Iesus Christus Iudam furem esse sciebat: sed quia non est præsentaliter accusatus, ideo non est eiectus. nec vos vllo modo agere oportet quod ille noluit facere. Leges enim sæculi accusatores præsentes exigunt, & nõ per scripta absentes. Vnde canonica patrum constituta non semel sed sæpissimè clamant, nec accusationes, nec testimonia vllum per scripta posse proferre, nec de aliis negotiis quicumque testimonium dicant, nisi de his quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Similiter & qui accusare alium elegerit, præsens per se & non per alium accuset, inscriptione videlicet præmissa. neque vllus vnquam iudicetur, antequam legitimos accusatores præsentes habeat, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Curandum quoque est, ne ira quemquam surripiat, faciátque citiùs omne quod non licet.] Et Papa Hadrianus, longè post Papam Innocentium eius Petríque successor, cum aliis quamplurimis suis prædecessoribus ac successoribus, vt pro omnibus causa compendij vno vtar, ita constitutis inquit suis. Nullus Metropolitanus Episcopus, absque ceterorum omniũ comprouincialium Episcoporum instantia, aliquorũ audiat causas: quia irritæ erunt, immo etiam causam in Synodo pro facto dabit. Nec reliquorum aliquis Episcoporum suorum sacerdotum causas audiat absque præsentia clericorum suorum: quia irrita erit sententia Episcopi, nisi præsentia clericorum suorum confirmetur.] Nec obliuisci oportet quod & Damasus Papa edocens testatur, Discutere verò Episcopos, & summorum Ecclesiasticorum causas negotiorum, Metropolitanis vnà cum omnibus suis comprouincialibus, ita vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negotiis, licet. sed diffinire eorum atque Ecclesiarum summas querelas, vel damnare Episcopos, absque huius sanctæ sedis auctoritate minimè licet. quoniam omnes appellare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam vt nostis Synodum sine eius auctoritate fieri non est ratum, nec Episcopus nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, diffinitè damnari potest. neque vlla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate.] Ecce patet qui canones recipiendi, venerandi, ac obseruandi habeantur. Hinc autem ad superiora redeamus. Quia ergo nisi nomen sciatur, consequenter cognitio rerum perit, eadem facilitate poterant à vobis falsò, & sine vllo præcedente argumento, audita de me talia, vel iam nunc reiici, aut discredi quæ videbantur probari. vt illud præcepit Sapientis, *Antequam interroges, ne vituperes quemquam.* & item, *Antequam audias, non respondeas verbum.* & illud, *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. Et ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Aurum tuum & argentum confla, & verbis tuis facito stateram, & frænos, ori tuo rectos.* & illud, *Qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habebit impios. portas enim mortis aures suas efficit.* & illud, *Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbabit pacem habentes.* Sanum autem me sapere non iacto, cùm scriptum sit, *Via stulti recta in oculis eius.* Sed de hoc me, quo à vobis tam præproperè succensor aliquod periculum aut detrimentum incurrere, ita mihi conscius non timeo, vituperationem etiam sacerdotali ministerio de hoc ingeri nullis formido indiciis. Sed vt de aliis Deo miserante ac protegente custodiar, infelix homo eiusdẽ Dei gratiam pro scire & posse exoro, atque si auderem vos pro me id ipsum efflagitare, quem scio illud faciliùs posse apud eundem Dominum obtinere, obnixè & suppliciter deposcerem. Denique de Bertrico quæ subiungitis, illud maximè in causa est quod finitiuè supponitis dicendo, quæ tibi sicut sacri præcipiunt canones, nota facere procuraui. Vbi quærendum est ad quid illud mihi innotescitis. vtrum vt pro excommunicato eum tenere debeam,

Matt. 18. 20
In canonibus Angilramno datis.
Can. XIV.
Epist. II.
Eccli. 11. 7.
Ibid. 8.
Eccl. 28. 18.
Prou. 29. 12
Eccli. 28. 15
Prou. 12. 15.

quem vos vt dicitis, quia ex vestra prouincia non est, à vestra parochia regulariter exire cum suis præcepistis, & non dicitis excommunicastis, aut si nec etiam in vllius comprouincialis vestri Coepiscopi ei non liceat immorari parochia. Nam ex Nicæno didicimus Concilio, eiectos ab aliis recipi non debere. Modum autem istius eiectionis nosse conuenit. Ac si de adulteriis & aliis incestis pollutionibus regulariter correptus, sed non correctus, & diutiùs, vt asseritis, toleratus est, sciendum est modus correptionis vtrum fuerit secretus an publicus. vtrum à Christianorum consortio, aut à corpore & sanguine Domini fuerit segregatus, quem publicæ deditum pœnitentiæ non audiui. Peto etiam me instrui, si de vestra esset prouincia, non autem ex vestra parochia, qualiter ex eo acturi essetis. Deus pacis & dilectionis sit semper nobiscum, vt omnia nostra monente Apostolo cum caritate fiant, non per contentionem, neque per inanem gloriam.

Can. 5. — 1. Cor. 16. 14. — Philip. 2. 3.



XXXI.

AD HINCMARVM LAVDVNENSEM.

INTERCEDIT PRO HADVLFO PRESBYTERO, quem Hincmarus Laudunensis excommunicarat.

Nunc primùm edita ex Codice Laudunensi.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS Hincmaro dilecto fratri & venerabili Coepiscopo nostro salutem.

FRATER Clarentius communis compresbyter noster ad me veniens ex tua parte mihi dixit, quia fratri Hadulfo compresbytero nostro missaticum tuum ad Witgarium Episcopum de ciuitate Augustiburc pro libro Paterij & aliis quæ tibi placuerunt commiseris, de quo missatico non se excondixit. postea verò audisti, quòd in alias partes ire vellet, & misisti pro eo mandans illi per clericum tuum ex diuina & Episcopali auctoritate, vt ad te rediret, & direxisti homines tuos qui eum si redire nollet ad te reducerent. Veniens verò ad tuam præsentiam, non sic humiliter tibi respondit sicut debuerat & tibi placuit, & rogasti eum, vt iret Laudunum, & expectaret ibi vsque dum tu illuc venires, & coram fratribus cum illo rationes haberes. Isdem autem Hadulfus perrexit in Ecclesiam quæ est in Anisiaco, vbi & tu morabaris, & proiecit se ad orationem ante altare. Tu verò misisti post eum fratrem Clarentium, & diaconum tuum cum eo, & iussisti eis vt interdicerent Hadulfo ex diuina & Episcopali auctoritate ne in parochia tua communicaret, & Hadulfus missis digitis suis in auriculas ab eis in viam suam perrexit. Postea autem venit ad me præscriptus Hadulfus, & similiter vt Clarentius de missatico sibi iniuncto & reuersione sua ad te mihi dixit: de contumaci autem responsione non similiter. Sed & excom-

municationem ex parte tua, antequam ego illi dixerim, se non audisse professus est. & voluit ire Laudunum, quò vnà cum missis tuis præmisit hominem suum, & clausæ sunt obuiam illi ianuæ Ecclesiæ & porta claustri, & postea nihil de his quæ in mansione sua habuit obtinere præualuit. Nunc autem petit me interuenire apud te, quatinus ei liceat communicare in tua parochia, & locum ac mansionem suam, & ea quæ apud te proseruierat pleniter habere, & cum pace canonicè tibi seruire. Et si hoc tibi graue fuerit, habeat tantùm communionem in parochia tua, & liceat ei sub religione, vbicumque locum sibi aptum inuenire potuerit, conuersari, & sit tibi fidelis. Propterea, sicut tua prudentia nouit quàm sanctificati instent dies, in quibus præcipuè pax peti, & pax petentibus dari, etiam non petentibus pax & indulgentia debet concedi, & omnes colligationes impietatis dissolui, & fasciculi deprimentes absolui, sed & imperia dura curuari, remanda mihi præsentialiter litteris tuis, & per aliquem communium ministrorum nostrorum, de Ecclesiæ Laudunensis canonica qualiter tibi de ipso fratre Hadulfo placet. vtrum ei communionem tuæ parochiæ, & locum, & mansionem, ac ea quæ apud te proseruierat cum pace tua pleniter habere, & tecum canonicè conuersari valeat, an ei concessa communione in parochia tua, vbicumque locum sibi aptum inuenire potuerit, vt sub religione degat, hoc cum tua licentia facere valeat, & ei fidelitatem suam, quam erga te habet, vbicumque potuerit deuotè exhibeat. Data XIII. Kalend. April. Indictione III.



HINCMARI LAVDVNENSIS AD REMENSEM.

Hadulfo in Hincmari gratiam pristinæ mansionis locum permittit, communionem suam nondum concedit.

Nunc primùm edita ex Codice Laudunensi.

Reuerentissimo Remorum Archiepiscopo HINCMARO, *Deo miserante Episcopus Laudunensis Ecclesiæ* HINCMARVS *debitam in eodem Domino deuotionem.*



AD quædam super his quæ nuper de Hadulfo mandastis, nunc instanter respondere dignum ratione videtur. Nam tenor rei finísque tenoris, & tempus & locum non inconuenienter congruum præstolantur. Quòd scribitis, quia petit idem Hadulfus vos interuenire apud me, quatinus ei liceat communicare in mea parochia, & locum & mansionem suam, & ea quæ apud me proseruierat pleniter habere, & cum pace canonicè mihi seruire. & si hoc mihi graue fuerit, habere tantùm communionem in parochia mea, & licere ei sub religione, vbicumque locum

ſibi aptum inuenire potuerit, conuerſari, & ſit mihi fidelis. De proſeruitione quidem ſua præſens contra me calumniosè etiam inter cetera conqueſtus eſt. de qua ei cùm de ceteris tempore & loco congruo, cúmque audire dignatus fuerit, pleniter reſpondebo. Nunc autem illud pro ratione vobis reſpondeo, quia poteſtis, ſi vobis placet, illum vos petentem, vóſque audientem, vobíſque loquentem non ab re interrogare, cur ea quæ nunc repetit, nullo cogente, nullo ſuadente, per pilum veſtimenti ſui à ſe terra tenus eiectum, non tantùm dereliquit, quantum abominando deſpexit, adiciens multo ſibi melius fuiſſe, ac eſſe ſine his quæ ei dederam. Ergo quod ipſe execratus taliter fuerat, nunquid tunc non alius, qui gratiosè illud recipere ac habere optabat, adipiſci debuerat? Igitur pro veſtra interuentione ſuæ canonicæ locum ac ſibi priùs à me conceſſam permitto manſionem: communicare etiam omnibus ſibi volentibus exin quo reuerſus fuerit adquieſco. Verùm meam ſpecialiter, quam ipſe obdurato corde obturatíſque auribus, cum clamoſis in me deteſtationibus tam pertinaciter quàm perniciter aufugiendo, nullo tamen eum perſequente aut aliquam vim ei inferente ſpreuit, communionem, à qua me volente fraudatus non eſſet, tempore ſuo locóque congruo, aut iudiciariè recipiet, aut ſatisfactoriè obtinebit. Itaque decet probitatem veſtram, dum à vobis modò reuerſus fuerit, ita leporis veſtri ſale redeat conditus, vt non appareat his cum quibus conuerſatus fuerit adeo oneroſus, velut priùs à vobis ad me veniens mihi extitit, quod antea nunquam fuerat, contumelioſus. quoniam qui dixit, *Habete ſal in vobis*, & ipſe addidit, *& pacem habete inter vos.* Data v. Kalend. April. Marc. 9. 49.



HINCMARI LAVDVNENSIS AD REMENSEM.

De Senati clerici ordinatione, déque carcerali ſua detentione, & proclamatione ad ſedem Apoſtolicam.

Nunc primùm edita ex Cod. Laudunenſi.

Reuerentiſſimo Remorum Archiepiſcopo HINCMARO, *Laudunenſis Eccleſiæ minimus Epiſcoporum* HINCMARVS *debitam in Domino deuotionem.*



RELEGI curſim ſcripta veſtræ celſitudinis, quæ mihi perferenda deſtinaſtis, inſtante anniuerſario meî traditionis perpetratæ mea in parochia, & loco qui dicitur Siluacus. Meî autem non meæ ſcripſi traditionis, vt remoueatur amphibologia ambiguitatis inter tradentem & traditum ex poſſeſſiuo pronominis. Liquet enim ex primitiuo genitiui me traditum fuiſſe, non traditorem extitiſſe. Diſpectis autem veſtræ magnitudinis apicibus, me ſolito more morderi perſpexi, ſed lædi me Deo gratias non ſenſi. Pleniùs ergo abhinc vobis non reſpondere, tantis impetitus iaculis, tantóque notatus næuo, hactenus ſuſtinere paratus & diſſimulare conatus, integro quoque fugatus anno, ab inſtar Abner præterire volens, ſerris tritus non permittor. Itaque de cauſa Haimeradi compreſbyteri noſtri eo regulariter & canonicè audito reſcribam. De diffinitione autem, quam dicitis ſuper eodem à me factam negotio, ab his qui interfuerunt & viuunt, quóſque veſtris deſignatis ſcriptis, ſimiliter mihi erit, velut non omnium memori, requirendum, & ſic reſpondendum. Inter quos & Hadulfum in Synodo Idus

Maias Lauduno habenda adesse oportet, & nobis operæ pretium est. Miror verò, cur illum tam diu remorantem non remittitis, præsertim cùm super eo vestræ vt iustum erat annui interuentioni. Igitur causam quam nescimus diligenter inuestigantes, & eorum, vt puta homines, quæ per nos non reminiscimur, per alios rescientes certi facti, certitudinem pronuntiabimus, & vt veraces Deo propitiante veritatem ore & corde proferemus. At quod de clerico vestro Senato mihi ita scribitis ad locum, Propterea, si ipse clericus criminosus non est, & docibilis est, quod etiam in Episcopo canones sacri requirunt, quoniam à nobis tibi ordinandus offertur, non debes illum ab ordinatione in Ecclesia ipsa reicere, cui per tanta tempora eandem Ecclesiam consensisti.] Quod dicitis me consensisse, nescio vnde hoc scitis, quoniam res nota est, nec per casus aut formas saltem verisimiles inflectitur. Et ideo nec me consensisse scitis, nec illud probare potestis, præfigentibus sacris canonibus de omni Episcopo sub singulari numero, vt caueat Episcopus ne dicat in quemquam quod euidentibus probare non potest documentis. Et item canon, Qui vnum crimen probare non poterit, ad aliud admitti non debet. Nam & ipse in subsequentibus scribitis, quia presbytero vestræ parochiæ ad me misso respondi, quia sicut mihi fecistis in vestra parochia de mea Ecclesia, ita & ego vobis faciam de vestra Ecclesia in mea parochia.] Ecce quia non consentiebam. Quod autem illi respondi, assistentibus presbyteris, diaconibus, ac laicis respondi, ne irrita mea aut calumniosa in postmodum reperiretur sententia. Videlicet Sigeberto remandans, qui eum ad me miserat, de loco ac tempore rememorando, quando & vbi per meipsum iam de eadem Ecclesia ei fueram locutus, scilicet iuxta pontem in Cadamo. Non enim vel tunc ex vlla motione animi, sed pacificè eum monui, non rectè egisse quòd eum clericum me nesciente, & sine rationabili apud Haimeradum diffinitione, in eadem constituerit Ecclesia. Qui respondit, non hoc sine ministrorum meorum se consensu fecisse. Me autem persistente, quorum? exposuit Hadulfum. Tale autem super hoc à me recepit responsum, quòd essem locuturus cum Haimerado presbytero, & si ille cedere vellet sine querela, suis annuerem petitionibus: sin autem, quod ratio & auctoritas dictaret exequerer, quod & feci. Sed obtinere hoc apud eundem Haimeradum nullatenus præualui, & eidem Sigeberto id ipsum iam etiam per Lairadum hominem suum remandaui. Hæc autem presbytero suo ad me misso computare necessarium non duxi. sed vt recoleret quas rationes apud eum ex hoc, videlicet istas, habuerim remoui. Et quod post hoc in Synodo, sicut sæpè solebat, idem Haimeradus se reclamauerit ostendi, in qua idem clericus requisitus, sicut nec in aliis, inuentus non est. Vnde ei denuntiaui, vt antequam ad iudicialem hoc perferret negotium sententiam, emendaretur eidem Haimerado pacificè, quod illi derogatum sine Ecclesiastico fuerat iudicio, & hoc gratiosè ferebam, essétque restitutus quibus illegaliter extiterat spoliatus. & sic idem Sigibertus, si iustam in postmodum se putaret habere querimoniam, loco & tempore congruo & canonico deferret. Sciebam enim illud Capitulum, quod quasi contra me, quod agit pro me, ita vestris ad locum inseritis inquientes scriptis. Cùm sit

Lib. I. c. XC. constitutum in primo libro Capitulorum synodalium tempore Augustorum nostrorum à nostris maioribus conseruatorum, vt sine auctoritate vel consensu Episcoporum presbyteri in quibuslibet Ecclesiis non constituantur, nec expellantur.] Item in eisdem & istud contineri. De his qui sine consensu Episcopi

Lib. V. cap. XLIII. presbyteros in Ecclesiis suis constituunt, vel de Ecclesiis eiciunt, & ab Episcopo, vel à quolibet misso dominico, admoniti obedire noluerint, vt bannum nostrum reuuadiare cogantur, & per fideiussores ad palatium nostrum venire iubeantur: & tunc nos decernamus vtrum nobis placeat, vt aut illud bannum persoluant, aut aliam harmiscaram sustineant.] Et ideo Sigibertum præmonui, quod sine meo consensu actum erat, sine detrimento suî corrigeret. Ergo redeamus ad vestra, in quibus post alia additis, Et si eundem clericum in eadem

Ecclesia vis ordinare, scribe mihi secundùm morem, & ego illi libertatem Ecclesiasticam dabo. Si autem ipse clericus, cui per tanta tempora ipsam Ecclesiam in Follanebraio habere, & in ea laborare consensisti, non placet, & per rationem, aut pro crimine, aut pro indocibilitate illum reieceris, quem contra regulas sine mea licentia, & sine mea libertate canonica ordinasti, ostende & alterum inueniemus.] Ad quæ primum perquiro, cur à tanto tempore de sua irregulari ordinatione non requisistis: de meo autem non consensu iam respondi. Sed mea inscitia, fateor, vestram in hoc miratur sapientiam, dum asseritis quia eum contra regulas ordinaui, quod nondum probastis, eo quòd promittitis, si eundem in eadem Ecclesia volo ordinare, vt scribam vobis secundùm morem, & vos illi libertatem Ecclesiasticam dabitis. Nam difficile est, vt Apostolica intonat tuba, vt habeat bonum processum, quod habuit malum initium. Verùm si illud vobis in me placeret custodire Sapientis, *Priusquam interroges, ne vituperes quenquam*, vbi nemo excluditur, priùs erat modus ordinationis cognoscendus, & sic aut ordinator aut ordinatus iure iudicandus, aut vtrique canonico percellendi cauterio. Ergo Capitulum quod ex Augustorum nostrorum libro, quasi contra me, quod agit pro me, detruncatum posuistis, integrum resumite. Lib.1.c.88. DE ORDINATIONE SERVORVM. De seruorum ordinatione, qui passim ad gradus Ecclesiasticos indiscretè promouebantur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordari debere. Et statutum est, vt nullus Episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promouere præsumat, nisi priùs à dominis propriis libertatem consecuti fuerint. Et si quilibet seruus dominum suum fugiens, aut latitans, aut adhibitis testibus munere conductis, vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude, ad gradus Ecclesiasticos peruenerit, decretum est vt deponatur, & dominus eius eum recipiat. Si verò auus aut pater, ab alia patria in aliam migrans, in eadem prouincia filium genuerit, & ipse filius ibidem educatus, & ad gradus Ecclesiasticos promotus fuerit, & vtrum seruus sit ignoratum fuerit, & postea veniens dominus illius legibus eum adquisierit, sancitum est, vt si dominus eius illi libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat. Si verò eum catena seruitutis à castris dominicis extrahere voluerit, gradum amittat. quia iuxta sacros ordines vilis persona manens sacerdotij dignitate fungi non potest. De rebus verò illorum vel peculiari, qui à propriis dominis libertate donantur, vt ad gradus Ecclesiasticos iure promoueantur, statutum est, vt in potestate dominorum consistat, vtrum illis concedere an sibi vindicare voluerint. Ceterùm si post ordinationem aliquid adquisierint, illud obseruetur quod in canonibus de consecratis nihil habentibus constitutum est. De Ecclesiarum verò seruis, communi sententia decretum est, vt Archiepiscopi per singulas prouincias constituti nostram auctoritatem, suffraganei verò illorum exemplar illius penes se habeant, & quandocumque de familia Ecclesiæ vtilis iuuentus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus vel fidelibus laicis ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate libertatem consequantur, & tum demùm ad gradus Ecclesiasticos promoueantur. Similiter quoque de his agendũ est, quos præpositi canonicorum aut monachorum ordinandos expetiuerint, eadem forma seruanda est.] Huius autem Capituli tenore perspecto, responsum de ordinatione clerici vestri meum, si à me factum est, tempore & loco cum congruo tunc canonico expectate, & interea de mea irregulari ordinatione iudicare desistite, quoniam accusator simul & iudex non eritis. Aduertite nihilominus in hoc quid ipsi de posterioribus scribitis canonibus, vt nullus seruilibus colonariisque conditionibus obligatus iuxta statuta sedis Apostolicæ ad honores Ecclesiasticos admittatur, nisi priùs aut testamento, aut per tabulas eum legitimè constiterit absolutum. Quæ si quis Episcoporum, eius qui ordinatur conditionem sciens, transgredi per ordinationem inhibitam fortassè voluerit, anni spatio Missas facere non præsumat. De scientia huius clerici conditio-

nis, & de transgressione per ordinationem inhibitam patet quod decerneretur. quæ priùs si placet opponenda est, & aut confesso aut conuicto inculcandum erit iudicium, quod iam licet de me non conuicto nec confesso, absque vlla Synodo, sine vlla huiusmodi interrogatione, aut requisitione, aut præsenti interpellatione, officium accusatoris simul & iudicis, tam de absente quàm absenti scripto vobis vindicantes, exercueritis ita pronuntiando, Quia verò ipsum clericum contra regulas ordinasti, regulæ [sacræ demonstrant dicentes, Admittuntur, inquit Leo in epistola ad vniuersos Episcopos per vniuersas prouincias constitutos, passim ad ordinem sacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur, & qui à dominis suis libertatem consequi minimè potuerunt, ad fastigium sacerdotij, tãquam seruilis vilitas hunc honorem capiat prouehuntur, & probari Deo posse creditur, qui domino suo necdum probare se potuit. Duplex itaque in hac parte reatus est, quòd & sacrum ministerium talis consortij vilitate polluitur, & dominorum, quantum ad illicitæ vsurpationis temeritatem pertinet, iura soluuntur. Ab his itaque, fratres carissimi, omnes vestræ prouinciæ abstineant sacerdotes. & non tantùm ab his, sed & ab aliis etiam, qui originali alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari. nisi fortè eorum petitio aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis, qui diuinæ militiæ fuerit aggregandus, vt à castris dominicis, quibus nomen eius adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.] Et quasi hæc in me exponendo, hæc sequentia subinfertis. Et post decretam natalium honestatem, mores ordinandorum describens, hanc conclusionem subiungit, Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quòd si quis fratrum contra hæc constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ.] Atque adiungitis, Sciendum verò est, hîc non vacare à discretione & rationis specialitate Hæc pronomen *pluralis* numeri, Si quis fratrum contra hæc constituta venire tentauerit, & reliqua vsque dum prosequimini, repetamus superiora huius epistolæ. Scitote nec istud Hoc singulare, quod pertinet ad omnes, à beato Papa Leone positum, nec ista Hæc pronominis, quæ respiciunt ad vnumquemque, quæ vel superiùs de eiusdem statutis Papæ præposuistis, aut inferiùs subiungitis, & sicut vultis exponitis, in hac de qua agitis querela quiddam mihi obuiare. quia nec intelligo, nec intellexi admittendos ad ordines sacros seruituti obnoxios, nisi libertate dominorum suorum donatos, neque inuentos aut detectos statuo retinendos, neque ad hos gradus viduarum maritos, aut quibus numerosa fuerint coniugia, vllo pacto adquiesco vel adquieui suscipiendos. neque aliquod turpis lucri fœnus, aut suo aut aliquo nomine aliquem clericorum impunè duco exercentem: & ideo & illud Hoc, & ista Hæc, cum reliquis quæ prohibita sunt execror. Sed &, si libet, priùs officium accusatoris iudiciario ordine assumite, & canonicè illud exequimini, & canonicè paratus ero ostendere, qualiter contra me ista non cognosco pertinere. & qualiter ea intelligam & amplectar, paratus ero verbum ex verbo vsque ad iota vnum, ex fidei subtemine quæ ab eodem Papa contexta sunt exerere. Scribitis quoque ad locum, Hos autem Gallicanos canones, quibus sæpè in tuis scriptis vteris, & per quos te reclamas, scio quia non abicies.] Et quia nunc longum ac superuacuum videtur, cùm per singula de ceteris omnibus, tunc & de eorum receptione pleniter respondebo. Quod autem de vestro scripsistis clerico ita, Si autem ideo illum vis ad Synodum tuam venire, quoniam Chalcedonenses canones dicunt nullum absolutè ordinari debere presbyterum aut diaconum, nec quemlibet in gradu Ecclesiastico, & reliqua.] Quæ reliqua quia non tetigistis apponimus, Nisi specialiter Ecclesiæ ciuitatis, aut possessionis, aut martyrij, aut monasterij qui ordinandus est pronuntietur. Qui verò absolutè ordinantur, decreuit Synodus irritam haberi huiuscemodi manus impositionẽ, & nusquam posse ministrare ad ordinantis iniuriam.] Scio me non aliter vnquam ordinasse quen-

quam

Marginal notes: Epist. I. — Leo ibidẽ in fine. — Can. VI.

quam, qui taliter non pronuntiaretur. quod si fecissem, irrita haberetur manus impositio, nec ministrare ordinatus ad meam posset iniuriam. Quod Concilium post istud Capitulum, concinendo hoc depromit secundum. Clerici qui præficiuntur prochiis, vel qui ordinantur in monasteriis, & basilicis Martyrum sub Episcoporum qui in vnaquaque ciuitate sunt, secundùm sanctorum Patrum traditiones, potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo dissiliant. Qui verò audent peruertere huiusmodi formam quocumque modo, nec proprio subiiciuntur Episcopo, si quidem clerici sunt, canonum correptionibus subiacebunt: si verò laici vel monachi fuerint, communione priuentur.] Ergo ordinationis modus indagandus est & subditis. Vt item oblitus per illum discas, cuius suasione illum contra regulas ordinaueris, quatenus si fortè in Synodo Episcoporum inde compellatus fueris, habeas quid respondeas: manda mihi, & ego illum, quoniam nostræ Ecclesiæ est mancipium nulla libertate donatum, per meos missos tibi in Synodum tuam transmittam, vt discas quod beatus Leo ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum scribit, quia sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur.] Stupeo & in his & in ipsis, quæ superiùs cum beato Gregorio prædicabilibus proposuistis præsentialiter scriptis dicentes, Præsertim cùm neminem pastoris fungentem officio latere debeat, quia in exequendo diuino ministerio, sicut nullius gratia ad indebita prouocari, ita & debita nullius odio vel priuati studij zelo debeat retardare, siue peruertere.] Ecce in mala suasione delictum, & in mala consensione peccatum depromitur. & sicut vos sentitis quod mihi malè suasum est, & à me malè consensum, vos pariter consentire videmini, dicentes quæ iam præmisi, vt scribam vobis si eum ordinare volo secundùm morem, & vos illi libertatem Ecclesiasticam dabitis, quem taliter ad gradus Ecclesiasticos peruenisse diuulgatis. An hîc aut odium alicuius bullit, aut gratia alicuius scaturit? Vt capiatur ordinator, fortè malè est & irregulariter clericus vester ordinatus. Vt verò intentioni ipsius malè hunc instituentis alterius in loco non refragetur, libertatem dabitis promouendi. Illúdne odium parturit? istúdne gratia gignit? Vt autem prælibaui, quondam gratiosa eiusdem Sigiberti allocutione etsi delibutus, tamen clericum hunc irregulariter suscipere quasi gratia illectus non præsumpsi. Nunc autem, licèt illo mihi insidiante, nullo odio motus, quod ratio & auctoritas dictauerit exequendum, si suæ abhinc, quod hactenus non fecit, voluntati iustitia fauerit, via iustitiæ à nobis prosecutionis iter non retardabit. Præfatum autem clericum ideo ita commonitoriè ad Synodum vocaui, quia ab Haimerado presbytero accusatur. Sed & nunc, quia à vobis de sua ordinatione calumniatur, vt adueniat peruoco, & quod meum est ei propinabo. Si autem missos vestros, aut cum eo, aut post eum ad Synodum dirigere disponitis, qui eum seruituti obnoxium comprobent, aut si ipse negare non potuerit, suam audiant professionem, non mihi displicet. Ille tamen si intrauerit per ostium, retinebit eum ouile ouium: sin autem ascendit ex aduerso, ac velut fur aliunde, expelletur vt latro. Quòd autem mihi de eodem scribitis ita, Ipse autem nullam rationem, spoliatus contra rationem & auctoritatem, tibi inde in Synodo regulariter reddere debet. O vtinam mihi qualicumque Episcopo, carcerali sicut scitis custodiæ tradito, & nullo crimine appetito, neque Synodale vnquam aut vsquam diffugienti iudiciũ, hoc ipsum ea conditione conseruaretis, vt contra rationem, & Apostolicæ sedis auctoritatem, dolorem super vulnus addentes, & inferentes mihi & parochiæ meæ, contra Apostolicorum omnium decreta, etiam ab Apostolica sede vocato, & eam appellanti, præiudicium non exigeretis à me responsum, vsque ad Synodalem saltem conuentum. qui non solùm eram spoliatus rebus ac facultatibus cunctis, verùm & potestate corporis, decernente beato Felice Papa, cum prædecessoribus suis Iulio Papa, & Lucio, Calixto, Zephyrino, Victore, Aniceto, Hygino, Xysto, & Alexandro, ac successoribus Damaso, Gelasio, & Adriano. Si quis Episcoporum suis fuerit rebus exspoliatus, aut à sua Ecclesia vi aut timore expulsus, quod

Can. VIII. — Epist. 87. — Felix II. epist. I.

omni Christiano nomini est inimicum, oportet & decet Episcoporum propositum semper prima fronte certare, vt omnia quæ ei ablata sunt potestati eius legaliter reddantur, & Præsul priùs restituatur, & postea non statim, sed diu & per spatiosa tempora suis potestatiue dispositis, & ad suam necessitatem præparatis, ad tempus veniat ad causam, & si iustè visum fuerit, accusatoribus respondeat suis.] ET IN SVBSEQVENTIBVS, Quotiens Episcopi se à suis comprouincialibus, vel à Metropolitano putauerint prægrauari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem, ad quam eos absque vlla detentione, aut suarum rerum ablatione, liberè ire liceat. & dum prædictam Romanam matrem appellauerint Ecclesiam, aut ab ea se audiri expoposcerint, nullus eos aut excommunicare, aut eorum sedes surripere, aut eorum res auferre, aut aliquam vim eis inferre præsumat, antequàm amborum causa Romani Pontificis auctoritate finiatur. Quòd si aliter à quoquam præsumptum fuerit, nil erit, sed viribus carebit. Nam nec hoc perperè præsumimus, sed & id ipsum in Nicæna Synodo constitutum, & antecessores nostros egisse, bene Athanasi nosti. quoniam quando tu, & Paulus Constantinopolitanus, Asclepius Gazæ, & Lucianus Adrianopolites ab Orientalibus Episcopis, inconsulto sanctæ memoriæ Iulio prædecessore nostro, damnati estis, & ad eum, quasi ad totius orbis caput, vt semper huic sanctæ sedi licitum fuit, confugistis, cognita eorum nequitia, & vestra iustitia, vos in communionem suscepit, & omnium vestrûm curam gerens, propter sedis propriæ dignitatem, singulos suis reddens Ecclesiis, Orientalibus scripsit, culpans eos quòd non rectè tractassent, viros inculpabiles de suis Ecclesiis expellentes, & constituta Nicæni Concilij minimè conseruantes. E quibus ad certum diem nonnullos sibimet adesse præcepit, vt de talibus certam præsumptionibus redderent rationem, & coram eis ostenderet iustum se super eis protulisse decretum. Interminatus est etiam, non talia deinceps fratres esse passuros, & nisi ab huiusmodi præsumptionibus cessarent, à propriis esse gradibus eos recessuros. Tali enim huius sanctæ sedis priuilegio tu & fratres tui proprias recepistis Ecclesias cum omnibus sibi pertinentibus. His & aliis quamplurimis documentis manifestum est, nullum damnari, aut suis exspoliari rebus debere Episcopum, qui hanc sanctam sedem interpellauerit, aut sibi defensatricem adsciuerit, donec iudicium de eo nostræ Apostolicæ auctoritatis, hoc est principis Apostolorum Petri agnoscat, quia solummodo Christus Iesus huic sanctæ sedi, id est Apostolicæ hoc facere commisit. Vt pote quoniam solus atque præ omnibus præfatus princeps Apostolorum creditus est, atque percipere meruit à rege regum Christo Deo claues regni cælorum.] Ista felicia cum isto Felici pariter tonant duodecim mundi luminaria, per quæ reclamo cum eorum prædecessoribus ac successoribus, nec quicquam habebitur ratum, quicquid ab eorum cõstitutionibus fuerit diuersum. Ergo in isto & isti vana loquuntur cum cunctis prædecessoribus eorum, quia sic vniuscuiusque successoris auctoritas habebitur rata, si prædecessoris sui actibus, vt ait Symmachus Papa, tribuerit firmitatem. Itaque vnde ille vester clericus spoliatus sit nescio, neque vnde vestitus esse debeat adhuc ignoro. Si autem aut reclamationis aut expiationis vocem, aut accusationis aduersus aliquem habet in mea parochia, vtrum ad Synodum à paruitate mea habendam debeat venire penitus à vobis poterit discere. Data Kalend. Maij præsentis tertiæ Indictionis.

In eadem sub mediũ.

Ex epistola Victoris Papæ, Theophilo Alexandrino Episcopo directa, qui fuit quintus decimus post Petrum.

Epist. 1. AVDIVIMVS namque, apud vos vestrósque diuersa iudicia fieri, & incerta iudicari. Incerta carissimi nullatenus iudicemus, quoad vsque veniat Dominus, qui latentia producet in lucem, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quia quamuis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur. Similiter ea vos iudicare ad Apostolicam delatum est sedem, quæ præter nostram vobis diffinire non licet auctoritatem, id est Episcoporum causam. Vnde ita constitutum liquet à tempore Apostolorum, & deinceps. Placuit vt accusatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet & adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se aut per Vicarios suos eius retractare negotium procuret. & dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in loco eius ponatur aut ordinetur Episcopus. quoniam quanquam comprouincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamen diffinire inconsulto Romano Pontifice permissum est, cùm beato Petro Apostolo non ab alio quàm ab ipso dictum sit Domino, Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. & alibi in statutis legitur Apostolicis, Si quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud patriarcham vel primatem diœceseos, aut penes vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ iudicetur sedem. Nihil aliud est, fratres, talis præsumptio, nisi Apostolorum suorúmque successorum terminos transgredi, eorúmque decreta violari. Culpantur enim vt scriptum est fratres, qui aliter circa Episcopos iudicare præsumunt, quàm Apostolicæ sedis Papæ fieri placuerit.]

Ex epistola Callisti Papæ, ad omnes Galliarum vrbium Episcopos, qui fuit decimus septimus post Petrum.

NVLLVS primas vel metropolitanus diœcesani Ecclesiam, vel parochianum, vel aliquid eius parochiæ, præsumat excommunicare, vel iudicare, aliquídve agere absque eius consilio vel iudicio. Sed hoc obseruent, quod ab Apostolis ac patribus & prædecessoribus nostris est statutum, & à nobis confirmatum, id est, Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodò propriam pertinet parochiam, sine consilio & voluntate comprouincialium Episcoporum extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habeatur & vacuum. Sed quicquid de prouincialium Coepiscoporum causis, eorúmque Ecclesiarum & clericorum, atque sæcularium necessitatibus, agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprouincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima & concordi administratione. sicut Dominus ait, *Non veni ministrari, sed ministrare.* & alibi, *Qui maior est vestrûm, erit minister vester.* & reliqua. ITEM VNDE SVPRA, DE PRIMATIBVS ET METROPOLITANIS. Nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullúsque reliquorum Episcoporum, alterius adeat ciuitatem, aut ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius Episcopi est parochiæ, super cuiusquam dispositione, nisi vocatus ab eo cuius iuris esse dinoscitur, vt quiddam ibi disponat vel ordinet, aut iudicet, si sui gradus honore potiri voluerit. Sin aliter præsumpserit damnabitur: & non solùm ille, sed cooperantes eíque consentientes. quia sicut ordinatio, ita eis & iudicatio, & aliarum rerum dispositio prohibetur. Nam qui ordinare non poterit, qualiter iudicabit? Nullatenus proculdubio iudicabit, aut iudicare poterit. quoniã sicut alterius vxor, nec adulterari ab aliquo, vel iudicari aut disponi, nisi à proprio viro eo viuente

Epist. 1. — Matt. 20. 26. & 28. — Ibidem post alia.

Permittitur. sic nec vxor Episcopi, quæ eius Ecclesia vel parochia indubitanter intelligitur, eo viuẽte, absque eius iudicio & volũtate, alteri iudicare vel disponere, aut eius concubitu frui, id est ordinatione, vllatenus conceditur. Vnde ait Apostolus, *Alligata est vxor legi, quandiu vir eius viuit. Eo verò defuncto, soluta est à lege viri.* Similiter & sponsa Episcopi, quia sponsa vxórque eius dicitur Ecclesia, illo viuente est ei alligata. Eo verò defuncto soluta est, cui voluerit nubat, tantùm in Domino, id est regulariter. Si enim eo viuente alteri nupserit, adulterata iudicabitur. Similiter & ille, si alteram spontè duxerit, adulter æstimabitur, & communione priuabitur. Si autem persecutus in sua fuerit Ecclesia, fugiendum est illi ad alteram, eique est sociandus, dicente Domino, *Si persecuti vos fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam.* Si autem vtilitatis causa fuerit mutandus, non per se hoc agat, sed fratribus inuitantibus, & auctoritate huius sanctæ sedis faciat, non ambitus causa, sed vtilitatis.

1. Cor. 6. 39.

Matt. 10. 23

In decretalibvs Lvcii Papæ, de Metropolitanis Episcopis, qui fuit vicesimus tertius post Petrum.

Epist. vnica

Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodò propriam pertinet parochiam, sine consilio & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum, extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habeatur & vacuum. Similiter autem auctoritate fulti Apostolica præcipimus, vt nullus Metropolitanus, absque ceterorum omnium comprouincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas, quia irritæ erunt, & ipse causam pro facto dabit.

In decretalibvs Ivlii Papæ, de Metropolitanis Episcopis, qui fuit tricesimus sextus post Petrum.

Epist. 1.

Qvoniam sanctam Romanam Ecclesiam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt. vt sicut beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia, ipsius nomine consecrata, Domino instituente prima & caput sit ceterarum, & ad eam quasi ad matrem atque apicem, omnes maiores Ecclesiæ causæ & iudicia Episcoporum recurrant, eiúsque iusta terminum sumant sententia. Nec extra Romanum quicquam ex eis decerni debere Pontificem. quatinus non ita proteruè & pro libitu cuiusquam suo proprio arbitrio, quibusque Metropolitanis, sicut agere solebant, liceat inconsulto Romano Pontifice, aut maiores Ecclesiæ causas deturbare, aut Episcopos damnare: sed communi sanctæ Romanæ sedis Episcopi consilio, & concordi actione, quæque sunt Christi zelo agenda disponant. vnanimitérque rectè sentiant, & quæ senserint non sibimet discrepando, sed Deo placitè perficiant. Et post pavca, Si quis ab hodierna die & deinceps Episcopum præter huius sanctæ sedis sententiam damnare, aut propria pellere sede præsumpserit, sciat se inrecuperabiliter esse damnatum, & proprio carere perpetim honore. Item eivsdem, ex decretis qvæ svmpsit ex Nicæno Concilio. Vt omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur vel criminantur causis, quoties necesse fuerit liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, vt ab ea sicut semper fuit piè fulciantur, defendantur, & liberentur. Cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum, eorúmque successorum, atque canonum auctoritas reseruauit. quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdẽ sedis Papæ fieri placuerit. Placuit vt accusatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliquã causa Episcopus licenter appellet & adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se aut per Vicarios suos retractari negotium procuret. & dum iterato iudicio Pontifex causam suam audit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur Episcopus. quoniam quanquam compro-

Epist. 11. ad Orientales

uincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamen diffinire inconsulto Romano Pontifice
Matt.16. permissum est. cum beato Petro Apostolo non ab alio quàm ab ipso dictum sit Domino, *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Si quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud Primatem diœceseos, aut penes vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ Papam iudicetur. ET POST PAVCA, Nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque eius Episcopi voluntate, vel iudicare, salua tamen in omnibus Apostolica auctoritate. quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita & diiudicatio. Quoniam censemus nullum alterius iudicis nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus poterit.

EX CAPITVLIS SANCTISSIMI Archiepiscopi Felicis, ex Nicæna Synodo sumptis.

Epist. II. QVANQVAM comprouincialibus Episcopis, vnà cum eorum Metropolitano, suæ prouinciæ causas Episcoporum liceat caritatiuè & concorditer agitare: non tamen, sicut in prædicta te præsente est constitutum Synodo, licet diffinire absque Romani Pontificis auctoritate. Quòd si secùs à quibusdam præsumptum fuerit, ipsi qui hoc egerint, suæ præsumptionis suscipiant damnum, & illi qui ab eis perperam excommunicati aut damnati fuerint, auctoritate huius sanctæ sedis, & beati præceptoris nostri clauigeri Petri potestate soluantur atque restituantur. Ipsi enim ait Dominus, Quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. CAPITVLO XX. Quotiens Episcopi se à suis comprouincialibus, vel à Metropolitano putauerint prægrauari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem, ad quam eos absque vlla detentione, aut suarum rerum ablatione, liberè ire liceat. & dum prædictam Romanam matrem appellauerint Ecclesiam, aut ab ea se audiri expoposcerint, nullus eos excommunicare, aut eorum sedes surripere, aut eorum res auferre, aut aliquam vim eis inferre præsumat, antequàm amborum causa Romani Pontificis auctoritate finiatur. Quòd si aliter à quoquam præsumptum fuerit, nil erit, sed viribus carebit. Nam nec hoc perperè præsumimus: sed ipsum & in Nicæna Synodo constitutum, & antecessores nostros egisse, bene Athanasi nosti. quoniam quando tu, & Paulus Constantinopolitanus, Asclepius Gazæ, & Lucianus Adrianopolites, ab Orientalibus Episcopis, inconsulto sanctæ memoriæ Iulio prædecessore nostro, damnati estis, & ad eum, quasi ad totius orbis caput, vt semper huic sanctæ sedi licitum fuit, confugistis, cognita eorum nequitia, & vestra iustitia, vos in communionē suscepit, & omnium vestrûm curam gerens, propter sedis propriæ dignitatem, singulis suas reddens Ecclesias, Orientalibus scripsit, culpans eos quòd non rectè tractassent, viros inculpabiles de suis Ecclesiis expellentes, & constituta Nicæni Concilij minimè cōseruantes. E quibus ad certum diem nonnullos sibimet adesse præcepit, vt de talibus certam præsumptionibus redderent rationem, & coram eis ostenderet iustum se super eis protulisse decretum. Interminatus est etiam, non talia deinceps fratres esse passuros, & nisi ab huiusmodi præsumptionibus cessarent, à propriis esse gradibus eos recessuros. Tali enim huius sanctæ sedis priuilegio, tu & fratres tui proprias recepistis Ecclesias cum omnibus sibi pertinentibus. His enim & aliis plurimis documentis manifestum est, nullum damnari, aut suis expoliari rebus debere Episcopum, qui hanc sanctam sedem interpellauerit, aut sibi defensatricem adsciuerit, donec iudicium de eo nostræ Apostolicæ auctoritatis, hoc est principis Apostolorum Petri agnoscat, quia solummodò Christus Iesus huic sanctæ sedi, id est Apostolicæ, hoc facere commisit, vt pote quoniam solus prænominatus princeps Apostolorum creditus est, atque percipere meruit à rege regum Christo Deo claues regni cælorum.

DAMASVS EPISCOPVS, QVI FVIT tertius Felicis II. successor, & fuit tricesimus nonus post Petrum, scripsit ad Stephanum Archiepiscopum, De Archiepiscopis qui facilè damnari volunt Episcopos, dicens,

Epist. II. DISCVTERE verò Episcopos, ac summorum Ecclesiasticorum causas negotiorum, Metropolitanis, vnà cum suis prouincialibus, ita vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordēt negotiis, licet. Sed diffinire eorum atque Ecclesiarum summas querelas, vel damnare Episcopos, absque huius sanctæ sedis auctoritate, minimè licet. quam omnes appellare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam vt nostis, Synodum sine eius auctoritate fieri non est ratum, nec Episcopus nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, diffinitè damnari potest. Neque vlla vnquam rata Concilia leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate.]

HAS Apostolicæ sedis etiam in aliis rotulis auctoritates me memini iam vobis scripsisse. Sed & nunc ideo iteratò vobis rescribo, vt sciatis quia licèt libellum, in quo has & alias eiusmodi collegi, vobis retineatis, per quem in Synodo habita in Attiniaco proclamaui ad vniuersalem sanctæ Romanæ sedis Pontificem domnum Adrianum, cum litteris ab eo mihi suæ vocationis directis. quod neutrum tunc profuit, non tamen, quandiu halitus in me manebit, ab istis dissentiam obseruādis. Et quia me sæpe de subscriptione redarguitis, quam in eadem Synodo primò violenter per regiam potestatem, & postea fradulenter à me extorsistis, compendiosè aliqua nunc respondebo, plura si necesse fuerit suo reseruans in tempore. Nam sicut iam vobis rescripsi, ad illam Synodum pro responsione ad litteras domni Apostolici me vocastis. ad quam veniens, non illam me introire permisistis, sed extra fores, vt priuilegio vestræ sedis subscriberem mandastis, & ego respondi, quia nunquam contra priuilegium vestrum fecissem, vnde nec necessitas, nec ratio erat, vt à me illam subscriptionem requireretis. Dum autem ex hoc magis ac magis in crastinum fatigarer, reclamaui me per epistolam Papæ Leonis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum directam, qua ait ad locum, Non enim necessarium fuerat, vt obligaretur scripto, qui obedientiam suam ipso iam voluntarij aduentus probabat officio.] Denique cùm nec hoc adiuuaret, proclamaui per libellum de quo superiùs memoraui, legens capitulum istud, Quotiens Episcopi se à suis comprouincialibus vel à Metropolitano putauerint prægrauari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem.] & sic vsque ad finem capitulum percurri, quod & superiùs integrum descripsi: legi etiam meæ vocationis à domno Apostolico litteras. quod neutrum mihi profuit. Me autem hæc agente, domnus rex vestra factione instigatus, qui priori die dixerat se mihi nihil ex sua parte discredere, minatus est quia tantum me meósque oneraret, quantum plus valeret, nisi illam subscriptionem facerem. De me autem mihi parum erat. Videns autem quia mei homines cogerentur reuuadiare quòd me in villam Pauliacum secuti fuerant, cùm iam domum cum Harduico Archiepiscopo iturus essem, accessit ad me Frotarius Archiepiscopus, alloquens cur non acquiescerem vt subscriberem, quia nihil mihi periculi erat. Cui respondi, quia aliter hoc non facerem, nisi & vos debito Ecclesiæ meæ priuilegio mihi scriberetis seruando, vti Antiochenum constituit Concilium, ne demum mihi, quasi pro occasione huius subscriptionis, aliquod præiudicium niteremini inferre. Qui respōdit, Certè ille hoc tibi nullatenus contradicet. Et spopondi eo tenore me hoc esse facturum. Et petij mihi ipsam subscriptionem ostendi. Quam dū mihi ostenderetis, quædam quibus non adquieui deleta sunt, & quædā addita, videlicet vt ibi haberetur, secundùm decreta sedis Apostolicæ. Est autem ipsa subscriptio talis. Ego Hincmarus Laudunensis Ecclesiæ Episcopus, amodò & deinceps domno seniori meo Karolo regi sic fidelis & obediens secūdùm ministe-

Epist 88. sub initiū.

Felicis II. epist. II. cap. 20.

rium meum ero, ſicut homo ſuo ſeniori, & Epiſcopus per rectum ſuo regi eſſe debet, ac priuilegio Hincmari Metropolitani prouinciæ Remorum Eccleſiæ, ſecundùm ſacros canones, & decreta ſedis Apoſtolicæ ex ſacris canonibus promulgata, pro ſcire & poſſe meo obediturum profiteor.] Quam mecum deferens domum, hanc mihi vobis ſubſcribendam dictaui. Et ego Hincmarus Remorum Archiepiſcopus, tibi Hincmaro Laudunenſis Eccleſiæ Coepiſcopo, tuum debitum ſacris præcipientibus canonibus priuilegium conſeruabo, & in quibuſque Eccleſiaſticis negotiis indigueris, ſecundùm ſacras regulas debitum tibi iure adiutorium Archiepiſcopali auctoritate adhibebo.] Hanc autem vobis per Fredigiſum Harduici Archiepiſcopi presbyterum miſi, & remandaſtis mihi per eundem, quia voluntariè illud faciebatis: & ſic in Synodo relegi & ſubſcripſi. Vos autem penitus ſubſcriptionem quam promiſeratis dimiſiſtis: ſed verbis fuiſtis profeſſi, quòd in quibuſcumque me iuſtè ac rationabiliter poſſetis ſecundùm veſtrum miniſterium adiuuare feciſſetis. Ego autem nunquam contra priuilegium ſedis veſtræ quicquam egi, neque contra vllius Epiſcopi priuilegium, Deo propitiante, vnquam acturus ero. Vtrum autem vos iuxta profeſſionem veſtram erga me in reliquum egiſſetis, qui legerit litteras, ex eodem loco Attiniaco mihi à vobis per Hittonem diaconum miſſas, de quibus iam vobis reſpondi, vnde hîc nunc eas apponere ſuperuacuum eſt, facilè poterit dinoſcere. Scitis etiam & vos, quale adiutorium mihi poſt hanc profeſſionem veſtram præbuiſtis, dum ad vos has ſcripſi litteras.

Reuerentiſſimo Remorum Archiepiſcopo HINCMARO, *ſanctæ Laudunenſis Eccleſiæ* HINCMARVS *Deo miſerante Epiſcopus, debitam in Chriſto deuotionem.*

VOs ſcitis quia ab vniuerſali ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Papa, patre quoque noſtro Hadriano, bis vocatus exiſto, & vos ipſi, in quaternionibus à vobis in Attiniaco palatio coram Archiepiſcopis & Epiſcopis qui affuerunt datis, quòd ad eandem ſedem venire totidem vocatus detrectem, me reprehendiſtis, ſi vitio ſcriptoris pro detrectē, quod eſt diſſimulem vel differam, detractem, quod valdè tractem non ab re accipi poteſt, intercharaxatum nō fuit. Vnde vos nunc pro amore Dei omnipotentis & reuerentia S. Petri expoſco, ſicut & in eadem Synodo in eodē Attiniaco à vobis cōnuocata, quod impetrare non valui, expoſtulaui, ac iam etiam per integrum efflagitaui annum, & præcipuè in Synodo apud Vermeriam palatium olim ab horno habita, obſecrando declamaui, nunc quoque & obſecro & item declamo, & vt hactenus egi, quo veſtra Archiepiſcopali auctoritate apud domni noſtri glorioſiſſimi regis Karoli clementiam obtineretis, quatinus domni & vniuerſalis Papæ Adriani pręceptis ac inſtitutionibus Eccleſiaſticis mihi, vt omnibus expedit, liceat obedire, velut ei qui de omni Eccleſia fas habet iudicandi. videlicet vt limina ſanctorum Petri & Pauli merear, vt deuoui, & ab eodem inſuper vocatus ſum, penetrare. Alioquin me vobis abhinc, vt Archiepiſcopo coepiſcopus obtemperare debet, ſciatis obſequi non poſſe: quia vt decernit beatus Papa Gelaſius, neſciunt quid loquuntur qui decretis ſanctæ Romanæ ſedis Præſulum quaſi canones opponunt, quibus contraire contra canones eſt ipſos ſe erigere.] Iſte Gelaſius Papa venerabilis & ſanctus decretales Epiſtolas venerabiliter ſanxit ſuſcipiēdas. nec eas venerabiliter ſuſcipit, licet ad tomum caput inclinet, qui eis non obedit, ſed potiùs porrò obuias manus inferens, quod ſine periculo agi non poteſt, reſpuit, vt pote qui de ſe iudicari non proſpicit. Nam velimus nolimus, aut eis parebimus, aut eorum iudicio percellemur, quorum neminem aliqui quique reprobare valemus. De Archiepiſcopis autem Remigio ac Harduico, quod mihi per Teutlandum diaconem mādaſtis, priuilegio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ non præiudicant, ſed quod eis eadem ſancta ſedes de me voluit

ac dispofuit committere commisit. Vos verò quod vestrum est agite. In domino Iesu Christo bene valete.

Ac si etiam in subscriptione illa aliquid haberetur, quod fortè intolerabile foret, beatus Papa Alexander, quintus post principem Apostolorum Petrum, mihi manum porrigeret, qui suis ita inquit decretis ad locum, Similiter si huiusmodi personis quædam scripturæ quoquomodo per metum aut fraudem, aut per vim extortæ fuerint, vel vt se liberare possint, quocumque ab eis conscriptæ vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præiudicium aut nocumentum prouenire censemus: neque vllam eos infamiam vel calumniam, aut à suis sequestrationem bonis, vnquam auctore Domino, & sanctis Apostolis, eorúmque successoribus sustinere permittimus. Confessio verò in talibus non compulsa, sed spontanea fieri debet, ipso attestante qui ait, *Ex corde enim procedunt homicidia, adulteria, fornicationes, blasphemiæ*, & cetera, quæ sunt ad hæc pertinentia. Nec tantùm attendenda sunt quæ fiunt, quantum quo animo fiant.] Si non sunt tantùm attendenda quæ fiunt, quantum quo animo fiant, quo animo ego illud fecerim, neque parum sciens poterit ignorare. qui etiam multo plura tunc essem facturus, vt meos qui innoxij erant, & causa meî opprimebantur, possem liberare. Et ne solus hic sanctus Papa Alexander hæc decreuisse putetur, quid beatus Gregorius, quem venerabiliter suscipitis, de hoc sentiat apparet ad Constantium Mediolanensem Episcopum de Pompeio Episcopo scribens ita, Nunc igitur, quoniam illa quæ contra eum dicta sunt, non sub illa quæ decuit districtione quæsita sunt, & gesta, quæ exinde apud fraternitatem vestram confecta sunt, neque ad condemnationem, neque ad absolutionem eius probantur posse sufficere, non leuis res agitur, vt incautè vel in transcursu non debeat diffiniri. Nam graue est satis & indecens, vt in re dubia certa dicatur sententia. Et hæc quidem gesta esse poterant ad diffiniendum satis idonea, si accusati ea confessio sequeretur: si tamen eandem confessionem subtilitas examinis ex occultis eliceret, & non afflictio vehemens extorqueret, quæ frequenter hoc agit, vt noxios se fateri etiam cogantur innoxij. Nam postquam præfatus Episcopus, vt dicitur, cruciari custodia cremaríque fame se asseruit, scire debetis si ita est, vtrum noceat si sic fuerit extorta confessio. Certè si non nocet extorta confessio, non obest extorta subscriptio.] O vtinam tunc de me qualicumque Episcopo illud voluissetis rationabiliter attendere, quod de vestris mihi scripsistis frustrà villanis, meis autem parochianis, quod & superiùs prælibaui, vbi dixistis quia appellantes quamcumque violentiam pati non deberent, an mihi appellanti ad summam Apostolicæ sedis auctoritatem, mihíque ab eadem vocato, pérque eius auctoritatis litteras præsentialiter legendo reclamanti, deceret priuilegium vestræ sedis vllam inferre violentiam. Ratum est nempe, vt priuilegium vestræ sedis obsecundetur ad caritatis concordiam, non officiat ad disceptationis socordiam. Præterea scripsistis mihi hæc, Te latere non potest, quanta mala Karlomanni complices in Remorum diœcesi fecerunt. Propterea cum fratribus & consacerdotibus nostris qui affuerunt, tenore subiuncto eos excommunicandos decreuimus. Et ideo his quæ subter annectuntur relectis præsentialiter, mihi per comministrum tuum litteras tui consensus in hac excommunicatione canonica mitte, vt per singulos Archiepiscopos diuersarum prouinciarum eam concurram dirigere, antequam malum quod cœperunt grauiùs grassari, & longiùs ac latiùs serpendo possit excrescere.

Epist. I. — Matt. 15. 19 — Lib. VIII. epist. 30.

AD EPISCOPOS PROVINCIÆ LVGDVNENSIS.

De Karlomanno eiúsque complicibus excommunicandis.

Nunc primùm edita ex Codice Laudunensi.

XXXII.

XXXII.

HINCMARVS *Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, cum Remorum diœceseos venerabilibus consacerdotibus nostris*, REMIGIO *reuerentissimo Lugdunensium Archiepiscopo, & ipsius diœceseos venerandis Episcopis salutem.*

KARLOMANNVS, domni nostri Karoli regis gloriosi carne filius, in diœcesi Remorum Spiritu sancto regeneratus, & à patre sacro altari oblatus, religiosis diuini seruitij obsequiis mancipandus ac in clericum tonsus, in diœcesi verò Senonensi, & in parochia Meldensi ab Hildegario eiusdem ciuitatis religioso Episcopo per singulos gradus vsque ad ordinem Diaconatus prouectus, nuper à patre, post plurima benignitatis ac beneficientiæ dona sibi collata, fuga lapsus congregauit secum plurimos filios Belial, qui inaudita nostris temporibus mala in parochiis diœceseos Remorum exercuerunt, in rapinis & deprædationibus, & homicidiis atque adulteriis, & Ecclesiarum violationibus, aliísque quamplurimis flagitiis ac facinoribus, quæ diabolica instigatione & humana crudelitate possunt patrari. Quem piè domnus noster rex Karolus, sed & complices eius benignè ac misericorditer, sicut in mandato quod eis direxerat potestis relegere, quater studuit reuocare. Verùm & ego Hincmarus Remorum Episcopus, illum ac suos satellites per meipsum ore ad os ter alloquens, & postea quarta vice per comministrum nostrum, vnà cum quibusdam collegis & Coepiscopis nostris, eum & suos complices publicè commoneri faciens, quantum mihi Dominus dedit, & suauitatem regni cælestis, & æternorum tormentorum terrorem illis proposui, & quàm grauissimè Deum ipse offenderit in patris sui ac sanctæ Ecclesiæ totiúsque Christianitatis læsione, atque raptorum à se congregatorum consensione atque fauore ostendi, & si mala cœpta desereret, & ad patrem suum rediret, quàm benignè illum & Ecclesiastica pietas & paternus affectus debuisset recipere demonstraui, & quæ clementia illis qui cum eo erant offerebatur innotui, & si hæc negligeret, vel despiceret, atque in apostasiæ suæ cœpta obstinatione perseuerare ipse & complices sui deligerent, inculcaui eis qualiter post hanc quartam conuentionem, secundùm præceptum Domini sicut Ethnicus & publicanus forent nobis habendi, & gladio spiritus quod est verbum Dei Episcopali auctoritate secundùm sacros canones, spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, iuxtáque Apostolicæ sedis decreta Pontificum, vt reuera apostatæ, à corpore & sanguine Domini, atque vnitate corporis Ecclesiæ, omnium videlicet fidelium Christi societate, essent modis omnibus abscidendi.

Quem, sed & quosdam suos, nec intentatæ pœnæ terruerunt, nec promissæ dulcedines inuitauerunt. Et ideo, quod flentes dicimus, gementes denuntiamus, complices illius, qui sunt de Remensi diœcesi, & nostræ sunt curæ commissi, ac in nostris parochiis tanta & talia vt præmisimus crimina commiserunt, & totiens commoniti resipiscere à cœptis malis, & ad sinum piæ matris Ecclesiæ redire vt satisfacerent noluerunt, sed in peius quod dictu nefas est excreuerunt, quia sicut dicit Apostolus, huiusmodi regnum Dei non possidebunt, & cum talibus vetat vel cibum sumere, iudicio sancti Spiritus à corpore & sanguine Domini, & Christianorum societate atque consortio segregamus, & Episcopali auctoritate, post v. Idus Mart. præsentis quartæ Indictionis, si se anteà non correxerint, secernimus, donec si fortè, iuxta eundem Apostolum, eos respiciens det illis Deus pœnitentiam, vt ad eius voluntatem resipiscant à laqueis diaboli, à quibus capti tenentur, & per dignos pœnitentiæ fructus satisfaciant Ecclesiæ quam læserunt, ea videlicet conditione, vt secundum formam mystici Nicæni Concilij, & Africæ prouinciæ canonum, iuxtàque Apostolicæ sedis decreta Pontificum, Siricij, Innocentij, Cælestini, Leonis, vbicumque fuerint, vltima pœnitentia, & necessarij viatici communio petentibus non negetur. Eos autem qui de Remorum diœcesi non sunt, nec specialiter sunt nostræ curæ commissi, & memorata mala in nostris parochiis commiserunt, ab eisdem nostris parochiis, post v. Idus Martias præsentis quartæ Indictionis, si se anteà non correxerint, excommunicatos esse decreuimus, eo tenore, vt nullam participationem in eis, vel in communione Ecclesiastica, vel in societate Christi fidelium nobis commissorum habeant: quia nulla participatio est Christi cum Belial, nec pars esse debet fideli cum infideli, donec consilio & iudicio eorum quorum interest, Deo & sanctæ Ecclesiæ satisfaciant. Et quia essentialiter ac summè bonus pastor, qui animam suam posuit pro ouibus suis, neminem vult perire, & venit quærere & saluum facere quod perierat, ostendit nobis viam quam sequamur, & formam cui imprimamur, decernimus, vt si fortè in præscriptis parochiis nostris cuiquam illorum imminens vrgentis mortis * * *

LECTORI.

Subsequentis operis meminit Hincmarus in epist. XXXV. *ad Hincmarum Laudunensem, his verbis,* Deinde ex præfatis epistolis Romanæ sedis Pontificum, ante Nicænam Synodum scriptis, libellum à te collectum, & versiculis in nomine domni regis Caroli titulatum, per venerabilem quondam Archiepiscodum Wanilonem in Gundulfi villa coram Episcopis qui adfuerunt mihi direxisti.



HINCMARI EPISCOPI LAVDVNENSIS

Collectio altera ex antiquis epistolis Romanorum Pontificum, Hincmaro Remensi apud Gundulfi villam missa per Vvenilonem Archiepiscopum.

Nunc primùm edita ex veteri Codice Ecclesiæ Laudunensis.

PRÆFATIO.

ISTE *pitatiolus planè depromit & aptè,*
Sedem appellandam liberè Apostolicam.
Quin appellantem haud vinclis artarier vllis,
Responsum à vincto rite nec exigier.
Archíque Pontifici distinguit iúsque, modúmque,
Cum Compræsulibus ceu teneat sobrius.
Sitque pio regi Karolo pax, vita, potestas,
Qui probus hæc cernens præ probitate probet.
Cui si surripitur humanis nisibus vllus,
Cassando reicit, res vbi certa redit.
Sic sua mens adeo veri deferuet amore,
Rectè frustrandum ne sinat esse ratum.
Namque animum seruat mitis sapientia fortem,
Præ cunctis propriè quem redimit pietas.
O quàm Rex felix, virtutum fortis amator,
Tam bene quem superat sola boni pietas.
At te Christe Deum noscens dum diligit vltro,
Quæ spernis spernit, quæ statuis statuit.
Se tibi committens in te tua verba veretur,
Nunc & in æternum túque tuere tuum.

EX DECRETIS ALEXANDRI PAPÆ, qui fuit quintus post Petrum.



LEXANDER *Episcopus omnibus diuino sacerdotio fungentibus pax & misericordia multiplicetur, & sapientia atque bona voluntas in omnibus augeatur & fructificetur in Domino.* Gratia Dei, fratres carissimi, sumus id quod sumus. Idcirco nobis prouidendum est, & oppidò decertandum, ne in ea vacui inueniamur, sed eadem nobis cooperante gratia, fructum Domino plurimum reportemus. Quod aliter fieri non potest, nisi sapientiam scrutando, eiúsque præcepta lectionibus & hymnis meditando, atque eo adminiculante implendo, orando, vigilando, voluntatem eius in quantum ipse largitus fuerit perficere studeamus. Nec enim negligendam gratiam nobis Dominus de-

Epist. 3.

dit, sed fideliter exercendam tribuit. Dilectio enim sine simulatione in nobis esse & apparere debet, quia omnis qui odit fratrem suum homicida est. qui verò diligit Deum in Deo manet, & Deus in eo. Vnde & Apostolus ait,
Rom.14.13. *Nolite iudicare fratres in inuicem, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculũ fratribus vel scandalum.* Et Dominus inquit,
Ioan.13.35. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Et alibi, *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis*
Eccli.35.2. *ad inuicem.* Et Salomon ait, *Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate.* Summa enim iniquitas est, fratres detrahere & accu-
1.Ion.3.15. sare. Vnde scriptum est, *Omnis qui detrahit fratrem suum homicida est, & omnis homicida non habet partem aut hereditatem in regno Dei.* Et alibi, Cauete vos, fratres carissimi, ne participes efficiamini, quod absit, malis eorum: & non solùm vos cauete ab omnibus, sed & alios cauere ab eis & auertere docete.

Ex epistola Sixti Papæ secunda, vniuersis Ecclesiis directa, qui fuit sextus post Petrum.

Epist.II. Si quis vestrûm pulsatus fuerit in aliqua aduersitate, licenter hanc sanctam & Apostolicam appellet sedem: & ad eam quasi ad caput suffugium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur. Si autem ei necesse euenerit, eámque appellare minimè ausus fuerit, & vocatus tamen ab hac sancta sede fuerit, non renuat venire, sed confestim vt ei nuntiatum fuerit venire festinet, & causas pro quibus vocatus est prudenter disponat, atque si necesse aliquid corrigere fuerit, cũ his quos hîc primos inuenerit corrigat. Ad Ecclesiam tamen suam non priùs reuertatur, quàm hinc litteris Apostolicis vel formatis pleniter instructus atque purgatus sit, si fuerit vnde. Vt postquam domum reuersus fuerit, cognoscant vicini sui qualiter hîc suam aliorúmque causam finierit, quatinus eam absque aliqua ambiguitate nuntiare & prædicare omnibus possit. Ab hac enim sancta sede à sanctis Apostolis tueri, defendi, & liberari Episcopi iussi sunt. vt sicut eorum dispositione, ordinante Domino, primitùs sunt cõstituti, sic huius sanctæ sedis, cuius dispositioni eorum causas & iudicia seruauerunt, protectione futuris temporibus sint ab omnibus peruersitatibus semper liberi. Vnde culpantur hi, qui aliter circa fratres egerint, quàm huius sedis rectoribus placere cognouerint. His taliter consideratis, atque cum reliquis Episcopis decretis, tanquam omnium curam gerentes, propter sedis propriæ apicem decernimus, vt nemo Pontificum aliquem suis rebus exspoliatum Episcopum, aut à sede pulsum, excommunicare aut iudicare præsumat, quia non est priuilegium quo exspoliari possit iam nudatus. Si quis autem aliter agere præsumpserit, sciat censuram huius sanctæ sedis cum omnibus membris suis sibi esse venturam: & sicut egerit, ita recipiet. si bene, bene. si graue, graue. si pessimè, pessimè. quoniam dignus est operarius mercede sua. Nos fratres nullum perdere volumus, sed ipse se perdit, qui pia considerata auertit, & qui Apostolorum & huius sanctæ sedis decreta libenter violat. Sed & nunc fratres commendamus vos omnes Domino, & verbo gratiæ eius, qui potest perficere, & dare hereditatem vobis cum omnibus sanctis. Ipse autem Deus pacis & consolationis det vobis id ipsum sapere secundùm Iesum Christum, vt vobis inuicem succurratis, & non sitis diuisi. vt vnanimes vno corde honorificemus eum in concordiam & consolationem fratrum, qui potens est confirmare vos secundùm Euangelium eius, iuxta reuelationem mysterij æterni, temporibus scilicet perpetuis, quibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera.

In decretalibus Hygini Papæ, qui fuit decimus post Petrum, De Metropolitanis Episcopis.

Ceterum fratres, saluo in omnibus Romanæ Ecclesiæ priuilegio, nullus Metropolitanus, absque ceterorum omnium comprouincialium Episcopo- Epist.I.

rum instantia, aliquorum audiat causas Episcoporum, quia irritæ erunt aliter actæ, quàm in conspectu eorum omnium ventilatæ, & ipse si fecerit coerceatur à fratribus. Criminationes maiorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni & irreprehensibiles apparuerint, & actis publicis docuerint omni se suspicione carere & inimicitia, atque irreprehensibilem fidem & conuersationem ducere. Necnon & peregrina negotia & iudicia prohibemus, quia indignum est vt ab externis iudicentur, qui comprouinciales & à se electos debent habere iudices. Nos quidem ex omni parte arripiendo occasiones abscidimus. Nos supernæ memores disciplinæ quibuscumque cadentibus dexteram porrigimus, & à ruinæ præcipitio quos possumus releuamus, & defensionis adminiculum totis viribus præbere cupimus. Certè vel si mens sit recti conscia, vindicta dignus est qui alij existit causa periculi: qui verò innocentem vel fratrem quocumque ingenio persequitur, ipse in se iugulum mortis impingit, vt ait diuinus & beatus præco, *Noli detrahere ne eradiceris.* noli accusare ne accuseris. noli iudicare, ne iudiceris. quia in quo iudicio iudicaueris, iudicabitur de te. Nemo creditur nos odisse, quorum relatione non læditur. Dicit enim Domi-
Matt. 12. 25 nus, *Omne regnum in se diuisum non stabit.* & omnis scientia & regula aduersum se diuisa non stabit. Ideóque necesse est, vt concorditer salubres suscipiatis hortatus, nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium deuotionis vnanimes diuinis & Apostolicis constitutionibus pareatis.

IN DECRETALIBVS ANICETI Papæ de Metropolitanis contumacibus, qui fuit tertius decimus post Petrum.

Epistola vnica. IPSE autem Archiepiscopus nihil de Coepiscoporum causis, aut aliis communibus, iuxta statuta Apostolorum, absque cunctorum illorum agat consilio: nec illi, nisi quantum ad proprias parochias pertinet, sine suo. quoniam tali gaudet ex concordia altissimus, & gloriatur in membris suis. Reliqui verò, qui alias Metropolitanas sedes adepti sunt, non Primates sed Metropolitani nominentur. Si autem aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, & sine omnium comprouincialium præsentia vel consilio Episcoporum, aut eorum, aut alias causas agere, nisi eas tantùm quæ ad propriam suam pertinent parochiam agere, aut eos grauare voluerit, ab omnibus districtè corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat. Si verò incorrigibilis eisque inobediens apparuerit, ad hanc Apostolicam sedem, cui omnia Episcoporum iudicia terminare præcepta sunt, eius contumacia referatur, vt vindicta de eo fiat, & ceteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris asperitatem, graue ad hanc sedem eius causam deferre fuerit, tunc ad eius Primatem causa deferatur, & penes ipsum huius sanctæ sedis auctoritate iudicetur. Similiter si aliquis Episcoporum proprium Metropolitanum suspectum habuerit, apud Primatem diœceseos, aut apud hanc Apostolicam, sedem audiatur. Qui maior est vestrûm, secūdùm dominicam iussionem, sit vester minister, & quanto maior es in omnibus humilia teipsum. Carissimi, nolite inter vos contendere, nec quærat aliquis maior esse: sed iuxta Apostolum, diligite vos inuicem, quoniam caritas ex Deo est, & omnis qui diligit ex Deo natus est, & cognoscit Deum: qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus caritas est.

EX EPISTOLA VICTORIS PAPÆ, Theophilo Alexandrino Episcopo directa, qui fuit quintus decimus post Petrum.

AVDIVIMVS namque, apud vos vestrósque diuersa iudicia fieri, & incerta iudicari. Incerta carissimi nullatenus iudicemus, quoadvsque veniat Dominus, qui latentia producet in lucem, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. quia quamuis vera sint, non tamen creden- Epist. 1.

da sunt, nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur. Similiter ea vos iudicare ad Apostolicam delatum est sedem, quæ præter nostram vobis diffinire non licet auctoritatem, id est Episcoporum causas. Vnde ita constitutum liquet à tempore Apostolorum, & deinceps placuit, vt accusatus vel iudicatus à Comprouincialibus in aliqua causa Episcopus licenter appellet & adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos, eius retractari negotium procuret. & dum iterato iudicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur Episcopus. quoniam quãquam à comprouincialibus Episcopis accusati causã Pontificis scrutari liceat, non tamen diffinire incõsulto Romano Pontifice permissum est, cùm beato Petro Apostolo, non ab alio quàm ab
Matt.16.19 ipso dictum sit Domino, *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis.* Et alibi in statutis legitur Apostolicis, Si quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud Patriarcham vel Primatem diœceseos, aut penes vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ iudicetur sedem. Nihil aliud est, fratres, talis præsumptio, nisi Apostolorum suorúmque successorum terminos transgredi, eorúmque decreta violare. Culpantur enim, vt scriptum est, fratres, qui aliter circa Episcopos iudicare præsumunt, quàm Apostolicæ sedis Papæ fieri placuerit.

Ex epistola Callisti Papæ, ad omnes Galliarum vrbium Episcopos, qui fuit decimus septimus post Petrum.

Epist.11. Nvllvs Primas vel Metropolitanus diœcesani Ecclesiam vel parochiã, aut aliquem de eius parochia præsumat excommunicare vel iudicare, aliquídue agere, absque eius consilio vel iudicio. sed hoc obseruent, quod ab Apostolis, & patribus, & prædecessoribus nostris est statutum, & à nobis confirmatum. Id est, Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodò propriam pertinet parochiã, sine consilio & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habeatur & vacuum. Sed quicquid de prouincialium Coepiscoporum causis eorúmque Ecclesiarum & clericorum atque sæcularium necessitatibus, agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprouincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima & concordi administratione, sicut Dominus ait, *Non veni ministrari, sed ministrare.* & Matt.20.28
alibi, *Qui maior est vestrûm, erit minister vester.* & reliqua. Item vnde svpra, de Primatibvs et Metropolitanis. Nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullúsque reliquorũ Episcoporum adeat ciuitatem, aut ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius Episcopi est parochiæ, super cuiusquam dispositione, nisi vocatus ab eo, cuius iuris esse dinoscitur, aut quidquam ibi disponat vel ordinet, aut iudicet, si sui gradus honore potiri voluerit. Sin aliter præsumpserit, damnabitur. & non solùm ille, sed cooperantes eique consentientes. quia sicut ordinatio, ita eis & iudicatio, & aliarum rerum dispositio prohibetur. Nam qui ordinare non poterit, qualiter iudicabit? Nullatenus proculdubiò iudicabit, aut iudicare poterit. Quoniam sicut alterius vxor, nec adulterari ab aliquo, vel iudicari, aut disponi, nisi à proprio viro, eo viuente, permittitur: sic nec vxor Episcopi, quæ eius Ecclesia vel parochia indubitanter intelligitur, eo viuente, absque eius iudicio & voluntate, alteri iudicari vel disponi, aut eius concubitu frui, id est ordinatione, vllatenus conceditur. Vnde ait Apostolus, *Alligata est vxor legi, quandiu vir eius viuit: eo verò defuncto, soluta est à lege viri.* Similiter & sponsa Episcopi, quia sponsa vxórque eius dicitur Ecclesia, illo viuente ei est alligata: eo verò defuncto soluta est, cui voluerit nubat, tantùm in Domino, id est regulariter. Si enim eo viuente alteri nupserit, adultera iudicabitur. Similiter & ille, si alteram sponte duxe-

Marginal notes: Ibid.26. (beside "vester"); Post pauca. (beside "Nullus Primas"); 1.Cor.7.39 (beside "Alligata est vxor")

rit, adulter æstimabitur, & communione priuabitur. Si autem persecutus in sua fuerit Ecclesia, fugiendum illi est, eique sociandum, dicente Domino, *Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Si autem vtilitatis causa fuerit mutandus, non per se hoc agat, sed fratribus inuitantibus, & auctoritate huius sanctæ sedis faciat, non ambitus causa, sed vtilitatis. Matt.10.23

IN DECRETALIBVS LVCII PAPÆ, de Metropolitanis Episcopis, qui fuit vicesimus tertius post Petrum.

Epistola vnica. SI quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodò propriam pertinet parochiam, sine consilio & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum, extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habeatur & vacuum. Similiter autem auctoritate fulti Apostolica præcipimus, vt nullus Metropolitanus, absque ceterorum omnium comprouincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas, quia irritæ erunt, & ipse causam pro facto dabit.

IN DECRETALIBVS IVLII PAPÆ, de Metropolitanis Episcopis, qui fuit tricesimus sextus post Petrum.

Epist. 1. ad Orientales QVONIAM sanctam Romanam Ecclesiam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia suo nomine consecrata, Domino instituente, prima & caput sit ceterarum, & ad eam quasi ad matrem atque apicem, omnes maiores Ecclesiæ causæ & iudicia Episcoporum recurrant, eiúsque iusta terminum sumant sententia, nec extra Romanum quicquam ex eis decerni debere Pontificem. Quatinus non ita proterue, & pro libitu cuiusquam, suo proprio arbitrio quibusque Metropolitanis, sicut agere solebant, liceat inconsulto Romano Pontifice, aut maiores Ecclesiæ causas deturbare, aut Episcopos damnare: sed communi sanctæ Romanæ sedis Episcopi consilio, & concordi actione, quæque sunt Christi zelo agenda disponant, vnanimiterque rectè sentiant, & quæ senserint, non sibimet discrepando, sed Deo placitè perficiant. ET POST PAVCA. Si quis ab hodierna die & deinceps Episcopum, præter huius sanctæ sedis sententiam, damnare aut propria pellere sede præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum, & proprio carere perpetim honore. ITEM EIVSDEM, EX DECRETIS QVÆ SVMPSIT EX NICÆNO CONCILIO, Epist. 2. ad Orientales

Cap. 2. Vt omnes Episcopi, qui in quibusdam grauioribus pulsantur vel criminantur causis, quotiens necesse fuerit, liberè Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, vt ab ea, sicut semper fuit, piè fulciantur, defendantur, & liberentur. cuius dispositioni omnes maiores Ecclesiasticas causas, & Episcoporum iudicia, antiqua Apostolorum, eorúmque successorum, atque canonum auctoritas reseruauit. quoniam culpantur Episcopi, qui aliter erga fratres egerint, quàm eiusdem sedis Papæ fieri placuerit. Placuit vt accusatus vel iudicatus à comprouincialibus in aliqua causa Episcopus liceter appellet & adeat Apostolicæ sedis Pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos, eius retractari negotium procuret, & dum iterato iudicio Pontifex causam suam audit, nullus alius in eius loco ponatur, aut ordinetur Episcopus. Quoniam quanquam à cõprouincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamen diffiniri, inconsulto Romano Pontifice permissum est, cùm beato Petro Apostolo, & non ab alio quàm ab ipso dictum sit Domino, *Quæcumque ligaueris super terram erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Si quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud Primatem diœceseos, aut penes vniuersalis Ecclesiæ Papam iudicetur. ET POST PAVCA, Nullus Episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque eius voluntate. quia sicut Cap. 3. Matt. 16. 19 Cap. 4. Cap. 6.

irrita erit eius ordinatio, ita & diiudicatio. quoniam censemus nullum alterius iudicis nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus poterit. ITEM EX EIVSDEM. Quòd non aliæ Metropolitanæ Ecclesiæ Primates sint, nisi illæ quæ priùs Primates erant, & post Christi aduentum, auctoritate Apostolica & Synodali primatum habere meruerunt. reliquæ verò non Primates sed Metropoles vocentur, earúmque Episcopi non Primatum, sed aut Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine fruantur. Infames esse censentur omnes, qui suam aut Christianorum præuaricantur legem, aut canonicam postponunt auctoritatem. Saluo in omnibus Romanæ Ecclesiæ priuilegio, nullus Metropolitanus, absque ceterorum omnium comprouincialium Episcoporum instantia aliquorum audiat causas eorũ, quia iriritæ erunt, immo & ipse causam in Synodo pro facto dabit. ET POST PAVCA. Salua Apostolicæ Ecclesiæ auctoritate, nullus Episcopus extra suam prouinciam ad iudicium deuocetur. Sed vocato eo canonicè, in loco omnibus congruo, tempore Synodali ab omnibus comprouincialibus Episcopis audiatur, qui concordem super eum canonicámque proferre debent sentẽtiam. quoniam si hoc minoribus tam clericis quàm laicis concessum est, quanto magis de Episcopis seruari conuenit? Nam si ipse Metropolitanum aut iudices suspectos habuerit, aut infestos senserit, apud primatem diœceseos, aut apud Romanæ sedis Pontificem iudicetur. ITEM EX EIVSDEM. Placuit vt à quibuscumque iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, audientia non negetur. Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodò propriam pertinet parochiam, sine consilio & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habeatur & vacuum. Sed quicquid de comprouincialium Episcoporum causis, suarúmque Ecclesiarum & clericorum atque secularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprouincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima & concordi administratione, sicut Dominus ait, *Non veni ministrari, sed ministrare.* & alibi, *Qui maior est vestrûm, erit minister vester,* & reliqua. Similiter & ipsi comprouinciales Episcopi, cum eius consilio, nisi quantum ad proprias parochias, agant iuxta sanctorum constituta patrum, vt vno animo vno ore concorditer sancta glorificetur Trinitas in sæcula. Caueant iudices Ecclesiæ, ne absente eo cuius causa ventilatur sententiam proferant, quia irrita erit, quippe & rationem pro actione reddent in Synodo. & vt proditoris calumnia nec eorũ postea vox audiatur. ET POST PAVCA. Primates accusatum discutientes Episcopum, non antè sententiam proferant damnationis, quàm Apostolica freti auctoritate, aut reum seipse confiteatur, aut per innocentes & canonicè examinatos regulariter testes conuincatur. Irritam esse iniustam Episcoporum damnationem decernimus. idcircò à Synodo retractandam, ita vt oppressis ab omnibus in cunctis subueniatur causis. Detractores, qui diuina auctoritate eradicandi sunt, & fautores inimicorum, ab Episcopali summouemus accusatione. Similiter ne summorum quispiam minorum accusationibus impetatur aut dispereat. Neque in re dubia certa iudicetur sententia. nec vllum iudicium nisi ordinabiliter habitum teneatur. Plura de his ideo hîc non inseruimus, ne vacuare, vilémve facere prædictam Synodum videremur, aut fastidium legentibus audientibúsque prolixa faceret Epistola. Si quis autem de his ampliora atque abundantiora scire voluerit, in sacro nostræ sedis scrinio, & ea quæ prædiximus inuenire poterit. Verum me dicere testis est diuinitas.

Matt.20. 28.
Ibid.26.

EX CAPITVLIS SANCTISSIMI Archiepiscopi Felicis, ex Nicæna Synodo sumptis.

SI Primates accusatores Episcoporum Epist.1.

rum cum eis pacificare minimè potuerint, tunc tempore legitimo eos ad Synodum canonicè conuocent, & non priusquàm eis per scripta significent quid eis opponitur, vt ad responsionem præparati adueniant. Nam si aut vi, aut timore eiecti, aut suis rebus exspoliati fuerint, nec canonicè vocari ad Synodum possunt, nec respondere æmulis debent, antequàm canonicè restituantur, & sua omnia eis legaliter reddantur. v. Si quis Episcoporum suis fuerit rebus exspoliatus, aut à sua Ecclesia vi aut timore expulsus, quod omni Christiano nomini est inimicum, oportet & decet Episcoporum propositum semper prima fronte certare, vt omnia quæ ei ablata sunt potestati eius legaliter reddantur, & Præsul priùs restituatur, & postea non statim, sed diu & per spatiosa tempora, suis potestatiuè dispositis, & ad suā necessitatem præparatis, ad tēpus veniat ad causam, & si iustè visum fuerit, accusatoribus respondeat suis. ITEM EX SVBSEQVENTIBVS. Primates illi & non alij sint, qui in prædicta Nicæna Synodo sunt constituti. Reliqui verò, qui Metropoles tenent sedes, Archiepiscopi vocentur, & non Primates, salua in omnibus Apostolicæ sedis dignitate, quæ ei ab ipso Domino est concessa, & postea à sanctis Patribus roborata. ITEM EX EISDEM, Quamquàm comprouincialibus Episcopis, vnà cum eorum Metropolitano, suæ prouinciæ causas Episcoporum liceat caritatiuè & concorditer agitare, non tamen, sicut in prædicta te præsente constitutum est Synodo, licet diffinire absque Romani Pontificis auctoritate. Quòd si secùs à quibusdam præsumptum fuerit, ipsi qui hoc egerint, suæ præsumptionis suscipiant damnum, & illi, qui ab eis perperam excommunicati aut damnati fuerint, auctoritate huius sanctæ sedis, & beati* præceptoris nostri clauigeri Petri potestate soluantur, atque restituantur. Ipsi enim ait Dominus, *Quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* CAPITVLO XX. Quotiens Episcopi se à suis comprouincialibus, vel à Metropolitano putauerint prægrauari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent sedem, ad quam eos, absque vlla detentione, aut suarum rerum ablatione, liberè ire liceat. & dum prædictam Romanam matrē appellauerint Ecclesiam, aut ab ea se audiri expoposcerint, nullus eos aut excommunicare, aut eorum sedes surripere, aut eorum res auferre, aut aliquam eis vim inferre præsumat, antequàm amborum causa Romani Pontificis auctoritate finiatur. Quòd si aliter à quoquam præsumptum fuerit, nil erit, sed viribus carebit. Nam nec hoc perperè præsumimus, sed id ipsum, & in Nicæna Synodo constitutum, & antecessores nostros egisse, bene Athanasi nosti. quoniam quando tu, & Paulus Constantinopolitanus, Asclepius Gazæ, & Lucianus Adrianopolites, ab Orientalibus Episcopis, inconsulto sanctæ memoriæ Iulio prædecessore nostro, damnati estis, & ad eum, quasi ad totius orbis caput, vt semper huic sanctæ sedi licitum fuit, confugistis, cognita eorum nequitia, & vestra iustitia, vos in communionem suscepit, & omnium vestrûm curam gerens, propter sedis propriæ dignitatem, singulis suas reddens Ecclesias, Orientalibus scripsit, culpans eos quòd non rectè tractassent, viros inculpabiles de suis Ecclesiis expellentes, & constituta Nicæni Concilij minimè conseruantes. E quibus ad certum diem nonnullos sibimet adesse præcepit, vt de talibus præsumptionibus certam redderent rationem, & coram eis ostenderet, iustum se super eis protulisse decretum. Interminatus est etiam, non talia deinceps fratres esse passuros, & nisi ab huiusmodi præsumptionibus cessarent, à propriis esse gradibus eos recessuros. Tali enim huius sanctæ sedis priuilegio tu & fratres tui proprias recepistis Ecclesias, cum omnibus sibi pertinentibus. His enim & aliis quamplurimis documentis manifestum est, nullum damnari aut exspoliari rebus debere Episcopum, qui hanc sanctam sedem interpellauerit, aut sibi defensatricem adsciuerit, donec iudiciū de eo nostræ Apostolicæ auctoritatis, hoc est principis Apostolorum Petri agnoscat. quia solummodò Christus Iesus huic sanctæ

sedi id est Apostolicæ, hoc facere commisit, vt pote quoniam solus atque præ omnibus præfatus princeps Apostolorum creditus est, atque percipere meruit à rege regum Christo Deo claues regni cælorum.

DAMASVS PAPA, QVI FVIT istius Felicis successor, & fuit tricesimus nonus post Petrum, scripsit ad Stephanum Archiepiscopum, de Archiepiscopis qui facilè damnare volunt Episcopos, dicens,

Epist.4. cap.2. DISCVTERE verò Episcopos, & summorum Ecclesiasticorum causas negotiorum, Metropolitano vnà cum omnibus suis comprouincialibus, ita vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negotiis, licet: sed diffinire eorum atque Ecclesiasticarum summas querelas causarum, vel damnare Episcopos, absque huius sanctæ sedis auctoritate minimè licet: quam omnes appellare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam, vt nostis, Synodum sine eius auctoritate fieri non est ratum, nec Episcopus nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, diffinitè damnari potest: neque vlla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sint fulta Apostolica auctoritate.

EX GRÆCIS ET LATINIS canonibus, & Synodis Romanis, atque decretis Præsulum ac Principum Romanorum, à Papa Adriano Ingilramno Mediomatricæ vrbis Episcopo prolatis.

Cap.14. NVLLVS Metropolitanus Episcopus, absque ceterorum omnium comprouincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas eorum, quia irrita erunt, immo etiam causam in Synodo pro facto dabit. Nec reliquorum aliquis Episcoporum, suorum sacerdotum causas audiat, absque præsentia clericorum suorum: quia irrita erit sententia Episcopi, nisi præsentia clericorum confirmetur.

EX DECRETIS EVSEBII PAPÆ.

OVES ergo, quæ pastori suo commissæ fuerint, cùm nec reprehendere, nisi à recta fide exorbitauerit, debent, nec vllatenus accusare possunt: quia facta pastorum oris gladio ferienda non sunt, quanquam rectè reprehendenda videantur. Ideo ista dicimus, quia in scriptis vestris reperimus, quosdam Episcopos vestris in partibus à propriis ouibus accusatos, aliquos videlicet ex suspicione, & aliquos ex certa ratione: & idcirco quosdam suis esse rebus exspoliatos, quosdam verò à propria sede pulsos. Quos sciatis nec ad Synodum comprouincialem, nec ad generalem posse vocari, nec in aliquid iudicari, antequàm cuncta quæ eis sublata sunt legibus potestati eorum redintegrentur. Priùs ergo oportet omnia illis legibus redintegrari, & Ecclesias quæ sibi sublatæ sunt, cum omni priuilegio suo restitui. & postmodùm, non sub angusti temporis spatio, sed tantum temporis spatium eis indulgeatur, quantum exspoliati vel expulsi esse videntur, antequàm ad Synodum conuocentur, & ab omnibus quisque suæ prouinciæ Episcopis audiatur. Nam nec vocari ad causam, nec iudicari potest exspoliatus vel expulsus: quia non est priuilegium, quo exspoliari possit iam nudatus. Vnde & antiquitùs decretum est, vt omnes possessiones, & omnia sibi sublata, atque fructus cunctos, ante litem contestatam perceptor vel primas possessori restituat. Et alibi scriptum habetur, Ille qui violentiam pertulit, vniuersa in statu quo fuerant recipiat, & quæ possedit securus teneat. Et alibi in synodalibus Patrum decretis, & regum edictis legitur statutum, Redintegranda sunt omnia exspoliatis vel eiectis Episcopis, præsentialiter ordinatione Pontificum, & in eorum vnde abscesserunt loca funditus reuocanda quacumque conditione temporis, aut dolo, aut captiuitate, aut virtute maiorum, aut per quascumque iniustas causas, res Ecclesiæ, vel proprias aut substantias suas

Epist.2. sub finem.

perdidisse noscuntur ante accusationem, aut regularem ad Synodum vocationem eorum, & reliqua. Est etiam in antiquis Ecclesiæ statutis decretum, vt qui aliena inuadit non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat. Vnde & in Euangelio scri-
Luc.19.8. ptum est, *Quod si aliquid defraudaui, reddo quadruplum.* & in legibus sæcularibus cautum habetur, Qui rem surripit alienam, illi cuius res direpta est in decuplum quæ sublata sunt restituat.
Deut.27.17 Et in lege diuina legitur, *Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui, & dicet omnis populus Amen.* Talia ergo non præsumantur absque vltione, nec exerceantur absque sua damnatione. Pacem, & non damnum aut iniustitiam alicuius sectamini in inuicem, & in omnes. Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem suî in caritate. De cetero, carissimi, gaudete, & perfecti estote: exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Dominus custodiat vos, & nunc, & in die æternitatis. Amen. Data IX. Kalend. Octobr. Constantio V. C. CONS.

EX EPISTOLA ZEPHYRINI PAPÆ, Ægyptiis directa, qui fuit decimus sextus post Petrum.

Epist. II. NVNTIATVM est enim sedi Apostolicæ per apocrisiarios vestros, quosdam fratrum nostrorum, Episcoporum videlicet, ab Ecclesiis & propriis sedibus pelli, suáque eis auferri supellectilia, & sic nudos exspoliatos ad iudicia vocari, quod omni ratione caret, cùm constituta Apostolorum eorúmque successorum, & præcepta Imperatorum, ac constitutiones legum, id ipsum habeant, & Apostolicæ sedis auctoritas id ipsum fieri vetet. Præceptũ est ergo in antiquis statutis, Episcopos eiectos, atque suis rebus exspoliatos, Ecclesias proprias recipere, & primò sua omnia eis reddi, & tum demùm, si quis eos iustè accusare voluerit, æquo periculo facere, iudices esse decernentes Episcopos recta sapientes, & in Ecclesia conuenientes, vbi testes essent singulorum qui oppressi videbantur: nec priùs eos respondere debere, quàm omnia sua eis & Ecclesiis eorum legibus integerrimè restaurentur.

EX EPISTOLA IVLII PAPÆ, quæ fuit rescripta Eusebio, Theognio, Theodoro, ac Berinto, & reliquis Orientalibus Episcopis, culpans eos quòd Athanasium & Paulum, ceterósque sequaces eorum, absque sedis Apostolicæ consultu damnare, & à propriis sedibus pellere, contra canonicam præsumpsere auctoritatẽ.

DECVERAT vos aduersus sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam limatè & non ironicè loqui, quoniã & ipse Dominus noster Iesus Christus eam decenter allocutus ait, *Tu es*, inquit, *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum.* Habet enim potestatẽ, singulari priuilegio sibi concessam, aperire & claudere ianuas cælestis regni quibus voluerit. Nam si ei detrahere, quæ Domini ore sacrata atque superexaltata est, non renuitis, nec mirum si fratribus irrogare iniurias minimè cessatis. Vnde iam silentio non teguntur, quæ vestro in Concilio turbulenter atque cum tempestate decreta sunt. Apparet enim, quoniam quadam tumultuosa indisciplinatione veritas est oppressa: vobis quippe inconsiderantibus quæ placent Deo, propter iurgia quæ contra proximos vestros habetis, & vota vestra ineuincibilia esse contenditis. Sed erit opus diuinæ prouidentiæ, quatinus & è cõtrario apertè possint euacuari, & quicquid illic conueniẽtes, sine qualibet gratia, odio aut inimicitiarum causa gessistis, funditus repelli. Quapropter cum omni festina-

Epist. II. ad Orientales
Matt.16.18

tione vos omnes ad huius sanctæ sedis reuerentiam volo concurrere, quatinus gestorum apud vos integritatem per vos ipsos possitis ostendere. Nam nec dubitare vos credo, Athanasium sacræ legis doctorem, non solùm à nobis, sed etiam à Nicæna Synodo veræ fidei cultorem esse comprobatum. qui defecto Alexandro mirabili sene, qui Arrij prostrauerat blasphemias, post quinque menses Nicæni Concilij, Alexandrinorum Ecclesiæ suscepit præsulatum. Aduersus quem eiúsque sectatores, multa mendacia texentes, & nudas valde calumnias quasi veras accusationes componentes, multorum malorum eum causam & caput esse perhibuistis. & non solùm apud Ægyptum, sed etiam apud Palæstinam, & Phœnicem, vicinásque gentes, scriptis vestris illum perturbatorem esse significastis. Qua de re, Ecclesiasticam sequentes regulam, vos & illos Romæ regulariter ad iudicium die statuta, non sub angusto temporis spatio, vt excusatio locum non inueniret, litteris & apocrisiariis euocauimus, illique vocatione suscepta ad diem præstitutum venêre. sed vos, ne vestris mẽdaciis caperemini, vestræque calumniæ nudarentur, venire distulistis. Nec his machinationibus solummodò contenti estis: sed etiam, videntes oues pastoribus desolatas, lupos pro pastoribus super eas posuistis. Decuerat ergo vt ad regularem veniretis conuocationem, qualiter de his & de aliis vestris præsumptionibus veram redderetis rationem, quoniam occurreret veritas si falsitas displiceret, & nullus dubitat, quod ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum eum nocens vt absoluatur requirit. Nec suspicione caret, qui alium calumniis derogat, falsa dixisse, cùm ipse ad iudicium vt probet quæ intulit euocatus venire distulerit. Vellem enim vos magis ad iam dictam canonicam conuenire vocationem, vt coram vniuersali Cõcilio redderetis rationem, cur Synodum ad statum Ecclesiarum & fratrum in Antiochia subuertendum, & Nicæni magni Concilij destructionem fecistis, aut cur nobis inconsultis, Episcopos in eam conuocastis, ad quam nec Maximus Hierosolymitanus venit, nec nostra interfuit legatio, canonibus quippe in Nicæna Synodo iubentibus, non debere præter sententiam Romani Pontificis vllomodo Concilia celebrari, nec Episcopos damnari. aut cur in prædictorum loco fratrum alios adulteros posuistis, antequam penes nos, aut nostros apocrisiarios, eorum causa canonicè esset examinata, finémque perciperet rectum. Isti enim, qui ad memoratam regularem venêre vocationẽ, volentes vos à prædictis subtrahere calumniis, multa aduersus vos lacrymabilia & doloribus plena referunt, accusantes vos & dicentes multa se importabilia à vobis esse passos. Vos ergo refugientes venire, illósque perseuerantes in vera ratione, suásque calumnias reclamantes, super quibus & Ægyptiorum Episcopi litteris nobis missis protestantur suis, falsa esse quæ contra Athanasium suósque sectatores machinantur, cunctáque Arrianorum machinata blasphemiis. Talibus namque figmentis liquet eos esse inculpabiles, vósque culpabiles: quia si de vera consideretis innocentia, nullomodo à iam dicta vos canonica subtraheretis euocatione, quæ non subitò sed spatiosè denuntiata est, omni sed subducta apologia, absque tardatione venire & causas reddere festinaretis. Quibus ita gestis, scripsi vobis & omnibus qui in Antiochia contra Apostolicam canonicámque regulam nobis inconsultis fueratis congregati, arguens vos primùm de iniuriis litterarum: deinde cur Athanasium suósque consectatores ad vestrum Concilium conuocassetis, canonibus scilicet præcipientibus nihil extra Romanum decerni Pontificem, cui hæc & maiora Ecclesiarum negotia, tam ab ipso Domino, quàm ab omnibus vniuersorum Conciliorum patribus, speciali sunt, vt iam dictum est, priuilegio contradita. Vobis verò refugientibus, & ad Concilium toties conuocatis ad esse nolentibus, illis quoque in sua reclamatione & iusta ratione persistentibus, vestráque cognoscentes crimina, & illorum iustam examinantes rationem, omnésque eos Nicæno Con-

cilio comperientes, & nostris Apostolicis iussionibus obtemperantes, visum est nobis ac vniuerso Concilio, vt vos, diuinis præceptis & Apostolicis monitis informati, qui pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilare debemus affectu, si quicquam reprehensioni vsquam inuenitur obnoxium, celeri sollicitudine aut ab ignorantiæ imperitia, aut à præsumptionis vsurpatione reuocemus. His taliter consideratis atque decretis, tanquam omnium curam gerentes, propter sedis propriæ dignitatem, suscepimus eos in communionem, singulísque cum suis, auctoritate huius sanctæ sedis, rebus suas proprias reddidimus Ecclesias. quoniam huic sanctæ sedi propter prauorum hominum insidias, ipso Domino instituente, & sanctis Apostolis, eorumque successoribus per singula Concilia roborātibus, hoc semper licuit licebítque, Domino auxiliante, in perpetuum. Vnde qui se scit aliis esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obtemperantiā, quam ab aliis requirit, gratis & ipse dependat. Quapropter increpando vobis scribo, quia non rectè tractastis viros inculpatos, & à nobis minimè examinatos, de suis Ecclesiis communione priuatos pellentes, & Ecclesiasticæ disciplinæ iniuriā irrogantes, constitutúmque Nicæni Concilij minimè seruantes, talia indisciplinatè agere non formidastis. Idcirco, quoniā dudū venire renuistis, modò ad certū diem, id est xv. Kal. Nouembris, vos iterum regulariter literis missísque euocamus, vt coram vobis ostendamus, nos iustam in eos protulisse sententiam, & de cetero non talia esse passuros. Est etenim in antiquis Ecclesiæ statutis decretum, vt qui aliena inuadit non exeat impunitus, sed cum multiplicatione restituat, Vnde & in
Luc.19.8. Euangelio scriptum est, *Quòd si aliquid defraudaui, reddo quadruplū.* In lege quo-
Deut.27.17 que cautum est: *Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui, & dicit omnis populus amen.* Quare miror vos tam audaces esse, & tam impudenter egisse, & terminos ac iura beati Petri Apostolorū principis inuasisse. Si enim, vt paulo superiùs prælibatum est, iuris erat vt absque eius sanctæ sedis auctoritate nullus deberet aut Concilia celebrare, aut Episcopos ad Synodum conuocare, vel eos damnare, aut propriis pellere sedibus, aut alios in eorum loco ordinare, omnia vos temerare non timuistis. Quid ergo est aliud talis præsūptio, nisi quod Apostolorum suorúmque successorum decreta transgredi, & maledictionem superiùs comprehensam, in lege scilicet cautam, quam omnis populus vno ore consonaque responsione per Amen, id est fiat, confirmauit, suscipere non timuistis? ITEM EX EADEM, Nemo enim debitorem ampliùs potest cognoscere, quàm ille qui iniuriam eiúsque sustinuit nequitiam. ET POST PAVCA. Quod enim scripsistis non posse eum à pauciore numero Episcoporum restitui quàm depositus fuerat, non ita est, nec hæc regula orthodoxorum sanctæ Ecclesiæ est Episcoporum, sed Arrianorum, sociorum videlicet vestrorum, hæc inuentio ad perditionem orthodoxorum Episcoporum contexta est. Nam, vt nobis à veracibus est testibus relatum, quando Antiochiæ pro damnatione fidei de consubstantialitate prolata fuistis congregati, odio prædicti Athanasij hanc regulam protulistis, quæ nullas habet vires, nec habere poterit, quoniam nec ab orthodoxis Episcopis hoc Concilium actum est, nec Romanæ Ecclesiæ legatio interfuit, canonibus præcipientibus sine eius auctoritate Concilia fieri non debere, nec vllum ratum est aut erit vnquam Concilium, quod eius non fuerit fultum auctoritate. Igitur de fuga super qua Athanasium reprehēditis, non rectè agitis, cùm ipse Dominus manda-
tum nobis hoc dederit, *Cùm persecuti* Matt.10.23.
vos fuerint in vnam ciuitatem, fugite in aliam. Et ipse Dominus per semetipsum exemplum demonstrans, quando Pharisæi consilium fecerunt aduersus eum vt eū occiderent, sciens autem Iesus dis-
cessit inde. Et alibi, *Tulerunt lapides Iudæi,* Ioan. 8.59.
vt mitterent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo, & transiens per medium eorum abiit, & ita discessit. Nam & discipuli propter metum Iudæorum re-
cesserunt, celantes semetipsos. Et Pau- 2.Cor.11.
lus in Damasco à principe gentis quæsitus, de muro sporta depositus est, & ma-

nus quęrentis effugit. Et alij quamplurimi & innumerabiles sancti, tam in veteri, quàm in nouo testamento, fugisse leguntur. Si ergo fugam improperatis fugientibus, erubescite potiùs persequi, & quiescite insidiari, quiescéntque continuò fugientes. Nam siue perimatis eos, mors semper contra vos exclamat: siue rursus exilia superponatis, vbique in vos mali memoriam destinare noscimini, & illi patiendo sibi proficiunt. Vnde
Matt.10. & Dominus ait, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. sed potiùs eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Multos enim cognouimus pessimis machinationibus iniustè depositos. Ideo summopere mihi, cui vice principis Apostolorum vniuersalis Ecclesiæ cura commissa est, prouidendum est, auxiliante ipso summo Apostolo, ne deinceps talia fiant. quoniam ideo huic sanctæ sedi præfata priuilegia specialiter sunt concessa, tam de congregandis Conciliis, ac restitutionibus Episcoporum, quàm de summis Ecclesiarum negotiis, vt ab ea omnes oppressi auxilium & iniustè damnati restitutionem sumant, & talia ab improbis nec præsumantur absque vltione, nec exerceãtur absque damnatione. ET POST ALIQVANTA. Noluit itaque Dominus tam leuiter suos tractari ministros sicut facitis, aut à vobis damnari, sed sicut memoratũ est, aut ab hac sancta sede cui commissi sunt, aut suo reseruari iudicio. Ait enim, Qui vos contristabit me cõtristabit. qui fecerit iniuriã vobis, recipiet id quod iniquè gessit. Et quanta pœna expectet eos qui Domini scandalizant discipulos, Euangelium sufficienter exponit, vbi de scandalizãtibus discipulos loquitur. Nam quòd à vobis nõ sint dãnandi, sed aut ab hac sancta sede, vt præfatum est, aut sibi reseruandi, ipse manifestè dat exemplũ, quando peccãtes sacerdotes, quorum locum modò in sancta Ecclesia Episcopi tenẽt, non per alium, sed per semetipsum, vendẽtes & ementes eiecit de templo, & mensas nummulariorum proprio euertit flagello, & eiecit de templo. Et ipse alibi ait,
Psal.81.1. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit.* & reliqua talia & his similia. Et alibi idem ipse ait, *Nolite iudicare vt non iudicemini, nolite condemnare vt non condemnemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Matt.7. Quapropter non tam temerè, vt vos facitis, quisquam suam præsumat euomere iniquitatem: sed iudicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, nec de illis, quæ ei inconcessa sunt, vllomodo iudicium præsumere, interrogãdi ac proponendi, adiiciendique patientia præbita ab eo, vt ibi actio partium limata sit pleniter: nec priùs litigantibus sua velit sententia obuiare, nisi quãdo ipsi, peractis omnibus, iam nihil ampliùs habuerint in quæstione quod proponant. Nec oportet quenquam iudicari aut damnari, antequàm suos accusatores præsentes habeat, locúmque defendẽdi accipiat spatiosum ad abluẽda crimina. Similiter in iam facta Nicæna Synodo statutum est, vt vltra prouinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur, nisi ad hanc Apostolicam fuerit sedem prouocatum, ad quã omnes qui voluerint liberè & absque vllo impedimento à quibusdam agendo, confluere debent. ITEM EX SVBSEQVENTIBVS. Iudices autem alij esse non debent, nisi quos ipse qui impetitur elegerit, aut quos suo cum consensu hæc sancta sedes, aut eius primates auctoritate huius sanctæ sedis delegauerint. Ex his enim & aliis, quæ tam in hac sancta sede, quàm & ab Apostolis eorúmque successoribus sunt statuta, nil præfatis Episcopis concessistis: sed vim eis inferentes, iniustéque, vt superiùs commemoratum est, eos damnãtes, aliquos absentes expulistis, quod omni Christianæ legi est inimicum. In quibus apparet quòd nec Domino sua seruastis iura, nec huic sanctæ matri & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ, vt pręscriptũ est, eos suo iudicio aut huic sedi voluit reseruari, ne à tam prauis, sicut estis, hominibus damnarentur aut eiicerentur. In his omnibus vos stultos & præuaricatores Euangeliorum & canonum esse, nulli sanè sapientium est absconditum. Nec his contenti in vestra e-stis præuaricatione, sed etiam quòd priùs expulsos eos, & suis exspoliatos rebus, quasi vocastis atque damnastis,

cùm nullus regulariter aut vocari, aut iudicari possit antequam sit regulariter restitutus, & sua omnia ei legibus sint integerrimè reformata. Est namque in sæpedicta sancta Synodo ab omnibus vnanimiter decretum, & Apostolica auctoritate roboratum, vt si quis Episcoporum suis fuerit rebus exspoliatus, & in accusatione pulsatus, ordinatione Pontificum oportet & decet sanctum propositum prima fronte certare, vt omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, legaliter primò potestati eius ab honorabili Concilio redintegrentur, & Præsul regulariter priùs statui pristino reddatur, & ipse dispositis ordinatisque suis, tunc ad tempus veniat ad causam, & si ita iustè videtur, accusantium propositionibus respondeat. Quare ergo transgressi estis terminos patrum, iudicantes & damnantes eos quos non debuistis? quare iudicastis eos quos non regulariter approbastis? Nec obseruastis quod in Regnorum libro scriptum est,
1.Reg.16.7. *Non quomodo videt homo, videt & Deus: quia homo videt in facie, Deus autem in*
1.Paral.28.9. *corde.* & in Paralipomenon, *Omnia corda scrutatur Deus, & omnem cogitationem nouit.* Et alibi scriptum est, Non potest humano condemnari examine, quẽ Deus suo reseruauit iudicio. Hæc omnia summopere præcauenda sunt, nec accusatio Episcoporum facilè est
Exod.23.1. recipienda, dicente Domino, *Non suscipias vocem mendacij.* & Apostolus in-
1.Tim.5.19 quit, *Aduersus presbyterum inscriptionem non recipiendam, absque duobus vel tribus idoneis testibus.* Si hæc de presbyteris vel ceteris fidelibus sunt præcauenda, quãto magis de Episcopis? Quibus cognitis, magis vos dominari velle manifestum est, quàm consulere fratribus aut sustentare eos. quia honor inflat ad superbiam, & quod prouisum est ad concordiam, tendit ad noxam. Decuerat nãque vos, iuxta præfatas regulas, si aliquid egissent contra suum ordinem, mandare nobis, & expectare quid ad vestra consulta rescriberemus, in tantùm, vt si etiam quicquam graue intolerandúmque committerent, nostra prẹstolaretur censura. & nihil priùs aut aliud decerneretis, quàm quod nobis placere cognouissetis. ita vt à regulis præstitutis nulla, aut negligentia, aut præsumptione recederetis. Cesset huiusmodi pressa nostra auctoritate præsumptio. vitentur huiusmodi nocumenta, quia nequaquam talia patienter ferre possumus machinamenta. quoniam conuenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes.

EX EPISTOLA SANCTISSIMI Archiepiscopi Felicis & eius sancti Concilij, Athanasio, & vniuersis Ægyptiorum, Thebaidorum, & Libyorum Episcopis rescripta: in qua consultationibus eorum, quas super Episcoporum persecutionibus & accusationibus direxerunt, canonicè respondetur.

NON ita in Ecclesiasticis agendum est negotiis, sicut in sæcularibus. Nam in sæcularibus, postquam legibus vocatus venerit, & in foro decertare cœperit aliquis, non licet ante pertractam causam recedere: in Ecclesiasticis verò, dicta causa recedere licet, si necesse fuerit, aut si se prægrauari viderit. ITEM EX EODEM. Iam enim formam dedimus, & à prædecessoribus nostris datam esse cognouimus, vt si quis se agnouerit Christianum, illud seruet quod ab Apostolis noscitur esse contraditum, dicente Apostolo Paulo, *Si quis vobis annuntiauerit præter quod accepistis, anathema sit.* Gal.1.8. Christus enim Dei filius, Dominus noster, humano generi per propriam passionem salutem plenissimam condonauit, vt nos liberaret. Et si Deus in tantum nos dilexit, vt etiam proprio filio non parceret, sed pro nobis omnibus illum traderet, vt nos liberaret, vt quid nos non diligimus fratres, aut eos temerè iudicamus, cùm prædictus dicat Apostolus, *Nolite iudicare inuicem, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum?* Rom.14.13. Nam si illi qui fratres diligunt, ex Deo nati sunt & vident Deum, quid ergo erit illis, qui eos persequuntur, & eos detrahendo, ma-

Felix II. Epist.1.

chinando, accusando, infestando, damnare moliuntur? Si illi filij Dei, proculdubio hi filij sunt diaboli, qui semper sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret, ita fratres insequuntur vt perdāt. Qui verò adiuuare fratres refugiunt, maius onus peccatorum adquirunt, & fraternitatis solatio rei existunt. ET POST PAVCA, Non enim de fontibus salutiferis, spiritualiter ad adquisitionem æternæ vitæ, procedunt tales accusationes & detractiones, atque ideo competenter nos beatus
Rom. 12.3. Paulus Apostolus admonens ait: *Non debere plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*. In diffinitione pietatis perduremus. Qui enim hanc prætereunt, non tantùm ipsi sunt decidentes à corroboratione sua, sed insipientiæ suæ dereliquerunt omnibus memoriā, vt in his in quibus peccauerūt minimè latere potuissent. Gloria enim & cōtumelia in loquela, & in lingua hominis casus illius est. Ideóque conueniens est, hanc quidē ostensionem reprehensionum illorū nostris actibus inseri, ne vlteriùs iā talia patiamini, seminātibus illis zizania & scandala, sed lætari in officiis & dogmatibus vestris mereamini. Igitur erubescant talia, & huiusmodi blasphema subtrahere festinēt, si noluerint à sacerdotali nostro collegio segregari, & à Christiani populi societate diuelli. Licèt namque de his plura & pernecessaria, quæ in decretis sedis Apostolicæ, & ab Apostolis eorúmque successoribus statuta inueniuntur, dicere & conscribere potuissemus, tamen nobis melius visum est, vt epistolam oratione claudamus. Deus omnipotens, & huius vnigenitus filius & saluator noster Iesus Christus, hoc vobis tribuat incitamentum, vt omnibus fratribus, & coepiscopis nostris, quibuscumque tribulationibus laborantibus, totis succurratis viribus, & cum eis compatientes, crucem eiusdem Domini saluatoris portetis, vt veri ipsius discipuli corā omnibus appareatis: vt & vos, & qui vobiscum sunt, hîc & in futuro meliora possideatis, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & cum quo, omnipotenti Deo patri gloria in sæcula sæculorum. Amen. Valere vos opto, carissimi fatres. Data Idibus Februarij, Agario & Iuliano VV. CC. CONSS.

ITEM EX GRÆCIS ET LATINIS canonibus.

NAM si suis rebus fuerit exspoliatus Episcopus, aut quod absit, quod alienum ab omnibus debet esse fidelibus, à sede propria eiectus, aut in detentione aliqua à suis ouibus fuerit sequestratus, tunc canonicè, antequàm in pristinum restituatur honorem, & sua omnia quæ insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerāt redintegrentur, nec conuocari nec iudicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate, minimè tamen iudicandus, aduenire sponte elegerit. Nec omnino à quoquam respondere cogatur, antequàm integerrimè omnia, quæ per suggestionem inimicorum suorum amiserat, potestati eius ab honorabili Concilio redintegrentur, & præsul priùs statui pristino reddatur, & ipse dispositis ordinatisque liberè ac securè suis, tunc canonicè conuocatus, ad tempus Synodo in legitima & canonica veniat ad causam, & si ita iustè videtur, accusantium propositionibus respondeat. Cap. v.

EX DECRETIS CÆLESTINI Papæ.

NVLLI sacerdotum liceat canones ignorare, nec quicquā facere quod patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium normam constitutorum, pro aliquorum libitu, licētia populis permissa, frangatur? CAPITVLO III. QVOD DOCENDVS SIT POPVLVS, NON SEQVENDVS. Docendus est populus, non sequendus. Nósque, si nesciunt, eos quid liceat quídve non liceat commonere, non his consensum præbere debemus. Quisquis verò conatus fuerit tentare prohibita, sentiet censuram sedis Apostolicæ minimè defuturam. Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per seueritatem congruentem regulis vindicemus. Per totas hoc ergo, quæ propriis recto-

Epist. II. Episcopis Calab. & Apul.

In eadem.

rectoribus carent, Ecclesias volumus innotescat, vt nullus sibi spe aliqua forsitan blanditiis illudat. Data XII. Kal. Augusti Florentio & Dionysio Conss.

Epistola decretalis Sixti Papæ.

Epist. III. Xysti III. Sixtvs *Episcopus omnibus Orientalibus Episcopis in Domino salutem.*] Gratias vestræ referimus sanctitati, quòd in tribulatione & persecutione nostra nos visitare misistis, & causæ nostræ finem bonum scire & esse optatis, precibúsque Deum exorastis, vt mihi in tribulatione succurreret mea, méque adiuuaret, & ab æmulis tribulantibus & persequentibus me liberaret. O quàm bona est caritas, quæ absentes per imaginem, præsentes sibimetipsis exhibet per amorem: diuisa quoque vnit, ac cōfusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta confirmat. Quam rectè prædicator egregius, Apostolus videlicet
Coloss.3.14 Paulus, *vinculum perfectionis* vocat. quoniam virtutes quidem ceteræ perfectionem generant, sed tamen eas caritas ita ligat, vt ab amantis mente dissolui iam nequeant. Hac quoque virtute, fratres, vos plenos Spiritus sancti gratia esse reperio, dum solatiari mihi in meis anxietatibus sentio. Nec mirum, carissimi, si me persequuntur æmuli mei, cùm caput nostrum, quod est Christus, olim æmuli sanctæ Dei Ecclesiæ, seruorúmque eius, sint persecuti. vnde & ipsa per se veritas
Matt.10.25 dicit, *Si patrem-familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* quæ
Ioan.15.19. iterum dicit, *Si de hoc mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret. sed quia de hoc mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Hæc fratres cùm & nos sciamus, & aliis nos sæpe prædicemus, vósque ea perfectè scire non dubitemus, propter insidiantium vituperationes aut accusationes, vel propter laudantium adulationes, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinare debemus: sed inter verba laudantium siue vituperantium, ad mentem semper recurrendum est. Et si in ea non inuenitur bonum quod de nobis dicitur, magnam tristitiam generare debet. Et rursum, si in ea non inuenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si omnes laudēt, & cōscientia nos accuset? aut si omnes accusent, & conscientia nos liberos demonstret? Habemus Paulum dicentem, *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* 2.Cor.1.12.
Iob quoque dicit, *Ecce in cælo testis meus.* Iob 16.20.
Si ergo est nobis testis in cælo, testis in corde, dimittamus stultos foris loqui quod volunt. Quid enim aliud detrahentes faciunt, nisi in puluerem sufflant, atque in oculos suos terram excitant? vt vnde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant. Vocandi tamen sunt etiam ipsi, & tranquillè admonendi, eísque satisfieri modis omnibus debet, scientes quod de Iudæis veritas dicit, *ne fortè scandalizemus eos.* Matt.17.26
Si autem satisfieri sibi ex veritate noluerint, habes consolationem quam in Euangelio adspicias, quia cùm Domino dictum fuisset, *Scis quia audito Iudæi hoc verbo scandalizati sunt, respondit, Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum.* Paulus quoque Apostolus admonet dicens, *Si fieri potest, quod ex* Rom.12.18
vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Dicturus *cum omnibus hominibus pacem habentes*, quia hoc difficile esse perspexit, præmisit *si fieri potest*, & subiunxit quod potest fieri, cùm dicit *quod ex vobis est.* Quia si nos in mente caritatem erga odientes seruare cupimus, & si illi nobiscum pacem non habent, nos tamen cum illis sine dubio habemus. Quod ergo mandastis, vt scriberemus vobis, qualiter instans iurgium contra me suscitatum sit, vel à quo, vt vestro adminiculo pelleretur, & causa mea firmaretur, scitote me criminari à quodam Basso, & iniustè persequi. Quod audiens Valentinianus Augustus, nostra auctoritate Synodum cōgregari iussit. & facto Concilio cum magna examinatione satisfaciens omnibus, licèt euadere aliter satis possem, suspicionē tamen fugiens, coram omnibus me purgaui. me scilicet à suspicione & æmulatione liberans, sed nō aliis qui noluerint, aut spontè hoc non elegerint faciendum, formam exemplúmque dans. cùm scriptum sit, Si quis crimen obicere voluerit, scribat se priùs probaturum. & alibi, Criminationes

aduersus doctorem nemo suscipiat. & iterum, Si quis Episcopus, presbyter, aut diaconus, vel quilibet clerici apud Episcopum à qualibet persona fuerint accusati, quicumque fuerit, siue ille vir sublimis honoris, siue vllius alterius generis persona, qui hoc genus inlaudabilis intentionis arripuerit, nouerit docenda probatioribus, monstranda documentis se debere inferre. Si quis ergo circa huiusmodi personas non probanda detulerit, intelligat se iacturam infamiæ sustinere, & sub magna excommunicatione exilio deportari. Ista omnia postposui, non aliis, vt paulo superiùs prælibatum est, exemplum dando, sed me à præfata infamia & suspicione liberando. Condemnatus est autem memoratus Bassus à iam dicta Synodo, ita tamen vt in vltima die viaticum ei non denegetur, propter humilitatem pietatis Ecclesiæ. Valentinianus quoque antè dictus Imperator scripto eum condemnauit, cum Augusta matre Placidia, & omnia prædia facultatum eius, futuris de talibus dans hominibus formam ita faciendi, Ecclesiæ catholicæ sociauit. Sæpedictus ergo Bassus nutu diuino non multo pòst moritur. Cuius corpus licèt dignum non esset sepulturæ, propter misericordiam tamen sepeliui eum in cubiculo parentum eius. Et quanquam ipse erga me stultè & impudenter egisset, ego verò misericorditer circa eum egi, cogitans illud quod Dominus in Euangelio loquitur dicens, Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. Et in ipsa Dominica oratione, quam Saluator noster discipulos suos orare docuit, quotidie supplicando Domino dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. & multa alia his similia. His ita de me peractis, quia contra voluntatem omnium Episcoporum qui nobiscum erant, propter humilitatem sensus mei, nullius compulsus iudicio, aut vim passus, sed spontè eligens, hæc, non formam vt iam dictum est aliis dando, sed me purificando feci. In aliis tamen Episcopis competens adhibenda est talibus medela vulneribus, ne immatura curandi facilitas mortifera capitis peste nihil possit, sed segniùs tracta pernicies reatu non legitimæ curationis inuoluat pariter sauciatos & medentes. Ob id ergo statuentes decernimus, vt hi qui non sunt bonæ conuersationis, & quorum vita est inexcusabilis, vel quorum fides, vita, & libertas nescitur, non possint Domini sacerdotes accusare, ne viles personæ ad accusationem eorum admittãtur. Similiter hi qui in aliquibus criminibus inretiti sunt, vel qui sũt suspiciosi, vocem aduersus maiores natu non habeant accusandi, quia suspiciosa vox & inimica veritatẽ solet opprimere. Peregrina verò iudicia, salua in omnibus Apostolica auctoritate, generali sãctione prohibemus. Vnde oportet, si aliquis Episcoporũ super certis accusetur criminibus, vt ab omnibus audiatur, qui sunt in prouincia Episcopis, quia non oportet accusatum aliubi quàm in foro suo audiri. Si quis verò iudicem aduersum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat. Appellantem autem non debet afflictio vlla, aut detẽtionis iniuriare custodia, sed liceat appellatori vitiatã causam appellationis remedio subleuare. Liceat etiam in causis criminalibus appellare, nec appellandi vox denegetur ei quem supplicio sentẽtia destinarit. Pulsatus ante suum iudicem causam dicat, & ante non suum iudicem pulsatus, si voluerit taceat: & vt pulsatis quoties voluerint induciæ dẽtur. Si quis ergo iratus crimen aliquod cuilibet temerè obiecerit, conuitium non est pro accusatione habendum, sed permisso tractandi spatio, id quod iratus dixit, per scripturam se probaturũ esse fateatur. vt si fortasse resipiscens quæ præ iracũdia dixit, iterare aut scribere noluerit, non vt reus criminis teneatur. Omnis ergo qui crimen obiicit, scribat se probaturum. Reuera ibi semper causa agatur, vbi crimen admittitur: & qui non probauerit quod obiecit, pœnam quam intulerit ipse patiatur. Placuit etiam, vt si Episcopus accusatus appellauerit Apostolicam sedem, id statuẽdum quod eiusdem sedis Pontifex censuerit. Hæc tamen omnino in

Matt. 6.

sacerdotum causa forma seruetur, ne quemquam sententia non à suo iudice dicta cōstringat. Occurrere quoq; quisque fidelium ruinis debet oppressorum & miserorum subsidio, quo valeant ex releuatione alienæ vindictæ à se Dei remouere vindictam. Libat enim Domino prospera, qui ab afflictis pellit
Prou.18.19 aduersa. Vnde scriptum est, *Frater fratrem adiuuans exaltabitur.* Ecclesia enim Dei sine macula & ruga debet existere, & ideo non oportet eam à quibusdam conculcari aut maculari,
Cantic.6. quia scriptum est, Vna est columba mea, perfecta mea. Hinc iterum
Exod.33.21 Dominus ad Moysem ait: *Est locus penes me, & stabis super petram.* Quis est locus, qui non sit Domini, dum cuncta in ipso per quem creata sunt continentur? Sed tamen locus apud eum, videlicet sanctæ Ecclesiæ vnitas est, in qua super petram statur, dum confessionis soliditas humiliter tenetur. Vos quoque, & omnes fratres nostros, Ecclesiam Christi sanguine redemptam regentes, monemus vt omnes à præcipitio, in quo fratres & Domini pastores detrahendo & persequendo verbis & factis labuntur, laqueis quibus potestis retēṫetis, & labi eos in ima non permittatis, quia
Iac.1.20. scriptum est, *Ira viri iustitiam Dei non operatur.* Hinc rursum dicitur, *Sit omnis*
Iac.1.19. *homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum, & tardus ad iram.* Hæc autem vos auctore Deo omnia seruare nō ambigo: sed occasione admonitionis exorta, bonis vestris desideriis & operibus me furtiuè subiungo, vt quod non admoniti facitis, quando vobis & admonens additur, iam non soli faciatis. Quapropter fratres oportet vos & omnes fideles diligere inuicem, & non detrahere aut accusare alterutrum. Scri-
Eccli.27.18 ptū est enim, *Dilige proximum, & coniungere fide cum illo. Quòd si denudaueris absconsa illius, non persequeris post eum. Sicut enim homo qui perdit amicum suum, sic & qui perdit amicitiam proximi sui. Et sicut qui dimittit auem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum, & non eum capies. non illum sequaris, quoniam longè abest. Effugit enim quasi caprea de laqueo: quoniam vulnerata est anima eius. vltra eum non poteris colligare. Et maledicti est concordatio. Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abiciet. In conspectu oculorum tuorum condulcabit os suum, & super sermones tuos admirabitur. Nouissimè autem peruertet os suum, & in verbis tuis dabit scandalum. Multa odiui & non coæquaui ei, & Dominus odiet illum. Qui in altum mittit lapidē, super caput eius cadet, & plaga dolosi diuidet vulnera. Qui fodit foueā, decidet in illam, & qui statuit lapidē proximo, offendet in eo, & qui laqueum alij ponit, peribit in illo. Facienti nequissimum consilium super ipsum deuoluetur, & non agnoscit vnde adueniat illi. Illusio & improperium superborum, & vindicta sicut leo insidiabitur illi. Laqueo peribunt qui oblectantur casu iustorum: dolor autem consumet eos antequam moriantur. Ira & furor vtraque execrabilia, & vir peccator continens erit illorum. Qui vindicari vult, à* Ibid.c.28.1
Domino, inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur altissimum? Ipse cùm caro sit reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius? Memento nouissimorum, & desine inimicari. Tabitudo enim & mors imminent in mandatis eius. Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo. Memorare testamentum altissimi, & despice ignorantiam proximi. Abstine te à lite, & minues peccata. Homo enim iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam. Secundùm enim ligna syluæ sic ignis exardescit: & secundùm virtutem hominis sic iracundia illius erit, & secundùm substantiam suam exaltabit iram suam. Certamen festinatum incendit ignem, & lis festinans effundit sanguinem. & lingua testificans adducit mortem. Si sufflaueris in scintillam, quasi ignis exardebit: & si expueris super illam, extinguetur. & vtraque ex ore proficiscuntur. Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes. Lingua tertia multos commouit, & dispersit illos à gente in gentem. Ciuitates muratas diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit. Virtutes populorum conci-

dit, & gentes fortes dißoluit. Lingua tertia mulieres irritas eiecit, & priuauit illas de laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habitabit cum requie. Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem linguæ comminuit ossa. Multi ceciderunt in ore gladij: sed non sic quomodo qui interierunt per linguam suam. Beatus qui tectus est à lingua nequam, & qui iracundiam illius non transiuit. & qui non attraxit iugum eius, & vinculis illius non est ligatus. Iugum enim illius iugum ferreum est, & vinculum illius, vinculum æreum est. Mors illius mors nequißima, & vtilis potiùs infernus quàm illa. Perseuerantia illius non permanebit, sed obtinebit vias iniustorum, & in flamma sua non comburet iustos. Qui derelinquunt Deum incident in illam, & exardescet in illis, & non extinguetur, & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet eos. Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. Aurum tuum & argentum tuum consla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos. & attende ne fortè labaris in lingua tua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem. Ista caueant omnes, vt cohibeant linguas à malo, & labia eorum ne loquantur dolum. De cetero, carissimi, cōfortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturā Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnē & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Propterea accipite arma Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Hæc, fratres, quæ vobis scripsimus, generaliter omnibus nota fieri volumus, vt quæ ceteros tangunt, omnibus nota fiant. Omnipotens Deus, vos & reliquos fratres nostros vbique consistentes protegat vsque in finem, qui cunctum mundum dignatus est redimere, Iesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula. Amen. Data Kalendis April. Valentiniano & Florentio vv. cc. Conss.

Item ex suprascriptis Capitulis.

Sancta Synodus Romana dixit, Hæc sunt quæ deinceps, propter malorū hominum insidias, qui in Ecclesiam & in Ecclesiasticos indesinenter sæuiunt viros, conseruari firmissimè volumus in sæcula. Si quis Episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt fuerit accusatus, postquam ipse ab eis caritatiuè conuentus fuerit, vt ipsam causam emendare debeat, & eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad summos primates causa eius canonicè deferatur. Qui in cōgruo loco infra ipsam prouinciā tempore à canonibus præfixo Nicænis Conciliū canonicè vocare debebūt, ita vt ab omnibus eiusdē prouinciæ Episcopis in eo audiatur. In quo & ipse canonicè conuocatus, si eum aut infirmitas aut alia grauis necessitas non detinuerit, adesse debebit: quia vltra prouinciæ terminos accusandi antè licētia non est, quàm audientia rogetur. Nam si suis rebus fuerit exspoliatus, aut quod absit, quod alienum ab omnibus debet esse fidelibus, à sede propria eiectus, aut in detentione aliqua à suis ouibus fuerit sequestratus, tunc canonicè, antequam in pristinū restituatur honorē, & sua omnia quæ insidiis inimicorū suorū, ei ablata fuerant ei redintegrentur, nec conuocari nec iudicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate, minimè tamen iudicandus, aduenire spontè elegerit. Nec omnino à quoquam respondere cogatur, antequam integerrimè omnia, quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati eius honorabiliter redintegrentur, & præsul priùs statui pristino reddatur, & ipse dispositis ordinatisq; liberè ac securè suis, tunc canonicè conuocatus ad tempus Synodo in legitima & canonica veniat ad causam, & si ita iustè videtur, accusantium propositionibus respōdeat. Nam hoc summopere prouidendum est, ne ante- Cap. I.

quàm hæc omnia fiant coactus respondeat, quia contentio semper vitanda est, Adimi namque Episcopo Episcopatũ, antequam causæ eius exitus appareat, nulli Christiano videri iure potest.

Cap. xiv. ITEM EX EISDEM, Nullus Metropolitanus Episcopus, absque ceterorũ omnium comprouincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas eorũ, quia irrita erunt, immo etiam causam in Synodo pro facto dabunt. Nec reliquorum aliquis Episcoporum suorum sacerdotum causas audiat, absque præsentia clericorum suorum: quia irrita erit sententia Episcopi, nisi præsentia clericorum confirmetur.

EX EPISTOLA PAPÆ GELASII, ad Anastasium principem de Acatio, in Concilio Chalcedonense à sede Apostolica competenter fuisse damnatum.

Epist. xi. ad Episcop. Dardaniæ. NEC planè taceamus, quod cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum, sedes beati Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vt pote quæ de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio, siquidem ad illã de qualibet mũdi parte canones appellari voluerint, ab illa autẽ nemo sit appellare permissus. Sed nec illa præterimus, quòd Apostolica sedes, vt frequenter dictum est, more maiorum, etiam sine vlla Synodo præcedente, & exsoluendi quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit habuerit facultatem. ET POST PAVCA.

In eadem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus orientalis addixerat. quem tamen exceptum sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit. Sanctæ memoriæ nihilominus Ioannem Constantinopolitanum Synodus etiam catholicorum Præsulum certè damnauerat: quem simili modo sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absoluit. Itémque sanctum Flauianum Pontificem Græcorum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola sedes Apostolica non consensit, absoluit, potiúsque qui illic receptus fuerat, Dioscorũ secundæ sedis Præsulem sua auctoritate damnauit, & impiam Synodum non consentiendo summouit, ac pro veritate, vt Synodus Chalcedonensis fieret, sola decreuit. In qua ergo sola ius habuit absoluendi eos quos Synodica decreta perculerant, sic etiam sine Synodo in hac eadem causa plurimos etiam damnasse cognoscitur. ITEM DE EADEM RE. Post quingentos annos constituta Christi eos velle subuertere, cùm triginta annorum lex hominum non possit abrumpi. Sanctum Athanasium ideo non fuisse damnatum à Synodo Orientis, quia sedes ista non consenserit. sanctum Ioannem Constantinopolitanum, sanctum Flauianum. Si ea ergo non consentiente sola, qui damnati sunt à Synodo, qui eadem sola damnante damnatus fuerit, damnatus sit. * *

S. GREGORIVS IN EPISTOLA ad Theoctistam Patriciam dicit.

SI qui verò sunt qui dicunt, quia compulsus quispiam necessitate, si anathematizatus fuerit, aut contra ea quæ sub anathemate prohibita sunt præsumpserit, anathematis vinculo non tenetur, ipsi sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas eius valere non æstimant. Contra quos diutiùs disputandum non est, quia per omnia despiciendi & anathematizandi sunt, & vnde fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur, Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano hæc aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere, proculdubio hos anathematizamus, & ego & omnes catholici Episcopi, atque vniuersa Ecclesia, quia veritati contraria sentiunt, & contraria loquuntur. Lib. ix. epist. 39. sub finem.

QVÒD SI QVIS SACERDOTVM contra hæc interdicta fecerit à suo officio submouendus sit.

Leo per vniuersas prouincias Episcopis constitutis.

Epist. I. Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quòd si quis fratrum contra hæc statuta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio summouendum, nec eum communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonúm promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.

Ex periocha V. Nicolai Papæ, præsentis Hadriani Papæ prædecessoris, Michaëli Græcorum Imperatori directa.

Epist. VIII. Decretalia autem, quæ à sanctis Pontificibus primæ sedis Romanæ Ecclesiæ sunt instituta, cuius auctoritate atque sanctione omnes Synodi & sancta Concilia roborantur, & stabilitatem sumunt, cur vos non habere vel obseruare dicitis, nisi quia vestræ ordinationi contradicunt, & ex laico subito ad culmen patriarchatus transuolare resistunt, contra illud Apostolicum, *Nemini citò manum imposueris?* (1. Tim. 5. 21.) Quòd si ea non habetis, de neglectu atque incuria estis arguendi: si habetis & non obseruatis, de temeritate estis corripiendi & increpandi. Item ipse, Sancti Chalcedonensis Concilij sanctiones ad memoriam reducamus, quæ ita decernunt, (Can. 9.) Si clericus habet causam aduersus Episcopum proprium, vel aduersus alterum, apud Synodum prouinciæ iudicetur. quòd si aduersus eiusdem prouinciæ Metropolitanum Episcopus vel clericus habet querelam, petat Primatem diœceseos, aut sedem regiæ vrbis Constantinopolitanæ. In quo hic tenor obseruandus est, vt si videlicet clericus aut Episcopus aduersus Metropolitanum habet querelam, & tanta vrgetur necessitate, vel si hoc graue non ferat, vbicumque sit positus, Primatem diœceseos petat. quòd si iuxta Constantinopolitanam vrbem quisquam eorum constitutus, & solius Præsulis eius iudicio velit esse contentus, petat eandem regiam vrbem. Cùm enim dixisset, petat primatem diœceseos, præceptum posuit eadem sancta Synodus, regulámque constituit. cùm verò disiunctiua coniunctione addidisset, aut sedem regiæ vrbis Constantinopolitanæ, liquet profectò quòd hoc secundùm permissionem indulsit. Ergo saltem nunc non videtis ad maiora esse properandum? Et quanto magis ad potioris auctoritatis iudiciũ tenditur querimonia, tanto adhuc ampliùs maius culmen petendum est, quousque gradatim perueniatur ad eam sedẽ, cuius causa aut à se negotiorum meritis exigentibus in melius commutatur, aut solius Dei sine quæstione reseruatur arbitrio. Quem autem Primatem diœceseos sancta Synodus dixerit, præter Apostoli primi vicarium nullus penitùs intelligitur. Ipse est enim primas, qui & primus habetur & summus. quæ viritim, si locus exegerit, in subditis demonstrabimus. Ne verò moueat, quia singulari numero diœceseos dictum est, sciendum est quia tantumdem valet dixisse Primatem diœceseos quantum si perhibuisset diœceseon. Plenæ sunt enim sanctæ scripturæ tali forma locutionis. Denique scriptum est, *Fons ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ.* (Gen. 2. 6.) Qui enim non ait, vnus fons ascendebat è terra. sed ait, fons autem ascendebat è terra, pro numero plurali posuit singularem. vt sic intelligamus fontes multos per vniuersam terram loca vel regiones proprias irrigantes, sicut dicitur miles, & multi intelliguntur, sicut dicta est locusta & rana in plagis quibus Ægyptij percussi sunt, cùm esset innumerabilis locustarum numerus & ranarum. Ita & hîc diœcesim singulariter dixit, sed hanc propter vnitatem pacis & fidei, pluraliter intelligi voluit. Item ipse, Cum beato Gelasio nostræ sedis Antistite (Gelasius epist. 6. ad Episc. per Luc. & Brut.) cõsultè dicemus. Necessaria rerum dispositione constringimur, & Apostoli-

cæ ſedis moderamine conuenimur, ſic canonum paternorum decreta librare, & retro Præſulum deceſſorúmque noſtrorum præcepta metiri, vt quæ præſentium neceſſitas temporum reſtaurandis Eccleſiis relaxanda depoſcit, adhibita conſideratione diligenti, quantum poteſt fieri temperemus. Et quoniam de perſona Ignatij atque Photij, nihil diſcretius atque mitius, necnon & ſalubrius arbitramur, quàm vt vterque Romam ad renouandũ examen veniat, hoc magnopere volumus, & vt vos annuntietis ſalubriter admonemus. Sed hoc ſecundùm indulgentiam concedimus, non licentiam id efficiendi pro libitu cuiuſlibet tribuimus. Quoniam cùm ſecundùm canones, vbi eſt maior auctoritas, iudicium inferiorum ſit deferendum, ad diſſoluendum ſcilicet vel ad roborandum, patet profectò ſedis Apoſtolicæ, cuius auctoritate maior non eſt, iudicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus. Iuxta quod & Bonifacius atque Gelaſius ſanctiſſimi Præſules, non ſuis adinuentionibus, ſed Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem non ignorantes dicunt, Bonifacius quidem Rufo & ceteris Epiſcopis per Theſſaliam & alias prouincias conſtitutis ſcribens: Nemo ait vnquam Apoſtolico culmini, de cuius iudicio non licet retractare, manus obuias audacter intulit. Nemo in hoc rebellis extitit, niſi qui de ſe voluit iudicari.] Gelaſius autem in commonitorio Fauſto magiſtro fungenti legatione Conſtantinopolim dato, Nobis, inquit, opponunt canones, dum neſciunt quid loquantur. Contra quos hoc ipſo venire ſe produt, quòd primæ Sedi ſana rectáque ſuadenti parere fugiunt. Ipſi ſunt canones, qui appellationes totius Eccleſiæ ad huius Sedis examen voluere deferri, ab ipſa verò nuſquam prorſus appellari debere ſanxerunt. ac per hoc illam de tota Eccleſia iudicare, ipſam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, ſententiámque illius conſtituerunt non oportere diſſolui, cuius potiùs ſequenda decreta mandarunt.]

Poſt epiſt. VIII.

Ergo de iudicio Romani Præſulis non retractando, quia nec mos exigit, quod diximus comprobato. Non negamus eiuſdem ſedis ſententiam poſſe in melius cõmutari, cùm aut ſibi ſubreptum aliquid fuerit, aut ipſa, pro conſideratione ætatum vel temporum ſeu grauium neceſſitatum, diſpenſatoriè quiddam ordinare decreuerit. Quoniam & egregium Apoſtolum Paulum quædam feciſſe diſpenſatoriè legimus, quæ poſtea reprobaſſe dinoſcitur. Quando tamen illa, Romana videlicet Eccleſia, diſcretiſſima conſideratione fieri delegerit, non quando ipſa quæ bene ſunt diffinita retractare renuerit. Porrò ne dicatis, præter Eccleſiæ legem Ignatium & Photium Romam venire ſanxiſſe, ſcitote nos antiqui patris & prædeceſſoris noſtri Iulij in hoc eſſe ſecutos exemplum, qui iuxta quod in epiſtola ſua repetitur, his qui conuenerant Antiochiæ hoc præcepiſſe dinoſcitur. & Theodoritus hiſtoriographus in his hoc ipſum verbis oſtendit. Verùm, inquiens Euſebius eiúſque conſortes calumnias in Athanaſium factas Iulio Romano Pontifici deſtinauerũt. qui Eccleſiaſticam ſequens legem, etiam ipſos Romam venire præcepit, & venerabilem Athanaſium ad iudicium regulariter euocauit: ille continuò euocatione ſuſcepta venit.] Quòd ſi ad hoc dicitis, ille quidem vocauit, ſed ipſi venire contempſerunt, audite ſequentia, & videbitis vtrum in laudem, an in vituperium, iſta ſit illis reputata contemptio. Subiunxit enim idem Hiſtoriographus dicens. Calumniarum verò ſarcinatores Romam quidem profecti non ſunt, ſcientes facilè ſuum capi poſſe mendacium.] Ne ergo dicatis nos præter Eccleſiæ legem præfatos Romam venire ſanxiſſe, quoniam ſicut ex Hiſtoriographo ecce audiſtis, beatus Iulius & accuſatum & accuſatores Romam venire præcepit, & venerabilem Athanaſium ad iudicium euocauit. Sed ille, qui bonam conſcientiam gerebat, nihil reluctans venit: illi verò, qui malam, contempſerunt, ſcientes profectò, ſicut ibi legi-

Lib. II. cap. IV.

tur, facilè suum posse capi mendacium. ITEM IPSE. Volumus & ita decernimus, istiusmodi Pontificem digna pro factis recipere, vt sacerdotale decus penitus non vilescat, nec tam facilè pontificalis apex terra tenus incuruetur. Ita inquam volumus & decernimus, hunc, immo quemcumque Pontificem, iustæ subdi sententiæ, vt non à sæcularibus quibuscumque iudicetur, non tyrannicè pellatur, non ante audientiam Ecclesia sua priuetur. non ab inferioribus sed à maioris auctoritatis persona recti calculi sententiam consequatur. Ita denique volumus, & ita decernimus istius, immo verò cunctorum sacerdotũ causas examinare, culpásve punire, vt paternos terminos non transgrediamur, sacros canones non conculcemus, nec decretalia sedis Apostolicæ constituta, quibus Ecclesia tota fulcitur atque munitur, quoquomodo violemus. Ad extremũ ita volumus & ita decernimus Pontificẽ qualiscũque sit iudicari, vt Ecclesiæ cui præest iura nulla temeritate, nulla præsumptione frangantur. Nullum quippe poterit Ecclesiæ ius dignum seruari, si præsul eius à quibuslibet, vel quandolibet, aut quomodolibet impediatur, & pro libitu cuiuscumque tanta facilitate pellatur. Quod cùm ita sit, non possumus interim fratrem nostrum Ignatium, qualiscumque sit, non inter sanctissimos & beatissimos Patriarchas connumerare. qui licèt apud vos sit tot opprobriis, tot persecutionibus fatigatus, à nobis tamen non nisi qualis à decessoribus meis est habitus creditur & veneratur. Nullo quippe nostro examine alicuius criminis reus, nullo est nostro speciali iudicio repertus obnoxius. Ac per hoc nulla est nostra sentẽtia cõdemnandus, aut à nostri Ecclesiæque nostræ communione collegij sequestrandus, aut aliquibus nisi honorabilibus vocabulis appellandus. ITEM IPSE. Prælati iudicium semper inferioribus formidandum est: ne si ei non obedierint, licèt ab eo fortassis iniustè ligentur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa, id est inobedientia, mereantur. Igitur Prælatos damnare indifferenter oportet horrescere. Quicumque verò minoris auctoritatis sunt, damnari sollicitè caueant, nec maiorum suorum sententiam transgrediantur. Alioquin, licèt iniustè nonnunquam damnati sunt, ex ipsa temeraria præuaricatione, culpa, quæ nondum fortè perpetrata fuerat, & vltio, quam culpa necdum merebatur, proculdubio subsequentur. Nihil quippe lignum vetitum in se mortiferum habuit, sed qui inobedienter ex eo comedit, mortem sibi & posteris propinauit: non quia lignum malum, cùm Deus quod fecit totum fecerit bonum, sed quòd mala sit transgressio, & nolenti subici per eam meritò sit orta damnatio. ITEM IPSE. Sicut ex Apostolicis canonibus edocemur, solui ab eo qui eum sequestrauit, aut certè à prima sede iure possit absolui.

Ecce hîc euidentissimè ostenditur, vt si quis contra Romanorum Pontificum decreta obloqui præsumpserit, iure temeritatis arguatur.

HÆC succinctè quidem excerpsi, ac passim pro qualitate negotij contexendo, promiscuéque conserendo, ordine cum præpostero, tum composito, sed & sensim connexo adsciui, quæ pleniùs, directo tramite seruato, ex Romanorum Pontificum decretis, in alio codicello, examussim de multis modica deflorando, collegi.

XXXIII.

OPVSCVLVM LV. CAPITVLORVM,

ADVERSVS HINCMARVM LAVDVNENSEM.

Ex editione Parisiensi recognita.

INDEX CAPITVM.

tes vocum nouitates per diuerſas occaſiones ſe ab Eccleſia ſeparauerint.

XX. *Qualiter caueat ne ſcandalum ſibi ſumat in intelligentia ſcripturarum atque ſacrorum canonum: & quomodo propagata ſit proceſſu temporũ doctrina Eccleſiaſtica. Et de epiſtolis Pontificum Apoſtolicæ ſedis ante ſacra Concilia ad diuerſos pro diuerſorum conſolatione datis: & quòd ſicut in publicis legibus quædam ſint abrogata, & quædam immutata, quædam etiam ſuperadiecta, ita & ex decretis catholicorum, pro tempore & ratione atque neceſſitate prolatis, poſtea quædam abrogata vel immutata fuerunt. & de quibuſdam formis canonum. & de eo quod S. Auguſtinus ad Bonifacium de pœnitentia ſcripſit. & de diuerſitate conſtitutionum in prædictis epiſtolis, vnde ſuam compilationem confecit. Et de ſex generalibus Synodis. & de nomine vniuerſalitatis. Et quid de canonibus Gallicanis Apoſtolica ſedes ſenſerit. & de priuilegio ac clauibus regni cælorum beato Petro traditis, & in eo omni electorum Eccleſiæ. Et de epiſtolis Iulij, & Felicis, & Sardicenſi Concilio: & vnde opinio ſit exorta plura quàm xx. fuiſſe capitula in Nicæno Concilio facta.*

XXI. *Qua ratione quædam ex his, quæ in epiſtolis antiquorum Apoſtolicæ ſedis Pontificum ſcripta inueniuntur, à ſucceſſoribus eorum vſa non fuerint, & quædam in decretis eorum poſita, & à Conciliis inter canones ſacros inueniuntur adſumpta. & quòd non niſi xx. capitula, quæ habemus, in Nicæno Concilio fuerint cõſtituta.*

XXII. *De quatuor capitulis à beato Gregorio in epiſtola ad Theoctiſtam patriciam memoratis, de quibus quædam impoſturans hic frater noſter prauè interpretatus eſt, ſicut quondam & alij feciſſe leguntur, vnde in generali Synodo reuicti & degradati fuerunt.*

XXIII. *Quòd Apoſtolica ſedes partem noni capituli, cum recapitulatione ipſius in cap. XVII. non recipiat, ſicut beatus Leo Papa demonſtrat.*

XXIV. *Quòd ea, quæ inde Apoſtolica ſedes refutauit, quidam releuare ac reſtituere conati ſint, allegantes quoniam Synodus Chalcedonenſis, aut rata in totum tenebitur, aut in totum annullanda ducetur: & quòd Apoſtolica ſedes fidem Conſtantinopolitani Concilij temporibus Damaſi Papæ & Gratiani principis celebrati recipiat, canones autem ipſius Concilij non recipiat. Et quòd canones Chalcedonenſis Concilij, præter illud vnum capitulum in XVII. recapitulatum, recipiat. Et de canonibus qui dicuntur Apoſtolorum. & de ſententiis, quæ dicuntur ex Græcis & Latinis canonibus, & Synodis Romanis, atque decretis Præſulum ac ducum Romanorum, collectæ ab Adriano Papa, & Angelramno Metenſium Epiſcopo datæ. & de præfatione Iſidori in libro epiſtolarum. Et de eo quod dicit hic frater noſter, quia non ego ſolus ſapio canones, & quia me reprehendit, quoniam dico antè me cognouiſſe canones quàm ipſe natus fuiſſet: & quia neceſſariora poſſet quærere, quàm talia quæ ſibi ad ſuam intentionem non ſunt profutura. & de ſcedula quam illi in Gundulfi villa per domnum Venilonem direxi. & de eo quod dicit, Si quis contra Romanorum Pontificum decreta obloqui præſumpſerit. & quòd, ſicut ipſe dixit, ordine præpoſtero ſuam compilationem exercuit, & ego coactus ſum anfractus eius veſtigando mille viis, vt dicitur, explicare.*

XXV. *Danielis explicatur ſententia dicentis*, Pertranſibunt plurimi, & Daniel.c.12
& multiplex erit ſcientia. *Et de eo quod beatus Gelaſius dicit in Catalogo, in quo deſcripſit qui libri ab Eccleſia Catholica recipiantur: & quam differentiam faciat inter ſacra Concilia, & memoratas epiſtolas Pontificum Apoſtolicæ ſedis ad diuerſos pro diuerſorum conſolatione datas. & quod Apoſtolus de lege veteri dicit, & de ceremoniis ipſius legis veteris. Et quid ſanctus Auguſtinus ex verbis Cypriani de conſuetudine dicat, & quam differentiam in libris de Baptiſmo demonſtret inter epiſtolare colloquium, quo iſtæ epiſtolæ Apoſtolicorum, de quibus agitur, conditæ ſunt, & regionale ac plenarium Concilium: & inter priora & poſteriora Concilia, & inter ſacram ſcripturam & Epiſcoporum Concilia. & de myſtica Nicæna Synodo. & quid de Conciliis in aliis libris ſuis beatus Auguſtinus dicat.*

XXVI. *Adiectio ex ſupererogatione ponitur, quid de Conciliis B. Auguſtinus ad Ianuarium dicat, & quid inde in edicto Iuſtiniani ſuper quintam Synodum dicatur. Et quid de Antiochena Synodo beatus*

dicat Hilarius. Et quòd de Nicæno Concilio nihil à catholicis sit abrogatum vel immutatum. Et quid Apostolicæ sedis Pontifices de Metropolitanis & suffraganeis Episcopis decreuerunt. Et quid beatus Ambrosius & Hilarius de priuilegio Nicæni Concilij dicant. Et quid inde passim Leo scripserit.

XXVII. *De eo quòd hic frater noster dicit in metrica titulatione compilationis suæ,* Respõsum à vincto ritè nec exigier. *Sed & de eo quod mihi per comministros meos ad se directos mandauit, quia respondere de sibi mandatis non debuerit. Et quid de obedientia Suffraganei erga Metropolitanum sacri canones & Apostolica sedes decreuerint.*

XXVIII. *De inregulari excommunicatione ab hoc fratre nostro intentata in ministros Ecclesiasticos suæ parochiæ. & qui æqualiter ab Episcopo excommunicari debeant. Et quia sicut duo sunt peccata, & duo genera peccatorum, & duo sunt aduentus Domini, vnus occultus, alter manifestus, ita & duo sint iudicia, vnum occultum, alterum manifestum, & duo iudiciarij ordines, & qualiter ipsi duo ordines sint exequendi.*

XXIX. *Quid sacri canones dicant de his qui à singulis Episcopis prouincialibus, pro incognitis causis Primati prouinciæ & ceteris Episcopis, excommunicantur: quos ante cognitionem nullus debet præsumere, vt eos communioni societ. Et qualiter agendum sit erga eos, quorum causæ manifestæ sunt & plurimis cognitæ, & inregulariter excommunicantur.*

XXX. *Qua ratione & auctoritate per sacras regulas soluit quæ inregulariter in parochia sua hic frater noster ligauit: & quia suæ excommunicationes, non Ecclesiasticæ alligationes, sed commoti animi sui, contra Euangelicam veritatem, & Apostolicam atque sacrarum regularum constitutionem, maledictiones fuerunt. & quòs sacri canones excommunicatos ab aliis recipi non prohibeant, vel quos recipi vetent. & quid beatus Gregorius de Episcopali alligatione decreuerit, & quid inde sacri canones dicant, & quid leges, quas Ecclesia recipit, de eo, qui iniustè excommunicauit decernant, & quid ex eisdem legibus sedes Apostolica promulgauerit.*

XXXI. *De eo quòd paruulos, qui sæpè discrimine mortis periclitantur, baptizari prohibuit.*

XXXII. *De eo quòd pœnitentiam denegari, & viatico munere non subueniri morientibus contra Nicænos & Africanos canones, & decreta Syricij, & Innocentij, atque Cælestini, nec non & Leonis, præcepit. Et de capitulo Cælestini, in quo quiddam prætermisit. Et quid sanctus Gregorius de anathemate dixit in quemcumque, qui contra sacrum Nicænum Concilium & cetera veneranda Concilia, eas personas ligant quas ipsa soluunt, & eas soluunt quas ipsa ligant: & sacrum Nicænum Concilium dicit,* Vt generaliter omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratia non denegetur. *& beatus dicit Gregorius,* Quisquis aliud sapit anathema sit. Can. 13. l. 1. ep. 24.

XXXIII. *De eo quòd sepulturā mortuis, sicut in petitione à Laudunensi Ecclesia mihi porrecta continetur, denegari præcepit.*

XXXIV. *Quia de certis & manifestis causis, quæ in nullo nobis sunt dubiæ vel obscuræ, de quibus diffinitiuas sententias, quæ nulla possunt ratione conuelli, à sanctis Patribus promulgatas habemus, Synodalem consultum, vel Coepiscoporum prouinciæ nostræ consilium vel consensum non debeo expectare, nec à regulis præstitutis vlla aut negligentia aut præsumptione discedere, nec etiam sedem Apostolicam inde requirendo inquietare, sed secundùm ipsas diffinitiuas sententias quæ sunt præstituta decernere, & ligare, vel soluere.*

XXXV. *Quod quicumque Primates prouinciarum à Domino constituti, & Apostolica auctoritate confirmati sumus, sed & quique catholici Episcopi, de certis & manifestis rebus, de quibus expressa iudicia, & inrefragabiliter atque inconuulsè conseruandas diffinitiuas habemus sententias, secundùm sacros canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum, quæque decernimus & iudicamus, Apostolica sedes, & catholica Ecclesia Apostolorum fundamento fundata, vt in ordinandis coordinat, ita & in decernendis canonicè condecernit, & in iudicandis coniudicat. Et quòd firmatis legibus, non de eis, sed secundùm ipsas sit iudicandum. Et quòd sua inregulari subscriptione hic frater noster ligare non valeat quod*

secundùm sacros canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum, regulariter solui. Et de his quæ ex Lucio, & diuersis decessoribus ac prædecessoribus eius, qui ante sacrum Nicænum Concilium extiterunt, in suis compilationibus misit. Et quòd non bene intelligit, vt nullus Metropolitanus absque ceterorum omnium prouincialium Episcoporum instantia aliquorum audiat causas. Et de differentia inter auditionem, & auditionem vel audientiam, & de differentia inter nominationem, & nominationem atque cognitionem: & item de differentia inter cognitionem & agnitionem. Et quid sit columbas vendere, & quàm graue periculum sit de impositione manus, qua Spiritus sanctus accipitur, munus quodcumque accipere.

XXXVI. *De eo quod me replicare cogit necessitas, quia si quod malè admisit corrigere detrectassem, à præstitutis regulis negligentia discederem, à quibus præsumptione ipse discessit. Et de capitulis Papæ Leonis. Et qualiter se habeat ipsius inregularis subscriptio, de qua per singula quid sentiendum sit, ex sacris scripturis & traditione maiorum ponere me coegit necessitas. Et quia contra institutionem beati Hilarij illic litteram postulauit, vbi sensus conscientiæ non periclitabatur, & fecit subscribi quod salutare non est confiteri, si tamen sacro Nicæno Concilio, & Romanæ sedis Pontificum decretis post Nicænum Concilium habitis, & ex sacris canonibus promulgatis, in aliquo est contrarium quod ab eo & suis complicibus constat esse subscriptum.*

XXXVII. *Monetur, vt contra Prophetam & Apostolum non sit prudens apud semetipsum, & de discretione in pace tenenda.*

XXXVIII. *Monetur, vt sacræ scripturæ verba, sed & sacras regulas, sicut à sancto Spiritu, quo & sacræ scripturæ sunt conditæ, intelligat.*

XXXIX. *Admonetur & obsecratur, vt remoueat à me dolorem, à se periculum, & ab vtrisque nostrûm à plurimis inlatum improperium.*

XL. *De eo quod dicit, quoniam quicquid illi de suis hominibus, & de hominibus à Rege ad Laudunum directis, contrarij actum est, & quòd eum rex commendauit, hoc meo instinctu & consilio atque consensu patratum extiterit.*

XLI. *Quòd si inde me recognoscerem, quia prima salutis spes est confessio, deinde dilectio, non dimitterem quin inde salubrem indulgentiæ medicinam expeterem, non pro humano; sed pro diuino timore & fraterno amore.*

XLII. *De auferendo à nobis ambobus opprobrio à multis inlato.*

XLIII. *De eo quod audio, illum me apud multos infamare, quoniam sacras scripturas soleam detruncare, & ad meum sensum inflectere, quod illum egisse iam quater possum ostendere. Et de Epistola à me illi directa, de duobus à mea parochia, quoniam de aliena erant prouincia, excommunicatis, quia satisfactionem de quibus reputabantur in mea parochia agere contempserunt. Et de eo quòd commemoratis dictis Anacleti, Victoris, Callisti, & Eleutheri, qui ante Nicænum Concilium pro quorumdam consolationibus, sicut dicit Gelasius, ad diuersos suas epistolas direxerunt, subiunxit,* Ecce pater, qui canones recipiendi, venerandi, ac obseruandi habeantur: & quid de canonibus Apostolicæ sedis Pōtifices senserint. *Et de eo quod posuit de proscriptione secundùm leges accusatoris aduersus accusatum: & de differentia inter admonitionem & de accusatione iudicationem, & inter hoc quod dixi, si ita est vt passim à multis & etiam publicè in publicis placitis diuulgatur: & quid de petitione porrecta senserit Apostolica sedes: sed & de auditione sine petitione vel accusatione, verùm & de accusatione Episcopi, aut cuiuslibet ordinis clerici: & quòd per mandatum nullus accuset, & apud quem Episcopus accusandus debeat accusari. Et quòd sæpè dictæ epistolæ venerabiliter suscipiendæ sunt, à sede Apostolica pro diuersorum consolatione datæ, quas ipse canones vocat, & Concilia à sanctis Patribus instituta, ad auctoritatem sunt custodienda & recipienda. Et quòd verba obstrusa, & vndecumque per glossulas collecta, ad ostentationem dictis suis immiscet. Et de instructione quam ironicè ex Bertrico mandauit. Et de hoc quod mihi obiicit, se scisse atque sensisse, sæpiùs me audiisse, ac falsa audita pro veris recepisse, atque tenuisse: & quia volunta-*

vìe audio verba mendacij, & detractoribus suis aurem libenter accommodo. Et quia sæpè illum verbis & scriptis secretò admonui, sicut & in hoc Capitulo documentis sanctorum facio.

XLIV. Qualiter redire valeat ad paternæ caritatis dulcedinem, à me quondam sibi impensam. Et qui ordines & distinctiones Episcoporum, ac sacros canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum, nec non & leges, quas Ecclesia probat & seruat, præsumit conuellere, seipsum ab vniuersali Ecclesia studet præcidere.

XLV. Admonetur, vt reducat ad memoriam, cum quanta benignitate in primis diebus, quando ad Episcopatum venit, à domno rege suscipiebatur, & quanta dulcedine mea fruebatur, quanta vnanimitate cum fratribus & Coepiscopis nostris vtebatur, cum quanto amore à Palatinis & ab aliis huius terræ hominibus colebatur, cum quanta amoris reuerentia à sibi commissis, sed & à nostris, à quibus, & cum quibus, & inter quos nutritus fuerat, venerabatur, qui nunc est omnibus in cantico tota die. Et quia dicit, se mihi nolle consentire, vt sedes Apostolica suam potestatem non habeat.

XLVI. De eo quod dicitur per vanitatem iactitare, quoniam quæcumque incepit, aut contra regem, aut contra me, aut contra quoscumque suorum, siue clericos, siue laicos, qui contra suam voluntatem fecerunt, vel contra vicinos suos, qui se contra eum erexerunt, totum ex parte maxima semper vicit, & quod restat euincet.

XLVII. Et quia victum se dicere non dignabitur, & quæ ad instructionem suam & correptionem sibi scripta sunt, non ad ædificationem suscipiet, sed ad contentionem, ex verbis beati Gregorij tria illi proposui, peccatum scilicet, & causam peccati, ac pœnam peccati, qui etiam si negare velit admisisse conuincitur. Sed & alia tria ex verbis beati Augustini illi proponuntur, vt, sicut scriptum est, videat, & sciat, & recogitet, & intelligat pariter: & de differentia, quam beatus Augustinus in libris de Baptismo ostendit, inter idolum fabricatum atque adoratum, & incensionem prophetici libri ira regis contemptoris, & schisma attentatum: & de eo quod in sua peruersa subscriptione
" misit, Si aliqui secùs nolentes fieri socij huius disciplinæ, nec habeantur partici- "
pes communionis nostræ. Et quia in sola "
catholica vnitate, per hæreses vel schismata non diuisa, vera sunt ligamenta, vt vera sunt sacramenta. Et quia spiritales etiam ab aliis iniustè non diuiduntur ab Ecclesia, nisi se ipsi diuidant: & quid sacri canones de seipsos diuidentibus ab Ecclesia presbyteris, diaconibus, & Episcopis dicant. Et quòd, sicut in latrone in cruce conuerso monstratur, aliquando baptismi vicem passio implet: & de Cornelio cum suis ante baptisma Spiritum accipiēte, & de baptismate Ioannis, & quia in latrone perfecta salus est, quoniam per pietatem spiritaliter ei adfuit quod per necessitatem corporaliter defuit, sicut & paruulis, cùm pro eis ab aliis respondetur, & non tantumdem valeat si quis pro se valeat respondere. Et quòd paruuli participatione corporis & sanguinis Christi ac beneficio non priuantur, etiam si antequàm panem illum comedant, & calicem bibant, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constituti abscedant. & quid beatus Ambrosius de Valentiniano sine corporali baptismate obeunte dicat.

XLVIII. Monetur, vt ex his diligenter attendat, quid illi sentiendum sit de paruulis sua iussione sine baptismate mortuis, & de his qui eius præceptione sine viatico munere obierunt, & quid inde regulæ sacræ dicant: & quid sanctus Augustinus dicat de his qui nimis amant sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad præcidendæ communionis, & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium perueniunt: & beati Cypriani pulchra laudatio, qui licèt aliter de baptismo senserit quàm debuerit, tamen ab vnitate Ecclesiæ se per contumaciam non diuisit. Et quòd primatus non sit, nisi in sancta conuersatione & vita bona. Et quòd in hæresi vel schismate, nec ligari aliquid possit, nec solui. Et quòd Spiritus sanctus, qui in sola catholica per manus impositionem dari dicitur, maiores nostri caritatem intelligi voluerunt, quam caritatem non habet, qui ab Ecclesiæ catholicæ vnitate se segregat. Et quòd communio corporis & sanguinis Christi signum sit vnitatis. Et quòd qui schismatico assenserit, schismaticus esse negari non poterit, & si de pane cælesti gustat,

iudicium ſibi manducat. & quod poſt reuelationem factam, qui in eo quod errauerat perſeuerat, prudens & ſciens ſine venia ignorantiæ peccat. Et ſequitur conſilium orthodoxorum, qualiter ipſe quod perperè egit, ſed & ab illo traducti vel inlecti ſe corrigant.

XLIX. *Admonetur, vt talentum intellectus, quod Dominus ſibi gratuitò dedit, non negligat.*

L. *De eo quod dicitur à quibuſdam, quia portare patienter non poteſt, vt ei à quoquam dicatur, quòd quiſquam ſibi bonum aliquod ſine ſuo merito exhibuerit.*

LI. *De eo quod à multis dicitur, quia clericos & laicos ſibi commiſſos in multis exeniis per diuerſas occaſiones grauet. vnde ex ſanctorum verbis monetur, vt ſi verum eſt à talibus reſipiſcat, & de cetero caueat.*

LII. *De eo quòd à multis denotetur, quia ſuperbia efferatur, & vana gloria iactitetur, atque arrogantia ſuperetur. vnde admonetur, vt ſe corrigat, & qui ad humilitatis exemplum poſitus eſt, locum detractionis non præbeat. Admonetur etiam de eo quod dicitur apud plurimos gloriari de fortitudine & agilitate ſui corporis: & quia de præliis, atque, vt noſtratium lingua dicitur*, de vaſſaticis *frequenter ac libenter ſermonem ſolet habere, & qualiter ageret, ſi laicus fuiſſet, inreuerenter referre. Sed & alia, quæ ſibi non conueniunt dicere & agere, nec mihi enunciare.*

LIII. *Et quoniam à multis reprehenditur de motibus corporis inordinatis, ex verbis ſanctorum monetur qualiter illa caueat.*

LIV. *Monetur, vt non ſe permittat decipi à flore iuuentutis & ſanitate corporis, & mundi inlecebris, habens ſemper ante mentis oculos quod hinc ſanctus Spiritus dicit.*

LV. *In concluſione horum omnium illi dicitur, quod beatus Helias Spiritu ſancto repletus ad Heliſæum eodem Spiritu ſancto replendum dixit*, quod meum fuit feci tibi. *Quæ concluſio epiſtolæ in oratione terminatur*, Vt quod noſtris meritis non valemus, diuina gratia, *ſcilicet gratis data*, obtineamus.

TITVLATIO METRICA COMPILATIONIS Hincmari Laudunenſis Epiſcopi ad domnum Carolum regem ficta.



*I*STE *pitatiolus planè depromit & aptè,*
Sedem appellandam liberè Apoſtolicam,
Quin appellantem haud vinclis artarier vllis,
Reſponſum à vincto ritè nec exigier.
Archique pontifici diſtinguit iúſque modúmque
Cum compræſulibus ceu teneat ſobrius.
Sitque pio regi Carolo pax, vita, poteſtas,
Qui probus hæc cernens præ probitate probet.
Cui ſi ſurripitur humanis niſibus vllis,
Caſſando reicit, res vbi certa redit.
Sic ſua mens adeò veri deferuet amore,
Rectè fruſtrandum ne ſinat eſſe ratum.
Namque animum ſeruat mitis ſapientia fortem,
Præ cunctis propriè quem redimit pietas.
O quàm rex felix, virtutum fortis amator,
Tam bene quem ſuperat ſola boni pietas!

At te, Christe, Deum noscens dum diligit vltrò,
Quæ spernis spernit, quæ statuis statuit,
Se tibi committens in te tua verba veretur,
Nunc & in æternum túque tuere tuum.

RESPONSIO.

Hoc tibi de titulo, iuuenis Hincmare sacerdos,
Respondere mihi conuenit arte pari.
Ne tibi sis sapiens multum, quod cæcat homonem,
Collige de veris hæc tua ficta fore,
Sicut & ipsa tui primordia carminis esse
Clarè demonstrant degeneri genere.
Namque pitatiolum neutro dixêre priores,
Et caput hoc languens cetera fluxa docet.
Quæ compilasti vario pro tempore & actu
Condita de verbis sedis Apostolicæ,
Conciliis certis præponens talia sensu,
Cui bonus interpres Spiritus almus abest
Cor fugiens fictum, quod disciplina salubris
Non regit, atque simul quæ tua vota vomunt.
Congruit vnde tibi sapiens quod dixerat olim,
Non tenuem sensum venter obesus habet.
Et mens inflato sensu distenta videre
Noxia gesta nequit, quæ tamen ipsa gerit.
Hinc alios gestit semper clamare nocentes,
Séque putat mundam, si nitidos maculat.
At cor contritum, Domino placabile munus,
Dat mala cuncta sibi, dat bona cuncta Deo.
Tu fugiens culpam, culpam nihilominus addis,
Innocuos carpens conscius vnde tibi.
Moribus & factis turgens, vt corpore, corde,
Motibus atque nimis diceris ore leuis.
Viscera qui matris, dum te gestaret in aluo,
Rumpere non quisti, nunc laniare cupis.
Parta piè suboles, donorum oblita parentis,
Quæ te nutritam fecit honore sacram.
Non Rex, vt dicis, surreptus nisibus vllis,
De te reiecit quæ bene nota tenet.
Sæpiùs expertus quàm sit laudatio fixa
Hæc tua, quæ variat tempore & ore simul.
Sed prudens animo pariter non omnia profert,
Qui discreta tenet tempora mente sua.
Et pardi pellem noscens te linquere nolle,
Sustinet vt propriis casibus ipse ruas.

Congeris & quædam tibimet quæ valde resistunt,
Téque magis pungunt, quæ tibi grata putas.
Multa quidem ex studiis à te dimissa videntur,
Quæ quia contemnis, fraude dolóque taces.
Impurus quædam falsasti, immittere mendas
Non veritus, quoniam non tibi pura placent.
Nam sacra depromunt Canonum decreta patenter,
Iuráque confirmant sedis Apostolicæ,
Metropolitanum curam regionis habere,
Vt præsit sollers ore manúque sagax,
Ad quem concurrant quæcumque negotia iuris
Cuncti poscentes, præminet ipse quidem.
Regmine sub cuius constat prouincia tota,
Vt sanctis semper legibus aptet eam.
Rebus in obscuris, dubiis quoque, certa requirat,
Consilio fratrum sicque tenenda legat.
Quæ scriptura tamen, sanctorum & dicta, perennes
Leges duxerunt nulla molesta ferant.
Cui quia subiicitur regionis Episcopus omnis,
Sit humilis humili, sit rigidus rigidis.
Corde manens mitis, zelo sit feruidus, atque
Sollicitus seruet quæ Canones statuunt;
Ætates, causas, personas, tempus, & actus,
Et loca discernens, penset agenda simul:
Illius in cunctis semper moderamina fratres
Expectent, sicut regula sancta docet.
Vt pater & fratres caritatis nexibus vnum
In Christo facti, schismata nulla fient.
Angelicæ sortes cælo nam culmine præstant,
Suppositis aliis ordine composito,
Vnde sacerdotum constat distinctio certa,
Et mundi populos ordo regit varius.
Plurima membra tuo gestas in corpore toto,
Quæ seruire vides officiis propriis.
Quapropter sensus pompa fallente superbos
Deprime sub Domini iussibus almificis,
Cuius non metuis postponere dicta tremenda,
Insuper ipsa tumens euacuare cupis,
Idque proculdubio nequam tibi spiritus omne
Suggerit, & semper quæ sua sunt adhibet.
Qui rex est horum, quos cæca superbia vincit,
Cuius sunt facti sponte sua geniti.
Denique quod dicis depromptum ritè vel aptè,
Sedem appellandam liberè Apostolicam:

Quis

Quis hæc ignorat quæ tu te nosse fateris?
Aut tibi sunt soli cognita quæque Dei?
Nempe sacri canones, nec non & Romula dicta,
Ac leges clamant, omnibus atque liquet,
Qualiter, & quando, atque vbi, quis quoque, de quibus ipsam
Appellet sedem non leuitate vaga,
Et quis, próque quibus sedem appellauerit illam,
Vinciri nullo debeat ab homine.
Et quis, próque quibus, propriis nudatus ad vlla
Non det responsum, cùm fuerit monitus,
Indicat ipsa tibi manifestè regula sancta,
Qualiter his fieri debitus ordo queat.
Si leges scires, canonum quas trames honorat,
Perspicuè nosses quæ benè cuncta patent,
Et tu conspiceres, nisi magna albugine plenus
Mulceret visus, hæc tibi nota fore.
Quæ tibi dum tribuis, iactas & scire superbè,
Cordis inest oculo nox tenebrosa tuo.
Hinc etenim Domino panes offerre vetaris,
Tangere quinetiam iura ministerij.
Hanc auctore geris lapso de luce superbo,
Qui sublime quidem letifer omne videt.
Hic te mirari monitat quod perficis ipse,
Quod non est mirum, sed potiùs miserum,
Ac detestandum veri ratione tenoris,
Non attestandum prorsus vt illicitum.
Propter hoc autem tantum clamare videris
Securos aditus sedis Apostolicæ,
Vt quod valde libet valeas patrare licenter:
Non tamen omne licet, quod tibi fortè libet.
At magis id certas, quia non vis ipse subesse
Vlli, ceu poscit regula iustitiæ.
Hinc imitans illum, qui nulli spontè subesse
Gestiuit, labens per mala quæque miser,
Qui vitio proprio talis iam factus habetur,
Vt nullum timeat, nec mala pòst metuat.
Hunc & in hoc sequeris, dum non resipiscere quicquam
A prauè cœptis vel tibi serò placet,
Sicut & ipse nequit, postquam super omnia sese
Extulit, & miserè primus ad ima ruit.
Sed si fortè animos vincas ad cuncta proteruos,
A quibus ex studio valde tenere tuo,
Confestim poteris securè vera tenere,
A quibus & nolens vinceris ipse modò.

Vtque duplex animo, inconſtans per cuncta viando,
Lingua aſſentantis regia corda linis.
Quem contemnendo noſti te lædere crebrò,
Non parens dicto legis Apoſtolicæ,
Quod demum ſancti canones, ſeu publica iura,
Et quod hinc ſedes ſancit Apoſtolica.
Scilicet vt ſubſit quæuis prouincia ſedi
Metropolitanæ ſemper vbique ſuæ.
Si vis, ſi non vis, firmum conſtabit in æuum,
Sic verè ſanctus Spiritus inſtituit,
Vt tibi conſcripta in paruo diplomate miſi
Remorum præſul Metropolita tuus:
Quæ mundus totus ſequitur, veneratur, honorat,
Et reprobare nequis, ſi malè fortè velis.

Verſibus inuerſis, iuuenis Hincmare ſacerdos,
Reddita ſume tuis fontibus hauſta ſacris.
In ſinibus propriis capiens hinc ſeptupla, vates
Vt poſcit iuſti de manibus Domini.

HINCMARVS SANCTÆ METROPOLIS ECCLESIÆ Remorum Epiſcopus, Hincmaro Laudunenſi Coepiſcopo noſtro ſalutem.

PRÆFATIO.

NVPER, quando tranſacto tempore, ſicut tibi & aliis multis eſt cognitum, apud Gundulfi villam in obſequio domni noſtri regis cum plurimis Archiepiſcopis & Epiſcopis, ac ceteris fidelibus ſuis fuimus, quia me, ſicut alij tuî priores ordine, & potiores ordinis dignitate, ac ſeniores ætate, conſacerdotes noſtri & venerabiles Archiepiſcopi atque Epiſcopi fecerunt, & te ſpecialiùs oportuerat facere, exiguitatem meam adire, mihíque pacis oſculum dare noluiſti, nec etiam vllum verbum mecum loqui dignatus fuiſti, non dicam magnum, ſed miſerum multis ſpectaculum præbuiſti. Qua de re, ſicut mihi dixit, venerabilis Archiepiſcopus Wenilo tecum locutus, interrogauit te, cur mecum debitam pacem non haberes, & debitam obſequij venerationem impendere detrectares. Vnde à te reſponſum accepit, quoniam ſi ſcripta, quæ tibi & Eccleſiæ tibi commiſſæ, de à te intentata excommunicatione tuæ parochiæ tranſmiſeram, quæ ibidem tecum habebas, coram aliis incéderem, & annullanda dicerem, méque contra rationem feciſſe profiterer, tunc mecum pacem habere velles. Dixit etiam, te mihi mandaſ-

ſe, quia quod de illa excommunicatione feciſti, ego tibi inſinuaui. Habes enim quandam villam in mea parochia, & quia homines eiuſdem villæ rogaſti ad illam Eccleſiam dare illorum decimam, ad quam eam dare debebant, excommunicauerim illos, & habebas imbreuiatos quot infantes ſine baptiſmate, & quot homines ſine communione inde obierint, quæ mihi in publicum obiicere nolles, ne poſtea tibi improperarem, quòd ſi alia mala de me ſcires, illa etiam diceres. Vnde tibi ſtatim per eum remandaui, quia & inde, & de quibuſcumque velles, quæ tibi viderentur obiiceres, ſed de hac cauſa verum non diceres. Habeo enim ſcriptum peruersè à te collectum, & peruerſiùs quæ collegiſti interpretata, quod per manus Hadulfi Archipreſbyteri tui accepi: ſed & geſta, quæ de ipſa Eccleſia tu egiſti, & qualiter & quæ inde ego egi, vera narratione conſcripta, & quandocumque velles, aut cum quibuſdam fratribus & conſacerdotibus noſtris, aut ſi velles in Synodo tibi oſtenderem. Tacitè autem in hac confeſſione tua, qua dixiſti, quia quod de illa excommunicatione feciſti ego tibi inſinuaui, tria conſideraui. Primum quidem, quoniam ſi ratio inter te & clericos Laudunenſis Eccleſiæ agitanda foret, de petitione ex cauſis in ea continentibus ab eiſdem mihi porrecta, vtrum eſſet an non veritate ſubnixa, nullam quæſtionem deberet recipere, poſtquam tuæ confeſſionis atteſtatione firmatur. Aliud verò, quia ſilentio ſuppreſſis bonis, quæ tibi inſinuaui atque inſinuari feci, imputando mihi quòd malè tibi de hac excommunicatione quam perpetraſti inſinuauerim, reum te confeſſus es, quia ſcienter malè feciſti, ac per hoc, ſecundùm decreta Hilari Papæ, tuum contra regulas factum deberes ipſe diſſoluere, quòd ſi nolles, auctoritas Metropolitana illud deberet adnihilare. Tertium, quia vt tecum me poſſes inlaqueare, ſi fortè, vt adſolet improuiſæ menti accidere, tibi ſtatim hæc falſa de me reiiciendo imparatus & ira commotus non reſponderem, & te iactitare valeres me in aliquo inde concredidiſſe, voluntariè tibi de tali confeſſione laqueum ſtuduiſti iniicere, & pro bonis mala retribuens, non vt quondam proditorum primicerius, ſimulando pacem oſculo quam non habebas in pectore, ſed exerto linguæ gladio me apertè ac impudenter decreuiſti impetere, & quaſi me qualicumque patrono ac benefactore atque ordinatore tuo tradito, talis confeſſionis de tantis impietatibus laqueo te ſuſpendere. Sed benedictus Dominus, qui ſecundùm promiſſionem ſuam, qua dixit, *A flagello linguæ abſconderis*, liberando animam meam à labiis iniquis & à lingua doloſa, adiuuit me, & conſolatus eſt me, mox telum falſitatis ſcuto veritatis reſpondendo reieci. Quæ animi dolore compunctus, non amaritudinis liuore ſtimulatus dico, ſciens capiti ac ſaluatori noſtro mendaciter multa fuiſſe obiecta, ſed & productos aduerſus eum falſos teſtes fuiſſe. Nam & Romanæ ſedis

Iob 5.21.

Pontificibus Damaſo, Sixto, & Leoni tertio, verùm & aliarum inſignium Eccleſiarum præſulibus, Athanaſio ſcilicet Alexandrino, Ioanni Conſtantinopolitano, Cæciliano Carthaginienſi, ſanctitate fidei & operationis atque ſcientiæ doctrina præclaris, necnon & quamplurimis aliis venerandis Epiſcopis, ab hominibus inuidis, & eorum locum ac bonæ opinionis famam obtinere volentibus, ſed non habere meritum illorum ſtudentibus, mortalia & nefaria crimina falsò impacta, & vſque ad Eccleſiaſtica iudicia & cognitionem publicam fuiſſe perducta legimus. Sunt enim huiuſmodi vipereæ nequitiæ homines, qui licèt priùs eorum mentes propria rodat inuidia, in hoc tamen ſuas tegere poſſe iniquitates putant, ſi alios infamia modo quolibet maculare curauerint, Quorum criminationes iidem viri
Hebr. 13.7. ſancti patientiſſimè tolerauerunt, & conſtantiſſimè adiuuante Domino reiicerunt. Et horum, ſicut ſcriptum eſt, intuens exitum conuerſationis, fidem mihi neceſſe eſt imitari. & vſu compertus, & de te in me prorſus expertus, quia phreneticus ſæpe nulli maiorem alapam dare ſolet, quàm ipſi medico qui eum curare volet. Sed & multum miratus ſum, vbi ſenſum tuum habuiſti, quando de tantæ auctoritatis & ſapientiæ atque religionis viro, ſicut domnus eſt Wenilo, dixiſti, & ad plurimorum Epiſcoporum notitiam peruenire feciſti, quod ſi in iudicio regulari dixeris probare non poteris, præſertim te reum de hoc ipſo confeſſus, & confitendo te talia egiſſe, quæ etſi non confitereris, perpetraſſe negare non poſſes, teipſum inlaqueaſſe videre non potuiſti: cùm leges quas probat Eccleſia dicant, Sanè hi, qui crimina ſua in quæſtione confeſſi ſunt, de aliis
Cod. Th. De accuſat. l. xix. ſi dicere voluerint, à iudice non credantur: quia iure & legibus conſtitutum eſt, vt ſpontanea profeſſione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui ſe criminoſum eſſe confeſſus eſt.]
Ibid. l. xii. Et item, Non credendum eſt contra alios eorum confeſſioni, qui in criminibus accuſantur, niſi ſe priùs probauerint innocentes: quia periculoſa eſt, & admitti non debet, rei aduerſum quemcumque profeſſio.] Et canones dicunt, Vt ad accuſationem non admit-
Conc. Afr. can. 96. 97. tantur, quos ad accuſanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Et quotienſcumque clericis ab accuſatoribus multa crimina obiiciuntur, & vnum ex ipſis, de quo priùs egerit, probare
Conc. Carthag. can. 18 non valuerit, ad cetera iam non admittatur.] Et item canones dicunt, Vt ordinandis Epiſcopis, vel clericis, priùs ab ordinatoribus ſuis placita Conciliorum auribus eorum inculcentur, ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilij feciſſe pœniteant.] Quæ à me tibi ordinando inculcata ſunt. inter quæ habentur & illa, quibus & in hac inlicita excommunicatione, & in contemptu obediendi, non ſolùm ſemel & ſecundò, ſed & tertiò, ex ſcripturis & regulis ſacris conſcriptis admonitus vt eam corrigeres, obuiaſti, cùm ſcriptum
1. Reg. 15. 22. ſit, *Melior eſt obedientia quàm victimæ, & auſcultare magis quàm offer-*

re adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle adquiescere. Sed & tu, coram Remensi Ecclesia, in qua nutritus fuisti, & coram Ecclesia Laudunensi tibi committenda, sed & coram Episcopis qui adfuerunt, & coram legatis eorum Episcoporum qui corporali præsentia defuerunt, post fidei confessionem, ea quæ tibi inculcata erant, & specialiter de obedientia tuæ metropoli atque tuo metropolitano regulariter exhibenda, te obseruaturum manu propria confirmasti: & quando tibi librum sacrorum canonum, & regulam pastoralem beati Gregorij, coram altare sanctæ Mariæ, in præsentia omnium qui adfuerunt, in manum misi, obtestans vt ita, quantum tibi Deus scire & posse daret, seruares in viuendo, docendo, & iudicando, sicut ibidem descriptum erat, & ipsos libros, sub testimonio diuino & prædictæ fidelium Ecclesiæ susceptos, te ita obseruaturum consensione tua confirmasti. Vnde sacri Canones dicunt, Si quis contra suam professionem, vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore priuabit.] Et sanctus Leo Papa ad Leonem Augustum scribit de sua erga leges consensione si contra illam fecerit, Eis, inquiens, me vltionum conditionibus subdo, quas non solùm auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmaui.] Et Canones Carthaginenses dicunt, Quæ vel facta vel dicta superiùs comprehensa sunt, vel ab aliis Conciliis conscripta, quæ secundùm legem inueniuntur, custodire nos oportet. Si quis verò statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putauerit, si laicus est, communione, si clericus, honore priuetur. Vniuersi dixerunt, placet, placet.]

Concil. Carth. II. cap. XIII.

Epist. 84. per Philoxenum.

Cõc. I. Carthag. c. XIV.

CAPVT PRIMVM.

De Capella in Attolæ curte sita.

CETERVM causa de ipsa Capella, de qua mihi mandasti, hoc modo se habet. Nam & cùm à longo tempore ipsa Capella in Attolæ curte sita, subiecta fuerit Ecclesiæ in Iuuiniaca villa, sicut infrà ostendam, Bertharius Præpositus tuus, vt dicebatur à plurimis, & etiam rei effectu claruit, tua iussione ad eandem Capellam venit, & decimam dari presbytero parochiæ nostræ, cui commissa erat, & qui in ea ordinatus iam ante triginta annos fuerat, prohibuit, & sicut sibi visum fuit, eandem decimam dispertiri præcepit. Insuper & scuriam ipsius presbyteri interclusit, & annonam de terris dominicatis collectam, sine licentia ipsius presbyteri in ea misit, omnémque potestatem inde presbytero abstulit, antequàm aliqua quæstio inde ad me, aut ad comministrum meum veniret, cùm etiam si aliquid inde rationis haberes, Canones Africani dicant, Vt Episcopi quascumque Ecclesias vel plebes, quas ad suam cathedram existimant perti- Conc. Afr. can. 87.

nere, non ita repetierint, vt causas suas Episcopis iudicantibus agant, sed alio renitente] inruerint, siue volentibus, siue nolentibus plebibus, causæ suæ detrimentum patiantur, & cetera quæ ibidem sequuntur.] Audiens autem quæ hinc gesta fuerant frater & compresbyter noster Ausoldus, cui delegata est pars parochiæ nostræ in qua ipsa Capella consistit, sæpè inde ad Bertharium misit, sed nullam rationem regulis congruentem obtinere præualuit. Vnde quia tunc in parochia Remensi non eram, præcepit vt in ipsa Capella missa non celebraretur, antequàm homines villæ ipsius suam decimam presbytero suo secundùm antiquam consuetudinem darent: si autem missam vellent audire, ad Ecclesiam quæ est in Iuuiniaca villa pergerent. Nulli autem baptismus vel communio est denegata, & quantum rescire veraciter potui, quod mihi mandasti quosdam infantes sine baptismate, & quosdam sine viatico munere exisse de sæculo, non est verum. Nam & si inde aliquid verum esset, quia sæpè per inde transitum habui, & iidem homines frequenter ad confirmationem ac prædicationem ad me venerunt, sine dubio inde aliqua reclamatio ad me veniret. Posteà etiam quàm mihi ea quæ præmisi per præfatum venerabilem Archiepiscopum mandasti, diligenter inquirere si inde aliquid verum esset curaui, & per omnia quod mihi mandasti mendacium esse inueni. Ipsa quidem Capella in villa quæ nominatur Attolæ curtis, quam sicut fertur, Attola Episcopus Laudunensis Ecclesiæ partem inde, quæ suæ proprietatis fuit, ad ipsam Ecclesiam in qua fuerat ordinatus donauit, excepto atriolo ad sepulturam, & excepta cellula manselli ipsius Capellæ, cum hortulo, ex potestate sanctæ Mariæ Laudunensis Ecclesiæ non habet, nisi de terra arabili bunnuaria duo semis, & de alia terra, quam franci homines in eadem villa in suis proprietatibus commanentes dederunt pro loco sepulturæ ad ipsam Capellam, bunnuaria quatuor semis, quæ in summa sunt de terra arabili bunnuaria septem. Nihil autem de vinea, nihílque de prato, vel quiddam de pascuali, sed & mancipium nullum habet. Et sunt in eadem villula de potestate S. Mariæ Laudunensis Ecclesiæ mansi ingenuiles nouem, seruiles vndecim. Et ipsa Capella à longo tempore vnita fuit Ecclesiæ sitæ in Iuuiniaca villa, & parochiæ illi subiecta, quia sine sylua, vel aqua, aut palude, aut spatij longiquitate, vel alicuius alterius interpositione impedimenti, sunt contiguæ, tempore seniorum istorum, quorum subscripta sunt nomina, præter illos quos commemorare non possumus, qui ambas illas villas per regium beneficium tenuerunt, videlicet tempore Remegaudi Comitis, Bertmundi Comitis, Bernardi, Odonis, Gibuini, Rothardi, Godefridi, Angelboldi, Frederici, in quorum temporibus, præter eos quos commemorare non possumus, isti presbyteri easdem Ecclesias insimul habuerunt, Tetgrimmus presbyter, Ermen-

ricus presbyter, item Ermenricus presbyter. In qua Ecclesia, sita in villa Iuuiniaca, simul cum præfata Capella, istum presbyterum, qui adhuc eas tenet, nomine Ermenricum, Ebo, quando Bertmundus Comes easdem villas insimul per beneficium Imperatoris Hludouuici tenebat, quarto anno ante depositionem suam ordinauit, qui Ebo depositus fuit anno incarnationis dominicæ DCCCXXXV. & tempore præfatorum seniorum, qui Bertmundo in eadem villa successerunt, eandem Capellam simul cum Ecclesia tenuit, vsque dum Pardulus Episcopus apud istum domnum Karolum ipsa mansa impetrauit Ecclesiæ Laudunensi restitui, & iste ipse Ermenricus, quandiu Pardulus vixit, ipsam Capellam Ecclesiæ suæ subiectam sine vlla inquietudine tenuit. & hoc regulariter per presbyteros, quorum habemus nomina, approbatum fuit, inter quos quidam Ratramnus presbyter iam nonagenarius testatus est, quia ex quo sensum habuit quod hoc cognoscere potuisset, semper vidit presbyterum de Iuuiniaca villa habere cum illa etiam Ecclesia Capellam de Attolæ curte. nec non & legaliter per francos in eadem villa commanentes, sed & per vicinos circummanentes, etiam & per colonos, quorum habemus nomina, hoc in tuorum missorum præsentia comprobatum fuit. Quod autem à quibusdam tuorum dicitur, quòd ipsa Capella antiquior sit quàm Ecclesia in Iuuiniaca villa, etiam si verum foret, tunc illi antiquitas sua suffragium adferret, si in antiquitate sua vsque ad tempora moderna persisteret. Nam Atrebatis, Viromandis, & Bononia, ex cuius territorio es natiuus, antiquiores sedes cum Episcopis propriis in Remorum prouincia extiterunt, quàm castrum Montis Lauduni inter sedes computaretur, in quo es ordinatus Episcopus. Sed quoniam à longo tempore, certis euentuum ac necessitatum causis accidentibus, sicut & de pluribus ciuitatibus in quibusdam prouinciis legimus, illæ aliis subiectæ ciuitatibus suum priuilegium perdiderunt, quod non recuperant, & castrum Montis Lauduni conualuit, quia secundùm leges, ac sacros canones, atque decreta sedis Romanæ Pontificum, pro id appellare, ídque refragari non licet, quod legum tempus excludit.

CAP. II. *De administratione palatij & Abbatia contra canones adeptis, & quòd vocatus ad Synodum non venerit, & de irregulari excommunicatione Amalberti.*

SED & tempore tuo nullam inde inquietudinem habuit, quo vsque te commouisti contra me, quia redarguere te præsumpsi, quoniam contra sacras Antiochenas regulas, præcipientes vt præter me agere non debeas, secundùm antiquam à patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantùm quæ ad tuam parochiam pertinent, possessionésque subiectas, sine mea vel Coepiscoporum nostrorum Conc. Antioch. c. 9.

conſcientia, adminiſtrationem in palatio domni Regis obtinuiſti: ſed & his quæ inde de ſacris regulis tibi legeram contemptis, poſtea contra interdictum meum canonicum, eandem adminiſtrationem Palatij readeptus fuiſti, contra Sardicenſes canones, redarguentes paſſim Epiſcopos, qui Archiepiſcopi ſui ſalutaria conſilia ſpernunt atque contemnunt, vt non ſolùm ad comitatum multas & diuerſas Eccleſiæ non profuturas perferant cauſas, ſed & dignitates ſæculares & adminiſtrationes quærant, ſed & ſcandala excitent.] Quicumque ergo preces habuerint vel acceperint, per diaconum ſuum mittant, quia perſona miniſtri inuidioſa non eſt, & quæ impetrauerit, (ſcilicet de pauperum, & viduarum, ac pupillorum cauſis, & Eccleſiæ ſuæ neceſſariis vel profuturis,) celeriùs poterit referre. Et hoc conſequens eſſe videtur, vt de qualibet prouincia Epiſcopi ad eum fratrem & Coepiſcopum preces mittant, qui in Metropoli conſiſtit, & ille & diaconum eius, & ſupplicationes deſtinet, tribuens commendatitias epiſtolas pari ratione ad fratres & Coepiſcopos, qui illo tempore in his regionibus & vrbibus morantur, in quibus felix & beatus Auguſtus rempublicam gubernat. Si verò Epiſcopus habet amicos in palatio, qui cupit aliquid quod tamen honeſtum eſt impetrare, non prohibetur per diaconum ſuum rogare, ac ſignificare his, quos ſcit benigna interceſſione ſibi abſenti poſſe præſtare.] Scimus enim & ipſi, ſæpiſſimè propter paucorum impudentiam, religioſum ſacerdotale nomen fuiſſe reprehenſum. Si igitur aliquis contra omnium ſententiam niſus voluerit ambitioni magis placere, quàm Deo, is debet ſcire, cauſis redditis honorem dignitatémque ſe amiſſurum.] & paulo pòſt, Si verò, vt ſuperiùs memorauit ſanctitas veſtra, propter deſideria & ambitiones ad comitatum pergit, neque in litteris eius ſubſcribatur, neque in communione recipiatur: ſi vobis placet, omnium ſententia confirmari debet. Et vniuerſi dixerunt, honeſtum eſſe, & placere ſibi hanc conſtitutionem.] Sed & cum eadem adminiſtratione palatij, prælationem Monaſterij in tertia prouincia ſine meo conſenſu, vel ipſius Epiſcopi, in cuius parochia idem Monaſterium erat, obtinuiſti contra ſacros Antiochenos canones, qui dicunt etiam Metropolitano non licere, quod tu prouincialis Epiſcopus præſumpſiſti, Nullus, inquiunt, Epiſcopus ex alia prouincia audeat ad aliam tranſgredi, & ad promotionem miniſterij aliquos in Eccleſiis ordinare, licèt conſenſum videantur præbere nonnulli, niſi litteris tam Metropolitani, quàm ceterorum qui cum eo ſunt Epiſcoporum, rogatus adueniat, & ſic ad actionem ordinationis accedat. Si verò, nullo vocante, inordinato more deproperet ſuper aliquibus ordinationibus, & Eccleſiaſticis negotiis ad eum non pertinentibus componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur exiſtant, ipſe verò incompoſiti motus ſui & inrationabilis audaciæ ſubeat vltionem, ex hoc iam damnatus à

ſancto

Conc. Sardic. can. 8.

Ibid. can. 9.

Ibid. can. 11

Conc. Antioch. c. 13.

ſancto Concilio.] Attende intelligenter, quia ſicut non tibi licuit in eodem Monaſterio quenquam irregulariter ordinare, ita & non licuit Eccleſiaſtica quæcumque negotia ad te non pertinentia inconſultè componere. De quibus negotiis à te ibidem inregulariter actis, per eos quorum intererat geſta mihi quæ habeo fuère oblata, ſicut tibi paterna dilectione innoteſcere ſtudui. Sed quia principalis poteſtas, te exaggerante, contra te admodum erat commota, ne ſuper vulnerum dolorem tuorum adderem, inde agere ſatis omiſi, ſpe ac ſtudio cautelæ ac correctionis tuæ in reliquum: excuſationem rationabilem ne inde ſatagerem proferens, quia geſta illa non conſtitutis pariter partibus, ſed ex vna parte confecta fuerunt, & ideo ſecundùm leges ac regulas exinde quæſtionem agere, & iudicium Synodale proferre non poſſem. Ad quod Monaſterium inregulariter adeptum in tertia prouincia, ſine mea licentia, quotiens tibi placuit, etiam inregulariter perrexiſti, contra Hilari Papæ decreta dicentis, Illud non potuimus præterire, quod ſolicitudine diligentiore curandum eſt, ne præter Metropolitanorum ſuorum litteras, aliqui ad quamlibet prouinciam audeant proficiſci, quod etiam in omni genere officij clericalis per ſingulas debet Eccleſias cuſtodiri.] Et ſanctus Gregorius ad Vincentium & ceteros Epiſcopos, Hortamur, inquit, fraternitatem veſtram, vt ſi quenquam veſtrûm pro cauſis propriis vbicumque longiùs compulerit ambulare neceſſitas, à Metropolitano veſtro ſecundùm inditam à ſanctis patribus regulam petere licentiam debeatis, nec eum poſtponere in aliquo præſumatis, excepto ſi, quod non optamus, contra eundem Metropolitanum veſtrum vos habere aliquid cauſæ contingat, vt ob hoc ſedis Apoſtolicæ iudicium requiratis. Nam iis qui petere feſtinant licentiam, quod ſcitis, per canones etiam antiquorum patrum inſtitutione habere permiſſum eſt.] In eodem denique Monaſterio in tertia prouincia ſito, ad quod inregulariter, vt dixi, ſine mea licentia quotiens tibi placuit perrexiſti, diutiùs contra canones Sardicenſes immorans. Et ſemel ac ſecundò litteris canonicis euocatus ad ordinationem Epiſcopi in Eccleſia Cameracenſi prouinciæ noſtræ paſtore deſtituta, vnde Apoſtolica ſedes me ſuggerente non modicè laborauit, nec ipſe veniſti, nec pro te vicariam perſonam, vt regulæ ſacræ præcipiunt, ad me direxiſti. vnde Symmachus Papa ad Æonium ex ſacris canonibus promulgauit, Vt ſi quilibet Epiſcopus Metropolitano Pontifici iuxta canonum diffinitionem vocatus, obtemperare noluerit, nouerit ſuccidendum ſe, quod non optamus, Eccleſiaſtica diſciplina. De perſona autem pro te, cum tractoria & rationabili excuſatione, ſi venire non potuiſti dirigenda, ſacri Nicæni canones dicunt, Quia Epiſcopum conuenit maximè quidem ab omnibus qui ſunt in prouincia Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem, tri-

Lib VII. Ind. II. epiſt. 8.

Can. 14. 15.

Conc. Nic. c. 4.

bus tamen omnimodis in idipſum conuenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur: firmitas autem eorum quæ geruntur per vnamquamque prouinciam Metropolitano tribuatur Epiſcopo.] Et Antiocheni canones, explanantes ſententiam Nicæni Concilij, dicunt, Epiſcopus præter Synodum & præſentiam Metropolitani nullatenus ordinetur. Hoc autem modis omnibus corãm poſito, melius quidem eſt vt omnes ſimul adſint eiuſdem prouinciæ ſacerdotes, quos Metropolitanus Epiſcopus aduocare debebit, & reliqua, quæ ſicut & præcedentia Nicænis concordant canonibus.] Et quoniam hunc conuentum Epiſcoporum Antiocheni canones, explanantes vt diximus ſententiam Nicæni Concilij, Synodum vocant, & perfectum eſſe Concilium dicunt, vbi interfuerit Metropolitanus Antiſtes, quò regulariter euocatus venire aut pro te perſonam conſenſum tuum deferentem mittere neglexiſti, non te pertranſire debet, quia prouinciæ Africæ canones decreuerunt, vt Epiſcopus à Primate ſuo vocatus ad Synodum competenter occurrat: quòd ſi non potuerit occurrere, niſi rationem impedimenti ſui apud ſuum Primatem reddiderit, Eccleſiæ ſuæ communione debere eſſe contentum.] Et qui non fuerit concors circa Metropolitanam Eccleſiam, & circa ſacerdotale Concilium, ſed inflatus & ab hoc conſortio ſeparatus putat propriæ plebi incubandum, & nonnunquam conuentus ad Concilium venire detrectat, circa hunc non tantùm diœceſim non eſſe ſeruandam, verùm & de propria Eccleſia, quæ illi malè fauerit, omnimodo adnitendum vt etiam auctoritate publica reiciatur, atque ab ipſa principali cathedra remoueatur.] Quia verò ſemel ac ſecundò, ceteris Coepiſcopis noſtris ad ordinationem ſecundùm ſacras regulas conuenientibus, & abſentibus per ſcripta conſentientibus, tu ſemel ac ſecundò regulariter conuocatus, venire, vel regularem conſenſum tuum mittere detrectaſti, ſecundùm præfatos ſacros canones, prædictum Eccleſiæ Cameracenſis regulariter electum, cum his qui conuenerant, vel per ſcripta conſenſerant, ordinauimus. Si, inquiunt, communi cunctorum decreto rationabili, & ſecundùm regulam Eccleſiaſticam comprobato, duo aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat ſententia plurimorum.] præſertim cùm nec tuam contentionem audierimus, ſicut nec conſenſionem habere meruimus. Vnde, quia fratres noſtros non modicè ſcandalizaſti, adhibito mecum fratre Hodone venerabili Eccleſiæ Beluacenſis Epiſcopo, te corripiens dixi tibi quantum inde incurreris. Sed aliam recognitionem vel ſatisfactionem à te recipere non potui, oſtendens quia hinc te regulæ non modicè ſuccenſeant, niſi quòd indignatione plenus reſpondiſti, Non ſumus adhuc inquiens ad hoc: & poſt hanc & alias correptiones, à me tibi litteris ac verbis adhibitas, in eadem contumacia permanſiſti,

Conc. Antioch. c. 19.
Conc. Afr. cap. 43.
Ibid. can. 20.
Conc. Nic. c. 6.

& hactenus permanes, qua & antè parochianum meum Amalbertum contra regulas pro causa tibi inlicita excommunicasti : scilicet quia vxor illius, quam in tua parochia legaliter obtinuit, & in meam parochiam adduxit, post plures annos quàm illam habuit, per mandatum eum apud te accusauit, quòd cum illa non posset concumbere, cùm leges diffiniant, Vt neque accusator per alium accusare, neque reus per alium defendi potest, nisi ingratum libertum patronus accuset, aut rei absentia defendatur.] & item, Obseruare iudices specialiter debent, vt in omnibus causis sententia, quæ deliberata fuerit, constitutis pariter partibus recitetur, vt ab his, à quibus causa dicta est, ad integrum quæ dicta fuerit sententia cognoscatur.] Et regulæ dicunt, Vt ad accusationem non admittantur quos leges publicæ non admittunt.] Et hanc quoque inrationabilem excommunicationem à te factam, etiam scriptum, contra rationem & auctoritatem, & non veritate subnixum, sed à te fabulosè conscriptum, ostendit, quod mihi inde dedisti. Vnde etiam tertiò tibi suasi, vt sententiam tuam contra regulas prolatam immutares, decernente Antiocheno Concilio, Vt si Episcopus, nullo vocante, inordinato more deproperet super aliquibus ordinationibus, & Ecclesiasticis negotiis ad eum non pertinentibus componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur existant : ipse verò incompositi motus sui, & inrationabilis audaciæ subeat vltionem, ex hoc iam damnatus à sancto Concilio.] Non enim Metropolitanus eras, vt sollicitudo totius prouinciæ ad te pertineret. Sed quod tibi honestum fuerat, & præcipiunt regulæ, obtinere non potui, donec placitum, te propter pacis caritatisque custodiam conhibente, in confinio parochiarum nostrarum condixi, quò quidam ex Coepiscopis nostris, & multi Ecclesiastici, & laicalis ordinis, ac nobiles, & mediocris conditionis viri conuenerunt. vbi causa inrationabiliter & inhonestè à te acta, regulariter atque legaliter diffinita, non solùm mihi, & aliis Coepiscopis ac confratribus nostris, verùm etiam permultis laicis morigeratis maximam verecundiam de tuis verbis verecundosis, ac moribus incompositis, & clamoribus inconditis, contra bonum nomen quod Apostolus iubet habere Episcopum incussisti. Quam turpis rei Episcopo indecentem historiam, prò dolor multis nimium cognitam, pudet me scribere.

Conc. Afr. can. 96.

Conc. Antiochen. can. 13.

1. Timot. 3.

CAP. III. *De excommunicatione in aliorum Episcoporum parochianos intentata.*

VERVM nec isti excessus tibi suffecerunt admittere, nisi etiam his alios superadderes. Quæ non ad tuam, quod absit, damnationem, si non tu ipse in contumacia perseuerando exegeris, sed ad correctionem sicut & sequentia dico. Cùm enim princeps Apo-

1.Pet.2.20. stolorum beatus Petrus dicat, *Quæ est enim gratia, si peccantes & colaphizati suffertis? sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* Causa iniuriarum tuarum, meos & aliorum Primatum atque Episcoporum diuersarum prouinciarum parochianos, non confessos, neque conuictos de aliquo crimine in parochia tua vel alicubi admisso, sine meo vel eorum ad quorum curam pertinebant consensu, contra diuinas & humanas leges anathematizare, & ab omni omnium Christianorum societate alienare præsumpsisti. Vnde multos scandalizasti, & maximum scandalum non solùm Ecclesiæ, sed & Regi ac regno intulisti, cùm lex prohibeat,

Deut.23.25. Vt per alienam messem transiens falcem non mittas, sed manu spicas conteras & manduces. Falcem, inquit beatus Gregorius, iudicij

Lib XII. epist.32.ad Interrog. IX.August. mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa: sed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis spolia, & in Ecclesiæ corpus monendo & persuadendo, quasi mandendo conuerte.] Leges etiam sæculi, quas probat Ecclesia, & sacri canones, atque decreta sanctæ sedis Romanæ Pontificum, certa & fixa depromunt iudicia de his, qui aduersus ea per contumaciam pertinaciter agunt, sicut egisti.

CAP. IV. *De eo quòd scripta contra se prolata incendi postulabat.*

DE aliis etiam, quæ mihi per supradictum venerabilem Archiepiscopum Wanilonem mandasti, scilicet quoniam si scripta, quæ tibi & Ecclesiæ tibi commissæ, de à te intentata excommunicatione tuæ parochiæ transmisi, quæ ibidem tecum habebas, coram aliis incenderem, & annullanda dicerem, méque contra rationem & auctoritatem fecisse profiterer, mecum pacem habere velles, meditatus cum corde meo, satis apud me mirari non potui vnde & quomodo hæc tibi in sensum venerint, vt talia mihi mandare posses. Nam diabolus loquens ad primos parentes nostros, sed & ad Redemptorem ac Saluatorem nostrum, non ex deiectione, sed ex prouectus & sublimitatis auaritia eos tentauit. Tu supergressus, si dici fas est,

Psal.36.9. diaboli malignitatem, oblitus scriptum esse, *Qui malignantur exterminabuntur*, me stultissimè nimis ex deiectione tentasti, sciens quia quæ tibi & Ecclesiæ tibi commissæ in eisdem scriptis direxi, de Euangelica veritate, & Apostolica atque prophetica, nec non & canonica auctoritate, sed & de Apostolicæ sedis constitutione, sicut acceperat eadem sancta sedes beatorum Apostolorum traditione,

Procem in Isaiam. constant esse conscripta. Et sanctus Hieronymus, ex sanctarum scripturarum auctoritate, comprobat quia ignoratio scripturarum ig-

1.Cor.14.38. noratio Christi est. Et Apostolus, Si quis ignorat, ignorabitur. Profectò, inquit Gregorius, hi qui ea quæ sunt Domini nesciunt, à Domino nesciuntur, & sanctarum scripturarum traditores & incenso-

res inter ſacrilegos computari debere legimus. Si ergo illa, quæ de Euangelio, & Apoſtolis, atque Prophetis, nec non & ſacris regulis ſpiritu Dei conditis, ſine admixtione alicuius hæreſeos vel ſchiſmatis conſcripſi, videlicet menſuram tritici, à comburendis paleis & zizania puri, reuera de horreo dominico in tempore tibi, ac Eccleſiæ tibi commiſſæ, & ſollicitudini meæ ſubiectæ, prolata incenderem, & vera negarem, ſine dubio Chriſtum, qui in eis prænuntiatus & oſtenſus eſt, & per quæ Chriſtum cognouimus, quíque illa locutus eſt, me noſſe & in eum credere, ac per hoc me Chriſtianum negarem: & ſi ſacros canones & decreta Catholicæ Eccleſiæ incenderem & abdicarem, me proculdubio non ſolùm ab Epiſcopatu ipſe deiicerem, verùm & ab Eccleſia catholica diuiſum & alienum, id eſt, ſchiſmaticum & anathematizatum publicis & Eccleſiaſticis legibus efficerem, ſicut ſanctus Leo Papa, ſcribens ad Leonem Auguſtum, etiam de ſe dicit, Si ſecundùm Apoſtolum, inquit, quæ deſtruxi hæc ædifico, præuaricatorem me conſtituo, & eis me conditionibus vltionum ſubdo, quas non ſolùm auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, ſed etiam ego mea conſenſione firmaui.] Quapropter, etſi me infirmum, ac fragilem atque imbecillem, vt reuera ſum, adeò æſtimaſti, vt minis vel promiſſionum blanditiis ad hæc agenda trahi vel inuitari valerem, non tamen Epiſcopus dubitare debueras, verum eſſe quod ab eo qui perficit in infirmitate virtutem, ore veridico promittitur: *Dominus*, inquit, *dabit verbum euangelizantibus virtutem multam.* Veruntamen quia ſicut legimus, In diſcendo mora nulla eſt, vbi Spiritus ſanctus doctor adeſt, ipſo inſpirante qui dicit, *Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri*, non meo merito, ſed gratia ſua, dedit mihi Dominus ſubitò recogitare, quia ſcriptum eſt, *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Et quod prænoſcens æquanimiter te portare non poſſe ab aliquo reprehendi vel argui, & non audens authenticæ ſcripturæ verba mutare, ne me ipſius notes falſarium, ratione coactus, (cum venia ſacerdotalis reuerentiæ dicam, *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis: & reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur,*) diſtuli tibi quæ tunc poteram reſpondere. Et de his quæ mihi mandaſti, tibi mox remandaui, vt quoniam à confratribus noſtris, quibus ea oſtendiſti, audieram te contra me, & contra eadem ſcripta quædam collegiſſe, & etiam cuidam ſcripto te ſubſcripſiſſe, & à canonicis Eccleſiæ Laudunenſis, & poſteà à preſbyteris tuæ parochiæ, contra me & contra eadem ſcripta ſubſcribi feciſſe. Sed & te dicere, quia ipſa ſcripta, quæ ego tibi, & Eccleſiæ Laudunenſi, de præfata excommunicatione à te facta direxeram, membratim diſſoluiſſe, & ſecundùm ſanctarum tramitem ſcripturarum, traditionémque maiorum, nullius eſſe auctoritatis vel rationis monſtraſſe: coram tantis & talibus de con-

Epiſt. 84. Gal. 2. 18. Pſal. 67. 12. Luc. 21. 15. Eccl. 3. 7. Prou. 26. 4. 5.

fratribus & Coepiſcopis noſtris qui ibi aderant, quos & quantos tu eligeres, eadem ſcripta, quæ ego tibi & Laudunenſi Eccleſiæ pro ratione prædicta tranſmiſeram, oſtenderentur. Sed & tu ea quæ collegeras, verùm & illa quibus ſubſcripſeras, & ſubſcribi feceras, nec non & illa per quæ ſcripta à me directa te diſſoluiſſe dicebas, in medium noſtrî deportares, & legerentur per ordinem, & quicquid tunc ibi à præfatis fratribus & Coepiſcopis noſtris iuſtè & rationabiliter ſecundùm ſacram auctoritatem, & catholicæ fidei conuenientiam, inuentum & decretum, & inter nos conuentum foret, voluntariè ſequerer, & pacem, quam tecum in corde habebam, & exteriùs ſi velles eam tibi non denegarem, & à te mihi oblatam ſuſciperem, & tibi dilectionem ſinceram vt fratri & filio exhiberem. Ad quam meam reſponſionem tibi referendam, iſdem venerabilis Archiepiſcopus Wenilo domnum Aduentium glorioſum Pontificem, qui vnà cum eo meam reſponſionem audierat, ire popoſcit. Quod & iſdem venerabilis Epiſcopus libentiſſimè egit, & poſt communem collocutionem veſtram, detulit mihi ex tua parte venerabilis Archiepiſcopus Wenilo quoſdam quaterniunculos, ſibi à te in præſentia mea datos, & verſibus ad domnum noſtrum regem Karolum titulatos, & dixit mihi, te ſibi reſpondiſſe, quoniam illa alia ſcripta quæ requirebam, te ibi non habere, & propterea illa mihi non mitteres. Ego autem ipſos quaterniunculos, ad manſionem noſtram iam veſperi veniens, lectione citiſſima perluſtraui: de quibus tibi in craſtina, in ſcedula breui reſpondi, quam tibi per præfatum venerabilem Archiepiſcopum Wenilonem tranſmiſi, per quem mihi eoſdem quaterniunculos miſeras. Quos ſecundùm auctoritatem ac morem, vt prouincialis Epiſcopus ſuo Archiepiſcopo facere debet & ſolet, offerre non voluiſti, & velut quibuſdam viſum fuit dedignatus fuiſti. Ego autem præfatam ſcedulam ideo per meipſum tibi non dandam, ſed per eum, per quem mihi ſæpè fatos quaterniunculos miſeras, dirigendam neceſſariò duxi, ne ſi de mea manu ipſam ſcedulam recipere refutares, maliuolis ſi fortè aliqui aderant plauſus excitaretur, & beniuolis qui plurimi aderant dolor incuteretur. Expectaui autem poſtea vſque modò, vt mihi illa ſcripta, quæ tunc apud te non habere mandaueras, mitteres. Sed quoniam illa hactenus non miſiſti, dignum cenſui, vt à te mihi ea mitti repoſcerem: & idcirco has litteras exiguitatis meæ tuæ fraternitati dono, petens vt ipſa ſcripta mihi per teipſum tribuas, & ne diutiùs differas: quatenus illis inſpectis, ſalua fide & auctoritate, inde ſimul ſequamur quod catholicæ & fraternæ paci atque dilectioni conuenire dinoſcitur, ſequentes Apo-
Ioan.3.10. ſtolum dicentem, *Pacem ſequimini, & ſanctimoniam, ſine qua nemo vide-*
Hebr.12.14. *bit Deum.* Ipſe enim frater noſti dicere veritatem, quia *omnis qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in*

Deo sunt facta. Propterea sicut, licèt non regulariter, ostendisti mihi quæ collegisti ex Apostolicæ sedis Pontificum Epistolis, vnde tibi succinctè respondi, si necesse foret latiùs responsurus, ostende etiam scriptum cui subscripsisti, & subscribi fecisti, sed & illa per quæ te dissoluisse dicis scripta à me tibi & Ecclesiæ tuæ directa, vt manifestum sit, cùm ad lucem venerint, si in Deo sint facta. Ego autem quæ tibi & Ecclesiæ tibi commissæ scripsi de præfata excommunicatione à te facta, primùm quidem ad te illa direxi, quæ non ex me illa scripsi, sciens dictum, *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* per me autem, ex Euangelica veritate, & Apostolica atque Prophetica auctoritate, sed & Apostolicæ sedis, & sanctorum Conciliorum constitutionibus, illa scripta & à me tibi & Ecclesiæ tibi commissæ directa non denego, sciens dictum à Domino, *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me.* Eapropter iustitiam eius non abscondi in corde meo, veritatem eius & salutare suum dixi. Non abscondi misericordiam eius, & veritatem eius à concilio multo, vt non elonget à me miserationes suas, sed misericordia & veritas eius suscipiant me. Sed quia vt homo, & in multis diuini sensus ignarus, errare possum, quod in hac causa me adhuc fecisse non concredo, si mihi rationem & auctoritatem ostenderis secundùm sanctarum scripturarum tramitem, traditionémque catholicorum Patrum, quam hinc debeam sequi, debitum assensum præbere non abnuo, qui etiam à minoribus meis corrigi, & eorum benè dicta sequi non renuo. quia sæpè iuniori Dominus reuelat quod melius est, & Apostolus dicit, *Si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat.* Venerandum quippe, ac cum omni deuotione imitandum teneo, quod beatum Gregorium dixisse lego, Ego, inquit, & minores meos, quos ab illicitis prohibeo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim, qui in eo se primum existimat, vt bona quæ viderit discere contemnat.

Ioan.7.18. Ezech.33.7. Psal.39.11. 1.Cor.14.30 Lib.VII. Ind. II. epist.1.

CAP. V. *De duobus Hincmari iudiciis, quæ à sede Apostolica rescissa dicebat.*

DENIQVE dictum est mihi, quoniam apud plurimos glorieris, quia mihi potes resistere, & me audes contemnere, sicut de iuuene iactantiæ vento repleto legitur, qui Ephesi domum Dianæ incendit, & interrogatus cur hoc egerit, respondit, vt quia bonis non poterat, vel malis innotesceret. Et ad hanc gloriationem tuam respondeo tibi ex verbis Apostoli, *frater, non bona gloriatio tua.* Quid enim, quantum sibi à potentia superna permittitur, non potest homo temporali potestate suffultus, qui Deum non timet, & hominem non reueretur? Nam & nos aliquid possumus, sed vtinam semper in Deo possimus qui nos confortat. Et quoniam non est potestas nisi à Deo, discernendum est in potestate, quid nobis Deus

1.Cor.5.6.

concedat propitius, & quid permittat iratus, vt concessa cum timore & tremore humiliter exequamur, & permissa in nostri perniciem non abutamur, & qui gloriatur in potestate, in Domino sicut & in aliis glorietur, atque iuxta dictum Sapientis, *Qui se* Boet. de cons. phil. lib. 3. met. 5. *volet esse potentem, animos domet ille feroces.* quia beati mites quoniam ipsi possidebunt terram, æternæ scilicet hæreditatis. Si enim gloriaris quia mihi potes resistere, time quia in quo mihi contra regulas sacras resistis, Dei ordinationi resistis, qui per sacros canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, me tibi præposuit, & te mihi supposuit. Et si gloriaris quia me audes contemnere, time, quoniam illum, qui suo vitio factus est vt nullum timeret, & specialiter in illo filio perditionis qui Antichri- 1. Ioan. 2. 18 stus dicitur operabitur imitaris, *& nunc*, inquit Ioannes Aposto- Sap. 2. 25. lus, *antichristi multi sunt.* & vt item scriptum est, *Imitantur illum qui sunt ex parte ipsius.* Vnde si gloriaris quia contra me tumes, méque tumendo contemnis, ac per hoc Dei ordinationi resistis, quoniam humilibus, quibus Deus dat gratiam, & pro veritate loquentibus, & his qui contra veritatem se erigunt resistentibus, aperitur cælum, vel occulta nobis vel manifesta diuina operatione, sicut de beato Ste- Act. 7. phano legimus: superbis autem, quibus Deus resistit, & Dei ordinationi resistentibus, contráque maiores suos tumentibus, vel occulta nobis vel manifesta diuina operatione infernus aperitur, sicut de Num. 16. Chore, Dathan & Abiron legimus, quos dehiscente sub pedibus eorum terra infernus absorbuit. Dementia quoque tua, sic enim vocatur à plurimis, per ora multorum volitat, dicentium te quasi mente captum disseminare, quoniam si de aliqua causa te in Synodo compellauero, si visum tibi non fuerit, mihi non respondebis, pro eo quòd iam duo mea iudicia à sede Apostolica sint cassata. Vnde tibi breuiter, potiùs significando, quàm plenam rationem reddendo, censui respondere, donec aut ipse mihi hoc dicas in Synodo, aut quod nudo sermone diceris susurrare, alligatum scripto deliberes, quod non Prou. 19. 29 æstimo, intimare, (nam, vt scriptura dicit, *parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus*,) habeo hinc paratas iudiciales sententias, malleorum vice socordiæ tuæ stultitiam percutientes, si ratio postulauerit in medium proferendas. velut Prou. 26. 9. item scriptum est, *Sicut spina in manu temulenti, ita in ore stulti parabola.* Quia temulentus spinam in manu gestans priùs seipsum vulnerat, ita & tu, si hæc dicis, non me tantùm, sed & plurimos plurimarum prouinciarum Episcopos, immo & teipsum, quod non denegas, quia & denegare non potes, comparticipem in omnibus iudicio nostro mendaciter impetis, non videns quo te laqueo strangules, quoniam iudicium nostrum à maioris auctoritatis iudice immutari, non autem aliter cassari canonicè poterat, si contra regulas inimico animo, vel aliqua cupiditate aut gratia, deprauatum no-

nobiscum te iudicasse confiteris, decernente Africano Concilio de Conc. Afr. c.91.
Episcopo, qui se dixerit mentiendo eos communicasse, quos eo sciente non communicasse constiterit, etiam Episcopatum amittat.

Quia verò apud se humilis & discretus, sciens scriptum, *Tempus tacendi, & tempus loquendi*, gloriatur in Domino, dicens, Dedit mihi Dominus linguam eruditam, vt sciam in tempore proferre sermonem, succinctè tibi respondeo, quia nostrum iudicium, per regulas executum, sedes Apostolica non cassauit: sed Rothado, qui ad eam fecit confugium, humiliter poscenti, (quoniam legati nostri, qui causam eius examinauimus, cum litteris, sicut præcipiunt canones, priùs non venerunt clusas transire prohibiti, quàm ab eo, sed & ab aliis plurimis, suggestionem inde susciperet,) sicut suo sapientissimo consilio iudicauit, solatij benignitatem impendit. Quoniam vniuersæ, inquit Leo Papa, viæ Domini misericordia & veritas, cogimur secundùm sedis Apostolicæ pietatem, ita nostram temperare sententiam, vt trutinato pondere delictorum, quæ constant non vnius esse mensuræ, quædam diffiniamus vtcumque toleranda, quædam verò penitus amputanda: & remissio peccati non dat licentiam delinquendi, nec quod potuit aliqua ratione concedi, ampliùs patiemur impunè committi. Et nostra vnanimitas, vt par est & regulæ præcipiunt, venerabiliter ac humiliter præcellentis auctoritatis decretum Apostolicæ sedis, (cui, vt Innocentius scribit, in omnibus causis debet reuerentia custodiri, & ad quam de maioribus causis, si fuerint in medium deuolutæ, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post iudicium Episcopale debet referri, sicut & scribentes, Bonifacius ad Gallicanos, & Leo ad Anastasium, & ad Mauros Episcopos, decreuerunt,) sine vlla contentione vel resultatione suscepit, quoniam sic & Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit. Quoniam quidem sacra & mystica Nicæna Synodus, cui cessit in decretis Synodalibus omnis antiquitas, & quam in fidei diffinitione, vel legum latione, conuellere non præsumpsit catholica vlla posteritas, suggerente sibi sancto Spiritu censuit, Vt secundùm antiquam consuetudinem, Alexandrinus Episcopus suorum omnium habeat potestatem, quia & Episcopo Romano parilis mos est. Similiter & apud Antiochiam, ceteràsque prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesiis.] Et inde sequentes sancti canones, & in decretis suis Romanæ sedis Pontifices promulgauerunt, Vt vnaquæque prouincia suo metropolitano contenta sit, nec vsurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur iniuria. Sit concessis sibi contentus vnusquisque limitibus, alter in alterius prouincia nihil præsumat, sed Metropolitani sui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet. Et quisquis Episcoporum accusatur, ad primatem prouinciæ ipsius accusationem deferat accusator, & accusatus die statuta litteris regulariter euocatus, præsens si confidit ad obiecta re-

Ecclef.3.7. Leo epist. Conc. Nic. can.6. Cælest. ep. 2. c 4. Bonif. ep.3. Conc. Carthag. c.19. Bonif. ep.2. Innoc. ep. decret. c.10

ſpondeat. Sed & ſi quæ cauſæ vel contentiones, inter clericos tam ſuperioris ordinis quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, congregatis eiuſdem prouinciæ Epiſcopis, iurgium terminetur: nec alicui liceat, relictis his ſacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Eccleſiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias.] Eodem ſancto Spiritu inſpirante, quo & præmiſſa diuerſis oribus diuerſíſque temporibus decreta ſunt, venerandum Sardicenſe Concilium ſtatuit, Vt ſi in aliqua prouincia aliquis Epiſcopus contra fratrem ſuum Epiſcopum litem habuerit, ne vnus è duobus ex alia prouincia aduocet Epiſcopum cognitorem. Quòd ſi aliquis Epiſcopus iudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere vt iterum Concilium renouetur, ſancti Petri Apoſtoli (cui ob robur ſolidiſſimæ fidei Chriſtus petra à ſe nomen Petri indidit, dicens, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, ſcilicet rectæ fidei, quam patre tibi reuelante confeſſus es, *ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum*, &, *tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*, videlicet *Paſce oues meas*,) memoriam honorari conſtituit, Vt ſcribatur ab his qui cauſam examinarunt Romano Epiſcopo, & ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur & det iudices: ſi autem probauerit talem eſſe cauſam, vt non refricentur quæ acta ſunt, quæ decreuerit confirmata erunt. Et cùm aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit agendum ſibi negotium in vrbe Roma, alter Epiſcopus in eiuſdem cathedra, poſt appellationem eius qui videtur eſſe depoſitus, omninò non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Epiſcopi Romani determinata.] Iuſtum namque ac ratione pleniſſimum Sardicenſe vidit Concilium, vt quia ſecundùm ſacros Nicænos canones, vnaquæque prouincia ſuo Metropolitano debet eſſe contenta, nec vſurpationi locus alicui ſacerdoti in alterius conceditur iniuria, neque vt alter in alterius prouincia quiddam præſumat, ſed vnaquæque prouincia Metropolitani ſui in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet, ne iudicatus in prouinciali iudicio quilibet innocens damnetur Epiſcopus, ſi neceſſe illi fuerit, Apoſtolicam beati Petri ſedem appellet, & cum appellatione ſua ad ſucceſſorem illius confugiat, vt ipſe, de prouincialium metropolitanarum ſedium atque Epiſcoporum iudiciis, miſericors & iuſtum decernat iudicium, quia in illius primatu ipſe beatus Petrus cunctorum onera portat, cuius principatus auctoritate mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus ſedem Romanam ſuper omnes ſedes ſublimauit, Alexandrinam decorauit, Antiochenam confirmauit, & per ceteras prouincias priuilegia ſuis Eccleſiis conſeruari ac corroborari decreuit. Ordinem autem exequendi iudicij de appellante Epiſcopo idem Concilium explanat dicens, Placuit vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & iudicauerint congregati Epiſcopi regionis

Conc. Sardic. cap. 3.

Matt. 16. 18. 19.

Luc. 22. 32.

Ioan. 21. 16.

Conc. Sardic. can. 3.

Ibid. c. 4.

ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint, ſi appellauerit qui deiectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri, ſi iuſtum putauerit vt renouetur examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur qui in finitima & propinqua prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omninò requirant, & iuxta fidem veritatis diffiniant. Quòd ſi is, qui rogat cauſam ſuam audiri iterum, deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi quid velit, & quid æſtimet: & ſi decreuerit mittendos eſſe qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, habentes eius auctoritatem à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si verò crediderit Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo conſilio iudicauerit.] Lege epiſtolam ipſius Sardicenſis Concilij ad omnes vſquam Epiſcopos, & inuenies hoc modo Athanaſium Alexandrinum, & Paulum Conſtantinopolitanum, ſed & alios Apoſtolicæ ſedis auctoritate in eadem Synodo abſolutos ac reſtitutos. Lege decretalem epiſtolam Leonis ad Epiſcopos per Cæſarienſem Mauritaniam conſtitutos, & inuenies Lupicinum, ſecundùm huius Synodi tenorem, in prouincia iuſſum audiri, cum ratione reddita quare communionem ante auditionem meruerat. Et non præiudicatis Apoſtolicæ ſedis ſtatutis, nec prædeceſſorum ſuorum ſuíſque decretis, Donatum Salicinenſem conuerſum directo fidei libello gregi dominico præſediſſe. Maximum etiam ex laico reprehenſibiliter ordinatum, ſimiliter dato libello, ab Epiſcopali, quam quoquomodo adeptus fuerat, dignitate non repelli. Aggari denique & Tiberiani cauſam, qui per tumultus & ſeditiones dicebantur ordinati, prouincialium Epiſcoporum iudicio commiſſam fuiſſe, & ad Apoſtolicam ſedem ſtatuta referenda præceptum fuiſſe inuenies. & ſi quæ cauſæ emerſerint, quæ ad ſtatum Eccleſiarum, & ad concordiam pertineant ſacerdotum, in prouincia ſub timore Domini ventilari, & de compoſitis ac componendis omnibus ad ſedem Apoſtolicam pleniſſimam relationem mitti, vt ea quæ iuxta Eccleſiaſticum morem iuſtè & rationabiliter fuerint diffinita, ipſius ſententia roborentur.] Sed & de altero Maximo à ſancto Bonifacio decretum inuenies, intra prouinciam eſſe debere iudicium, & congregari Synodum, vt ſi adeſſe voluerit præſens, ſi confidit, ad obiecta reſpondeat: ſi adeſſe negligeret, dilationem ſententiæ de abſentia non lucraretur. Et quicquid de eo prouinciales Epiſcopi ducerent decernendum, ad Apoſtolicam ſedem referrent, vt eius auctoritate firmaretur.] In decretis quoque Innocentij Photinum, de quo ſedi Apoſtolicæ per falſum rumorem ſubreptum & elicitum per inſidias dicebatur, quia cauſa ad ſalutem redierat, inuenies reſtitutum. Sed & à Felice Papa, non per ſubreptionem, ſed per rationem damnatum Miſenum, ſuſcepto ab eo libello pœnitentiæ, legimus à beato Gelaſio abſolutum. In re-

Epiſt. xci.

Bonifac. I. epiſt. 2.

Innocent. I. ep. 27. in fine.

Felix III. epiſt. 4.

In Synodo Rom.

gesto nihilominus beati Gregorij, in epistola ad Maximum, manifesta lectione reperies dicere, nullomodo posse ordinationem, quæ ab excommunicatis in excommunicato est acta.] Et in epistola ad
Lib.II. epist 33. Columbum, oblata sibi petitione à diaconibus Ecclesiæ Pudentianæ, iussit in Numidia prouincia cum misso suo vniuersale Concilium congregari, & Maximianum Episcopum regulariter conuictum deponi: & si accusatores pro sua culpa feriendi forent, pro eo quod se Romam fatigauerunt non eis esse parcendum.] Et in epistola ad
Lib.VII. Ind. II. epist.62. Ioannem Syracusanum, Lucillum Melicitanæ ciuitatis Episcopum, adhibitis secum tribus vel quatuor Coepiscopis, vt ipsis præsentibus satisfacta veritate, debere deponi: & alter in eius loco præcipitur eligi, quia, vt ipse beatus Gregorius ad Neapolitanos scribit,
Lib.II.ep.3. canonicis est regulis constitutum, vt defuncto vel sublato pastore, Ecclesia diu sacerdote priuari non debeat.] Et in epistola ad Nata-
Lib.II.Ind. XI.ep.8.& 9 lem Salonitanum Archiepiscopum, sed & in epistola ad Antoninum subdiaconum, habes, vt Florentium Episcopum à quibusdam in criminalibus causis accusatum, & nullis canonicis probationibus exquisitis, nec sacerdotalis Concilij proueniente iudicio, à sui eum honoris officio, non iure sed potestate depositum, quia non potest quisquam Episcopatus gradu, nisi iustis ex causis concors sacerdotum submouere sententia, eundem Florentium Episcopum ab exilio quo erat retrusus debere eijci, & causam eius Episcopali disceptatione perquiri: & si in his, in quibus accusatus fuerat, canonica foret probatione conuictus, canonica proculdubio vltione plectendum, & præfati Archiepiscopi in eum proprium robur obtinere debere sententiam. sin autem generali iudicio fuisset absolutus, nullius deinceps præiudicio subiaceret, & suæ res sibi restituerentur.] Et in epistola ad Ioannem Primæ Iustinianæ Archiepiscopum,
Lib.X.ep.33 de Paulo Diadinæ ciuitatis Episcopo inuenies, vt qui post depositionem suam, inuerecundè ac mente peruersa de Episcopatu loqui est ausus, & rursus ad hoc adspirare præsumpsit, vt dominici corporis & sanguinis communione priuatus, in monasterio vsque ad diem sui obitus deberet retrudi, viatico tantùm munere redonatus.] Lege quoque decreta Gelasij, & inuenies eum commemorare quæ longè ante sua tempora constiterunt, de Athanasio, de Ioanne Constantinopolitano, atque Flauiano, eandem primam sedem egisse, sicut & de multis aliis in documentis certissimis reperimus. Lege etiam qualiter Athanasius in Synodo Hierosolymitana, sed & in Alexandrina, suæ absolutionis ac restitutionis auctoritatem à sede Apostolica sumptam, & in Sardicensi Synodo executam relegit, & vnanimitatem fraternitatis quæsiuit, sicut & in nostra Synodo de fratre & consacerdote nostro de quo agitur factum fuit. Quia sicut & de
Ezech.47. redemptore nostro in Ezechiele propheta legimus, Apostolica sedes funiculum in manu tenens, diuinæ dispositionis intuitu, alte-

rum intra mensuram electorum misericordia adsciscit, & alterum iudicio foras relinquit: vt & redemptor noster, dum alios à suis iniquitatibus abstrahit, & alios in sua iniquitate derelinquit, alibi funiculum trahit, & aliunde retrahit, & huc ducit quem aliunde subducit. quoniam in eadem sede Dominus, velut in throno suo præsidens, aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter, vt videlicet de sede sua, dispensat. Verùm sicut nos ipsius Apostolicæ sedis præstantiam fuimus amplexi, ita & ipsa sedes Apostolica scripto sacrorum canonum auctoritatem nobis rependit, & benignitatem paternitatis exhibuit, velut Concilium Carthaginense decreuit, Placuit, inquiens, vt à quibuscumque iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauati. Sanè si ex consensu partium electi fuerint iudices, etiam à pauciore numero quàm constitutum est, scilicet in superiori capitulo, non liceat prouocari. Quapropter, quoniam benignitas Apostolicæ sedis nos inimico animo, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauatos iudicasse non inuenit, neque succensere decreuit: & sicut sanctæ memoriæ domno Papæ Nicolao litteris nostris communiter intimauimus, causa huius sententiæ, in loco fratris nostri ordinatus decessit, ad se confugienti suæ auctoritatis manum porrexit, & quod sapientissimo suo consilio iudicauit, exequi procurauit, & nobis executa seruare mandauit. cuius præceptionem nostra humilitas, vt dignum fuit, obedienter suscepit. Quis enim cum Christo, qui est pax nostra, & soluto medio pariete fecit vtraque vnum, pacem habere desiderans, non amplectatur quod dicit Apostolus, *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis?* Quod ab Apostolo rectè dictum, tu in quadam præsumptiosa subscriptione tua incongruè posuisti. Quis Ecclesiæ catholicæ filius non potissimè desiderat fratris correctionem, atque erectionem, & non doleat deiectionem? Quis non totis præcordiis congaudeat in omni Christiano, maximè autem in ministerij collega, benignissimis Euangelicis sententiis piissimi Domini ore prolatis, *Oportet & te*, inquit, *fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est.* Et quod sanato dicit, *Ecce sanus factus es, iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* &, *Vade in domum tuam, & adnuntia quanta tibi fecerit Dominus?*

Conc. Carthag. c. xv. — Ephes. 2. — Ephes. 4. 3. — Luc. 15. 32. — Ioan. 5. 14. — Marc. 5. 19.

De altero autem quasi meo iudicio, quod dicere diceris ex Wulfado & eius collegis, cassato à sede Apostolica, sentiri potest quod Salomon dicit, *Qui*, inquiens, *quod nouit loquitur index iustitiæ est, qui autem mentitur testis est fraudulentus.* Et item, *Iaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.* Et vt ostendit Apostolus, *His qui charitatis veritatem non re-*

Prou. 12. 17 — Ibid. 25. 18. — 2. Thess. 2. 10.

cipiunt, *immittit illis Deus*, ſcilicet ex retributione iuſtitiæ, *operationem erroris*, *vt credant mendacio*, *vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati*, *ſed conſenſerunt iniquitati.* Non debueras namque fallere, aut falli poſſe, quod auribus audiſti, manibus contrectaſti, oculis legendo vidiſti, ſed non illis auribus, neque illis oculis, de quibus Dominus Prophetæ dicit, *Auribus tuis audi*, *& oculis tuis vide.* Quia vnde agitur iudex non fui, inter iudices connumeratus non extiti, in loco iudicis non ſedi, iudicium inde non terminaui, cum iudicibus vel aliis conſentientibus non ſubſcripſi. Sed quoniam ſedi Apoſtolicæ non placuit inde cum his qui iudicauerunt, & iudicio illi ſubſcripſerunt, rationem habere, & quibuſdam ſuadentibus, me voluit, quod ſibi bonum videbatur, & Epiſcopi regionum noſtrarum, & Princeps terræ volebat, vnanimiter conſentire, ſecundùm auctoritatem ſacri Nicæni Concilij, & Africanæ prouinciæ canonum, quæ de quibuſdam iuxta inſtantiam temporis decreuerunt, conſenſi, obteſtante Apoſtolo *vt idipſum dicamus omnes*, *& non ſint in nobis ſchiſmata.* Qui oſtendit quod iuſſit, iterum dicens etiam ſuis minoribus, *Si cui aliquid donaſtis, & ego: & ego quod donaui*, *propter vos in perſona Chriſti*, *vt non circumueniamur à Satana. non enim ignoramus aſtutias eius.* qui ſæpè ſuadet, vt vnde alter miſeretur, alter iraſcatur. Contra quas Diaboli aſtutias, pacem ſequi debemus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. Quod pro modulo meo ſequi etiam in hoc negotio ſtudui, ſicut aduertere poteras, ſi de alia ſagina, quàm Sanctus poſtulat dicens, *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*, cor impinguatum non haberes. quia Synodalis epiſtola hinc à nobis communiter miſſa, ita per omnia ſincera, ad ſedis Apoſtolicæ lectionem, meæ infirmationis & alterius confirmationis cauſa non venit, veluti ex epiſtolis nobis à ſede Apoſtolica de ea re ſcriptis euidenter oſtenditur, ſicut coram Rege & nobis in Synodo relecta fuit. Et tamen inde nullam quæſtionem mouere, vel contentionem conſerere volui, nec de his, quæ à nobis vnanimiter in Synodo conſenſa, & à ſede Apoſtolica diffinita ſunt, in perpetuum volo: quia bonæ memoriæ Nicolai Papæ litteræ, poſtquam inde veritatem reſciuit, per meum miſſum directæ, mihi abundantiſſimè ſuffecerunt. Sed & alias litteras Synodicas, quas audiſti, per eundem miſſum mihi direxit, quibus de collectionibus ab eo præceptis, non mihi vt iuſſerat, ſed Regi, vt tibi ad oſtentationem tuam placuit, porrectis, quamquam eis non indiguerim, ſicut ſolitus es obediſti. Quin & de his quæ in Synodo Tricaſſina, in qua quæ non rapui, de his rationem reddendo, quæ ad me non pertinebant, relictis eis quorum inde intererat, exſolui. Sed & de his, quæ poſt eandem Synodum eſt aduerſum me actitatum, domni Adriani Papæ per Actardum venerabilem Epiſcopum epiſtolæ miſſæ, adeò omnem angoris nebulam à mente mea ſudario ſuæ magnæ be-

Ezech. 44. 5.
1. Cor. 1. 10.
Ibid. 2. 10.
Psal. 62.

nignitatis absterserunt. vt placidissima voluntate sequi me libeat quod monet Apostolus, *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam* &, *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* & quod item scriptum est, *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* atque totis medullis cordis Domino dicere, Exultauerunt filiæ Iudæ in omnibus iudiciis tuis Domine, & fiat pax in virtute Hierusalem, quæ virtus, vt Augustinus exponit charitas est, cui sanctæ ciuitati, videlicet sanctæ Ecclesiæ, dictum est, *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Intento mentis oculo, sollicitudine pia suspiciens quod de actione huiusmodi Leo dicit, Superest vt concordi obedientia salubres suscipiatis hortatus, & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium deuotionis vnanimes, diuinis & Apostolicis constitutionibus seruiatis, & in nullo patiamini pia canonum decreta violari. Quæ enim nunc certarum remisimus consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt regulis, ne quod ad tempus pia lenitate concessimus, iusta posthac vltione plectamur, & reliqua.]

Philip. 2. 3. Gal. 5. 26. Leuit. 19. 18. In Psal. 121. Epist. xcr. Episcopis per Cæsar. Mauritan.

CAP. VI. *De eo quod dicebat Hincmarum degradari debere.*

DICTVM est etiam mihi, te plurimis solere dicere, vt quoniam quæ in tua parochia ligasti, sine tuo consensu dissolui, quin potiùs quæ contra regulas exordinasti, secundùm regulas ordinaui, hoc agere & obtinere poteris, & ages & obtinebis, vt ego missam non cantem, & si ego illam cantauero, tu illam non cantabis. Ad quod tibi mitiùs responderem, nisi iratum fuisse Dominum contra Heli, qui filios suos leniùs quàm debuerit corripuerat, legissem: & proinde hinc tibi, si tamen hoc dicis, respondeo quod de Moab scriptum est, *Audiuimus superbiam Moab. superbus est valde, superbia eius & arrogantia eius plusquam fortitudo eius.* Et si tu me degradare posse te minaris, arrogas tibi plusquam possis, ac per hoc in hac causa superbia tua & arrogantia tua plus est quàm fortitudo tua. Citiùs enim facere potes, vt tu missam non cantes, quàm facere vt ego degradatus fiam: immo hoc facere potes, vt tu missam non cantes, sed hoc facere non potes vt ego degrader. Non es enim mihi prælatus, sed velis nolis in ordinis dignitate subiectus, & de illorum societate in ordinis qualitate, quibus sacri canones non permittunt apud se celebrare Concilia, & de quibus magna Synodus Chalcedonensis dicit, Decreuit sancta Synodus secundùm canones patrum, bis in anno Episcopos in idipsum in vnaquaque prouincia conuenire, quò metropolitanus Antistes probauerit, & corrigere singula, si quæ fortassis emerserint, & reliqua.] Ego te ad Synodum debeo conuocare, tu me non potes ad Synodum regulariter prouocare, & si ad Synodum à me vocatus non veneris, aut dignam excusatio-

1. Reg. 3. Esa. 16. 6. Concil. Chalced. c. 19.

nem cum tractoria per comministrum tuum mihi directa, in qua impossibilitatis vel necessitatis tuæ causas ostendas, cur ad Synodum non venisti, non miseris, ego te valeo & debeo iudicare: tu pro huiusmodi vel pro alia causa, tua auctoritate me non præuales iudicare. Et si accusãdus fueris, accusator tuus ad me primatem prouinciæ de te accusationem debet deferre: nemo autem me apud te regulariter ad iudicãdum præualet accusare. Non enim tuum est de me iudicare, nec mihi
Heb.7.7. iudices dare, quia sicut scriptum est, *minor à maiore benedicitur*, ita & iudicatur. Vnde sacri canones, & decreta Apostolicæ sedis, me ad sequentis ciuitatis Episcopi iudicium ire inuitum non patiuntur. Et si de meo quis iudicio queritur, euidenter regulæ monstrant qualiter & à quibus debeat retractari. Ego verò tibi iudices, aut consentire electos, aut à me etiam deputatos dare debeo, si causa poposcerit. Ego locum debeo & possum eligere, vbicumque mihi visum fuerit, in tota mea prouincia ad Synodum conuocandam, vel ad ordinationem celebrandam, quò si te vocauero debes concurrere. Tuum non est, locum ad Synodum conuocandam, vel ad ordinationem celebrandam, eligere, nec me quò tu decreueris euocare. Si in Remensi prouincia præter meam sententiam quis fuerit à quibuscumque & quantiscumque prouinciæ huius Episcopis factus
Cap.6. Episcopus, sicut mystica Nicæna Synodus diffiniuit, *non oportet eum esse Episcopum.* Si autem, communi ceterorum decreto Episcoporum rationabili & secundùm regulam Ecclesiasticam comprobato, tu aut alij duo tui complices tecùm propter constitutiones proprias contradixeritis, mea cum pluribus ad ordinandum Episcopum obtinebit sententia, & mihi non tibi firmitas eorum quæ geruntur, de ordinationibus vel aliis rebus Ecclesiasticis in Remensi prouincia tribuetur. In qua si fuerit defunctus Episcopus, ego & non tu Visitatorem ipsi viduatæ designabo Ecclesiæ, electionem cum decreto canonico præcipiam fieri, & si in partes se eligentium vota diuiserint, meum & non tuum erit eligere, qui maioribus ad ordinandum studiis iuuetur & meritis, & meum est, ordinandum examinare, non tuum. Tuum est autem cum aliis mecum ordinare Episcopum, & litteris canonicis, quas ordinatus ab ordinatoribus suis iubetur accipere, post me in tuo loco subscribere. qui non debes vlli nouæ rei, quæ ad generalem obseruantiam Domini sacerdotum pertinent, sine conscientia vel sententia mea subscribere. Tu iuberis à sacris regulis, decreto vel relationi meæ, si præcepero tibi, salua fide subscribere, & non ego tuo decreto vel relationi subscribere debeo: quia tu decreto, vel relationi cuicumque, vel cuiuscumque, de his quæ ad parochiam tuam non pertinent, præter me non debes subscribere. Sed & nec de tua parochia, nisi de rebus & possessionibus, quas cum notitia presbyterorum, & diaconorum Ecclesiæ tuæ regere debes, & dispensare, vel commutationibus earum
cum

cum conhibentia clericorum ſubſcribere. De tuo iudicio iudicati vel iudicandi ad me poſſunt, & ſi neceſſitas eis fuerit ad me prouocare debent, non autem de meo iudicio ad tuum iudicium quis prouocabit. Tu de rebus Eccleſiæ tuæ vendendis vel diſtrahendis me iuberis conſulere, ego de huiuſmodi cauſa ad tuum conſultum ire non iubeor. Si tu preſbyterum, vel diaconem, vel alium quemcumque excommunicaueris, & patienter accipere nolueris, vt per finitimos Epiſcopos negotium diſcutiatur, & vel probetur ſententia tua à plurimis, vel emendetur, & tibi ante Synodum non placuerit humaniorem pro eo ferre ſententiam, congregatis prouinciæ Epiſcopis, vnà cum eis, ſi rationabile nobis viſum fuerit, poſſumus & debemus, etiam ſi nolueris, tuam immutare, & alteram proferre ſententiam. Sed & illa non bene intelligis, vt in tuis collectionibus potiúſque compilationibus inueni, vt ego ad tuam parochiam niſi à te inuitatus non veniam, & quæ corrigenda ibi ſunt corrigam: & hunc prauæ intelligentiæ tuæ ſenſum, & plura ſacrorum Concilia canonum, & Apoſtolicæ ſedis decreta redarguunt, reuincunt, atque repellunt. Si cauſa in prouincia mea orta fuerit, aut in Concilio perfecto debet finiri, (*perfectum*, inquit canon, *Concilium illud eſt, vbi interfuerit Metropolitanus Antiſtes*,) aut per Epiſcopos iudices, ſiue quos ego conquirentibus dedero, ſiue quos ipſi vicinos ex conſenſu delegerint. Mihi ſollicitudo totius prouinciæ eſt commiſſa. propter quod ad me omnes vndique ex tota prouincia, qui negotia Eccleſiaſtica videntur habere, debent concurrere, & ego illorum cauſas, ſicut & de tua parochia, debeo regulariter diffinire. Tu autem contentus eſſe debes, vt regas tuam parochiam iuxta reuerentiam ſingulis competentem, & prouidentiam geras omnis poſſeſſionis quæ ſub tua eſt poteſtate: ita vt preſbyteros, & diaconos ordines, & non exordines, & ſingula, non autem prouinciæ generalia, tuo iudicio comprehendas. Nec tibi licet, ſi contra fratrem tuum aliquem Epiſcopum litem habueris, ex alia prouincia aduocare Epiſcopum cognitorem, nec etiam tibi licet, pro terminando iurgio præter me ad alias conuolare prouincias. Sed ſi neceſſe fuerit, pro meæ prouinciæ ambiguitatis abſolutione, ego à vicina prouincia iudices, ſi decreuero, conuocare præualeo. Et ſi cum Epiſcopo alterius prouinciæ de cauſa contenderis, & in mea prouincia cauſa coniacet finienda, ego debeo dare iudices, qui eandem cauſam regulariter finiát, nihil autem horũ tui eſt pontificij. Ego de dubiis & obſcuris rebus, de quibus certam diffinitionem non habemus, ſi fortè emerſerint, & de his, quæ ſine plurimorum iudicio Epiſcoporum finiri non poſſunt, cum Coepiſcopis prouinciæ, inter quos annumeraris, debeo conſilium quærere, qualiter ita finiantur, vt nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum inueniatur aduerſum. Tibi autem in cauſis, quæ ad generalem obſeruantiam pertinent, Domini ſacerdo-

Conc. Antiochen. can. 16.

Leo ep. 92.

tum, nihil præter me agere licet, quin nec vales implere. Si in causis dubiis vel obscuris aliquid dubitas, me debes interrogare, & si ego nesciero, ego apud alios, vel si necesse fuerit apud sedem Apostolicam debeo requirere, & tibi absoluere. Tu autem sine me de causis generalibus, nec etiam ad sedem Apostolicam debes requirere, antequàm studeas me inde consulere. & si pro causis propriis vbicumque longiùs cogente necessitate tibi fuerit ambulandum, à me secundùm indictam à sanctis patribus regulam petere licentiam debes, & ad quamlibet prouinciam sine meis litteris regulariter proficisci vel mittere longiùs ad comitatum comministrum tuum non potes, nec me in aliquo postponere debes præsumere, excepto si contra me aliquid causæ non habueris, vt ob hoc Apostolicæ sedis iudicium regulariter expetas, sicut Sardicenses canones monstrant, & Innocentius ad Victricium, & Gregorius ac ceteri Romani Pontifices in decretis suis commemorant, atque leges Imperatoriæ, quas Ecclesiasticæ regulæ approbant, euidenter ostendunt. Ego pro huiusmodi negotio, nec tua licentia, nec litteris tuæ singularitatis indigeo. De his denique, ex quibus certas & manifestas, atque inuiolabiliter & inrefragabiliter sine vlla immutatione tenendas, secundùm tramitem scripturarum, sanctorum Conciliorum, & Apostolicæ sedis habemus sententias, si contra eas feceris, non debeo expectare prouinciale vel generale Concilium, vel Coepiscoporum nostrorum consultum siue consilium, sed statim secundùm maiorum & orthodoxorum patrum sententias ea corrigere debeo, quæ contra eorum diffinitionem admiseris, quia vt beatus monstrat Gelasius, In his non nouæ constitutionis auctor, sed veteris constituti executor existam.

CAP. VII. *De eo quòd sæculari consultu purgari quæsierit.*

Tv autem contra veteres constitutiones, non solùm totiens, vt præmisi, à prouincia Remorum, sine licentia regulari, inordinato more, pro quibusdam negotiis sicut tibi visum fuerat deproperasti, sed & postea inde, sine meo ac Coepiscoporum nostrorum consultu siue consensu, non Ecclesiastico sed sæculari comitatu adscitus in aliam prouinciam perrexisti: & si vim ab aliquo fuisti perpessus, vt ab ea inregulariter vel coactus exires, nihil apud me, sicut præcipiunt regulæ, inde questus fuisti, sed antequàm scires quid ex eodem negotio acturus essem, vel quid obtinere valerem, sine mea conscientia, sicut & iam altera vice fecisti, reclamationem ad Apostolicam sedem misisti, cùm præcipiant regulæ, Vt nullus Episcopus Metropolitanum suum in aliquo præsumat postponere, excepto si contra eum aliquid causæ non habuerit, vt ob hoc sedis Apostolicæ petat iudicium, quod per canones antiquorum patrum est

Greg. lib. 7. Ind. 2. ep. 8.

institutione permissum. Verùm & priusquam inde responsum acciperes, relicto Ecclesiastico, publico iudicio, videlicet principalis potestatis reipublicæ præsidentis, de his quæ tibi inlata fuerant purgari, vt quorumdam etiam sæcularium interuentu ac rei prouentu claruit expetisti. quia cùm bis ad te missos & litteras miserim, & quidam tuorum tecum loquendi habuerint facultatem, & tecum locuti fuerint, nec meum vel Coepiscoporum nostrorum expetisti auxilium, nec nostro voluisti vti consilio, sicut iam aliis vicibus egisti, quando pro te & verbis & scriptis apud domnum regem sategimus, & commotionem illius à te sine causa & inrationabiliter excitatam placauimus. Hinc autem Ecclesiasticum expetere contempsisti iudicium, & Episcopali sicut præcipiunt regulæ vti noluisti consilio, neque vllam inde postea satisfactionem Ecclesiæ vel Ecclesiasticis regulis exhibuisti: sed vt scriptum est de ea quæ tergit os suum, & dicit non sum operata malum, ita aut non intelligens, aut intelligere peruicacia tua dissimulans, hactenus in indomabili contumacia tua persistis. me quoque postposito, ac relictis prouinciæ meæ communibus Coepiscopis, scilicet meis ac tuis, in alia prouincia, & aliarum prouinciarum Episcoporum inde vti consilio magis quàm nostro contra regulas delegisti, cùm ego in vicinitate loci vbi domnus rex immorabatur tunc fuerim, & quidam Coepiscoporum nostrorum cum illo deguerint. Sícque sine mea ac Coepiscoporum prouinciæ meæ sententia ac conscientia, transiens secus locum in quo eram, adeò tibi proximum vt me videre posses si velles, quia te vidi, quando sine vlla necessitate, velociùs quàm Episcopali grauitati conueniat, per inde transiens, inregulariter ad sedem tuam rediisti, antequàm Episcopali examini redderes rationem, qua de re à parochia tua, & Remensi prouincia inregulariter aut voluntate abscesseris, aut de quacumque causa à quocumque reputatus vi abductus exiteris. Ideo, inquit sanctus Gelasius, vocatur ad Cap.20. iudicium certè quæcumque persona, vt aut fateatur obiecta, aut conuincatur obiectis.] & Antiocheni canones, In Conciliis, inquiunt, adsint omnes qui se læsos existimant, & Synodi experiantur examen.] Debueras igitur de noua nouiter causa, vel à te acta, vel tibi inlata, expetere Synodum, vt aut de quacumque obiectione aut de læsione Synodi experireris examen: sed tu è contra, inconsultè rediens ad sedem tuam, decreto contra sacros canones & constituta sedis Romanæ Pontificum subscripsisti, & Ecclesiæ tuæ clericos subscribere fecisti.

CAP. VIII. *De epistolis Papæ pro eius reclamatione scriptis.*

EPISTOLAS quoque, domno Regi & mihi pro reclamatione tua à domno Apostolico per missos tuos directas, non secundùm domni

Papæ iuſſionem mihi, vt iuſſa illius exequerer, dari feciſti, ſed per aliarum & etiam longinquarum regionum Archiepiſcopos domno regi & mihi in parochia mea, in qua degebamus, dari obtinuiſti, & cùm domnus rex de his, ex quibus eum ad ſedem Apoſtolicam accuſaſti, ſicut in domni Apoſtolici epiſtola ſibi directa inuenit, apud me primatem Remorum prouinciæ querelam depoſuerit, quia contra rationem & veritatem, inconſultè atque inregulariter illum accuſaueris, etiam poſt ſibi à te præſtitum ſacramentum, cui accuſatio tua dicitur obuiare, ſine meo vel Coepiſcoporum noſtrorum conſilio ac iudicio, & in alia prouincia, eidem principali poteſtati ſatisfactionis modum, ſicut tunc vobis viſum fuit, exhibere maluiſti, cùm notum ſit quid ſacræ regulæ de cuiuſlibet ordinis clerico dicant, qui ſiue de criminali, ſiue de ciuili cauſa, relicto Eccleſiaſtico, publico ſe iudicio purgari voluerit, vel qui pro terminando iurgio, relictis his ſacerdotibus qui in eadem prouincia Dei Eccleſiam nutu diuino gubernant, ad alias præſumunt conuolare prouincias. Quæ ignorare non poteras, quoniam quando te ad me reclamaſti, quædam à domno rege, ſed & ab aliis quibuſque, tibi inlata, quid de eiſdem tibi inlatis, & Eccleſiaſticæ regulæ & iura publica dicant, ſufficienter in ſcripto domno regi à me vnà cum venerabilibus Coepiſcopis noſtris apud Piſtas porrecto legiſti, vnde obtinuimus quod nobis viſum fuit tibi tunc ſuffeciſſe. Nam & quando eadem principalis poteſtas, nec non & omnis præfectura totius regni ſui, inſolentia tua exigente, contra te fuêre commotæ in Vermeria Palatio, iterum inde ſcriptum quod legiſti porrexi.

CAP. IX. *De monacho à Laudunenſi excommunicato.*

SED & cùm domnus Rex monachum ac preſbyterum quendam inter ſuos religioſum ex venerabili Monaſterio S. Dionyſij, ad Monaſteriũ in Lauduno ſitum, ad doctrinæ atque religionis inſtitutionem, non autem ad inregularem prælationem accerſiit, & inconſultè illum, pro animoſitate, quam contra regem habebas, excommunicaſti, iuſſus à domno rege, adhibito mecum fratre & Coepiſcopo noſtro Hodone, te monui, quatenus inrationabilem tuam mutares ſententiam: ſed nihil apud te inde obtinere præualui. Quapropter domnus rex miſit alios Epiſcopos, aliarum etiam regionum, ad te pro hac eadem cauſa. quorum monitis obediſti, oſtendens quòd Metropoli tuæ obedire in me non digneris, qui ſecundùm morem Eccleſiæ noſtræ, cum fidei profeſſione ac ſubſcriptione profeſſus fuiſti, ac ſubſcripſiſti, te obediturum regulariter priuilegio Metropolis ſedis Remorum. Et ſi iurgium aliquod inter te & alium aliquem tam ſuperioris quàm inferioris ordinis foret, meo ac Coepiſcoporum noſtrorum conſilio ac iudicio terminari debuerat, & de à te excommunicato in tua vel à tua

parochia, si antea tibi non placeret, tua sponte vel finitimorum Episcoporum consilio tuam immutare sententiam, meo ac Coepiscoporum nostrorum consilio vel iudicio confirmari vel immutari secundùm regulas sacras debuerat. Quæ verò iudicia de huiusmodi excessibus regulæ sacræ sententiis diffinitiuis decernant, hîc intentando ponere differo, quia sicut Papa Simplicius dicit, Nolumus exaggerare quæ gesta sunt, ne cogamur iudicare quæ iusta sunt. Epist.xvi.

CAP. X. *De compilatione ex epistolis Apostolicæ sedis in quaterniunculis missis, & de verbo* promulgo, *& capitulo Leonis Papæ.*

HÆC autem, quæ nuper contra regulas sacras egisti, in subscriptione detestandi decreti, & in compilatione quarundam sententiarum ex epistolis Apostolicæ sedis Pontificum, quam mihi vt suprà commemoraui misisti, contra priuilegium metropolis tuæ, volens illa aduersum sancti Spiritus scita defendere, quæ tibi non licuit agere, silentio præterire non valeo. Attende igitur diligenter atque intelligenter, quid beatus Leo ad omnes Episcopos per vniuersas prouincias constitutos dicat de omnium decessorum suorum epistolis. Omnia, inquiens, decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.] Aduerte quoniam illa dicit obseruanda, quæ à decessoribus suis de Ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis. Quapropter, quoniam de nouo vtre tuo adhuc grammaticæ artis mustum & ponderationes verborum ebulliunt, primò videamus de verbo *promulgo*, vnde fit per coniugationis deductionem *promulgatum*, ex cuius plurali numero hîc Leo posuit *promulgata*, quia etiam panni veteres quæsiti sunt, quibus Hieremias suffultus, saniùs ac suauiùs educeretur de lacu in quo missus fuerat, quia locutus fuit in nomine Domini, quærenda nobis est priscorum auctoritas & doctrina, quibus valeamus tutiùs expediri à circumposita nobis omnibus Metropolitanis à te muscipula. Et vt certiùs credas quæ de hoc etiam verbo dicemus, reuolue libros veterum, & illum nihilominus codicem quondam meum, à sobrino tuo Anselmo receptum, & tibi à me præstitum, sed postea sicut nec quosdam alios tibi à me commodatos obtentum, & inuenies dixisse veteres *promulgo, promo vulgo*, siue, *primùm in vulgus edo*, & esse hoc verbum *promulgo*, secundùm regulam grammaticæ artis compositum, vt quibusdam placuit, ex duobus corruptis *promo & vulgo*, & vt quibusdam placuit, ex duobus integris, scilicet *pro* præpositione & *vulgo*, sicut & *produco*. à quo

Epist.I.in fine.

Hierem.38

ſimplici verbo *vulgo* componitur & *diuulgo*. Vnde Cicero explanans verborum ſenſum dicit, Proditum, memoriæ traditum, prouulgatum, prouulgauit, expoſuit, prodidit, elocutus eſt, effatus eſt, retulit, narrauit, nuntiauit, indicauit, locutus eſt, verbum fecit, diſſeruit, diſputauit, tractauit, ſermonem habuit, orationem habuit, orſus eſt. Et huius verbi ſimplicis præteritum Nonius Marcellus in libro, quem inſcripſit De proprietate ſermonum, ponens dixit, *vulgauit, honeſtè poſitum, vile habuit, & quaſi in vulgus dedit.* De compoſito autem hoc verbo, quod eſt *promulgo*, Paulus in Gloſſis ſuis dicit hoc modo, *Promulgari leges dicuntur, cùm in vulgus eduntur.* Habet igitur ſenſum compoſitio, *promulgare, in vulgus promere, dare, manifeſtare, & edere:* Gloſſa autem, *promulgauit, ac ſi primum in vulgus dedit, protulit, ac prorogauit.* Et huius verbi ſimplicis ſenſum, id eſt *vulgo vulgas*, ſanctus Hieronymus pro *manifeſto* poſuit, & inde vulgatam editionem, id eſt, omnibus notam & manifeſtam dici oſtendit. Compoſiti autem verbi huius ſenſum & Euangelium Lucæ de-
Luc.1.65. monſtrat, dicens, *Et ſuper omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc*, Cuius verbi *diuulgabantur* ſenſum Beda ſequens beatum Ambroſium ita expoſuit, *Quia nota facta fama innotuit.* Iſidorus quoque, vt ipſe dicit auctore Tullio, expoſuit dicens, *Promulgatum eſt, foras prolatum, vt lex dicitur promulgata, & promulgatum propriè, ad omnium notitiam & totius vulgi intimatum.* Et Placiades vnum ſuperadiiciens verbum, cetera dicit ſimiliter, *Promulgatum*, inquiens, *eſt foras prolatum, vel conſtitutum, vt lex dicitur promulgata, promulgatum autem, ad omnium notitiam & totius vulgi intimatum.* Præterea Gloſſæ antiquorum taliter hoc verbum explanauerunt, *promulgans, porrigens: promulgare, edere: promulgat, profert: promulgat, creſcit, incrementat, promit, prædicat, pronuntiat: promulgata, prolata, deprompta, propagata, patefacta.* Et hoc, vt Priſcianus præpoſitis de verborum explanatione auctoribus dicit, ipſe omnibus validior vſus oſtendit. Differentiam verò ſenſus inter *diuulgata* & *prouulgata* ſiue *promulgata*, enucleatores verborum hanc voluerunt eſſe, vt *diuulgata* ſimpliciter tantùm dicantur ad notitiam omnium propalata, *prouulgata* verò vel *promulgata*, ad conſeruandum decreta, & in omnium notitiam, vt illa ſine refragatione conſeruent, deprompta intelligantur.
Iob 39. Greg. Mor. lib. 31. c. 3. Vnde beatus Gregorius exponens ſententiam Domini ad Iob dicentis, *Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo?* Sæpè, inquit, vidiſſe me memini, quod cùm ſe ad feriendum grauiter hic rhinoceros accenderet, & quaſi eleuato cornu beſtiolis minimis mortis exilia, damnationémque ſubiectis immenſis terroribus intentaret, repentè fronti ſigno crucis impreſſo omne in ſe incendium furoris extinxit, conuerſus minas depoſuit, & quia ad deliberata progredi non poſſet, ligatus agnouit. & non ſolùm in ſe iras edomat, ſed ſubiectorum etiam ſenſibus omne quod rectum eſt inſere-

re festinat, vtque omnes sanctam Ecclesiam ex intima cogitatione venerentur, exemplo ipse suæ humilitatis demonstrat.] & post aliquanta, Ad horum duritiam dissoluendam nonnunquam sancta Ecclesia, quia propria virtute non sufficit, rhinocerotis huius, id est, terreni principis opitulationem quærit, vt ipse super iacentes glebas conterat, quas Ecclesiarum humilitas, quasi planities vallium portat. Has itaque glebas rhinoceros pede premit ac comminuit, quia prauorum potentúmque duritiam, cui Ecclesiastica humilitas resistere non valet, principalis religio ex potestate dissoluit. quod quia sola diuina virtute agitur, vt terreni regni culmina ad prouectum regni cælestis inclinentur, rectè nunc dicitur, aut confringet glebas vallium post te.] Et paulo pòst, Quis ergo in initio nascentis Ibid.c.4.
Ecclesiæ crederet, dum contra eam ille indomitus principatus terræ tot minis & cruciatibus sæuiret, quia rhinoceros iste Deo sementem redderet, id est, acceptum prædicationis verbum operibus repensaret? quis posset tunc infirmorum credere quòd eius aream congregaret? Ecce enim modò pro Ecclesia leges promulgat qui dudum contra eam per varia tormenta sæuiebat. Ecce quaslibet gentes capere potuerit, ad fidei illas gratiam suadendo perducit, eisque æternam vitam indicat, quibus captis præsentem seruat.] Ecce de origine sermonis, & proprietate sensus eius quid sensere maiores. Nunc videamus de proprietate dictorum beati Leonis, qui mandauit omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum suorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, custodiri. Vnde primùm nobis sciendum est, aliud esse promulgare sacros ordines, & canonum disciplinas, aliud promulgare de sacris ordinibus, & canonum disciplinis, sicut aliud est promulgare leges, & aliud promulgare de legibus. Promulgare autem leges, est leges condere: promulgare verò de legibus, est de illis iudicia sumere, & secundùm illas iudicare, earúmque obseruationem & iudicia omnibus intimare, sicut sanctus Augustinus in libro De vera religione ostendit, dicens, Æ- Cap.31.
ternam legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare non fas est. Lex ipsa etiam ipse fit, secundùm quam iudicat omnia, & de qua iudicare nullus potest: sicut in istis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundùm ipsas. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum est, vt secundùm eius immutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum vetandúmque discernat.] Et in libro Confessionum, Spiritales ergo, siue qui præsunt, siue qui obtemperant, spiritaliter iudicant.] Sacros verò ordines promulgare, est à Domino constituere. *Ipsi*, inquit, *inuocabunt me, & ego benedicam:* Num.6.17.

Act.1.26. Scilicet Episcopos, per Episcopos, sicut per Apostolos à Domino ordinatos, Mathias est ordinatus Apostolus, & per prophetas ac doctores qui & Episcopi ac Apostoli erant, apud Antiochiam iubente Spiritu

Act.13.2. sancto atque dicente, *Separate mihi Barnabam & Saulum ad opus ministerij, ad quod elegi eos*, ipsi Barnabas & Saulus sunt ordinati. Et per Moysem à Domino ordinatum Aaron & filius eius Eleazar, & per eos reliqui minores sacerdotes ordinati sunt. *Et congregans*, inquit sacra

Num.11.24 historia, *Moyses septuaginta viros de senioribus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum, descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu qui erat in Moyse*, scilicet non tollendo, sed in alios propagando, vel promulgando, *& dans septuaginta viris.* Qui spiritus & Moysi dicitur, sicut & spiritus Heliæ vocatur, eo locutionis genere, quo & Dominum in oratione petimus, *Panem no-*

Luc.11.3. *strum quotidianum da nobis hodie.* Dei enim idem panis est & spiritus, à quo illum ex munere dantis accipimus, & noster fit veraciter per

Num.11.25 acceptionem, qui illum ab eo accipimus. *Cúmque*, inquit historia, *requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, nec vltra cessauerunt.* Quod sic-

Gen.9.15. ut Moyses Domino, in quem non cadit obliuio, qui tamen dicit, *Recordabor pacti fœderis mei*, ad obtinenda quæ petebat patres obtulit,

Exod 32.13. dicens, *Memento Abraham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum, quibus iurasti*, id est firma pollicitatione dixisti. Et Episcopi commemorant in ordinatione presbyterorum, vt ipse quod suum est in eorum, videlicet Episcoporum, ministerio exequatur, dicentes, Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adiutoribus vsus in populo, innumeras multitudines facilè gubernauit. Sic & in Eleazaro & Ithamar filiis Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, vt ad hostias salutares, & frequentioris officij sacramenta sufficeret ministerium sacerdotum. Hac prouidentia, Domine, Apostolis filij tui doctoribus fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleuerunt.] Qui scilicet Episcopi & presbyteri, in primordio nascentis Ecclesiæ, & vsque non ad paruum temporis progressum, vno nominè in singulis officiis vocabantur, sicut in epistola Petri, & in epistolis Ioannis, & in epistolis Pauli manifesta-

Epist.85. tur, & sicut Hieronymus ad Euagrium presbyterum ex auctoritate scripturarum ostendit. Sed & reliqui per eos, qui à Domino ad hoc constituti sunt, Ecclesiastici ordines promulgantur, eorum scilicet ministerio, Domino quod suum est exequente. De sacris autem ordinibus promulgare est, qui & quot sint, & quales ac qualiter, & à quibus vel quando sint ordinandi, & quomodo ac quantum in singulis gradibus debeant ministrare, qualiter etiam ab ostiario vsque ad summum sacerdotium quique valeant prouehi. Et quæ sint ex eis à sedis Romanæ Pontificibus promulgata, omnibus in Ecclesiasticis dogmatibus exercitatis constat esse notissimum. & quia inde quæ-

quæstionem non moues, superfluum duco ea disserere. Quia verò, vt superiùs dixi de legibus & sacris ordinibus, quoniam aliud est leges & sacros ordines promulgare, & aliud sicut ostendi de legibus & sacris ordinibus promulgare, ostendendum est quia similiter aliud est sacros canones promulgare, & aliud est de sacrorum canonum disciplinis cōstituta decretalia promulgare. Qui namque sint canones, de quorum disciplinis promulgata adeò conseruari à sancto Leone Papa iubentur, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari, memoratus ab eo beatus Innocentius, in disciplina ex eisdem sacris canonibus decreta, ad Victricium Rotomagensem Episcopum patenter ostendit, Si quæ inquiens causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, vt secundùm Synodum Nicænam, congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis, iurgium terminetur, & reliqua.] & ibi post aliquanta, Si quæ autem maiores causæ in medio fuerint deuolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, scilicet Sardicensis, & vetus consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referatur.] Et ad Alexandrum Antiochenum Episcopum, Reuoluentes, inquit, auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam aliam prouinciam, recognoscimus constitutam.] Et inde promulgauit de ordinatione Metropolitanorum, quorum plures ipsa Ecclesia subiectos sibi habet, sicut & Alexandrinus Episcopus ex antiqua consuetudine, & Thessalonicensis Episcopus ex delegatione sedis Apostolicæ. Et ad Macedones Episcopos, ex eisdem sacris canonibus apud Nicæam constitutis, promulgauit Nouatianos ad Ecclesiam venientes per manus impositionem in suis ordinibus recipi: & opinionem eorũ, qui ne in Ecclesia scandalum fieret, Anisium [aiebant] sequendum in recipiendis Bonosiacis ab eodem Bonoso post damnationem suam ordinatis, manifestè refellit. Sed & ex præfatis Nicænis canonibus promulgauit Paulianistas ad Ecclesiam venientes baptizari, alios autem ab hæreticis in nomine sanctæ Trinitatis baptizatos non baptizari debere. Et Zosimus ad vniuersos Episcopos per Gallias & septem prouincias constitutos, decretas inde disciplinas promulgatas direxit. Bonifacius quoque ad Rusticum Narbonensem Episcopum hinc ita dicit, Nulli, inquiens, videtur incognita Synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, vt eadem propriè verba ponamus, Per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse subiectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, seruandum sancto Spiritu suggerente sibimet censuerunt.] & paulo pòst, Quod idcirco dicimus, vt aduertat caritas tua, adeò nos ca-

Innocent. epist. 1.

Idem ep. 10

Epist. 17. sub mediũ.

Epist. 3. ad Hilarium.

nonum præcepta ſeruare, vt ita conſtitutio quoque noſtra diffiniat, quatenus Metropolitani ſui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem expectet.] Et Cæleſtinus ad vniuerſos Epiſcopos per Viennenſem, & Narbonenſem prouinciam conſtitutos ſcribit, ſimiliter & ad vniuerſos Epiſcopos per Apuliam & Calabriam conſtitutos, Nulli, inquit, ſacerdoti ſuos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum poſſit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna ſeruabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permiſſa frangatur?] Et non ſolùm iſti ſui deceſſores ſacrorum canonum, de quorum diſciplinis decretalia conſtituta promulgauerunt, hoc modo vt præmiſi, eoſdem ſacros canones ad auctoritatem duxerunt: ſed & Damaſus ad Paulinum, ita in obſeruatione ſacrorum Nicænorum canonum, ſicut & in fide, ad Eccleſiam redeuntes ſubſcribere iuſſit, verùm & ſucceſſores eiuſdem beati Leonis, vt de multis quoſdam deſignem ex nomine, Hilarus ſcilicet, Simplicius, Felix, Gelaſius, Symmachus, Hormiſda, & beatus Gregorius, eoſdem ſacros canones, ſed & alia Concilia quæ catholica Eccleſia recipit, ſeruat, ac veneratur, & Apoſtolica ſedes docuit eſſe ſeruanda, in ſuis decretis, quæ ex eorum diſciplinis promulgauerunt, ad auctoritatem deducunt, præcipientes vt in ſingulis ſacris ordinibus, atque in ſingulis ſacrorum ordinum dignitatibus, canonicam normam tenere, ſeruare, atque ſequi procurent, & nulli ab eorum conſtitutione deuiare præſumant, nullíque eiſdem ſacris canonibus impunè obuiare præualeant, nulli etiam ſuum arbitrium ad quoſlibet iudicandos ſequantur, ſed per rectum eorum tramitem non declinantes ad dexteram neque ad ſiniſtram incedant, & ſinguli, ſicut iidem venerandi canones decreuerunt, obedientiam, quam à ſuis minoribus exigunt, ſuis maioribus reuerenter dependant, & ſicut non volunt grauis oneris ſarcinam ferre, ita non audeant aliis importabile pondus imponere, nec de obſcuris vel dubiis conſtituere, quod præceptis Euangelicis contrarium & decretis ſanctorum inueniatur aduerſum, & ſinguli menſuram & ordinem à Deo ſibi decretum per eoſdem ſacros canones ſeruent. Sed & iſdem beatus Leo, ſcribens ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ſacros canones, de quorum diſciplinis ſua decretalia conſtituta promulgauit, ita commemorat, Sancti, inquiens, illi & venerabiles patres, qui in vrbe Nicæna, ſacrilego Arrio cum ſua impietate damnato, manſuras vſque in finem mundi leges Eccleſiaſticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus viuunt, & ſi quid vſquam aliter quàm illi ſtatuerunt præſumitur, ſine cunctatione caſſatur.] Et item idem ad eundem, Illa Nicænorum canonum per ſanctum verè Spiritum ordinata conditio nulla vnquam eſt parte ſolubilis. Nulla ſibimet de multiplicatione congregationis Synoda-

Epiſt. 1.

Epiſt. 2.

Epiſt. 4.

Epiſt. 56.

Ibid. paulo ſuperiùs.

lia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis, quantumlibet copiosior numerus sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre: cùm tanto diuinitùs priuilegio Nicæna sit Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitùs auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum.] Et item idem ad Maximum Antiochenum, Quicquid, inquit, præter speciales causas Synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam diiudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis patribus apud Nicæam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis & constitutione discordat, Apostolicæ sedis nunquam poterit obtinere consensum.] Et Chalcedonense Concilium dicit, Regulas sanctorum patrum, per singula nunc vsque Concilia constitutas, proprium robur obtinere decreuimus.] Et item Leo ad Anastasium dicit, Secundùm sanctorum patrum canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum prouinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à regulis præstitutis nulla aut negligentia aut præsumptione discedant.] Et quia non necesse est tibi exponi ab aliquo, quid intelligere debeas in eo quod dicit *à regulis præstitutis*, inspice canonum libros, & videbis omnia illa Concilia, quæ à maioribus seruanda suscepimus, celebrata ante Chalcedonensem Synodum, quæ decreuit regulas sanctorum patrum per singula eatenus Concilia constitutas proprium robur obtinere, à quibus omnibus Leo præcipit Metropolitanos singularum prouinciarum Episcopos nulla aut negligentia aut præsumptione discedere. Et hinc Gelasius in generali decreto ad omnes Episcopos de institutis Ecclesiasticis dicit, Cùm nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nil licere, & cùm sedes Apostolica super his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio deuotóque studeat tenere proposito, satis indignum est, quendam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc obseruantiam refutare, quam beati Petri sedem & sequi videat & docere: satísque conueniens sit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciet, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum.] Et sanctus Gregorius ad Gallicanos scribens Episcopos, inter alia & cum aliis dicit, Omnia, inquiens, quæ sanctis canonibus sicut prædiximus sunt aduersa, districtè sub anathematis interpositione damnentur.] Qui beatus Gregorius sæpenumerò in suis decretalibus epistolis præstitutas Conciliorum regulas obseruari, & ab eis in nullo declinari decernit. Et beatus Hormisda sancto Remigio, vices Apostolicæ sedis ei committens, inter alia ita scripsit, Paternas scilicet regulas, & decreta

Epist. 66. Can. 1. Epist. 88. Epist. 6.

ſanctiſſimis diffinita Conciliis, ab omnibus ſeruanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam & fraternæ monita exhortationis oſtendimus. His ea quanta dignum eſt reuerentia cuſtoditis, nullũ relinquit culpæ locum ſanctæ obſeruationis obſtaculum. Ibi fas, nefáſque perſcriptum eſt: ibi prohibitum ad quod nullus audeat adſpirare, ibi conceſſum quod debeat mens Deo placitura præſumere.] His, frater, appone ſenſum tuum, his ſuppone mentem tuam, his accommoda animum tuum, his ſubde intelligentiam tuam, & non errabis, neque difflues per vanas autumationes tuas, quibus es quaſi vento paſtus, potiúſque inflatione diſtentus, dum tuis compilationibus, nihil tibi ad ea quæ intendis profuturis, quinimmo plurimum obfuturis, incumbis. Quid, inquit beatus Leo, iniquius quàm impia ſapere, & ſapientioribus doctioribúſque non credere? Sed in hanc inſipientiam cadunt, qui cùm ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſcuro, non ad propheticas voces, non ad Apoſtolicas litteras, nec ad Euangelicas auctoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt, & ideo magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuerunt. Audis quia venerabiles Patres leges vſque in finem ſæculi manſuras condiderunt? audis quia quicquid ab eorum regulis fuerit diuerſum, erit penitus irritum? audis ſacros canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, à quibus nulla negligentia aut præſumptione à quolibet deuiari conceditur? audis quia contra eoſdem canones nec etiam Apoſtolica ſedes ſibi licere aliquid temerè cupiat? audis vt omnia quæ ſanctis canonibus ſunt aduerſa diſtrictè ſub anathematis interpoſitione damnentur? audis quoniam ibi fas nefáſque perſcriptum eſt, ibi prohibitum ad quod nullus audeat adſpirare, ibi conceſſum quid debeat mens Deo placitura præſumere, & ſtudes tergiuerſationes exquirere vt nulli poſſis ſubeſſe, qui non potes cunctis præeſſe? Audi etiam quid de his ſacrorum Conciliorum canonibus cum aliis orthodoxis etiam B. Epiſt.118. Auguſtinus, vir in omni catholica ſcientia & doctrina opinatiſſimus, ad Ianuarium ſcribens ſentiat, Illa, inquiens, quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem in toto terrarum orbe ſeruantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri. Omnia itaque talia, quæ neque ſanctarum ſcripturarum auctoritatibus continentur, nec Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diuerſorum locorum diuerſis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino nunquam inueniri poſſint cauſæ, quas in eis conſtituendis homines ſecuti ſint, vbi facultas tribuitur, ſine vlla dubitatione reſecanda exiſtimo.] Et Damaſus Papa, ex cuius Epiſtola quædam tuis commentis inſeruiſti, non intelligens vel intelligere nolens quæ ipſe dixit, & quæ tu loqueris, vel de quibus affirmas, ſcribens

vt præmisimus per Vitalem ad Paulinum Antiochenum Episcopum, ita de obseruatione canonum, sicut & de integritate fidei, iubet resipiscentes & ad Ecclesiam catholicam reuertentes profiteri, atque propria subscriptione firmare, post alia. Quicumque, inquit, huic Epist.4. Epistolæ subscribere voluerit, ita tamen vt in Ecclesiasticis canonibus, quos optimè nosti, & in Nicæna fide antè subscripserit, hunc debebis absque aliqua ambiguitate suscipere: non quo hæc ipsa quæ nos scripsimus, non potueris conuertentium susceptioni proponere, sed quo tibi consensus noster liberum in suscipiendo tribuat exemplum.] Et sanctus Leo ad Rauennium Arelatensem Episcopum, Ec- Epist.94. clesiasticarum, inquit, legum non ignara est dilectio tua, vt intra earum regulas atque mensuras omnia potestatis tuæ iura contineas. Iusto quippe ideo dicitur lex non esse posita, quia normam 1.Tim.4. præceptionis implet iudicio voluntatis, cùm verus recti amor in semetipso habet, & Apostolicas auctoritates, & canonicas sanctiones: quarum deuotus sectator & diligens executor in eorum proculdubio consortio gloriaberis, qui creditorum, sibi profectibus talentorum audire meruerunt, *Euge serue bone & fidelis*, & reliqua.] Et S. Gregorius Quiriaco, & ceteris Episcopis catholicis in Hibernia, ita scripsit, Lib.12. dicens, Quicumque à peruerso errore Nestorij reuertuntur, coram Ind 4. Epist.61. sancta fraternitatis vestræ congregatione eundem Nestorium cum omnibus suis sequacibus, ac reliquas hæreses anathematizantes, venerandas quoque Synodos, quas vniuersalis Ecclesia recipit, recipere & venerari promittant, & absque vlla dubitatione sanctitas eos vestra, seruatis eis propriis ordinibus, in suo cœtu recipiat.] Et hinc san- Epist 11. sub initium ctus Gelasius in Epistola ad Episcopos per Dardaniam constitutos: Confidimus, inquit, quòd nullus iam veraciter Christianus ignoret, vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedem præ ceteris oportere, quàm primam, quæ vnamquamque Synodum, & sua auctoritate confirmat, & continua moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet.]

CAP. XI. *Quod latiùs de sacris ordinibus & canonum disciplinis ex orthodoxorum verbis & sensibus sit dicendum.*

HÆC quidem sufficere posse credo non alta sapienti, sed humilibus consentienti. Verùm quia ista tibi non credo debere sufficere, non dicam perfectiùs siue pleniùs, quia, vt iam longè ante nos dictum est, perfectio incrementum, & adiectionem plenitudo non recipit, latiùs de præfatis sacris ordinibus, & canonum disciplinis, hîc quædam ex orthodoxorum verbis ac sensibus ad reprimendum sensus tui tumorem, & ad repellendam compilationum tuarum ca-

liginem, ponere dignum duxi. Sancta quippe Ecclesia, quam B. Paulus Apostolus supernam Hierusalem, ac matrem nostram, & manentem ciuitatem, & ædificationem ex Deo, domum non manufactam appellat, ex angelis & hominibus constat. quæ partim ex hominibus societate Angelica in ordinibus distinctis perfruens, iam cum Deo in cælo regnat: partim verò in ordinibus distinctis adhuc peregrinatur in terra, & ad supernam societatem suspirat, vbi est secundùm Apostolum tabernaculum non manufactum, neque huius creationis. Ad cuius instar per Moysem factum est taberna-
Heb.9.11. culum, de quo dixit ad eum Dominus, *Omnia fac iuxta quod tibi in monte ostensum est.* In quo superno & vero tabernaculo, quod fixit Deus, & non homo, in interiora velaminis, id est, in ipsum cælum,
Heb.3.7. & 9. *confeßionis nostræ antistes summus, & sempiternus Pontifex, sempiternum habens sacerdotium, sacerdósque magnus secundùm ordinem Melchisedech, per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta:*
Rom.8. *sedénsque ad dexteram patris*, id est, in gloria paternæ maiestatis, *inter-*
Apoc.19. Prou.8. *pellat*, non voce sed miseratione, *pro nobis.* Idémque rex regum, & dominus dominantium, per quem reges regnant & conditores legum iusta decernunt, cælestem ac terrenum principatum, cunctam videlicet rempublicam regens, & vniuersam militiam tam cælestem & spiritalem, quàm terrenam & temporalem, distinctis in ordinibus disponens ac moderans, & supernæ atque mundanæ curiæ præsidens, miro ordine, angelorum hominúmque ministerio, pro temporum varietate & opportunitate dispensat, & quæ singulis quibusque temporibus vel personis congruit, sua vel occulta inspiratione, vel euidentiori inlustratione, vel patefacta præceptione decernit.

Cap. XII. *Qui sint ordines in cælo, & in Ecclesia, & in terrena republica.*

Et quia legimus sacros ordines in cælo & in terra, & in testamento veteri & in nouo, dispositos à Deo, ex quo iuxta Apostolum
Ephes.3.15. omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, qui sint ordines, id est paternitates in cælo, & in Ecclesia, & in terrena republica, sancti doctores nostri, *haurientes aquas de fontibus saluatoris*, id est, bibentes scientiæ doctrinam de sanctis scripturis, patenter ostendunt. Vnde beatus Dionysius Areopagites, antiquus scilicet & venerabilis pater, sicut didicit à Paulo Apostolo, qui raptus vsque ad tertium cælum vidit secreta cælestia, duos libros de Angelico & Ecclesiastico principatu scripsit. Et beatus Gregorius in libris Moralium, & latiùs in Homilia Euangelij, *Erant adpropinquantes ad Iesum publi-*
Luc.15.1. Hom.34. *cani & peccatores*, quæ in suis locis lector inueniet, succinctiùs autem in epistola ad Episcopos Galliarum scribens ostendit, in qua

dicit, Ad hoc diuinæ diſpoſitionis prouiſio gradus diuerſos & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vna concordiæ fieret ex diuerſitate contextio, & rectè officium gereret adminiſtratio ſingulorum. neque vniuerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret. Quia verò creatura in vna eadémque æqualitate gubernari vel viuere non poteſt, cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit: quia dum ſint angeli, ſint Archangeli, liquet quia natura æquales ſunt, ſed in poteſtate & ordine, ſicut noſtis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos, qui ſine peccato ſunt, iſta conſtat eſſe diſtinctio, quis hominum abnuat huic ſe libenter diſpoſitioni ſubmittere? Hinc etenim pax & charitas mutuò ſe inuicem complectuntur, & manet firma concordiæ in alterna & Deo placita dilectione ſinceritas, quia vnumquodque tunc ſalubriter completur officium, cùm fuerit vnus ad quem poſſit recurri præpoſitus.]

CAP. XIII. *Quòd ſi ordo generalis eſt omnibus Epiſcopis, non tamen communis eſt dignitas omnibus.*

ORDINES quoque miniſtrantium in Eccleſia veteris populi, quæ vſitatiore nomine Synagoga vocatur, fuiſſe legimus per Moyſem à Deo diſpoſitos: qui quales, & qualiter ac quando ordinari deberent, & quando ac qualiter, & quantum in ſingulis officiis miniſtrare deberent, hiſtoria ſacra demonſtrat. Sed & nunc in Eccleſia, quæ regnum cælorum appellatur, ad inſtar cæleſtium ordinum, miniſtros Domini inſtitutione & Apoſtolica traditione legimus & cognoſcimus diſtinctè eſſe diſpoſitos: qui quales, & qualiter & à quibus debeant ordinari, & qualiter quique in ſuis officiis debeant miniſtrare, vt ſuperiùs memorauimus, apertiſſima nobis lectione monſtratur, de quibus modò non eſt dicendum per ſingula. Tantùm de eo vnde agitur ordine, & vnde ad rem de qua agitur pertinet, beatus Leo, ſicut tibi nuper in ſuprafata ſcedula inter alia ſcriptum dedi, veluti traditione Apoſtolica decretum didicit, ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum ſcripſit, Et ſi ordo, inquiens, generalis eſt Epiſt.84. omnibus ſacerdotibus, non tamen communis eſt dignitas omnibus: quia & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt vt ceteris præmineret. De qua forma Epiſcoporum quoque eſt orta diſtinctio, & magna ordinatione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis prouinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia, & rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura

confluere, & nihil vſquam à ſuo capite diſſideret. Qui ergo ſcit ſe
quibuſdam præpoſitum, non moleſtè ferat ſibi aliquem eſſe præla-
tum, ſed obedientiam quam exigit etiam ipſe dependat.] Nam ſi,
Zach.2. vt legimus, angelus angelo dicit, curre & loquere, & angelus obe-
dit angelo, non debet homo dedignari homini obedire: præſertim
cùm inobedientia parentis primi perditionis cauſa ſit generis hu-
mani, & obedientia Saluatoris noſtri, qui factus eſt obediens patri
vſque ad mortem crucis, reparatio ſit humanæ ſalutis. Diabolus
quippe ſuperbus hominem ſuperbientem perduxit in mortem: Chri-
ſtus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia ſicut il-
le elatus cecidit, & deiecit conſentientem, ſic iſte humiliatus ſurre-
xit, & erexit credentem.

CAP. XIV. *Quòd & in republica ad inſtar cæleſtis militiæ diuerſi ſint ordines.*

QVIA etiam ſint angeli gentibus prælati, doctores catholici ex
Dan.10. verbis Angeli per Danielem prophetam oſtendunt, dicentis, *Ego ve-
ni propter ſermones tuos. princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti
& vno diebus, & ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiuto-
rium mihi.* & paulo pòſt. *Nunc reuertar vt prælier aduerſus principem
Perſarum. Cùm enim egrederer, apparuit princeps Græcorum aduenien.* Quos,
Lib.17. Moral. c.8. inquit beatus Gregorius, alios principes gentium niſi angelos ap-
pellat? quia certa angelorum miniſteria diſpenſandis ſingulis quibuſ-
que gentibus ſunt prælata, cùm ſubiectorum mores aduerſus ſe vi-
ciſſim præpoſitorum ſpirituum opem merentur, ipſi qui præſunt ſpi-
ritus contra ſe venire referuntur. Is namque angelus, qui Danieli
loquebatur, captiuis Iſraelitici populi in Perſide conſtitutis præla-
tus agnoſcitur: Michael autem eorum qui ex eadem plebe in Iu-
dæa terra remanſerant, præpoſitus inuenitur. Vnde & ab hoc eodem
angelo paulo pòſt Danieli dicitur, Nemo eſt adiutor meus in om-
nibus his, niſi Michael princeps veſter, de quo dicit, *Et ecce Mi-
chael vnus de principibus primis venit in adiutorium mihi.* Qui dum nequa-
quam ſimul eſſe, ſed venire in adiutorium dicitur, apertè ei populo
prælatus agnoſcitur, qui captiuus in alia parte tenebatur. Quid eſt
ergo angelum dicere, *Ego veni propter ſermones tuos: princeps autem
regni Perſarum reſtitit mihi*, niſi ſua ſubditis opera nuntiare?] Et his
beatus Hieronymus conſona dicit, quæ pleniùs qui voluerit in ſuis
locis legere poteſt. Ad quod inſtar ſunt ordines in ſæculo Dei ordi-
1.Pet.2. natione diſtincti, ſicut monſtrat Apoſtolus, dicens: *Subiecti eſtote
omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi tamquam præcellenti, ſiue du-
Lib 21. Mor.c.10. cibus tamquam ab eo miſſis.* Liquet, inquit beatus Gregorius, quòd om-
nes homines natura æquales genuit, ſed variante meritorum ordine,
alios aliis culpa poſtponit. Ipſa autem diuerſitas, quæ acceſſit ex vi-
tio,

tio, diuino iudicio dispensatur, vt quia omnis homo æquè stare non valet, alter regatur ab altero.]

Cap. XV. *De paternitatibus & incolatibus in cælo, & in Ecclesia & republica.*

Et quia per distinctos ordines sunt paternitates & incolatus à Deo constituti in cælo, de quibus per Danielem dicitur, *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia adsistebant ei*, Dan.7. quibus electorum quoque hominum numerus iungitur, & aliud est ministrare, aliud adsistere, ad instar huius cælestis dispositionis, & in mundo, non solùm dimensiones Ecclesiasticorum incolatuum, sed & terrenorum, dispositæ à Deo existunt, sicut & in veteri populo extiterunt, veluti libro Pentateucho demonstratur, in dimensione terræ promissionis per duodecim tribus filiorum Israel. Vnde & Paulus in Synagoga apud Antiochiam faciens sermonem, dixit, *Deus plebis Israel elegit patres nostros.* & paulo pòst, Act.13. *destruens gentes septem in terra Chanaam, sorte distribuit eis terram eorum. Eiecit*, inquit Psalmus, *à facie eorum gentes, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.* Psal.77. Et beatus Ioannes in Apocalypsi dicit, Apoc.7. audisse se numerum de vnaquaque tribu duodecim millia signatorum. Hoc enim numero diffinito, vt catholici doctores exponunt, innumerabilis significatur totius Ecclesiæ multitudo, quæ de patriarchis, vel prosapia carnis, vel fidei est imitatione progenita. *Si enim*, inquit, *vos Christi, ergo Abrahæ semen estis.* Gal.3. Ad augmentum autem perfectionis pertinet & ipsa duodecim duodecies multiplicari, & ad summam millenarium perfici, qui est denarius numerus quadratus solidus, significans stabilem Ecclesiæ vitam. Propterea quippe duodenario numero sæpiùs Ecclesia figuratur, quia per orbem quadratum in fide consistit sanctæ Trinitatis. Ter enim quaterni decusdipondius faciunt. Denique & Apostoli, eandem mundo fidem prædicaturi, duodecim sunt electi, numero scilicet mysterium operis sui figurantes. Missi sunt enim per quadratum mundum prædicare fidem sanctæ Trinitatis, & incarnatum de Spiritu sancto ex Maria virgine Dominum Iesum Christum, & hunc crucifixum, sicut in Symbolo continetur. quo signo crucis, & per Ezechielem in figura, Ezech.9. & per Ioannem in speciei veritate, fideles signati monstrantur. Apoc.7. Nam & ipsa crucis figura dilatatum vbique Domini significat regnum, & monarchiam fidei ipsius signi, sicut vetus distichon probat.

Respice distinctis quadratum partibus orbem,
Vt signum fidei cuncta tenere probes.

Neque enim frustrà in fronte Pontificis nomen Domini tetragrammaton scribebatur, nisi quia hoc est signum in fronte fidelium, de

Psal.8. quo in Psalmo pro torcularibus canitur, *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* &c. vsque dum ait, *Vt destruas inimicum & defensorem.* Ipsósque incolatus parochiarum ac regionum, olim sancto Spiritu ante incarnationem Christi per prophetam prædictos, & post ascensionem in cælum eodem sancto spiritu per sanctos Dei homines dimetiendos fore, demonstrat sanctus Basilius tractans versum quo dicitur, *Conuallem tabernaculorum dimetiar.* Hanc, inquiens, præcipuam & velut priuatam quondam plebem, scilicet Israeliticam hereditatem populi, in diuisionem vocabo, & communem cum ceteris omnibus faciam. Cùm autem diuisum fuerit testamentum in omnes, & cùm eius vtilitas vniuersis cœperit esse communis, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, tunc etiam conuallis tabernaculorum dimetietur, hoc est, vniuersus orbis terrarum, qui vallis tabernaculorum pro habitaculis corporum dictus est, hic velut quadam sorte diuisus atque dimensus, per singula loca Ecclesiarum Dei parochiis & incolatibus diuidetur. Tunc etiam ea quæ diuisa sunt, in vnitatem fidei congregabit ille qui pacificat per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cælis, & qui medium parietem soluens, fecit vtraque vnum.] Hinc iterum scriptum est, *Distribuite domos eius*, videlicet vniuersalis Ecclesiæ, per custodiarum parochias prædicando, *Vt enarretis in progenie altera, quoniam hic est Deus noster, & ipse reget nos in sæcula.* Ad quod instar, secundùm constitutionem Anacleti, Dionysius Papa rusticanis parochiis terminos certos posuit, ac ponendos disposuit, de quibus etiam Chalcedonense Concilium quæ sunt nota decreuit. De prouinciarum autem dimensione, & ciuitatum priuilegiis, quæ ad instar duodecim tribuum Israelitici populi ethnici statuerunt, & Apostolica sunt postea constitutione firmata, sanctus Clemens in prima epistola ad Iacobum Hierosolymitanum Episcopum, qui & frater Domini appellatur, scripsit, quod tu in compilatione tua sicut & nec præcedentia verba Leonis ponere voluisti, ne inueniretur in eis quòd tu alicui, præter Apostolicæ sedis Pontifici, deberes aliquo modo subdi, inaniter putans, quòd si tu hæc in tuo pitaciolo non poneres, alij non haberent libros vbi ea legere potuissent. Sed quis ea quæ nosti ignorat? Priùs enim quàm formareris in vtero illa nouimus, & antequam exires de vulua sæpissimè legimus, & discretiùs quàm tu scripturas sacras & canones sacros intelligas intelleximus. Ait enim beatus Clemens inter alia in præfata epistola, iussisse beatum Petrum, In illis, inquiens, ciuitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis doctores erant, Episcoporum primates poni vel patriarchas, qui reliquorum Episcoporum iudicia & maiora quotiens necesse foret negotia in fide agitarent, & secundùm Domini voluntatem, sicut constituerunt sancti Apostoli, ita vt ne quis iniustè periclitaretur, diffinirent.

Homil. in Psal. LIX.

Psal. 47.

Epist. 1. sub medium.

In illis autem ciuitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant ethnicos eorum Archiflamines, quos tamen minores tenebant quàm memoratos primates, Archiepiscopos institui præcepit, qui non tamen primatum, sed Archiepiscoporum fruerentur nomine. Episcoporum quoque iudicia, vt superiùs memoratum est, & maiora Ecclesiarum negotia, si ipsi reclamauerint, aut aliquem timorem, aut istos vel alios suspectos habuerint, ad iam dictos Primates vel Patriarchas, ne aliquis innocenter periret, transferri perdocuit. In singulis verò reliquis ciuitatibus, singulos, & non binos vel ternos aut plures, Episcopos constitui præcepit, qui non Primatum, aut Archiepiscoporum, aut Metropolitanorum nomine, quia matres ciuitatum non tenent, sed Episcoporum tantùm vocabulo potirentur: quoniam nec inter ipsos Apostolos par institutio fuit, sed vnus omnibus præfuit. Hoc tamen præuidendum instituit, ne in villis, aut castellis, vel modicis ciuitatibus instituerentur Episcopi, ne vile eorum nomen fieret. Episcopos ergo vicem Apostolorum gerere Dominum docuisse dicebat, & reliquorum discipulorum vicem tenere presbyteros insinuabat debere.] Et sanctus Anacletus, successor Clementis, à beato Petro Apostolo presbyter ordinatus, in prima epistola ad omnes Episcopos & ceteros fideles, Priuilegia, inquit, Ecclesiarum & sacerdotum sancti Apostoli, iussu Saluatoris, intemerata & inuiolata æuis decreuerunt manere temporibus. Leges Ecclesiæ Apostolica firmamus auctoritate, & peregrina iudicia submouemus. Vnde & Dominus mentionem faciens Loth, per Moysem loquitur dicens, Ingressus es quidem, inquiunt, vt aduena, numquid vt iudices? Vnaquæque enim prouincia, tam iuxta Ecclesiasticas, quàm iuxta sæculi leges, suos debet iustos & non iniquos habere iudices, & non externos, nisi Apostolicæ huius sedis decreuerit auctoritas. quatenus quicumque causam habuerit, apud suos iudices iudicetur, & non ad alienos, causa vagandi, stimulante proteruia, suam despiciens patriam transeat, sed ad duodecim eiusdem prouinciæ iudices, ad quorum iudicium omnes causæ ciuitatum referuntur, deferatur negotium. Si autem fuerit Ecclesiasticum, apud Episcopos, interueniente Primate, si maior causa fuerit: si verò minor, Metropolitano. Si verò fuerit sæculare, apud eiusdem ordinis viros, iudicio tamen Episcoporum, cùm Apostolus priuatorum Christianorum causas magis ad Ecclesias deferri, & ibidem sacerdotali iudicio terminari voluit.] Et in secunda epistola ad Episcopos in Italia constitutos dicit, Prouinciæ autem multo ante Christi aduentum tempore diuisæ sunt maxima ex parte, & postea ab Apostolis, & beato Clemente prædecessore nostro, ipsa diuisio est renouata. Et in capite prouinciarum, vbi dudum Primates legis erant sæculi, ac prima iudiciaria potestas, ad quos qui per reliquas ciuitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam Imperatorum vel regum

Epist. 1. sub finem.

Gen. 19.

Epist. 11. sub finem.

confugere non poterant, vel quibus permissum non erat confugere, pro oppressionibus vel iniustitiis suis[cōfugiebant,] ipsósque appellabant quotiens opus erat, sicut in lege eorum præceptum erat, ipsis quoque in ciuitatibus vel locis nostri Patriarchas vel Primates, qui vnam formam tenent, licèt diuersa sint nomina, leges diuinæ & Ecclesiasticæ poni & esse iusserunt, ad quos Episcopi, si necesse fuerit, confugerent eósque appellarent, & ipsi nomine Primatum fruerentur, & non alij: reliquæ verò metropolitanæ ciuitates, quæ minores iudices habebant, licèt maiores Comitibus essent, haberent Metropolitanos suos, qui prædictis iustè obedirent primatibus, sicut & in legibus sæculi olim ordinatum erat, qui non Primatum, sed aut Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine fruerentur. Et licèt singulæ metropoles ciuitates suas prouincias habeant, & suos Metropolitanos habere debeant Episcopos, sicut priùs Metropolitanos iudices habebant sæculares, primates tamen, vt præfixum est, & tunc & nunc habere iussæ sunt, ad quos post sedem Apostolicam summa negotia conueniant, vt ibidem quibus necesse fuerit releuentur & iustè restituantur, & hi qui iniustè opprimuntur iustè reformentur atque fulciantur, Episcoporúmque causæ & summorum negotiorum iudicia, salua Apostolicæ sedis auctoritate, iustissimè terminentur.] & in tertia epistola, De primatibus, inquit, carissimi, super quibus me quidam vestrûm consuluerunt, aut si esse deberent, an non, quantum hactenus de his à beato Petro Apostolo, & à reliquis Apostolis, & à beato Clemente nostro sancto prædecessore & martyre nouimus statutum, denegare vobis minimè possumus. Et quis est, qui quærentibus fratribus denegare possit dubitationem vel necessitates eorum? Sacerdotum, fratres, ordo bipertitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari. Scitis autem à Domino Apostolos esse electos & constitutos, & postea per diuersas prouincias ad prædicandum dispersos. Cùm verò messis cœperat crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adiumentum septuaginta eligi præcepit discipulos. Episcopi verò Domini Apostolorum, presbyteri quoque septuaginta discipulorum locum tenent. Episcopi autem non in castellis aut modicis ciuitatibus debent constitui, sed presbyteri per castella & modicas ciuitates atque villas debent ab Episcopis ordinari & poni, singuli tamen per singulos titulos suos. & Episcopus non ab vno, sed à pluribus debet Episcopis ordinari, & vt dictum est, non ad modicam ciuitatem, ne vilescat nomen Episcopi, aut alicubi, sed ad honorabilem vrbem titulandus, & denominandus est: presbyter verò ad qualemcumque locum vel Ecclesiam in eo constitutam est præficiendus, atque in ea diebus vitæ suæ durandus. Ampliùs quàm isti duo ordines sacerdotum, nec nobis à Deo conlati sunt, nec Apostoli docuerunt. Episcoporum verò ordo vnus est, licèt

Epist. III. in principio

ſint primates illi qui primas ciuitates tenent, qui & in quibuſdam locis patriarchæ à nonnullis vocantur. Illi autem, qui in metropoli à beato Petro, ordinante Domino, & prædeceſſore noſtro prædicto ſancto Clemente, ſeu à nobis conſtituti ſunt, non omnes Primates vel Patriarchæ eſſe poſſunt. Sed illæ vrbes quæ præfatis & priſcis temporibus primatum tenuere, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, aut Primatum nomine fruantur: reliquæ verò metropoles Archiepiſcoporum, aut metropolitanorum, & non Patriarcharum aut Primatum vtantur nominibus, quia hæc eadem & leges ſæculi in ſuis continent principibus. Aliæ autem primæ ciuitates, quas vobis conſcriptas in quodam tomo mittimus, à ſanctis Apoſtolis & à beato Clemente, ſiue à nobis Primates prædicatores acceperunt. Hæc verò ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia, non ab aliis, ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatum obtinuit, ſicut ipſe beato Petro Apoſtolo dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] & paulo pòſt, Prima ergo ſedes eſt cæleſti beneficio Romanæ Eccleſiæ, quam, vt memoratum eſt, beatiſſimi Petrus & Paulus ſuo martyrio conſecrarunt. Secunda autem ſedes apud Alexandriam beati Petri nomine à Marco eius diſcipulo atque Euangeliſta conſecrata eſt, quia ipſe & in Ægypto primum verbum veritatis directus à Petro prædicauit, & glorioſum ſuſcepit martyrium, cui venerabilis ſucceſſit Habilius. Tertia verò ſedes apud Antiochiam, id eſt, beati Petri Apoſtoli habetur honorabilis, quia illic priùſquam Romam veniret habitauit, & Ignatium Epiſcopum conſtituit, & illic primum nomen Chriſtianorum nouellæ gentis exortum eſt. Reliquas verò, vt prædiximus, in quodam tomo, prolixitatem vitantes epiſtolæ, vobis conſcriptas direximus. Inde namque & beati Apoſtoli inter ſe ſtatuerunt, vt Epiſcopi ſingularum ſcirent gentium quis inter eos primus eſſet, quatenus ad eum potior eorum ſollicitudo pertineret. Nam & inter beatos Apoſtolos quædam fuit diſcretio, & licèt omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen à Domino eſt conceſſum, & ipſi inter ſe idipſum voluerunt, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas, id eſt, caput & principium teneret Apoſtolatus, quia & eandem formam ſuis ſucceſſoribus, & reliquis Apoſtolis tenendam tradiderunt. Et non ſolùm hoc in nouo teſtamento eſt conſtitutum, ſed etiam in veteri fuit. Vnde ſcriptum eſt, Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius, id eſt, primi inter Pſal 17. eos fuerunt.] Inde ſacrum Nicænum Concilium paucioribus quidem Can. 6. verbis, ſed non minori auctoritate decreuit, quatenus antiqua conſuetudo, ſcilicet quæ apud ethnicos ſtatuta fuerat, & Apoſtolica eſt poſtea conſtitutione firmata, ſeruetur, vt Alexandrinus Epiſcopus ſuorum omnium habeat poteſtatem, quia & vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter & apud Antiochiam, ceteráſque prouincias ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſiis.] His autem prætermiſſis,

Epist. I. sed & quæ Zephyrinus decreuit, vt quilibet Episcopus accusatus à duodecim iudicetur Episcopis, ad Callistum, & ad Lucium te contulisti, & quæ Stephanus statuit, qui post eos fuit, contingere noluisti, qui dicit: Nullus præfati ordinis, videlicet Episcopalis, vir accusari potest, aut respondere suis accusatoribus debet, priusquam regulariter à suo Primate vocatus sit, locúmque defendendi & inquirendi accipiat ad abluenda crimina. Nulli enim Metropolitani, aut alij Episcopi appellentur primates, nisi hi qui primas sedes tenent, & quorum ciuitates antiqui primates esse censuerunt. Reliqui verò, qui ciuitates metropolitanas adepti sunt, non primates aut Archiepiscopi, sed Metropolitani vocentur. Vrbes enim & loca, quibus primates præsidere debent, non modernis, sed etiam multis ante aduentum Christi sunt statutæ temporibus, quarum primates etiam gentiles pro maioribus negotiis appellabant. In ipsis verò vrbibus post Christi aduentum Apostoli & & successores eorum Patriarchas vel primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia, salua in omnibus Apostolica auctoritate, & maiores causæ post Apostolicam sunt sedem referendæ. Et licèt, Apostolo prohibente, inter Christianos non debeant accusationes exerceri, si prohiberi non poterunt, accusationes Episcoporum ad memoratos primates debent ab accusatoribus deferri. Studendum est tamen Episcopis, vt dissidentes fratres magis ad pacem, quàm ad iudicium cohortentur. Episcopus autem aliter non debet audiri vel iudicari, nisi in præsentia omnium comprouincialium, & ab omnibus comprouincialibus Episcopis, qui ipsis absentibus iudicari nec debet, nec potest.]

Epist. 2. non longè ab initio.

Deinde plurima ex plurimis exponens, quæ tibi visa fuerunt tecum facere, sed reuera probatur redarguere, Pelagium decessorem S. Gregorij transilisti, & verba successoris eius B. Gregorij ad Theoctistam patriciam, à suo sensu, quantum ex te fuit, alienans, alienis à beato Gregorio verbis imposturasti. Ait enim idem Pelagius ad Episcopos, qui iniusta vocatione Ioannis ad Synodum Constantinopolim vt decernerent eum vniuersalem vocari constituerunt, De cetero, inquiens, fratres, super prouinciæ causa, vnde sedem Apostolicam dudum consulere voluistis, videtur nobis sufficienter tractatum à sanctis prædecessoribus nostris. Sed quia denuo nostram mediocritatem de eadem re interrogare dignum duxistis, scitote certam prouinciam esse quæ habet decem vel vndecim ciuitates, & vnum regem, & totidem minores potestates sub se, & vnum Episcopum, alιósque suffragatores decem vel vndecim Episcopos iudices, ad quorum iudicium omnes causæ Episcoporum, & reliquorum sacerdotum, ac ciuitatum causæ referantur, vt ab his omnibus iustè consona voce decernantur, nisi ad maiorem auctoritatem fuerit ab his qui iudicandi sunt appellatum. Vnde non oportet vt degradetur vel dehonoretur vnaquæque prouincia, sed apud semetipsam habeat iu-

Pelag. II. epist. I. sub finem.

dices sacerdotes, & Episcopos singulos, videlicet iuxta ordines suos, & quicumque causam habuerit, à suis iudicibus iudicetur, & non ab alienis, id est à suæ iustis iudicibus prouinciæ, & non ab externis, nisi vt iam prælibatum est à iudicandis fuerit appellatum. Si verò in qualibet prouincia ortæ fuerint quæstiones, & inter ipsius prouinciæ Episcopos discrepare cœperit ratio, atque inter ipsos dissidentes non conueniat, ad maiorem tunc sedem referantur, & si illic facilè & iustè non discernuntur, vbi fuerit Synodus regulariter congregata canonicè & iustè discernantur. Maiores verò & difficiles quæstiones, vt sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, ad sedem Apostolicam semper referantur.]

CAP. XVI. *De Metropoli Remorum, & castro Lauduno. & quòd tres primariæ sedes vna fuit sedes Petri. Hormisdæ ad sanctum Remigium epistola.*

VIDE, frater, vtrum certa sit prouincia metropoli Remorum ex antiquo subiecta. quæ metropolis vndecim ciuitates sub se habuit etiam antequam beatus Remigius auctoritate Africani Concilij ordinaret Episcopum in Castello, in quo & tu metropolis tuæ suffragator es ordinatus Episcopus, & refragator ipsius dignitatis atque auctoritatis, asse vt dicitur excreuisti de pusillo magnus apud te oppidanus Episcopus. Quod, sicut Eutropius antiquus historiographus dicit, auctore Marcobrio prætore conditum, ab exordio suî in paganismo, inter ciuitates vel prouinciales sedes nomen & locum non habuit. Et postquam B. Sixtus à Sixto sedis Romanæ Pontifice primus ad Remensem Metropolim fuit directus Episcopus, in Christianismo per quindecim Archiepiscoporum tempora, plurimis annorum euolutis curriculis, in Remensi parochia, sicut & alia municipia quæ hodiéque ibidem consistunt, municipalem locum tenuit, sicut & tomus, quem Anacletus Episcopis de sedium priuilegiis se interrogantibus se misisse dicit, patenter ostendit, veluti ipse legere potes in eodem breuiario, in quo descriptis ciuitatibus metropoli Remorum subiectis, nomen Castelli, in quo es ordinatus Episcopus, nequaquam inuenies. Sed & per plures annos tempore eiusdem B. Remigij, qui, vt veraces nostratium historiæ monstrant, LXXIV. & eo ampliùs annos in Episcopatu degens, & multis insignis virtutibus clarus, iam in senecta sua ibidem ordinauit Episcopum, & rebus Ecclesiasticis (quoniam secúdùm sacras regulas quicquid rerum & mancipiorum in ordine Episcopatus adquirit Episcopus, sicut & illæ quæ antè fuerunt Ecclesiæ, habentur Ecclesiasticæ,) idem Episcopium sufficienter ditauit. Quamobrem sicut sedes Ecclesiarum, scilicet Romanæ, Alexandrinæ, atque Antiochenæ, idcirco specialiter legimus sedes dici, cùm plurimæ sedes & Apostolorum, sicut Iacobi Hiero-

ſolymæ, & Ioannis apud Epheſum, in qua ſedit & Timotheus beati Pauli diſcipulus, & multæ aliæ principalium ciuitatum, quoniam ſedes ſunt, quin potiùs, licèt diſparentur longinquitate terrarum, vna ſedes ſunt magni Petri Apoſtolorum principis: ita pro modo ſuo Remorum metropolis, & Laudunenſis parochia, ſpecialiter inter ceteras ſedes prouinciales Remorum prouinciæ vna eſt ſedes, quia beatus Remigius eandem ſedem Laudunenſem in ſubſellio Remenſis metropolis conſedere fecit, quam à ſua parochia, non autem à diœceſis prouincia, ſcidit. Quia verò Alexandrina, & Antiochena ſedes, ſicut & Romana, beati Petri ſint ſedes, Leo ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum monſtrat, dicens, Cùm enim beatiſſimus Petrus Apoſtolicum à Domino acceperit principatum, & Romana Eccleſia in eius permaneat inſtitutis, nefas eſt credere quòd ſanctus diſcipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus Eccleſiam gubernauit, aliis regulis traditionum ſuarum decreta formauerit, cùm ſine dubio de eodem fonte gratiæ vnus ſpiritus & diſcipuli fuerit & magiſtri, nec aliud ordinatus tradere potuerit, quàm quod ab ordinatore ſuſcepit. Non ergo patimur, vt cùm vnius nos corporis & fidei fateamur, in aliquo diſcrepemus, & alia doctoris, alia diſcipuli inſtituta videantur.] Et ſanctus Gregorius ad Eulogium Alexandrinum Epiſcopum, Veritatis, inquit, miniſter, Petri ſequax, & ſanctæ Eccleſiæ prædicator, ſcit quia illa loqui potuiſti, quæ de ſede Petri Apoſtoli per os doctoris ſonare debuerunt.] & item idem ad eundem, Sit ergo illi laus, ſit in excelſis gloria, cuius dono adhuc in ſede Petri clamat vox Marci.] De Antiochena autem Eccleſia ſanctus Innocentius ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum dicit, Reuoluentes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum mentem explicat ſacerdotum, quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia cunctis fidelibus, ne dixerim ſacerdotibus, eſſe neceſſarium cuſtodire, qua ſuper diœceſim ſuam prædictam Eccleſiam, non ſuper aliam aliquam prouinciam, recognoſcimus conſtitutam. Vnde aduertimus, non tam pro ciuitatis magnificentia hoc eidem attributum, quàm quòd prima primi Apoſtoli ſedes eſſe monſtretur, vbi & nomen accepit religio Chriſtiana, & quæ conuentum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit, quæque vrbis Romæ ſedi non cederet, niſi quòd illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe conſummatúmque gaudet.] Et Leo ad Maximum Antiochenum Epiſcopum, Oportet, inquit, dilectionem tuam toto corde conſpicere, cuius Eccleſiæ gubernaculis te Dominus voluit præſidere, & eius meminiſſe doctrinæ, quam præcipuus Apoſtolorum omnium beatiſſimus Petrus, per totum quidem mundum vniformi prædicatione, ſed ſpeciali magiſterio in Antiochena & Romana vrbe fundauit, vt illum in ſuæ glorificationis domicilio præminentem ea intelligas

Epiſt.7.

Lib. VIII. epiſt. 42.

Epiſt. XX.

Epiſt. 66.

telligas reposcere instituta quæ tradidit, sicut ab ipsa quam confessus est veritate suscepit. Neque vllo modo sinas in Orientalibus Ecclesiis, maximéque his quas Antiochenæ sedi sacratissimorum patrum Nicæni canones deputarunt, ab improbis hæreticis Euangelio resultari.] & post aliquanta, Dignum est enim te Apostolicæ sedi in hac sollicitudine esse consortem, & ad agendi fiduciam priuilegia tertiæ sedis agnoscere, quæ in nullo cuiusquam ambitione minuitur: quia tanta apud me est Nicænorum canonum reuerentia, vt ea quæ sunt à sanctis patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua nouitate violari. Etsi enim diuersa nonnunquam sunt merita præsulum, tamen iura permanent sedium, quibus possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem.] Et sanctus Gregorius ad Anastasium Antiochenum Episcopum, Ecce in sancta senectute beatitudo vestra multis tribulationibus laborat, sed perpendat, cuius sedem teneat. numquid non illius, cui voce veritatis dictum est, *Cùm senueris, alius te cinget, & ducet quò non vis?*] & item ad eundem, Amen, gratia. quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta, idcirco in meis epistolis pono, vt de sancto Ignatio vestra beatitudo cognoscat, quia non solùm vester est, sed etiam noster. Sicut enim magistrum eius Apostolorum principem habemus communem: ita quoque eiusdem principis discipulum nullus nostrûm habet priuatum.] Hunc enim Ignatium beatus Petrus, quando Romam petiit, Antiochiæ pro se ordinauit Episcopum. Et licèt beatus Petrus anteà in Antiochia sederit, quàm Romam venerit, vnde Marcum Alexandriam misit: non tamen ideo Antiochia secunda, sed tertia sedes, & Alexandrina Ecclesia secunda sedes dicitur, propter priuilegium Euangelij, quod sanctus Marcus Euangelista ore Petri excepit atque conscripsit, quod & in Alexandria prædicauit, & Alexandrinum populum, cum subiectis eidem magnæ ciuitati vrbibus, veræ fidei fundamento fundauit, sicut & sanctus Gregorius ad Eulogium Alexandrinum Episcopum inter cetera scribit dicens, Est aliquid quod nos erga Alexandrinam Ecclesiam quadam peculiaritate constringit, & in eius amore proniores existere speciali quodammodo lege compellit. Nam sicut omnibus liquet quòd beatus Euangelista Marcus à S. Petro Apostolo magistro suo Alexandriam sit transmissus, sic huius nos magistri & discipuli vnitate constringimur, vt & ego sedi discipuli præsidere videar propter magistrum, & vos sedi magistri propter discipulum. Ad hanc autem vnitatem cordium etiam vestræ sanctitatis meritis ligamur, quos auctoris sui salubriter sequi instituta cognoscimus, & semper ad magistri sui gremium, vnde illic prædicatio salutis exorta est, tota se conferre deuotione sentimus.] Et item, quòd tres illæ sedes, scilicet Romana, Alexandrina, & Antiochena, vna sit Petri sedes, ad eundem Eulogium Alexandrinum Episcopum

Lib. VII. epist. 3.

Ioan. 21.

Lib. IV. epist. 37.

Lib. V. epist. 60.

Lib. vi. epist. 37. ſcribit, Suauiſſima, inquiens, mihi ſanctitas veſtra multa in epiſtolis ſuis de ſancti Apoſtolorum principis Petri cathedra locuta eſt, dicens quòd ipſe in ea nunc vſque in ſuis ſucceſſoribus ſedeat. Et quidem ego, indignum me eſſe non ſolùm in honore præſidentium, ſed etiam in numero ſtantium agnoſco: ſed cuncta quæ dicta ſunt in eo libenter accepi, quòd ille mihi de Petri cathedra locutus eſt, qui Petri cathedram tenet, & cùm me ſpecialis honor nullo modo delectet, valdè tamen lætatus ſum, quia vos ſanctiſſimi quod mihi impendiſtis, vobiſmetipſis dediſtis. Quis enim neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate confirmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur, *Tibi dabo claues regni cælorum: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* & iterum, *Simon Ioannis amas me? Paſce oues meas.* Ita & cùm multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu, ſola Apoſtolorum principis ſedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius eſt. Ipſe enim ſublimauit ſedem, in qua etiam quieſcere & præſidendo vitam finire dignatus eſt. Ipſe decorauit ſedem, in qua Euangeliſtam diſcipulum miſit. Ipſe firmauit ſedem, in qua ſeptem annis quamuis diſceſſurus ſedit. Cùm ergo vnius atque vna ſit ſedes, cui ex auctoritate diuina tres nunc Epiſcopi præſident, quicquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo: ſi quid de me boni creditis, hoc veſtris meritis imputate. quia in illo vnum ſumus, qui ait, *Vt omnes vnum ſint, ſicut & tu pater in me & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.*] Si ergo, frater, immemor beneficiorum à me tibi impenſorum oblitus, aduerſum me rebellare non times, time tamen rebellare aduerſus beatum Remigium, qui ſicut modò audiſti, nunc vſque in ſuis ſucceſſoribus qualibuſcumque ſedet: & quia ſedes illius eſt, in qua reſides ex auctoritate diuina, & ipſius beati Remigij benignitate, inter ſedes, quod anteà non fuerat, computata: quicquid de me, qui ſedeo in ſede illius, boni audis, tibi imputare debes: quia quicquid de te boni audio, mihi imputo, & quicquid de te ſiniſtrum audio, non tantùm tuis, ſed & meis peccatis imputo, per cuius manus impoſitionem Dei iudicio te in illa ſede reſidere cognoſco. Deſine ergo ab ea quam cepiſti mentis improbitate, & adſume mentis humilitatem cum virtute ſanctæ obedientiæ, vt in illo vnum ſimus, qui ait, *Vt omnes vnum ſint, ſicut & tu pater in me & ego in te: vt & ipſi in nobis vnum ſint.* Quoniam, ſicut & ex verbis Apoſtolicæ ſedis audiſti, licèt harum Eccleſiarum, Alexandrinæ ſcilicet & Antiochenæ, præſules beati Petri ſedes tenere ſe cognoſcant, quod & Romani Pontifices atteſtantur, non tamen ſubditas eaſdem ſedes Romanæ ſedi denegant, nec ipſi Romano Pontifici ſubdi modo quolibet dedignantur: nec tui deceſſores ac prædeceſſores ſubdi dedignati ſunt Remorum Epiſcopis, & de rebus Eccleſiæ Remorum metropolis, de quibus ditatum eſt Epiſco-

Marginal notes: Matth. 16. Luc. 22. Ioan. 21. Ioan. 17.

pium Laudunense, quando in ipsam venerunt parochiam, humiliter ac benignè Remensi Ecclesiæ famulari, ex quo beatus Remigius sanctum Genebaudum in Laudunensi castello Episcopum non solùm constituit, sed etiam, vt ostendit antiqua traditio, & monimentum reclusionis, qua eum propter excessum notissimum secundùm regulas reclusit, post dignam satisfactionem restituit: sicut & mihi decessores tui Simeon & Pardulus, cui successisti, exhibuerunt vsque ad tuam prælationem, quem Remensis Ecclesia ab ipsis, vt ita dicam, cunabulis dulci benignitate nutriuit, & pannis infantiæ eluit, atque exuit, & ad virum perduxit, atque ad Episcopatum prouexit. de quo nunc per ora sibi seruientium cum suspiriis ac gemitibus dicit, Ex nobis exiit, sed non erat ex nobis: si enim fuisset ex nobis, permansisset vtique nobiscum. Et attendens qualiter Episcopi ciuitatum suæ prouinciæ, quos non nutriuit, sed regulariter ordinauit, ei benignitatis & humilitatis atque obedientiæ impendant obsequia, dicit, Populus quem non cognoui seruit mihi, in auditu auris obedit mihi: filius autem alienus mentitus est mihi, filius alienus inueterauit. videlicet, quia quod agit, ad hominem vetustum pertinet, & claudicat à semitis suis, quas in mandatis Domini per humilitatem & obedientiam debuerat currere, & sumens lamentum Domini de Esaia, *Filium*, inquit, *nutriui & exaltaui, ipse autem spernit me.* Et licèt tu hoc fortè non recogites, neque timeas, certus tamen esse potes, quia sanctus Remigius à te reposcet in conspectu Domini obedientiam dependendam suis successoribus, & tuis præpositis, quam instituit quando in eodem castello, in quo ordinatus es, consecrauit Episcopum. sicut de verbis beati Leonis ad Maximum Antiochenum Episcopum, præposui beatum Petrum, in suæ glorificationis domicilio præminentem, ea reposcere instituta, quæ in Antiochia tradidit. Attamen, velis nolis, sanctus Hormisda Papa tibi ostendet Primatem esse huius prouinciæ illum, qui in sede beati Remigij apud Remorum Metropolim est ordinatus Episcopus. Ait enim in epistola ad eum directa, *Dilectissimo fratri Remigio Hormisda. Suscipiens plena fraternitatis tuæ congratulatione conloquia, quibus nos germanæ salutis tuæ lætificauit indicio, corporali cum spiritalibus officiis incolumitate subnixo, congruum esse perspeximus, hanc ipsam, quam mente gerimus, verbis aperire lætitiam. Agis enim summi documenta Pontificis, dum & prædicanda facis, & ea insinuare non differs. Prærogatiuam igitur de nostri sumpsimus electione iudicij, quando id operatum te esse didicimus, quod ceteris agendum obnixiùs imperamus, vt in prouinciis tanta longinquitate disiunctis, & Apostolicæ sedis vigorem, & patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti & spiritalis filij nostri Clodouei, quem nuper, adminiculante superna gratia, plurimis & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis prædicationem salutiferam concomitantibus, ad fidem cum gen te integra conuertisti,*

Psal. 17.

Es. c. 1.

Es. c. 1.

& sacri dono baptismatis consecrasti, saluis priuilegiis quæ Metropolitanis decreuit antiquitas, præsenti auctoritate committimus, augentes studij huius participatione ministerij dignitatem, releuantes nostras eiusdem remedio dispensationis excubias. Et licèt de singulis non indigeas edoceri, à quo iam probauimus acutiùs vniuersa seruari, gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, & laboraturis iniuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas, & decreta sanctissimis diffinita Conciliis ab omnibus seruanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam & fraterna monita exhortationis ostendimus. His ea quanta dignum est reuerentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ obseruationis obstaculum. ibi fas nefásque perscriptum est, ibi prohibitum, ad quod nullus audeat adspirare, ibi concessum quod debeat mens Deo placitura præsumere. Quotiens vniuersale poscit religionis causa Concilium, te cuncti fratres euocante conueniant, & si quos eorum specialis negotij pulsat intentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra lege determinando certamina. Quicquid autem illic pro fide & veritate constitutum, vel prouida dispensatione præceptum, vel personæ nostræ auctoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perueniat. eo fiet vt & noster animus officij caritate dati, & tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Sed & Adrianus Papa Tilpino prædecessori nostro talia suæ auctoritatis priuilegia, & sibi commissæ Ecclesiæ dedit, sicut scripta quæ habemus demonstrant. Quæ exiguitas mea nec meruit, nec ambit, nec appetit, nec requirit, quanquam & quarti Leonis, & nomine ac gratia Benedicti auctoritas, mihi priuilegia non à me quæsita contulerint, quia sufficiunt mihi quæ per sacros canones vnicuique sunt Metropolitano conlata. Vnde sicut omnibus generaliter Episcopis conuenit pro Romano Pontifice, & speciali Petri vicario Dominum exorare, veluti & traditio demonstrat Ecclesiastica, (de qua Cælestinus dicit, Obsecrationum sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni catholica Ecclesia vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex statuat supplicandi,) eidémque ab omnibus obediri oportet, sicut ex Euangelica & Apostolica auctoritate, maiorum traditione, atque antiqua consuetudine noscitur esse decretum: sic ab omnibus prouinciæ Coepiscopis, qui à primate suæ Metropolis ordinantur, conuenit secundùm sacras regulas obediri, & pro eo Dominum supplicari, quoniam incolumitas præsidentis salus est subditorum. Sed & te in his vigilantiorem curam exhibere conuenerat, quem taliter, vt præmisi, à se nutritum Remorum Metropolis in subsellio sedis suæ ordinauit Episcopum. Quæ non meo, sed ex scripturarum sensu beati Leonis institutione profero. Instante, inquit, passione sua Dominus, quæ discipulorum erat turbatura constantiam, ait, *Simon, ecce Satanas expostulauit, vt vos cerneret veluti triticum: ego autem rogaui pro te ne deficiat fides tua, &*

[Margin: Post epist. VIII.]

[Margin: Serm. 3. in anniuersario die eiusdem Assumptionis]

tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. & omnibus Apostolis, Luc 22.
Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere: & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, vt pro fide Petri propriè supplicetur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuina gratia ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.] Cùm itaque & vobis prouinciæ Coepiscopis, per primatem eius, orationibus & manus impositione in ordinatione gratia sancti Spiritus & Episcopalis ordo tribuitur, iustum esse perpenditur, vt Papa Romano prælato, ei à vobis orationis deuotio, & obeditionis dilectio rependatur. quod & in illis temporibus actum legimus, in quibus non adeò abundauit iniquitas, & refriguit caritas, sicut modò in nostris agitur. Lege nimirum epistolam Leonis ad Anastasium, & inuenies cum Attico Metropolitano Episcopos prouinciæ suæ Romam venisse sine datis induciis, non retardatos metu sublimissimæ inter mundanos apices potestatis, per sæuitiam hyemis, per iter asperum, & periculis plenum, per inuias niues, cum tanto labore atque discrimine, vt ex his qui Episcopum comitati sunt quidam defecerint, vt cum eo de indignissima afflictione quam pertulit, lacrymabili actione conquererentur. Quod tu quomodo ageres, si Metropolitanum tuum hoc indigere videres, qui quantiscumque potes molitionibus certas, vt tuæ metropoli auctoritatem ex antiquo per sacras regulas attributam deroges, ac per hoc omnibus Metropolitanis debita iura tollas? Sicut enim Apostolus Corinthiis dicit, *Et si* 1.Cor.9.
aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum Apostolatus mei vos estis in Domino. & si aliis primas fortè non essem, tibi tamen apud te primas esse debueram. nam signaculum primatus mei tu es, quem sine interrogatione primatis alterius, cum consensu Coepiscoporum Remensis prouinciæ, potui ordinare Episcopum. qui me tunc vehementer ac inhianter cupiebas esse primatem totius prouinciæ, tantùm vt vel in vno oppidulo posses esse Episcopus, & etiam, si vellem & auctoritas ac ratio foret, honoris ac potestatis cupidus, vicanus fieri consentires Episcopus, qui Græcè vocatur Chorepiscopus, sicut nunc paret, qui humilitatis ministerio, ac potestate abuteris in cupiditatis ac superbiæ vanitate.

Matth.28.

CAP. XVII. *De rebellione minorum ſacerdotum ergà potiores, & de Conſtantinopolitana ſede reluctante aduerſus Apoſtolicam.*

ET cùm hæc ita ſe habeant, non miror ſi te ad hoc potuit prouocare, vt aduerſum me tumeres, & nolles ſecundùm diuinam diſpoſitionem eſſe ſubiectus, qui conditori ſuo nolens ſubici, de cælo cum ſuis complicibus in hunc caliginoſum aërem miſerabiliter eſt deiectus, æternis ſuppliciis cruciandus. Nam & in veteri teſtamento minoris dignitatis ſacerdotes contra potiores ſuos ſe eleuauerunt, Chore ſcilicet cum ſuis complicibus: vnde vindictam debitam à Domino ſuſceperunt, ſicut veneranda narrat hiſtoria. In nouo nihilominus teſtamento, inter ſacros ordines legimus ſeditiones exortas. & primùm quidem diaconibus ſe aduerſus preſbyteros, itémque preſbyteris & Chorepiſcopis aduerſus Epiſcopos efferentibus, vnde nunc neceſſe non habemus ſermonem in longum protrahere, quæ nouimus à ſacris canonibus eſſe compoſita. Tantùm de Epiſcopali ordine dicamus, quem etiam ignis cupiditatis, & rapina altitudinis adeò potuit inflammare, ſicut ſcriptum eſt, *Aperi Libane portas tuas, & conſumat ignis cedros tuas*, vt quique Dei ordinationi reſiſtere non metuerunt, & cùm obtinere non potuerunt, vt ſibi præpoſitis non ſubeſſent, etiam hæreſes & ſchiſmata condiderunt, ſéque ipſos ab vnitate Eccleſiæ proiecerunt, ſicut multis documentis oſtendere poſſumus. Rebellantes quoque Epiſcopi aduerſus Metropolitanos ſiue Archiepiſcopos ſuos, (his enim duobus nominibus huius excellentiæ dignitas deſignatur,) itémque Metropolitani vel Archiepiſcopi aduerſus primates vel patriarchas, qui in his duobus nominibus vno prioratu funguntur, ſed & quidam Archiepiſcopi vel Metropolitani primates prouinciarum, multotiens in ſacris canonibus inueniuntur: illi videlicet, qui in loco defunctorum Archiepiſcoporum vel Metropolitanorum, ab Epiſcopis vniuſcuiuſque prouinciæ, ſine interrogatione alterius primatis præualent ordinari, & ex antiquæ conſuetudinis lege, à ſede Apoſtolica pallij ſolent genio inſigniri, & in loco decedentium Epiſcoporum, ſine conſultu vel licentia primatis alterius, in ſua prouincia quique poſſunt Epiſcopos ordinare, ſicut ſanctus Gregorius ſcribens ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, euidenter oſtendit, In Galliarum, inquiens, Epiſcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædeceſſorum meorum temporibus pallium Arelatenſis Epiſcopus accepit, quem nos priuare auctoritate percepta minimè debemus.] Et poſt aliquanta, Ipſe auctoritate propria Epiſcopos Galliarum iudicare non poteris, ſed ſuadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eis imitanda monſtrando, prauorum mentes ad ſanctitatis ſtudium reforma;

Marginalia: Num. 16. — Zach. 11. — Lib. XII. epiſt. 31. Interrog. 9.

quia ſcriptum eſt in lege, *Per alienam meſſem tranſiens, falcem mittere non debes, ſed manu ſpicas conterere & manducare.* Falcem enim iudicij mitere non potes in ea ſegete, quæ alteri videtur eſſe commiſſa: ſed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum ſuorum paleis expolia, & in Eccleſiæ corpus monendo & perſuadendo, quaſi mandendo conuerte. Quando verò ex auctoritate agendum eſt, cum prædicto Arelatenſi Epiſcopo agatur, ne prætermitti poſſit hoc quod antiqua patrum inſtitutio inuenit.] Et quod de hoc vno primate Gallicano, qui à ſede Apoſtolica pallium acceperat, dixit, hoc & de reliquis Galliarum, & Belgicorum, atque Germanicorum primatibus eſt vtique intelligendum. Inter quos, ſicut & inter reliquos Epiſcopos, hæc conditio regularis ſeruatur, vt qui priùs fuerit ordinatus, prior habeatur, velut idem ſanctus Gregorius in epiſtola ad præfatum Auguſtinum patenter oſtendit. De quibus primatibus & Africæ prouinciæ Concilia dicunt, Quiſquis, inquiens, Epiſcoporum accuſatur, ad primatem prouinciæ ipſius cauſam deferat accuſator.] & item, Qui prouocandum putauerint, ad primates ſuarum prouinciarum, ſicut & de Epiſcopis ſæpè conſtitutum eſt, prouocent.] & item, Quòd ſi & ab eis, ſcilicet vicinis Epiſcopis, prouocandum putauerint, non prouocent niſi ad Africana Concilia, vel ad primates prouinciarum ſuarum.] Et item, Vt vnaquæque prouincia propter longinquitatem primatem habeat proprium. Placuit vt Mauritania Sitifenſis, vt poſtulauit primatem prouinciæ Numidiæ, ex cuius cœtu ſeparatur, ſuum habeat primatem, quem conſentientibus omnibus primatibus prouinciarum Africanarum, vel omnibus Epiſcopis, propter longinquitatem habere permiſſa eſt.] Et Epiſcopus qui ad Synodum non occurrerit, ad primatem ſuum iubetur rationem impedimenti ſui reddere: & ille primas debet dare iudices, in cuius prouincia locus eſt conſtitutus, & cauſæ finiendæ ſunt per iudices Epiſcopos, ſiue quos primates dederint, ſiue quos inter ſe conquirentes vicinos ex conſenſu delegerint. Et Epiſcopi trans mare proficiſci non debent, niſi conſulto primæ ſedis Epiſcopo ſuæ cuiuſque prouinciæ.] S. quoque Zoſimus vniuerſis Epiſcopis per Gallias & ſeptem Prouincias conſtitutis ſcripſit, Quia quiſquis, prætermiſſa metropolitani ſui formata, ſiue ille Epiſcopus, ſeu presbyter, ſiue diaconus, aut deinceps inferioris gradus ſit, ad eum peruenerit, ſciat ſe ſuſcipi omnino non poſſe.] Et Hilarus Papa in decretis ad quinque prouincias, Illud etiam non potuimus præterire, quod ſollicitudine diligentiore curandum eſt, ne præter metropolitanorum ſuorum litteras, aliqui Epiſcopi ad quamlibet prouinciam audeant proficiſci, quod etiam in omni genere officij clericalis per ſingulas debet Eccleſias cuſtodiri.] Et ſanctus Gregorius ad Vincentium & ceteros Epiſcopos ſcribit: Hortamur, inquiens, fraternitatem veſtram, vt ſi quemquam veſtrûm pro cauſis propriis

Conc. Carthag. c. 19.

African. can. 92.

Conc. Carth. can. 17.

Conc. Carthag can. 23

Epiſt. v.

Epiſt. VIII.

Lib VII. epiſt. 8. Indict. II.

vbicumque longiùs compulerit ambulare necessitas, à Metropolitano vestro secundùm inditam à sanctis Patribus regulam, petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis, excepto si, quod non optamus, contra eundem Metropolitanum vestrum vos habere aliquid causæ contigerit, vt ob hoc sedis Apostolicæ iudicium hi qui petere festinant licentiam habeant, quod scitis per canones, etiam antiquorum Patrum institutione permissum.] In promptu est enim illum de Sardicensibus canonibus dicere, de quibus & Innocentius ad Victricium memorat, & hinc multotiens idem beatus Gregorius in epistolis suis ad Gallicanos & ad alios Episcopos scripsit. Sed & leges Romanæ à Iustiniano Imperatore promulgatæ, quas probat Ecclesia, decernunt de Episcoporum sine Metropolitani sui auctoritate profectione. Cuius partem constitutionis hîc, quantum conuenire putaui, subiunxi hoc modo: Non liceat Episcopis suas quidem Ecclesias relinquere, in alienas autem prouincias peruenire: sin autem ex causa fecerint necessaria, ostendant vel litteras patriarchæ aut Metropolitani sui, & reliqua.]
Cap. 9. Et secundùm canones Sardicenses, De qualibet prouincia Episcopi ad eum fratrem & Coepiscopum preces mittere debent, qui in me-
Cap. 4. tropoli consistit, si longiùs ire voluerint.] De quibus primatibus ac metropolitis Nicænum dicit Concilium, Episcopum, inquiens, conuenit maximè quidem ab omnibus qui sunt in prouincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum conuenientibus, & omnibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur: firmitas autem eorum quæ geruntur, per vnamquamque
Cap. 6. prouinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo. Illud autem generaliter clarum est, quòd si quis præter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus diffiniuit Episcopum
Epist. 1. esse non oportere.] Et hinc Innocentius ad Victricium scribit, Primùm, inquiens, vt extra conscientiam Metropolitani, Episcopum
Epist. 59. nullus audeat ordinare.] Et Leo ad Theodorum Episcopum, Sollicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, vt cum Metropolitano tuo de eo quod quærendum esse videbatur conferres. Quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine optimatibus oportet impleri.] In quo Metropolitanorum, & Archiepiscoporum, atque primatum ordine, inuenitur in sacris canonibus quædam honoris consequentia, de qua mysti-
Conc. Nic. can. 5. ca Nicæna Synodus statuit, vt Æliæ, id est Hierosolymorum, honoretur Episcopus. Videlicet, vt quæ gratia mysteriorum domini Dei regis & sacerdotis nostri Iesu Christi, ciuitas sancta meruit appellari, etiam eius Episcopus consequentiam honoris haberet. Quia, inquit Nicænum Concilium, consuetudo obtinuit & antiqua traditio, vt Æliæ

Epi-

Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam, salua metropoli propria dignitate. Et hac constitutione ipsius ciuitatis Episcopus inter Patriarchas & primates meruit computari, salua metropolis propria dignitate: sicut & Constantinopolis ciuitas, quæ antè Lychos vel Byzantium dicebatur, Heracleotis suffraganea, sanctione imperiali, & consensu Apostolicæ sedis ac generalis Synodi, salua metropoli propria dignitate, æquè inter Patriarchas vel primates decreta est computari. Quam honoris consequentiam, salua metropoli dignitate, & beatus Gregorius seruari ostendit, quando Syagrio Augustodunensi Episcopo petenti pallium, pro genio & honore Ecclesiæ suæ tribuit dicens, Ne indumenti huius munificentiam tibi nudam videamur quoquo modo contulisse, hoc etiam pariter perspeximus concedendum, vt metropoli suo per omnia loco & honore seruato Ecclesiæ, ciuitas Augustodunum, cui omnipotens Deus præesse te voluit, post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat, & hunc sibi locum ac ordinem ex nostræ auctoritatis indulgentia vindicare. Ceteros verò Episcopos secundùm ordinationis suæ tempus sibi ad consedendum in Concilio, seu ad subscribendum, vel in qualibet alia re, sua tenere loca decernimus, & suorum sibi prærogatiuam ordinum vindicare: quia omnino rationis ordo nos admonet, vt cum vsu pallij aliqua simul largiri priuilegia debeamus.] Hos namque, qui huiusmodi priuilegia, siue per imperialem pragmaticam formam, siue per pallij ab Apostolica sede largitionem, adepti sunt, Græci secundos Metropolitanos appellant, de quibus & in gestis Chalcedonensis Concilij, & in eiusdem Synodi canonibus, & decretis Innocentij inuenimus. Quibus & aliis sacrorum canonum, & decretis sedis Romanæ claret sententiis, eosdem Metropolitanos primates esse singulos singularum prouinciarum, qui ex antiqua vt præmisimus consuetudine, & Apostolica traditione, secundùm sacros Nicænos canones, & conuocare Synodos, & ordinare Episcopos, & ordinari à prouincialibus Coepiscopis sine cuiusquam alterius primatis interrogatione possunt, & disponere regulariter quæque per suas prouincias queunt. Quorum etiam priuilegium Antiocheni canones manifestant, dicentes ad Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius prouinciæ pertinere, qui ad tollendam controuersiam inter Episcopos suæ prouinciæ exortam, à vicina prouincia debet iudices alios conuocare. Illi autem Archiepiscopi, vel metropolitani, qui hæc sine consultu primatis non possunt exequi, Archiepiscopi tantùm vel Metropolitani habentur, sicut & in gestis Chalcedonensis Concilij, & in eiusdẽ Synodi canonibus, & decretis Innocentij, & in epistola Leonis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum inuenimus. Ait enim Innocentius ad Alexandrum Antiochenum Episcopum, Reuoluentes, inquiens, auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna omnium per or-

Lib. VII. epist. 112. Indict. II.

Cap. 9.

Epist. 18.

bem terrarum mentem explicat sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire. quia super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam aliam prouinciam recognoscimus constitutam.] Et post aliquanta, Itaque arbitramur, frater charissime, vt sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & ceteros non sine permissu conscientiáque tua sinas Episcopos procreari.] In quibus hunc modum rectè seruabis, vt longè positos litteris datis ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tantùm ordinant arbitratu: vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas peruenire. quorum enim te maximè spectat cura, præcipuè tuum debent mereri iudicium.] Et Leo scribens ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, euidenter ostendit quam prælationem primas Metropolitanorum ex delegatione Apostolicæ sedis habere debeat, dicens, De persona consecrandi Episcopi, & de cleri plebísque consensu, Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat, quódque in prouincia bene placuit scire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Metropolitano verò defuncto, cùm in loco eius alius fuerit subrogandus, prouinciales Episcopi ad ciuitatem metropolim conuenire debebunt, vt omnium clericorũ atque omnium ciuium voluntate discussa, ex presbyteris eiusdem Ecclesiæ, vel ex diaconibus, optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam prouinciales referant sacerdotes, impleturi vota poscentium, cùm quod ipsis placuit tibi quoque placuisse cognouerint.] Et item, In euocandis à te Episcopis moderatissimum esse te volumus, ne per maioris diligentiæ speciem fraternis gloriari videaris iniuriis. Vnde si causa aliqua maior erit, ob quam rationabile ac necessarium sit fraternum aduocare conuentum, binos de singulis prouinciis Episcopos, quos Metropolitani crediderint esse mittendos, ad fraternitatem tuam venire sufficiat, vt non ampliùs ab statuto Concilij tempore quàm dies quindecim remorentur Episcopi.] Quos Metropolitanos contra suos Primates se eleuasse in gestis Chalcedonensis Synodi reperimus, quósque eadem Synodus iustè redarguit, & auctoritate repressit. Patriarchas quoque vel primates, qui duobus his nominibus in vnius prioratus funguntur officio, non solùm aduersus tertiam & secundam sedem, verùm & contra primam & Apostolicam sedem legimus extulisse, adeò vt Episcopus Constantinopolitanæ ciuitatis, olim Heracleotis suffraganeæ, contra regulas tertiæ sedis Episcopum ordinare præsumpserit, & secundæ sedi se à Synodo & ab Imperiali potestate præferri contra regulas obtinuerit. Et quia mens potentiæ auida non potest concessis sibi limitibus esse contenta, ad hoc vsque prorupit, vt contra primam & Apostolicam sedem vniuersalem vocari se fecerit, sicut in epistolis magni Leonis Papæ, ac beati Gregorij, & nuper Nicolai relegimus. Cuius pro-

Epist. 88.

fani vocabuli præſumptio, rapina ſcilicet altitudinis, qualiter repulſa ſit à beato Leone, vnà cum arrogantia appellationis indebitæ à Conſtantinopolitano Epiſcopo vſurpatæ, quia tuæ compilationis perplexitas eius dicta alibi exigit ponere, ſuo loco inuenies. Et quid de eodem vocabulo beatus Gregorius ſenſerit & decreuerit, hîc pro loci opportunitate duxi ponendum, cuius verba latiùs ac pleniùs in eiſdem epiſtolis, de quibus hîc quædam defloraui, lector poterit inuenire. Ait enim in epiſtola ad ipſum Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui ſe vniuerſalem Epiſcopum ſatagebat vocari, Rogo, inquiens, deprecor, & quanta poſſum dulcedine expoſco, vt fraternitas veſtra cunctis ſibi adulantibus atque erroris nomen deferentibus contradicat, nec ſtulto ac ſuperbo vocabulo appellari conſentiat.] & item, Perpende rogo quia in hac præſumptione temeraria pax totius turbatur Eccleſiæ, & gratiæ contradicitur communiter omnibus effuſæ.] & item, Quis rogo in hoc tam peruerſo vocabulo niſi ille ad imitandum proponitur, qui deſpectis Angelorum legionibus ſecum ſocialiter conſtitutis, ad culmen conatus eſt ſingularitatis erumpere, vt & nulli ſubeſſe, & ſolus omnibus præeſſe videretur?] & item, Certè Petrus Apoſtolorum princeps membrum ſanctæ & vniuerſalis Eccleſiæ, Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm ſingularum ſunt plebium capita, & tamen ſub vno capite omnes membra, atque vt cuncta breui cingulo locutionis adſtringam, ſancti ante legem, ſancti ſub lege, ſancti ſub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris ſunt Eccleſiæ conſtituti, & nemo ſe vnquam vniuerſalem vocari voluit. Veſtra ergo ſanctitas agnoſcat quantum apud ſe tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præſumpſit, qui veraciter ſanctus fuit. Numquid non, ſicut veſtra fraternitas nouit, per ſanctum & venerandum Chalcedonenſe Concilium huius Apoſtolicæ ſedis Antiſtites, cui Deo diſponente deſeruio, vniuerſales oblato honore vocati ſunt? Sed tamen nullus vnquam tali vocabulo appellari voluit, nullus ſibi hoc temerarium nomen arripuit, ne ſi ſibi in pontificatus gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegaſſe videretur.] & item, Quid ergo, frater cariſſime, in illo terribili examine venienti iudici es dicturus, qui non ſolùm pater, ſed etiam generalis pater in mundo vocari appetis? Ecce ex hoc nefando elationis vocabulo Eccleſia ſcinditur, fratrum omnium corda ad ſcandalum prouocantur.] Et in epiſtola ad Sabinianum diaconum in Conſtantinopoli reſponſalis fungentem officio, Ad hoc, inquit, vſque peruenit, (quin Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus) vt ſub occaſione preſbyteri Ioannis geſta huc tranſmitteret, in quibus ſe penè per omnem verſum œcumenicum patriarcham nominaret.] & poſt aliquanta, In iſto enim ſceleſto vocabulo conſentire nihil eſt aliud quàm fidem perdere. vnde ſicut tibi

Lib. 4. ind. 13. epiſt. 38.

Lib. 4. ind. 13. epiſt. 39.

iam transactis epistolis scripsi, nunquam cum eo procedere præsumas.] & ad Constantinam Augustam, Cùm se noua præsumptione atque superbia idem frater meus vniuersalem Episcopum appellet, ita vt sanctæ memoriæ decessoris mei tempore adscribi se in Synodo tali hoc superbo vocabulo faceret, quamuis cuncta acta illius Synodi sede Apostolica contradicente soluta sint: triste mihi aliquid serenissimus Dominus innuit, quòd non eum corripuit qui superbit, sed me magis ab intentione mea declinare studuit, qui in hac causa Euangeliorum & canonum statuta humilitatis atque rectitudinis virtute defendo. Qua in re à prædicto fratre & consacerdote meo, contra Euangelicam sententiam, contra beatum quoque Petrum Apostolum, & contra omnes Ecclesias, contráque canonum statuta agitur.] & paulo pòst, Triste tamen valdè est, vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus prædictus frater & Coepiscopus meus solus conetur appellari Episcopus. Sed in hac eius superbia quid aliud nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designantur?]

Lib.4.ind. 13.epist.34.

Et in epistola ad Eulogium Alexandrinum, & ad Anastasium Antiochenum Episcopos, à pari. Sicut, inquit, veneráda mihi vestra sanctitas nouit, per sanctam Chalcedonensem Synodum Pontifici sedis Apostolicæ, cui Deo disponente deseruio, hoc vniuersitatis nomen oblatum est. Sed nullus vnquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit: quia videlicet, si vnus patriarcha vniuersalis dicitur, patriarcharum nomen ceteris derogatur. Sed absit hoc, absit à Christiani mente, id sibi velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacumque parte videatur. Cùm ergo nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere, pensate quàm ignominiosum sit hunc sibi quempiam violenter vsurpare voluisse. Propterea sanctitas vestra in suis epistolis neminem vnquam vniuersalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cùm alteri honorem offert indebitum.] & item, Si enim hoc dici licenter permittitur, honor patriarcharum omnium negatur: & cùm fortasse is in errore perit qui vniuersalis dicitur, nullus iam Episcopus remansisse in statu veritatis inuenitur. Obtestor ergo vt constanter ac sine præiudicio seruetis sicut accepistis Ecclesias, & nihil sibi in vobis hæc tentatio diabolicæ vsurpationis adscribat. State fortes, state securi, scriptáque cum vniuersalis nominis falsitate, nec dare vnquam, nec suscipere præsumatis. Omnes Episcopos curæ vestræ subiectos ab huius adulationis inquinatione prohibete. Vniuersa vos Ecclesia Patriarchas, non solùm in bonis operibus, sed etiam in veritatis auctoritate cognoscat. Si qua autem forsan aduersa subsequantur, vnanimiter persistentes, etiam moriendo debemus ostendere, quia in generalitatis damno nostrum specialiter aliquid non amamus. Dicamus cum Paulo, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Audiamus quod primus omnium pastorum dicit, *Si quid*

Lib.4.ind. 13.epist.36.

Philip.1.

1.Petr.3.

patimini propter iustitiam, beati eritis. Mihi enim credite, quia honorem quem pro prædicanda veritate suscepimus, si necessitatis causa exigat, securiùs pro eadem veritate relinquimus quàm tenemus. Pro me autem, sicut vestram carissimam beatitudinem decet, orate vt hoc quod vobis loqui audeo, operibus ostendam.] Et item in epistola ad Eulogium Alexandrinum Episcopum: Indicare quoque vestra beatitudo studuit, iam se quibusdam non scribere superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, & mihi loquitur dicens, *Sicut iussistis.* Quod verbum iussionis peto à meo auditu remouete, quia scio qui sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo iussi, sed quæ vtilia visa sunt, indicare curaui. Non tamen inuenio vestram beatitudinem hoc ipsum, quod memoriæ vestræ intuli, perfectè tenere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere, & ecce in præfatione epistolæ, quam ad meipsum qui prohibui direxistis, superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra vltra non faciat, quia vobis subtrahitur quod alteri plusquam ratio exigit præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus: nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est, honor vniuersalis Ecclesiæ, meus honor est, fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc. recedant verba quæ vanitatem inflant, & caritatem vulnerant. Et quidem in sancta Chalcedonensi Synodo, atque pòst à subsequentibus patribus, hoc est decessoribus meis, oblatum vestra sanctitas nouit. Sed tamen nullus eorum vti hoc vnquam vocabulo voluit: vt dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum.] Et in Epistola ad diuersos Archiepiscopos à pari, Cognoscat fraternitas vestra, Ioannem quondam Constantinopolitanæ ciuitatis antistitem, contra Deum, contra pacem Ecclesiæ, in omnium despectu & iniuria sacerdotum, modestiæ ac mensuræ suæ terminos excessisse, & inlicitè in Synodo superbum ac pestiferum œcumenicum, hoc est vniuersalis, sibi vocabulum vsurpasse. Quod beatæ recordationis Pelagius decessor noster agnoscens, omnia gesta eiusdem Synodi, præter illa quæ illic de causa venerandæ memoriæ Gregorij Episcopi Antiocheni sunt habita, valida omnino destructione cassauit, districtissima illum increpatione corripiens, vt se à nouo & temerario superstitionis nomine cohiberet. adeo vt suum cum eo diaconum, nisi tantum nefas emendaret, procedere prohiberet. Cuius nos rectitudinis zelo per omnia inhærentes, statuta ipsius sine refragatione, Deo protegente, seruamus:

Lib.7.ind. 1.epist.4.

Lib. VII. Indict. 2. epist. 69.

quia dignum eſt, vt rectam deceſſoris viam greſſibus inoffenſis incedat, qui de eodem loco ad reddendam rationem æterni iudicis tribunal expectat.] Et paulo pòſt, Hortor atque ſuadeo, vt nullus veſtrûm hoc nomen aliquando recipiat, nullus conſentiat, nullus ſubſcribat, nullus vbi fuerit ſcriptum admittat, vel ſubſcriptionem ſuam adiiciat, ſed ſicut omnipotentis Dei miniſtros decet, integrum ſe ab huiuſmodi venenata infectione cuſtodiat, & callido inſidiatori in ſe locum non præbeat, quoniam hoc & in totius Eccleſiæ iniuria ac diſciſſione, & ſicut diximus, in omnium veſtrûm deſpectu fit. Nam ſi vnus, vt putat, vniuerſalis eſt, reſtat vt vos Epiſcopi non ſitis.] & poſt aliquanta, Nam ſi quis, quod non credimus, ſcripta præſentia aliqua in parte neglexerit, à beati Petri Apoſtolorum principis pace ſe nouerit ſegregatum. Ita ergo veſtra fraternitas agat, vt cùm paſtor paſtorum in iudicio venerit, de loco regiminis quem accepit, reatum habere non poſſit.] Et in epiſtola ad Cyriacum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Ioannis Epiſcopi ſucceſſorem, In hoc, inquit, vos medullitus amplectimur, in hoc ſacerdotes eſſe recognoſcimus, ſi repulſa vanitate verborum, ſanctitatis locum cum ſancta humilitate teneatis. Ecce enim in nefandi appellatione nominis ſcandalizati ſumus, & non minimas querelas ſeruamus in mente, promimus in voce. Veſtra autem fraternitas nouit, quia veritas dicit, *Si offers munus tuum ad altare*, & reliqua. Qua in re penſandum, quia cùm omnis culpa oblato ſacrificio deletur, tantum eſt malum ſcandali alieno corde generati, vt ab eo qui peccauerit, nec ipſum ſacrificium Dominus accipiat, quod delere peccatum ſolet. Curate ergo cordis noſtri ſcandalum feſtinè detergere, vt poſſit omnipotens Deus oblationis veſtræ ſacrificium acceptabile habere.] & item in alia epiſtola ad eundem, Oportet, inquit, vt mihi, atque omnibus fratribus veſtris, eius caritatis pulchritudinem in hoc primùm opere monſtretis, vt verbum ſuperbiæ, per quod graue ſcandalum in Eccleſiis generatur, auferre feſtinetis, hoc modis omnibus implentes quod ſcriptum eſt, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. & rurſum, Nullam occaſionem dare aduerſario maledicti gratia. Tunc enim oſtenſa caritas vera eſt, ſi per typhum ſuperbiæ inter nos ſciſſura non fuerit. Ego enim Ieſum teſtem inuoco in anima mea, quia à ſummo vſque ad vltimum nulli hominum dare ſcandali occaſionem volo: omnes eſſe magnos & honorabiles cupio, quorum tamen honor honori non detrahit omnipotentis Dei. Nam quiſquis ſe contra Deum honorari appetit, mihi honorabilis non eſt.] & paulo pòſt, Quia hoſtis omnipotentis Domini Antichriſtus iuxta eſt, ſtudioſè cupio ne proprium quid inueniat, non ſolùm in moribus, ſed neque in vocabulo ſacerdotum. Ea ergo quæ nouo modo introducta ſunt, ipſo ordine quo inlata ſunt auferantur, & pax

Lib. 6. ind. 15. epiſt. 4.

Matt. 5.

Lib. 6. ind. 15. epiſt. 28

Epheſ. 4.

1. Tim. 5.

nobis in Domino inlibata permanebit. Nam quæ erit inter nos dulcedo, quæ caritas, si nosmetipsos voce refouemus, & rebus pungimus?] Et in epistola ad Mauritium Augustum, Eundem, inquit, fratrem & consacerdotem meum (quin Cyriacum Constantinopolitanum Episcopum) studiosè admonere curaui, vt si habere pacem omnium concordiámque desiderat, ab stulti vocabuli se appellatione compescat. De qua re mihi in suis iussionibus dominorum pietas præcepit dicens, vt pro appellatione friuoli nominis inter nos scandalum generari non debeat. Sed rogo vt Imperialis pietas penset, quia alia sunt friuola valdè innoxia, atque alia vehementer nociua. Numquid non, cùm se Antichristus veniens Deum dixerit, friuolum valdè erit? sed tamen nimis perniciosum. Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ: si verò pondus iniquitatis, vniuersa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quisquis se vniuersalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se ceteris præponit. nec dispari superbia ad errorem ducitur: quia sicut peruersus ille Deus videri vult super homines, ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit super reliquos sacerdotes. Sed quoniam veritas dicit, *Omnis qui se exaltat humiliabitur*, scio quia quælibet elatio tanto citiùs rumpitur, quanto ampliùs inflatur. Illis ergo pietas vestra præcipiat, ne quod per appellationem friuoli nominis scandalum gignant, qui in superbia & typho ceciderunt. Nam peccator ego, qui auctore Deo humilitatem teneo, admonendus ad humilitatem non sum.] Et in epistola ad Anastasium Antiochenum Episcopum, In suscipienda fratris & consacerdotis nostri Cyriaci Synodica epistola dignum non fuit vt pro causa profani vocabuli moras facerem, ne vnitatem sanctæ Ecclesiæ perturbarem. sed tamen de eodem superstitioso & superbo vocabulo eum admonere studui, dicens quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apostata inuenit. Vos tamen eandem causam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter portamus, vniuersæ Ecclesiæ fidem corrumpimus. Scitis enim quanti, non solùm hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana Ecclesia sunt egressi. & vt de honoris vestri iniuria taceam, si vnus Episcopus vocatur vniuersalis, vniuersa Ecclesia corruit, si vnus vniuersus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc leuitas ab auribus meis. In omnipotente autem Domino confido, quia quod promisit citiùs impleturus est, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.*]

Lib.6.ind. 15.epist.30.

Luc.14.

Lib.vi. epist.24.

CAP. XVIII. *Quod insanæ mentis homines per indiscretionem in scripturis sanctis errauerunt.*

HANC Euangelicam sententiam, frater, intelligenter attende, & tenaciter mente reconde: sed & illam beati Gregorij, quam vt paulo antè legisti, huic Euangelicæ sententiæ subiunxit dicens, Scio quia quælibet elatio tanto citiùs rumpitur, quanto ampliùs inflatur.] Recognosce igitur modum & mensuram tuam, tibi à Deo per canones sacros decretam, & esto humilis in oculis tuis, atten-
1.Reg.15.17 dens quod Dominus dixit Sauli, *Nonne cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in Israel feci te?* Nunc quia magnus es apud te, *abieci te ne sis Rex.* Et istos veteres & emortuos cineres, à sacris canonibus dudum sepultos, eorum qui contra prælatos suos rebellauerunt, moliri desiste resuscitare. Sed timeo quoniam ea quæ vera & humilia sunt videre non poteris, albuginem habens in oculo, id est arrogantiam
Leuit.21. in mente. vnde Dominus ad Moysem dicit, *Qui habuerit albuginem in oculo, non offerat panes Deo suo, nec accedat ad ministerium eius.* Qua de re inculco tibi sententiam beati Augustini ad Iulianum Episcopum iuuenem, & per superbiam malè sentientem, ab Ecclesia catholica segregatum, in alio scripto iam à te lectam, sed vtinam non neglectam. Quando, inquit, animositatem qua teneris viceris, tunc veritatem poteris tenere qua vinceris.] Quam scilicet veritatem si relicta animositate non tenueris, discretionem in sanctis scripturis & in sacris regulis habere non poteris, sicut nec illi qui eas discretè intelligere noluerunt, & ideò errauerunt quidam eorum, voces earundem scripturarum non discernendo. sicut hoc quod
Ioan.c.10. Dominus dicit, *Ego & pater vnum sumus*, Arrius dictum de vnitate substantiæ *vnum* intelligere noluit, Sabellius ad personarum proprietatem *sumus* non retulit, & vterque idcirco errauit. In vnitate quoque vnius eiusdémque personæ ex duabus & in duabus substantiis, id est naturis, diuinitatis scilicet & humanitatis, subsistens Dominus noster Iesus Christus, hoc quod item dixit, *Pa-*
Ioan.14. *ter maior me est,* Arrius non humanitati, sed diuinitati adscripsit, & ideo indignam vitam digna morte finiuit. Quidam verò eorum easdem scripturas malè interpretando, sicut beatus Petrus de sancti
2.Pet.3. Pauli Epistolis dixit, *In quibus*, inquiens, *sunt quædam difficilia ad intelligendum, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Difficilia autem intellectu in Epistolis Pauli, quæ ab indoctis & instabilibus dicit deprauata, illa sunt maximè, in quibus de gratia Dei loquitur, quæ iustificat impios, hoc est ex impiis facit iustos. Dicit enim ipse Pau-
Rom.5. lus, *Vbi autem abundauit peccatum, superabundauit gratia.* quod indocti & instabiles non intelligentes, putabant eum dicere, faciamus mala,

mala vt veniant bona. Absit autem, vt Paulus suos auditores ad promerenda bona doceat facere mala, cuius omnis intentio est à malis coercere, & ad bona agenda quoscumque potest aduocare. Sed cùm dicit, Vbi autem abundauit peccatũ, superabundauit gratia, donum gratiæ per hoc vehementiùs commendat, quæ & magna solet conuersis & minora dimittere peccata: & quanto quis maiora ante conuersionem peccata commisit, tanto maiorem gratiæ donantis indulgentiam cõuersus accipit.] Quidam autem ex eisdem scripturis quædã eraserunt, de quibus reuinci timebant, sicut cõstat Arrianos de Euangelio erasisse quod Saluator ait, *Quia Deus spiritus est*, quoniam credere nolebãt quòd Spiritus S. Deus esset omnipotens. Quidam etiam de epistola Ioannis eraserunt, *Et omnis spiritus qui soluit Iesum ex Deo non est*. ne scilicet per auctoritatem B. Ioannis reuincerentur. Vnde Nestorius nescire se prodidit hanc authenticis exemplaribus inditam fuisse sententiam, atque ideò soluere non timuit Iesum, dicens beatam virginem Mariam non Dei sed hominis tantùm genitricem, vt aliam personam hominis, aliam faceret deitatis: neque vnum Christum in Verbo Dei & carne atque anima credens, sed separatim alterum filium Dei, alterum hominis prædicans. Quidam nimirum ipsas scripturas verbis inlicitis imposturauerunt, sicut Macedonius Constantinopolitanus Episcopus, qui ab Anastasio Imperatore ideò à ciuitate expulsus legitur, quoniam falsauit Euangelia, & illum Apostoli locum vbi dicit, *Quod apparuit in carne, iustificatum est in spiritu*, per cognationem Græcarum litterarum Ο & Θ hoc modo mutando falsauit. Vbi enim habuit Qui, hoc est, Ο Σ, monosyllabum Græcum, littera mutata Ο in Θ vertit & fecit Θ Σ, id est, vt esset Deus apparuit per carnem. quapropter tamquam Nestorianus fuit expulsus. Et multa alia sunt in scripturis, de quibus malè intelligentes scandalum sibi sumpserunt: & quia noluerunt fieri discipuli veritatis, magistri sunt facti erroris. Sicut de hoc quod dicit Apostolus, *Mediator Dei atque hominum homo Christus Iesus*, quo testimonio ad auctoritatem hæresis suæ Photinus est vsus. & de Epistola ad Philippenses, *habitu repertus vt homo*, Marcion phantasiam corporis confessus est esse in Christo, non corpus. Sed & Agnoitæ hæretici hoc ad suum confirmandum errorem protulerunt quod dictum est, *De die autem & hora nemo scit, neque Angeli in cælis, nec filius, nisi pater solus*. & de hoc quod in Genesi scriptum est, *post noctem diem cœptum*, tenebras coæuas Deo, qui inaccessibilem lucem habitat, dixerunt hæretici. Et ex eo quod ibi dictum est, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, Diabolus primum hominem idololatriam docuit dicens, *Eritis sicut dij*. Et quia Mathusalæ anni ætatem diluuij excedunt, non tantùm octo animæ reseruatæ sunt dictæ. Et clamores Sodomorum repletis iam peccatis Deus audiens, tamquam ignorans clamorem, descendit vt videret an plena essent. Et quòd Moysi sepulchrum nemo scierit,

Rom. 3. Ioan. 4. 1. Ioan. 4. 1. Tim. 3. 1. Tim. 2. Cap. 2. Matth. 24. Cap. 1. Ibid. Gen. 3.

nec etiam ſepelientes ſepultum. & lex diuerſa ſibi ipſi ſit hoſtis. & Dominus non mittere potuerit Spiritum ſanctum, de quo ipſe natus legatur. nec mortem gladio vſuris denuntiauerit, qui gladium paſſurus emi præcepit. nec ad inferos deſcendit, qui in paradiſo cum latrone intrauit. & Apoſtoli reperiuntur in crimine, qui baptizare in nomine patris & filij & Spiritus ſancti iuſſi, tantùm in Ieſu nomine baptizauerunt. & de hoc quod dictum eſt, *Ego Deus creans mala.* &, *Fecit omnia, & ecce bona valdè.* Et multa ſunt alia, quæ longum & non neceſſarium eſt nobis modò annumerare, de quibus ſapientiſſimè atque ſanctiſſimè dictis, inſulſi & ſcelerati tenebroſiſſimè perditionem ſuam adinuenerunt.

Iſai. 45. Gen. 1.

CAP. XIX. *Quòd in ſanctarum traditionum ſanctiones malè intelligentes errauerint.*

ET quia, vt Hilarus Papa dicit, Non minùs in ſanctarum traditionum ſanctiones delinquitur, quàm in ipſius Domini iniuriam proſilitur, de Eccleſiaſticis regulis quidam ſumpſerunt ſcandala, & hæreſes ac ſchiſmata condiderunt, ſicut Meletius à Synodo Ægypti Epiſcoporum depoſitus, à quo Meletiani ſunt dicti, qui ab eo poſt depoſitionem ſuam fuerunt ordinati, quos Nicæna Synodus ſub conditione in gradibus ſuis recepit, ea neceſſitate, ne cum Arrianis cum quibus iuncti fuerant remanentes, acriùs Eccleſiam catholicam impugnarent. Sed & Nouatianos æquè ſub conditione Synodus prædicta recepit. Hæc enim hæreſis à Nouato preſbytero Romanæ tunc Eccleſiæ, poſtea autem contra regulas à conſortibus ſuis facto Epiſcopo, ſumpſit exordium. Qui Nouatus ſe ab Eccleſiæ Romanæ communione ſuſpendit, quoniam Cornelius Epiſcopus fideles, qui ſacrificauerant tempore factæ perſecutionis à Decio, immutata Concilij Epiſcopalis acerbiſſima ſententia, quam Innocentius in decretis ſuis commemorat, in communione receperat. Quorum ſcilicet Nouatianorum Epiſcopo, nomine Aceſio, Conſtantinus Imperator vocato ad Nicænum Concilium, & in dogmate fidei & Paſchalis feſtiuitatis conſentienti, ſed pœnitentes ad pœnitentiam recipere renuenti, Imperator mirabilis dixit, O Aceſi, pone ſcalam, & ſi potes aſcende ſolus in cælum. Ex qua condeſcenſione circa Nouatianos & Meletianos cauſa neceſſitatis proueniente, cùm illi, quos ante damnationem ſuam Bonoſus ordinauerat, in gradibus recepti fuerint, etiam eos qui à catholica ad hæreſim tranſierunt, & à Bonoſo damnato ordinati fuerunt, Aniſius quidam cum ſuis collegis recipi in ordinibus ſuis debere decreuit, ne cum eodem Bonoſo remanerent, ac non mediocre ſcandalum Eccleſiæ catholicæ fieret. quod ſanctus Innocentius diſſoluit & repulit. Et quia idem Concilium Paulianiſtas hæreticos ad Eccleſiam venientes baptizari præcepit,

Lib. 2. hiſt. trip. c. 13.

quidam etiam alios hæreticos baptizandos esse dixerunt, quod Apostolica sedes, & plenaria Concilia, (sicut decreta Romanorum Pontificum monstrant, & sanctus Augustinus verbis & sensibus copiosis libris ostendit,) penitùs abdicarunt. Sed & alia hinc deuocare in medium poteram, nisi prolixitatem vitarem.

CAP. XX. *Quòd in antiquis epistolis sedis Apostolicæ, sicut in legibus, quædam pòst abrogata vel immutata fuerint. De sex Synodis generalibus, & de septima apud Græcos, déque Synodo Francica, & epistolis Iulij Papæ ac Felicis.*

NE igitur causa indiscretæ intelligentiæ, de his quæ collegisti ad tuam intentionem firmandam, scandalum sumas, animaduertere debes, quia sicut de sacramentis humanæ salutis, quæ ab exordio mundi vsque ad aduentum Domini saluatoris pro temporum varietate diuersa, ad vnitatem tamen vnius fidei recurrentia extiterunt, quædam spiritaliter intelligenda sunt tradita, quædam verò immutata, & quædam penitùs abolita, quædam etiam permanent vt fuere decreta: ita nullum fuit tempus sæculi à sanctis alienum doctoribus, qui siue verbis, siue exemplis, siue etiam scriptis, viam vitæ mortalibus pro temporum varietate demonstrauerunt. Vnde sunt plura, non solùm in canonibus, atque in Romanorum Pontificum decretis, sed & in veteris ac noui testamenti sanctis scripturis, eodem spiritu inspiratis quo & sacri promulgati sunt canones, quæ quidem inter se contraria esse videntur, & non sibimet sunt contraria, sed pro temporum & rerum ac qualitate causarum disposita vel disponenda. vt Salomon coniunctim dicit, *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam*, &, *responde stulto iuxta stultitiam suam*: Et Dominus per Prophetam, *Nolo mortem peccatoris*, & de Heli filiis legitur, *quia non poterant patrem audire, quoniam voluit eos Deus occidere.* Et in Euangelio, *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* &, *nemo bonus, nisi solus Deus.* Et, *Venit filius hominis quærere & saluare quod perierat*, qui dicit, *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Et item discipulis dicit, *In viam gentium ne abieritis.* itémque, *Ite, docete omnes gentes.* Et, *Deus neminem tentat*, &, *tentat vos Dominus Deus vester.* Et Paulus, *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem*, itémque *sicut ego per omnia omnibus placeo.* Et item, *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis secundùm carnem.* & item, *Quis nos separabit à charitate Christi*, & reliqua. Quia *spiritus vnicus & multiplex, stabilis & mobilis*, vt in libro Sapientiæ scriptum est, per organum hominis sibi artissimum non simul & insemel omnia profert: & etiam ipsis sanctis discipulis, quia nemo hominum purus repentè fit summus, qui incessanter diuino adhærebant magisterio, per incrementa temporum fides & scientia est adaucta. qui & dixerunt, *Domine ad-*

Prou. 26. Ezech 33. 1. Reg. 2. Matth. 12. Luc. 18. Luc. 19. Matth. 15. Matth. 10. & 28. Iacob. 1. Deut. 1. Gal. 1. 1. Cor. 10. Rom. 9. Rom. 8. Sap. 7. Luc. 17.

Ioan.16. *auge nobis fidem.* & Dominus ipsis, *Adhuc*, inquit, *multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò: cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Sed & poſt legem naturæ data eſt lex litteræ populi congruens duritiæ, quæ propter tranſgreſſiones poſita eſt: quã lex Euangelij tempore poſterior ſed gratia prior eſt ſubſecuta, quæ per incrementa temporum ab Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus eſt propagata. Nam ſicut in Actibus Apoſtolorum legimus, primùm credentes de circumciſione, ſic Euangelij ſacramenta ſuſcipiebant, vt à legalibus ceremoniis non diſcederent: & quæſtione facta de Gentilibus, ſi credentes legis ceremonias obſeruare deberent, tria tantùm capitula ab Apoſtolis ſuſcepere ſeruanda. Deinde Apoſtolicæ ſedis Pontifices, ante conſtitutionem ſacrorum Conciliorum, & ſi non fide ſibi aduerſa, tamen ſtylo diuerſo, in ſuis Epiſtolis ad diuerſos pro diuerſis cauſis emergentibus datis, de Epiſcopis ſtatuere iudicia, conſiderantes qualitatem perſonarum, neceſſitatem rerum, & opportunitatem temporum. Vnde & Anacletus in epiſtola ad vniuerſos Epiſcopos in Italia conſtitutos dicit, Eiectionem, inquiens, ſummorum Sacerdotum ſibi Dominus reſeruauit, licèt electionem eorum bonis Sacerdotibus & ſpiritualibus populis conceſſiſſet.] ex quo aliter in præcedenti epiſtola ſcripſerat. Et Conſtantinum Imperatorem in Nicæna Synodo tale quid dixiſſe Tripertita narrat hiſtoria. Non ob id tamen dimiſit decernere Nicæna Synodus, Si quis, inquit, præter hæc fecerit, quaſi contra magnum Concilium ſe efferens, ipſe de clericatus honore periclitabitur.] In quo decreto cùm dicit *Si quis*, neminem tam de ſuperiori quàm inferiori ordine excipit, quod & in aliis euidenter oſtendit. Sed & idem Conſtantinus, & poſt eum alij orthodoxi Imperatores, leges de Epiſcopis promulgare non fuere cunctati. Sed & poſt Anacletum, quidam ante Nicænum Concilium, Iulius autem & alij quidam poſt Nicænum Concilium, iudicia Epiſcoporum ante diffinitionem ad ſedem Apoſtolicam referri iuſſerunt. Innocentius verò & ſucceſſores ipſius, poſtquam à ſacris Conciliis, & Romanæ ſedis Pontificibus, de certis capitulis expreſſiùs fuerunt decreta iudicia, de dubiis vel obſcuris ante iudicium, de certis autem atque decretis, (quoniam & Eccleſiaſticæ & publicæ leges confeſſum vel conuictum ſine dilatione vel retractatione iudicari præcipiunt,) poſt Epiſcopale iudicium, ſecundùm Sardicenſes canones, ſub geſtorum teſtificatione ad ſedem Apoſtolicam referri iuſſerunt. quorum decreta in vſu Eccleſiaſtico etiam à tempore maiorum noſtrorum præualuiſſe comperimus. Verùm & vt de legibus publicis quædam ſunt abrogata, quædam verò immutata, quædam etiam ſuperadiecta, ita nihilominus quædam decreta catholicorum pro tempore & ratione atque neceſſitate prolata, ſed poſtea abrogata vel immutata fuerunt: quod & Innocentius demonſtrat dicens, De his, inquiens, obſeruatio prior durior, poſterior

Marginal notes: Act.15. (beside "propagata. Nam sicut in Actibus"); Epiſt.2. (beside "uerſos Epiſcopos"); Can.2. (beside "Si quis, inquit")

interueniente misericordia inclinatior est,& reliqua.] Et Africæ prouinciæ canones de velatione virginum, & baptizatis paruulis à Donatistis, & de diœcesibus, aliter quàm primùm decretum fuerit diffinierunt. Et S. Gelasius, Priscis, inquit, pro suî reuerentia manentibus constitutis, quæ vbi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia, regulariter côuenit custodiri,& reliqua.] Et Innocentius longè antè ad Episcopos Macedones excusantes de temporis necessitate quod egerât, dixit, Ergo quod necessitas pro remedio reperit, necessitate cessante debet vtique cessare pariter quod vrgebat: quia alius est ordo legitimus, alia vsurpatio quam ad præsens fieri tempus impellit. & aduertite, quod vtique vt dicitis necessitas imperauit, in pace iam Ecclesias constitutas non posse præsumere.] Et Leo ad Rusticum Narbonensem Episcopum, Sicut quædam, inquit, sunt quæ nulla possunt ratione conuelli, ita nonnulla sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione seruata, vt in his, quæ vel dubia fuerint vel obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inueniatur aduersum.] Quas singillatim singulas formas & sanctus Paulus demonstrat ad Corinthios dicens, *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium*, & reliqua. *His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, vxorem à viro non discedere*, & sequentia. Et Concilium Africanum in vno capitulo de Donatistis ad locum, Propter Ecclesiæ pacem & vtilitatem, vt ex ipsis Donatistis, quicumque clerici correcto consilio ad catholicam vnitatem transire voluerint, secundùm vniuscuiusque Episcopi catholici voluntatem atque consilium qui in eodem loco gubernat Ecclesiam, si hoc paci Christianæ prodesse visum fuerit, in suis honoribus suscipiantur, sicut & prioribus eiusdem diuisionis temporibus factum esse manifestum est: non vt Concilium, quod in transmarinis partibus de hac re factum est, dissoluatur, sed vt illud maneat circa eos, qui sic transire ad catholicam volunt, vt nulla per eos vnitatis compensatio procuretur, & reliqua quæ ibi prosequitur.] Sed & Leo vtrasque has formas de vna eadémque re in vno capitulo ostendit ad Rusticum Narbonensem Episcopum dicens, Nulla, inquit, ratio sinit, vt inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprouincialibus Episcopis cum Metropolitani iudicio consecrati. Vnde cùm sæpè quæstio de malè accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, quod non docetur fuisse conlatum? Si qui autem clerici ab istis pseudoepiscopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum consensu & iudicio præsidentium facta est, potest rata haberi, ita vt in ipsis Ecclesiis perseuerent. aliter autem vana habenda est consecratio, quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita.] & item

Epist. 27. post mediũ

Epist. 95. in Præfat.

1. Cor. 7.

Can. 35.

Epist. 95. cap. 1.

Cap. 10. ad eundem in eadem epiſtola, In adoleſcentia conſtitutus, ſi vrgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo, pœnitentiam egit, & poſtea timens lapſum incontinentiæ iuuenilis copulam vxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur feciſſe venialem, ſi præter coniugem nullam omnino cognouerit. in quo tamen non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus. Nam ſecundùm veram cognitionem, nihil magis ei congruit qui pœnitentiam geſſit, quàm caſtitas perſeuerans & mentis & corporis.] Et in epiſtola ad Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum, Vt in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia, nullis præſidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorantibus denegetur, etiam ſi amiſſo vocis officio ea per indicia integri ſenſus expoſtulent. vel ſi ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valent, teſtimonia fidelium circumſtãtium eis prodeſſe debebunt, vt ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficia conſequantur, ſeruata tamen regula canonum paternorum circa eorum perſonas, qui in Deum à fide diſcedendo peccauerunt.] Sed & quidam de his, ex quorum epiſtolis quædam ſunt à te collecta, lapſos & pœnitentes in gradibus ſuis manere debere dixerunt. Poſteà autem aliter ex ſacris canonibus à ſequentibus eſt conſtitutum. Vnde beatus Auguſtinus ad Bonifacium ſcripſit dicens, Vt enim conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicuius criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ. Alioquin contra claues datas Eccleſiæ diſputabitur, de quibus dictum eſt, Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in cælis. Sed ne forſitan etiam detectis criminibus ſpe honoris Eccleſiaſtici animus intumeſcens ſuperbè ageret pœnitentiam, ſeueriſſimè placuit, vt poſt actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo ſit clericus, vt deſperatione temporalis altitudinis, medicina maior & verior eſſet humilitatis. Nam & ſanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore ſuo perſtitit. Et beatum Petrum, quando amariſſimè lacrymas fudit, vtique Dominum negaſſe pœnituit, & tamen Apoſtolus manſit. Sed non ideò ſuperuacua putanda eſt poſteriorum diligentia, quia vbi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo ſalus tutiùs muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas inuenire medicinas multorum experimẽta morborum. Verùm in huiuſmodi cauſis, vbi per graues diſſenſionum ſciſſuras, non huius aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages iacent, detrahendum eſt aliquid ſeueritati, vt maioribus malis ſanandis caritas ſincera ſubueniat.] Sic multitudinibus per ſchiſmata & hæreſes pereuntibus Eccleſia catholica ſubuenire conſueuit. Et de hac diſcretione Gelaſius in quadam ſua epiſtola, & beatus Gregorius in ſuis

Margin notes: Epiſt. LIX. (beside "poris.] Et in epiſtola ad Theodorum"); Epiſt. 50. (beside "Bonifacium ſcripſit"); 2. Reg. 12. (beside "Nam & ſanctus Dauid"); Matth. 26. (beside "& tamen in honore ſuo")

epiſtolis, & in aliis ſuis dictis mirabiliter diſſeruerunt. Verùm & de tranſlationibus Epiſcoporum, aliter antiqui cenſuerunt Pontifices, aliter autem Concilia epiſcopalia, & ex his ſequentes Romanæ ſedis Pontifices quæ tenenda ſunt decreuerunt. Scriptum eſt etiam in præfatis epiſtolis, vt accuſationes Epiſcoporum non recipiantur, & in eiſdem habetur qualiter recipiantur, & vt à ſuis ouibus Epiſcopi accuſari non valeant. Et in conſtitutionibus ſancti Silueſtri, Vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre, & vt presbyter non aduerſus Epiſcopum, non diaconus aduerſus presbyterum: & iterum, à quantis accuſari valeant ab eo conſtitutum. Et Africæ prouinciæ, canones cum legatis Apoſtolicæ ſedis, eos tantùm accuſatores vel teſtes à clericorum accuſatione, vel contra clericos teſtificatione, remoueri præcipiunt, quos ad accuſanda vel atteſtanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Et Nicænum Concilium neophytum Epiſcopum à duobus vel tribus teſtibus redargutum abſtinere à clero præcepit, ſi aliquod delictum animæ circa perſonam reperiatur huiuſmodi. Et Apoſtolus aduerſus presbyterum accuſationem non recipi, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus præcipit. Sed & per prædictos Africæ prouinciæ canones, omnibus quibus accuſatio denegatur, in cauſis propriis accuſandi licentia non negatur. Et de purgatione accuſatorum, ſed non conuictorum, vel confitentium, decreta ſedis Apoſtolicæ quæ tenemus conſtituerunt. Quidam etiam, quod de accuſatis & de teſtibus Silueſter conſtituit, velut in libro Epiſcopali legitur, ex hoc tenendum in auctoritate dicunt, quia Gelaſius in Catalogo de libris recipiendis, actus illius legendos dicit. Sed alia eſt ſcriptura actuum illius, in quibus, & ſcripturarum auctoritate, & miraculorum virtute, Iudæos Chriſtum Ieſum Deum verum negantes reuicit, qui legendi ſcribuntur: alia de conſtitutionibus illius in libro Epiſcopali, quas ſicut & alias quaſdam conſtitutiones aliorum Pontificum quæ in eodem libro leguntur, à præcedentibus temporibus vniuerſalis non ſeruat Eccleſia: quædam verò ex eiſdem conſtitutionibus, ſicut & ex dictis epiſtolarum de quibus agitur, recipit & cuſtodit. Sed & in eiſdem epiſtolis ſcriptum eſt, non debere vel poſſe conuocari Synodum ſine iuſſione vel conſenſu Romani Pontificis. & ſacri Nicæni canones dicunt, Bene placuit annis ſingulis per vnamquamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus ſimùl Epiſcopis congregatis prouinciæ, diſcutiantur huiuſmodi quæſtiones.] & Chalcedonenſe Concilium, Decreuit, inquiens, ſancta Synodus ſecundùm canones patrum, bis in anno Epiſcopos in idipſum in vnaquaque prouincia conuenire, quò metropolitanus Antiſtes probauerit, & corrigere ſingula, ſi quæ fortaſſis emerſerint.] Sed & Antiocheni & Africæ prouinciæ canones his

Can. 96.

Can. 5.

Can. 19.

Conc Antioch. can. 20.

Conc. Afr. can. 62. concinunt constitutis. Et Innocentius ad Victricium, Si quæ causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quàm etiam inferioris fuerint exortæ, vt secundùm Synodum Nicænam, congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis, iurgium terminetur, patenter ostendit. Et Leo ad Anastasium scripsit, De Conciliis, inquiens, Episcopalibus non aliud indicimus, quàm sancti patres salubriter ordinarunt, vt scilicet bini conuentus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuersos Ecclesiæ ordines nasci assolent iudicetur.] Et sanctus Gregorius ad Gallicanos Episcopos scribit, Nec nos, inquiens, in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per parochias Conciliis patrum prouidentia vtilitatis causa sancitum est. Vnde ne qua inter fratres dissensio, ne qua inter præpositos & subiectos sint fomenta discordiæ, in vnum sacerdotes conuenire necesse est, vt de incidentibus causis disceptatio, & sit salubris de Ecclesiastica obseruatione collatio.] Non igitur absque sedis Apostolicæ auctoritate Metropolitani Episcopi & primates prouinciarum Synodos conuocamus, Quatinus, vt beatus dicit Gregorius, dum per hoc, & præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotens vbique Dominus fratrum concordia conlaudetur, cuius nobis adesse præsentiam si hæc obseruamus scimus, quia scriptum est, Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Si ergo adesse dignabitur vbi duo vel tres fuerint, quanto magis non deerit vbi plurimi conuenerint sacerdotes?] Constat ergo de generali fidei causa hoc dixisse Apostolicam sedem. Vnde cùm plura catholica habeantur Concilia, sex Synodi tantùm generales specialiter appellantur, quia pro generali ad omnes Christianos causa pertinente sunt conuocatæ, quæ sine speciali iussione sedis Apostolicæ regulariter congregari non poterant, neque possunt. Quarum Synodorum vniuersalium, à catholica Ecclesia receptissimarum, prima est quæ in Nicæna congregata extitit contra Arrium CCCXVIII. patrum, temporibus Siluestri Papæ, sub Constantino principe. Secunda in Constantinopoli CL. patrum, contra Macedonium & Eudoxium, temporibus Damasi Papæ, & Gratiani principis, quando Nectarius eidem vrbi est ordinatus Episcopus. Tertia in Ephesо CC. patrum, contra Nestorium Augustæ vrbis Episcopum, sub Theodosio magno principe, & Papa Cælestino. Quarta Chalcedone, patrum IↃCXXX. sub Leone Papa, temporibus Martiani principis, contra Eutychem nefandissimum præsulem monachorum. Quinta item in Constantinopoli temporibus Vigilij Papæ, sub Iustiniano principe, contra Theodorum & omnes hæreticos. Sexta item in Constantinopoli sub Agathone Papa, qui ex rogatu Constantini, Heraclij, & Tiberij principum piissimorum, misit in regiam vrbem legatos suos, in quibus erat Ioannes Romanæ Ecclesiæ tunc diaconus, non longè pòst Episcopus, pro adunatione facienda

Lib. 7. ind. 2. ep. 112. in fine. — Matth. 18. (margin notes)

cienda sanctarum Dei Ecclesiarum : qui benignissimè suscepti à reuerentissimo fidei catholicæ defensore Constantino, iussi sunt, remissis disputationibus, pacifico conloquio de fide vera perquirere, datis eis de bibliotheca Constantinopolitana cunctis antiquorum patrum quos petebant libellis. Adfuerunt autem & Episcopi CL. præsidente Georgio patriarcha regiæ vrbis, & Antiochiæ Macario, & conuicti sunt qui vnam voluntatem & operationem adstruebant in Christo, falsasse patrum catholicorum dicta perplurima. Finito autem conflictu, Georgius correctus, Macarius verò cum suis sequacibus, simul & præcessoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro anathematizati, & in locum eius Theophanius Abba de Cilicia Antiochiæ Episcopus factus. tantáque gratia legatos catholicæ pacis comitata est, vt Ioannes Portuensis Episcopus, qui erat vnus ex ipsis, Dominica octauarum Paschæ missas publicas in Ecclesia sanctæ Sophiæ coram principe & patriarcha Latinè celebraret. Septima autem apud Græcos vocata vniuersalis pseudosynodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam autem adorandas dicebant, neutra verò pars intellectu sano diffiniens, sine auctoritate Apostolicæ sedis, non longè ante nostra tempora, Constantinopoli est à quampluribus Episcopis habita, & Romam missa, quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Vnde tempore Karoli magni Imperatoris, iussione Apostolicæ sedis, generalis est Synodus in Francia, conuocante præfato Imperatore, celebrata, & secundùm scripturarum tramitem, traditionémque maiorum, ipsa Græcorum pseudosynodus destructa & penitùs abdicata. De cuius destructione non modicum volumen, quod in palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Romam est per quosdam Episcopos missum. In Cap. 18. cuius voluminis quarto libro hæc de vniuersali nomine scripta sunt, Vniuersitas ab vno cognominatur, quod vno multotiens verso propagatur. Nam multitudo vnitatum vertente in vnum collecta, vniuersitas efficitur. Sicut enim Ecclesia vniuersalis est, quæ Græco eloquio catholica dicitur, ita nimirum omne quicquid ab eius vnitate non discessit, catholicum nuncupari potest. Omnis enim doctrina Christiana, vel quælibet constitutio siue traditio talis esse debet, vt vniuersali conueniat Ecclesiæ. quod nequaquam hæretici obseruauerunt, qui per diuersas mundi partes, aliquibus regionum partibus coarctati, conuenticula quædam statuerunt, quibus & se & quamplures ab Ecclesiasticæ vnitatis consortio segregauerunt. Cùm ergo duarum & trium prouinciarum Præsules in vnum conueniunt, si antiquorum canonum institutione muniti aliquid prædicationis aut dogmatis instituunt, quod tamen ab antiquorum patrum dogmatibus non discrepat, catholicum est quod faciunt, & fortassè dici potest vniuersale : quoniam quamuis non sit ab vniuersi orbis Præsulibus actum, tamen ab vniuersorum fide & traditione non

discrepat, quod crebrò factum in plerisque mundi partibus quibusdam necessitatibus incumbentibus scimus. Multa enim Concilia gesta sunt, quorum institutionibus sancta munitur & corroboratur Ecclesia. Si verò duarum aut trium prouinciarum præsules in vnum conuenientes, noua quædam statuere cupientes, conuenticula quædam faciunt, quæ non cum vniuersi orbis Ecclesia sentiunt, sed ab ea quadam ex parte dissentiunt, non est catholicum quod faciunt, & ideo vniuersale nuncupari non potest. Omne quod Ecclesiasticum est, catholicum est, & omne quod catholicum est, vniuersale est. omne autem quod vniuersale est, profanis vocum nouitatibus caret: omne igitur quod Ecclesiasticum est, profanis vocum nouitatibus caret. Et si hæc Synodus vocum nouitatibus careret, antiquorum patrum dogmatibus contenta, vniuersalis dici poterat. non autem antiquorum patrum dogmatibus contenta est: non igitur vniuersalis dici potest. Vniuersalem planè eandem Synodum non cunctaremur profiteri, nisi eam vniuersalis Ecclesiæ dogmatibus sentiremus refragari.] Claret etiam hac de causa, vt prædixi, vniuersales ac generales Synodos nominari, cùm plures Episcopi, quàm in quibusdam præfatis Synodis fuerint congregati, Apostolicæ sedis iussione, & Imperiali conuocatione: sicut Sardicensis Synodus, in qua ab Hesperiis partibus plusquàm trecenti conuenerunt Episcopi. Et in Africanis Synodis, cum legatis Apostolicæ sedis celebratis, interdum ampliùs quàm ducenti fuerunt congregati Episcopi: non tamen inter illa vniuersalia Concilia computantur, cùm constet esse catholica, & à sede Apostolica atque vniuersali Ecclesia receptissima. Vnde sanctus Gregorius in Synodica epistola ad Cyriacum Constantinopolitanum Episcopum de Eudo-
Lib.6.ind. 15.ep.4.in fine. xio, Si quis eum veraciter de catholicis patribus damnat, eius procul dubio sententiam sequimur: vos tamen si in synodica vestra epistola eos quoque nominatim damnare voluistis, qui extra sanctas Synodos per patrum scripta damnantur, multos scriptis vestris vestra fraternitas minùs posuit: si autem eos quos generales Synodi
Can.62. respuunt, hunc vnum ampliùs.] Et in Africano Concilio legimus, Concilium vniuersale non nisi necessitate faciendum. Placuit vt non sit vltra fatigandis fratribus anniuersaria necessitas: & quotiens exegerit causa communis, id est totius Africæ, vndecumque ad hanc sedem de hac re datæ litteræ fuerint, congregandam esse Synodum in eas prouincias vbi opportunitas persuaserit. Causæ autem, quæ communes non sunt, in suis prouinciis iudicentur.] Et Leo Papa ad Maximum Antiochenum scripsit, Quicquid, inquiens, propter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam diiudicandi habere rationem, si nil de eo est à sanctis patribus apud Nicæam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis & constitutione discordat, Apostolicæ sedis nunquam po-

terit obtinere consensum.] Et Antiochena Synodus dicit perfectum illud esse Concilium, vbi interfuerit Metropolitanus antistes.] Can.16. Et Zosimus Papa Aurelio & vniuersis Episcopis per Africam constitutis, sed & vniuersis Episcopis per Gallias & septem prouincias constitutis, & vniuersis Episcopis per Hispaniam constitutis, à pari inter cetera scribens, prouincialem Gallicanorum Episcoporum Synodum approbat ita dicens, Lazarus, inquit, dudum in Taurinensi Concilio grauissimorum Episcoporum sententiis pro calumniatore damnatus, cùm Briccij innocentis Episcopi vitam falsis obiectionibus appetisset, pòst verò indebitè à Proculo, qui inter ceteros in Synodo damnationi eius assenserat, sacerdotium consecutus est, à quo se ipse, vitæ suæ conscius, datis litteris in abdicationem suî sponte summouit.] Sed & Sardicenses canones in capitulo decimo quarto, Conc.Elib. c.11. quamquam non designato nomine, sed posita constitutione Eliberitani Concilij, quod eodem tempore, sub Constantino Imperatore, Paulino & Iuliano Consulibus, quo & Nicænum Concilium factum est, memorante Osio, ad auctoritatem deuocauerunt. Et Carthaginensis Synodi decretam constitutionem quasi propriam, Apostolica sedes per Innocentium & Cælestinum amplectitur. Sic igitur vniuersales Synodi specialiter Apostolicæ sedis auctoritate conuocantur, & æquè prouinciales canonicæ Synodi, decreto sedis Apostolicæ, à Metropolitanis & prouinciarum primatibus conuocantur. Sicut de conlatis clauibus regni cælorum, id est, ligandi & soluendi pontificio, specialiter sancto Petro dato, & simul omnibus Apostolis, & in eis catholicis Episcopis conlato, sancta & vniuersalis tenet Ecclesia. Vnde beatus Leo in sermone sui natalis inter cetera dicit, Quod dicitur beatissimo Petro, *Tibi dabo claues regni cælorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis*, Matt.c.16. transiuit quidem etiam in alios Apostolos ius istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti huius constitutio commeauit, sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideò hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium: nec nimia est vel seueritas vel remissio, vbi nihil est ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut ligarit, aut soluerit.] Qui regem cælorum, vt Augustinus & ceteri doctores exponunt, maiori præ ceteris deuotione confessus est, meritò præ ceteris ipse conlatis clauibus regni cælestis munere donatus est, vt constaret omnibus, quia absque ea confessione ac fide regnum cælorũ nullus possit intrare. Claues autem regni cælorum ipsam discernẽdi scientiam potẽtiámque nominat, qua dignos recipere in regnum, indignos secludere deberet à regno. vnde manifestè subiungit, *Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super ter-* Matth.16.

ram, erit solutum & in cælis. Quæ soluendi ac ligandi potestas, quamuis soli Petro data videatur à Domino, absque vlla tamen dubietate noscendum est, quia & ceteris Apostolis datur, ipso teste qui post passionis resurrectionísque suæ triumphum apparens eis insufflauit, &
Ioan.c.20. dixit omnibus, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nec non etiam nunc in Episcopis ac presbyteris omni Ecclesiæ officium idem committitur. vt videlicet agnitis peccantium causis, quoscumque humiles ac verè pœnitentes aspexerit, hos iam à timore perpetuæ mortis miserans absoluat: quos verò in peccatis quæ egerunt persistere cognouerit, illos perennibus suppliciis obligandos insinuet. Vnde aliàs Dominus de correpto semel & iterum ac tertiò, sed non pœnitente fratre præcipit dicens, *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut*
Matth.c.18 *ethnicus & publicanus.* Et ne leue quisque putaret Ecclesiæ se iudicio condemnari, mox terribiliter adiunxit, *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Omni igitur electorum Ecclesiæ, iuxta modum culparum vel pœnitentiæ, ligandi ac soluendi datur auctoritas. Sed ideo beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus vero est amore sequutus, specialiter claues regni cælorum & principatum iudiciariæ potestatis accepit, vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab vnitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possint regni cælestis ingredi. Et quia deuitans prolixitatem epistolæ, per singula sicut poteram, si tempus fuisset & otium, & non vererer legentium tædium, tibi ostendere de his quæ collegisti, illa ipsa te redarguere, quæ putas plurimùm tecum facere, de quibusdam tibi tantùm ex his quæ collegisti, specialiter respondebo. scilicet de epistolis Iulij, & Felicis, quasi de capitulis Synodi Nicænæ confectis, ante Sardicense quidem Concilium, cui Athanasius anno XVIII. ordinationis suæ cum litteris Constantis ab Occidentalibus partibus, in quibus exulauerat, Alexandriam rediens legitur interfuisse, quódque iuxta Chronicorum & litterarum Ecclesiasticarum fidem, vndecimo mortis Constantini, patris Augustorum Constantij & Constantis, Rufo & Eusebio Consulibus, anno decimo sexto Iulij Papæ, qui successit Marco successori Siluestri, cuius tempore celebrata est sacra Nicæna Synodus, cuíque ad vicem Siluestri præsederunt Osius Cordubensis Episcopus, Victor & Vincentius presbyteri vrbis Romæ. Anno verò circiter vigesimo tertio post Nicænam Synodum Antiochena Synodus habita est, & eadem epistola Iulij per idem tempus facta esse dinoscitur, in qua plura capitula modo diuerso collecta tenentur, quæ si de vna Synodo fuissent adsumpta, non taliter dissonarent. Et si de appellatione, sicut in Sardicensi Concilio constitutum est,

in Nicæno Concilio fuiſſet anteà ſtatutum, nulla foret neceſſitas, vt iterum in hoc Concilio inde conſtitueretur, ſed ſicut in aliis Conciliis legitur ſcriberetur videlicet, vt ea, quæ ſunt in Nicæno Concilio conſtituta, ab omnibus conſeruentur. Epiſtola verò Felicis ex epiſtola Iulij pendet. Hic enim eſt mos Apoſtolicæ ſedis Pontificibus, vt verba deceſſorum ſuorum quaſi propria in ſuis ponant epiſtolis, ſicut qui legit intelligit. Ceterùm quod in epiſtola ex nomine Athanaſij & Epiſcoporum Ægyptiorum, ad Marcum ſucceſſorem Silueſtri habetur, LXXX. fuiſſe capitula, XL. ſcilicet à Græcis Græca edita lingua, & ſimiliter XL. à Latinis Latina edita lingua, & ab Epiſcopis CCCXVIII. in LXX. redacta fuiſſe capitula, ſi numerantur illa quæ in epiſtola Iulij deſignantur, & illa quæ deſignata prætermittuntur, ſed & quæ in epiſtola Felicis leguntur, plura quàm LXX. & inter ſe diuerſa inuenientur. & in eiſdem epiſtolis non inueniuntur memorari, minimè autem cōnumerari, illa capitula quæ ex Nicæno Concilio ſumpta ſeruauit antiquitas, & hactenus tenet ac veneratur Eccleſia. De hoc autem quod reuerentiſſimus Iulius in epiſtola ſua dicit, Plura de his, ſcilicet capitulis Nicænæ Synodi, ideò hîc non inſeruimus, ne vacuare vilémve facere prædictam Synodum videremur, aut faſtidium legentibus audientibúſque prolixa facere epiſtola: ſi quis autem de his ampliora atque abundantiora ſcire voluerit, in ſacro noſtræ ſedis Eccleſiæ ſcrinio & ea quæ prædiximus inuenire poterit, verum me dicere teſtis eſt ipſa diuinitas, à nullo eſt contradicendum: quia niſi ipſa quæ miſit haberet, mittere nullo modo poterat, & quia plura habebat, eſſe vtique verum conſtat: quia & illa quæ ſacrum Concilium Nicænum conſtituit, certum eſt in Romano ſcrinio conſeruari, de quibus & ipſius ſanctæ ſedis Pontifices ſua decreta promulgauerunt, & ſuis poſteris tenenda & ſeruanda reliquerunt. Fuit autem opinio apud maiores noſtros etiam non incerta, quia Oſius quædam de capitulis à ſe Synodi Nicænæ delatis, aliter priùs renuntiauerit, quàm poſtea inuentum extiterit: qui & apud Sirmium, contra fidem Nicæni Concilij cui ſubſcripſerat, ſacrilegam profeſſionem atque ſubſcriptionem proferre & exhibere præſumpſit, ſicut de eo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ perhibent, & ſanctus Hilarius in libro de Synodis dicit, Apud Sirmium, inquiens, per immemorem geſtorum ſuorum dictorúmque Oſium, nouæ & tamen ſuppuratæ iamdiu impietatis doctrina proruperat: ſed de eo nil loquor, qui idcirco eſt reſeruatus, ne iudicio humano ignoraretur qualis antè vixiſſet.] Cuius ſcilicet beati Hilarij teſtimonio de Synodis, ſed & de Oſio, fidem accommodare debemus, qui in præfato libro de Synodis dicit, Regeneratus pridem, & in Epiſcopatu aliquantiſper manens, fidem Nicænam nunquam niſi exulaturus audiui. Sed mihi homouſij, & homœouſij intelligentiam Euangelia & Apoſtoli intimauerunt.] Et per illa tempora, quando Concilia,

Paulo poſt medium.

In fine.

ſcilicet Nicænum, Antiochenum, Sardicenſe, & alia quædam poſteriora celebrata fuerunt, iſdem ſanctus & doctor catholicus in carne deguit, & verus de eis relator extitit, & credenda nobis in ſuis ſcriptis reliquit. Refutanda eſt igitur falſa opinio de quorundam ſcriptis exorta, quòd Nicænum Concilium tempore Iulij fuerit celebratum, cùm conſtet eandem ſacram Synodum fuiſſe habitam anno poſt Alexandrum IↃCXXXVI. ſub Conſtantino Imperatore, die menſis ſecundùm Græcos Deſij XVIII. quod eſt X. Kalendarum Iuliarum, conſulatu Paulini & Iuliani, tempore Silueſtri Papæ, ſicut veridicæ Chronicæ & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ produnt. Verùm Iulius ſucceſſor Marci, qui Silueſtro ſucceſſit, Romæ Synodum celebrauit, ſub Conſtantio & Conſtante Auguſtis, anno quarto ſub die octaua Kalendarum Octobris, indict. ſexta, Conſulatu Feliciani & Maximiani, & eandem Nicænam Synodum Apoſtolicæ ſedis auctoritate per ſe, ſicut prædeceſſor illius Silueſter per legatos ſuos, firmauit. Capitula quoque in eodem Concilio conſtituta ipſe omnibus validior antiquitatis vſus, & antiqua maiorum traditio, reuerentiſſimo vigore tenenda corroborauit.

CAP. XXI. *Quòd non niſi viginti Capitula in Concilio Nicæno fuerint conſtituta.*

ET qua ratione quædam ex his, quæ in epiſtolis antiquorum ſedis Romanæ Pontificum ſcripta inueniuntur, à ſucceſſoribus eorum vſa non fuerint, licèt ad inſtructionem valeant plurimùm, quædam verò in decretis eorum poſita, & à Conciliis inter canones ſacros inueniantur adſumpta, & vnde opinio exorta extiterit, plura quàm in canone inueniantur in Nicæna Synodo decreta fuiſſe capitula, quod ex litteris antiquitatum ſeriem deferentibus accepimus, tibi ex parte ſcribo, non veritus ne mihi calumnias ſtruas, ſicut iam feciſti de his quæ ſcripſi de Stephano, ſenſum dictorum meorum peruertens, & ſcripta mea decurtans in ſcripto quod mihi de Amalberto dediſti, volens me ex verbis meis reuincere, & me ad tortitudinem tui iudicij contorquere, & ſi eaſdem calumnias ſciero, neceſſe mihi ſit inde reſcribere, & tempus inutilitati expendere: ſi autem eas neſciero, ad derogationem meî tibi credentes aliquo modo poſſis adducere. Dicam autem ex verbis veterum quæ didicimus de capitulis Nicænæ Synodi, vt ſi te delectat bellare, cum eis Lib.2.c.7. poſſis bellum conſerere, & ego valeam repauſare. Hiſtoria ſi quidem tripertita Athanaſium dixiſſe ſcribit ita; In Nicænum Concilium venientes Epiſcopi viginti conſcripſerunt de conuerſatione Eccleſiaſtica ſanctiones.] & item, Meminit veſtra patientia factum in Nicæa ciuitate Concilium, cui & ego ipſe conſcientiæ meæ cultum decenter exhibui.] & item in eadem hiſtoria ſcriptum eſt, Synodus

corrigere volens hominum vitam & in Ecclesia commorantium, posuit leges quas canones appellamus.] Et decimus historiæ Ecclesiasticæ liber Rufini, qui in catalogo Apostolicæ sedis inter recipiendos libros describitur, apertè ostendit, post confessionem fidei, viginti duo tantùm capitula canonum in eodem Concilio, & de Paschali solemnitate fuisse decreta. Duo autem, quæ super viginti sunt illic constituta, in viginti aliis capitulis apud nos habentur conclusa.] Vnde & in eodem libro ita scriptum habetur, De singulis quibusque Ecclesiasticis obseruationibus certa statuta figentibus, Concilium diremptum est.] & post capitula ex ordine & numero constituta, Igitur cùm de his, inquit, provt diuinarum legum reuerentia poposcerat decreuissent, sed & de obseruatione Paschæ antiquum canonem, per quem nulla de reliquo varietas oriretur, Ecclesiis tradidissent, omnibus ritè dispositis, Ecclesiarum pax & fides in Orientis atque Occidentis partibus vna atque eadem seruabatur. Cuius historiographi dictis (salua auctoritate Apostolicæ sedis, quæ suo principatu Domini ore percepto, & Ecclesiæ profutura constituit, & constituta conseruando confirmat) & Carthaginense adstipulatur Concilium, quod dicit, Exemplaria fidei, & statuta Nicænæ Synodi, quæ ad nostrum Concilium per beatæ recordationis Cæcilianum Carthaginensem Episcopum, qui interfuit, allata sunt, sed & quæ patres exemplaria sequentes hîc constituerunt, vel nunc communi tractatu statuimus, his gestis Ecclesiasticis inserta manebunt.] Nam quia Cæcilianus Nicænæ Synodo interfuerit, & subscriptio illius testatur, & historiæ ac chronicæ Ecclesiasticæ adstruunt, in quibus scriptum est, quia tertio anno post Nicænam Synodum, Ianuario & Iusto consulibus, Donatus agnoscitur, à quo per Africam Donatistæ, qui primùm propter ordinatum contra voluntatem suam Cæcilianum Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum, schisma fecerunt, obiicientes ei crimina non probata, & maximè quòd à traditoribus diuinarum scripturarum fuerit ordinatus: sed post causam confictam atque finitam, pertinaci discordia in hæresim transierunt.] Sed & epistola Cyrilli Alexandrini Episcopi, cuius prædecessor Alexander, cum legatis Apostolicæ sedis, Osio videlicet Cordubense Episcopo, & Vincentio ac Victore Romanis presbyteris, mediante Constantino Imperatore præsedit, cum integritate ipsius Concilij, per Innocentium presbyterum missa. Itémque epistola Attici Constantinopolitani Episcopi, cum integritate nihilominus ipsius Concilij per Marcellum subdiaconum Carthaginensi Synodo directa. & verba Faustini Episcopi ac legati sedis Apostolicæ prolata in Synodo Carthaginensi. Epistola quoque ipsius Concilij ad Cælestinum Papam honorabiliter, vt par est, destinata. Sed & actio duodecima Chalcedonensis Concilij, in qua scriptum habetur regula nonagesima quinta, de vacante Episcopo. & paulo pòst

Leontius ex eodem codice legit regulam nonagesimam sextam, De his qui ad Episcopatum vocati euitant. Quas regulas, connumeratis à capite viginti capitulis Nicæni Concilij, si quis per singula consequentia Concilia ex ordine numerauerit, in Antiocheno Concilio loca præfatorum numerorum tenere inueniet. Vnde manifestum est, non nisi tantùm viginti quæ habemus capitula fuisse in Nicæno Concilio constituta. Verùm & longissimarum ætatum ex antiqua consuetudine prolixa tempora, per quæ ipsius Concilij hæc tantùm viginti capitula fuère suscepta, verbis præfati historiographi indubitabilem faciunt fidem.

Cap. XXII. *De quatuor Capitulis à beato Gregorio in epistola ad Theoctistam Patriciam memoratis.*

Sed & quod de anathemate, ex verbis sancti Gregorij ad Theoctistam Patriciam, in supradicta compilatione tua impropriè posuisti, bene & rationabiliter dicta malè intelligi tradidisti, & non secundùm illum sensum, quem beatus Gregorius illud in eadem epistola posuit, interpretari studuisti. Apud Græcos siquidem nouitate vocum delectantes, quatuor hæretica Capitula inuenerunt, de quibus sanctus Gregorius ad Theoctistam Patriciam scripsit. Quorum primum est, quia sub obtentu religionis etiam non ex amborum consensu coniugia dissocianda dicebant, contradicente Domino, *Quod Deus coniunxit homo non separet.* (Matth. 19.) Aliud verò, quòd baptisma peccata penitùs non auferret, cùm Dominus dicat, (Ioan. 13.) *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Tertium verò, quia si de iniquitatibus suis quis pœnitentiam in triennium ageret, postmodum peruersè viuere ei liceret, cùm scriptum sit, (Eccl. 34.) *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio eius?* Baptizatur ergo à mortuo, & iterum tangit eum, qui praua opera quæ se egisse meminit deplorat, sed eisdem se iterum post lacrymas implicat. Quartum verò est, quod non suo sensu posuisti, quia si compulsi aliqui, de quibus reprehendebantur contra catholicam sensisse Ecclesiam, anathematizare se dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri. De quibus sanctus dicit Gregorius, Quia ipsi sibi testes sunt quia Christiani non sunt: quoniam ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ quam præstat fidelibus veram putant, si ligaturam eius valere non æstimant.] Vnde in orthodoxorum scriptis legimus, ex ipsis qui in Nicæna sancta synodo conuenerunt, & expositæ ab ea fidei diffinitioni vel symbolo subscripserunt, & ab eadem subscriptione apostatauerunt, & iterum per catholicam subscriptionem ad vniuersalem Ecclesiam redierunt, quosdam fuisse susceptos, sicut & in aliis Synodis, & in epistolis Leonis, at-

que Gregorij legimus. Constat igitur, quia non sunt ligamenta vel solutiones sanctæ Ecclesiæ, quæ contra sanctam Ecclesiam fiunt, vel quæ ab his fiunt, qui contra dogmata catholicæ Ecclesiæ sentientes, cōtraria ipsi sanctæ Ecclesiæ ligant vel soluunt. Sancta quippe Ecclesia dicit, Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo. Lauabo inter innocentes manus meas. Denique eisdem verbis beati Gregorij, quibus dicit, Si qui verò sunt qui dicunt, quia compulsus quispiam necessitate se anathematizauerit, anathematis vinculo non tenetur,] verbis tuis imposuisti, immittens & superadiiciens, aut contra ea quæ sub anathemate prohibita sunt præsumpserit. In eo autem loco vbi dixit, Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano, hæc quæ prædiximus errorum capitula, aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere,] detruncasti & peruertisti dicens, Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano hæc aut prædicare audent, non timens sententiam sanctæ sextæ Synodi in duodecima Actione prolatam hoc modo, Inueteratum Macarium in impietatis dogmatibus, & non solùm vniuersam Christo amabilem plebem, quæ hanc à Deo conseruandam regiam vrbem inhabitat, euersione turbulenta potantem, testimoniáque sanctorum & probabilium patrum falsantem, & quædam quidem abscidentem, quædam verò addentem, & secundùm quod ei videbatur in deuia mittentem piissimum & à Deo coronatum principem per oblata ab eo codicia: sed & à solis ortu vsque ad occasum, per litteras suas, & per homines quos mittebat, vniuersos perturbantem, & à fide vera segregantem, & iustè atque rationabiliter à Pontificali habitu denudatum, nullatenus diuina regula de cetero suscipit in doctoris sede residere, ne ex hoc propriæ suæ hæreseos multo iam recrudescere faciat intelligentiam, & fiant, iuxta quod scriptum est, nouissima illius hominis deteriora prioribus.] Et Macedonius Constantinopolitanus Episcopus, vt suprà dixi, ab Imperatore Anastasio legitur expulsus, quoniam Euangelia falsasset, & maximè illud Apostoli dictum, *Quod apparuit in carne, iustificatum est in spiritu.* & peruertisse, vt legeretur, *vt esset Deus, apparuit per carnem.* Quales redarguit Paulus Apostolus, de se & suis sociis dicens, *Non enim sumus*, inquit, *sicut plurimi adulterantes verbum Dei.* Adulterare est, inquit beatus Gregorius, verbum Dei, aut aliter sentire quàm de illo est, aut ex eo non spiritales fructus, sed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ.] Vnde Gelasius ad Episcopos per Dardaniam constitutos, in decretis suis scripsit, Quia maiores nostri necessariò præcauerunt, vt contra vnamquamque hæresim, quod acta semel Synodus pro fide, communione, & veritate catholica atque Apostolica promulgasset, non sinerent nouis post hæc retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerant statuta pulsandi. sed

Matth.12. 1.Tim.3. 2.Cor.2. Epist.11. in principio.

auctore cuiuslibet insaniæ, ac pariter errore damnato, sufficere iudicarunt, vt quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus, quoniam manifestè quilibet vel professione sua vel communione posset agnosci.] & post aliquanta, Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet prauæ communionis effecto execrationem suî gestat & pœnam.] Hæc igitur, qui beati Gregorij verba imposturasti, attendens quæ beatus dicit Gelasius, & ante oculos mentis ponens, quia Macarius & Macedonius idcirco à sacerdotio, etiam ante humanos oculos, judicio synodali & potestate principali fuerunt deiecti, accelera satisfacere terribili in consiliis super filios hominum.

CAP. XXIII. *Quòd Apostolica sedes partem noni Capituli Chalcedonensis non recipiat, sicut B. Leo Papa demonstrat.*

SENTENTIAM denique Chalcedonensis Concilij, quam tuæ compilationi apposuisti, à quocumque expositam qui adinuenit de ea quid diceret, Vt si clericus habet causam aduersus Episcopum proprium, vel aduersus alterum, apud Synodum prouinciæ iudicetur: quòd si aduersus eiusdem prouinciæ Metropolitanum Episcopus vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ vrbis Constantinopolitanæ, & apud ipsum iudicetur, quod & in capitulo decimo septimo recapitulauit. Lege gesta Synodi Chalcedonensis, & Breuiarium de duabus hæresibus Nestorianorum & Eutychianorum, collectum à sancto Liberato Archidiacono Ecclesiæ Carthaginis regionis sextæ, sed & epistolas sancti Leonis Papæ, & inuenies hoc ipsius Concilij nonum capitulum, in cuius fine dicitur, Petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ vrbis Constantinopolitanæ, & apud ipsum iudicetur, & quod de diuisione diœcesis inter Antiochenum & Hierosolymitanum Episcopos conuenit, ab Apostolica sede non fuisse recepta. Sed nec illud capitulum Constantinopolitani Concilij, in quo Synodus ipsa constituit præferendam Constantinopolim secundæ & tertiæ sedi, & post Romanum Pontificem habere primatum, quod & per pragmaticam formam imperialis potestatis obtinuit, & Chalcedonensis Synodus, in absentia legatorum sedis Apostolicæ, confirmando quibusdam non consentientibus renouauit, & pòst, reclamantibus de sacrorum canonum & priuilegij Apostolicæ ac primæ sedis iniuria & præiudicio eisdem legatis ipsius Apostolicæ sedis, Synodus in sententia sua patrocinante Imperatore permansit. Egit enim Anatolius tunc Constantinopolitanus Episcopus apud Synodum, & apud Imperatorem, nacta occasione de damnatione Dioscori secundæ sedis Alexandrinæ Episcopi, hac calliditate, quoniam mens potentiæ auida nec absti-

Leo ep. 53. ad Anatol.

net vetitis, nec gaudet concessis, vt quia in Constantinopolitana CL. Episcoporum Synodo Nectarius obtinuerat quatenus Constantinopolis prælata secundæ & tertiæ sedi, post Romanum Pontificem primatum haberet, istud capitulum aliis necessariis interpositum de appellatione Episcoporum & clericorum ad sedem regiæ vrbis Constantinopolitanæ foret: quatenus constitutionem Sardicensis Concilij de appellatione clericorum apud finitimos Episcopos, & appellationem Episcoporum de regionali Concilio ad sedem Apostolicam, eidem Apostolicæ sedi abriperet, & sibi adscribi faceret. quo, sicut mox claruit, primatum sedis Apostolicæ liberiùs contra sacros canones & antiquam consuetudinem vsurparet, & vniuersalis appellaretur & esset. Vnde sanctus Leo, de his apud Synodalem conuentum obtentis ad Maximum Antiochenum Episcopum scribens dicit, Nunc autem ad omnia generaliter pronunciare sufficiat, quòd Epist 65. si quid à quoquam contra statuta Nicænorum canonum in quacumque Synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præiudicij potest inuiolabilibus inferre decretis, & facilius erit quarumlibet consensionum pacta dissolui, quàm prædictorum canonum regulas ex vlla parte corrumpi. Subripiendi enim occasiones non prætermittit ambitio, & quotiens ob intercurrentes causas generalis congregatio facta fuerit sacerdotum, difficile est vt cupiditas improborum non aliquid supra mensuram moliatur appetere. Sicut etiam de Ephesina Synodo, quæ impium Nestorium cum dogmate suo perculit, Iuuenalis Episcopus ad obtinendum Palæstinæ prouinciæ principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare. Quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus meritò perhorrescens, scriptis suis mihi quid prædicti cupiditas ausa esset indicauit, & sollicita prece multum poposcit, vt nulla inlicitis conatibus præberetur assensio. Nam cuius epistolæ ad nos exemplaria direxisti sanctæ memoriæ Cyrilli, eam in nostro scrinio requisitam nos authenticam noueris reperisse. Hoc tamen proprium diffinitionis meæ est, vt quantumlibet amplior numerus sacerdotum aliquid per quorumdam subreptionem decernat, quod illis trecentorum decem & octo constitutionibus inueniatur aduersum, id iustitiæ consideratione cassetur: quoniam vniuersæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reuerentia intemerata seruetur. Si quid sanè ab his fratribus, quos ad sanctam Synodum vice mea misi, præter id quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitùs firmitatis: quia ad hoc tantùm ab Apostolica sunt sede directi, vt excisis hæresibus catholicæ essent fidei defensores. Quicquid enim præter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam diiudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis patribus apud Nicæam diffinitum. Nam quod ab

illorum regulis & constitutione discordat, Apostolicæ sedis nunquam poterit obtinere consensum.] & ad Pulcheriam Augustam, Frater, inquit, & Coepiscopus meus Anatolius, parum considerans quantum, pietatis vestræ beneficio, & mei fauoris assensu, Constantinopolitanæ Ecclesiæ sacerdotium fuerit consecutus, non tam de adeptis gauisus, quàm de immodicis appetendis supra mensuram sui honoris accensus est, credens huic tam intemperanti cupiditati posse prodesse, quòd ei quorumdam consensum suum præbuisse dicitur extorta subscriptio: cùm tamen destruendis mox conatibus contradictio fratrum Coepiscoporúmque meorum, vicem meam agentium, fideliter & laudabiliter obuiaret. quoniam contra statuta canonum paternorum, quæ ante longissimæ ætatis annos in vrbe Nicæna spiritalibus sunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur: ita vt si quis diuersum aliquid decernere velit, se potiùs minuat, quàm illa corrumpat. Quæ si vt oportet à cunctis Pontificibus intemerata seruentur, per vniuersas Ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia, nullæ de mensura honorum dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de priuilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni vsurpatione certamina: sed æquo iure caritatis rationabilis & morum officiorúmque ordo seruabitur, & ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino, Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Et tamen hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, & de infimis ad summa transire. Constantinopolitanæ verò præsul Ecclesiæ, quid ampliùs quàm assecutus est concupiscit? aut quid illi satisfaciet, si tantæ vrbis magnificentia & claritudo non sufficit? Superbum nimis est & immoderatum, vltra proprios terminos tendere, & antiquitate calcata alienum ius velle præripere, atque vt vnius crescat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare primatus, quietísque prouinciis; & olim sanctæ Synodi Nicænæ moderatione dispositis, bellum nouæ perturbationis inferre, atque vt venerabilium patrum decreta soluantur, quorumdam Episcoporum proferre consensum, cui tot annorum series negauit effectum. Nam sexagesimus ferè annus huius cõhibentiæ esse iactatur, qua se prædictus Episcopus æstimat adiuuari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiam si quisquam ausus est velle, nullus tamen potuit obtinere.] De hoc siquidem, quia appellationem clericorum ex Sardicensi Concilio ad finitimos Episcopos, & appellationem Episcoporum ad Sedem Apostolicam sibi voluit arrogare, & vniuersalis & appellari & esse, & legati sedis Apostolicæ in Synodo reclamauerunt, isdem B. Leo ad Martianum Augustum scribit dicens, Apud Christianum, & verè religiosum, vereque orthodoxum principem loquor, multum Anatolius Episco-

Epist. 58. / Matt. 20. / Epist. 57.

pus proprio detrahit merito, si inlicito crescere optat augmento. Habeat sicut optamus Constantinopolitana ciuitas gloriam suam, & protegente Dei dextera, diuturno clementiæ vestræ fruatur imperio: alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia diuinarum: nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento mirè posuit, stabilis erit vlla constructio. propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit prædicto, quòd vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu, Episcopatum tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apostolicam facere non potest sedem, nec vllo modo speret, quòd per aliorum offensiones possit augeri. Priuilegia enim Ecclesiarum, sanctorum patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate violari.] In quo opere auxiliante Christo fideliter exequendo, necesse est me perseuerantem exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendet reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen spiritu Dei instruente sunt conditæ, me quod absit conhibente violentur, & maior sit apud me vnius fratris voluntas, quàm vniuersæ domus Domini communis vtilitas. Et ideo sciens gloriosam clementiam vestram Ecclesiasticæ studere concordiæ, & his quæ pacificæ congruunt vnitati piissimum præstare consensum, precor & sedula suggestione vos obsecro, vt ausus improbos, vnitati Christianæ pacique contrarios, ab omni pietatis vestræ abdicetis assensu, & fratris mei Anatolij nocituram ipsi, si perstiterit, cupiditatem salubriter comprimatis: ne ea quæ vestræ gloriæ atque temporibus inimica sunt cupiens, maior suis velit esse prioribus, liberúmque illi sit, quantis potuerit splendere virtutibus, quarum non aliter particeps erit, nisi caritate magis voluerit ornari, quàm ambitione distendi. Hanc autem improbi desiderij conceptionem nunquam quidem debuit intra cordis sui recipere secretum: sed cùm illi fratres & Coepiscopi mei qui vice mea aderant obuiarent, ab inlicito appetitu ex eorum saltem contradictione cessasset. Nam & vestræ pietatis apices, & ipsius scripta declarant, legatos sedis Apostolicæ, sicut oportuit, contradictione iustissima restitisse, vt inexcusabilior esset præsumptio, quæ se nec increpata cohibuit. Vnde quia conuenit fidei vestræ vel gloriæ, vt sicut hæresis Deo per vos agente destructa est, ita etiam omnis ambitus retundatur, agite quod & Christianæ est probitatis & regiæ, vt prædictus Episcopus parcat patribus, consulat paci, neque sibi æstimet licuisse, quòd Antiochenæ Ecclesiæ, sine vllo exemplo, contra statuta canonum, Episcopum ordinare præsumpsit: quod nos amore reparandæ fidei, & pacis studio, retractare cessauimus. Abstineat ergo ab Ecclesiasticarum iniuria regularum, & inlicitos declinet excessus, ne se ab vniuersali Ecclesia, dum ini-

mica paci tentat abſcidat: quem opto magis inreprehenſibiliter agentem diligere, quàm in hac præſumptione, quæ illum ab omnibus ſeparare poterit, perdurare.] Et quia videns Anatolius nullo modo ſe poſſe vel per ſe vel per Imperatorem obtinere quod voluit, ſe inde recrediderit, idem ſanctus Leo demonſtrat, ſcribens ad eundem Anatolium, Si firmo, inquit, incommutabilique propoſito dilectio tua curam gratiæ communis habuiſſet, nihil profectò quod vllam anxietatem tibi ingereret extitiſſet. Non enim ſinebat ratio, vt eius caritatem ſpernerem, quem amore pacis, & ſtudio reparandæ catholicæ fidei, inter ipſa epiſcopatus rudimenta iuuiſſem, optans in Eccleſiaſticis curis talem habere conſortem, vt mihi de ſanctis præcurſoribus tuis, nec Ioannis ſpiritalem copioſámque doctrinam, nec auctoritatem Attici, nec induſtriam Procli, nec fidem beati Flauiani deeſſe ſentirem, & ita ſtudiis tuis vterer, vt nullus auderet vel fidei catholicæ reſultare, vel Nicænis venerabilium patrum regulis contraire. Sed cùm in iniuriam canonum, vt agnoſcis, illa tentata ſint, quæ omnibus Eccleſiis ſcandalum maximum generarent, quid aptiùs ac modeſtiùs facerem, quàm vt te primùm, vt ab hac intentione diſcederes, fraterno animo miſſis litteris admonerem? ad quas cùm non reſcriberes, ipſe te à conloquij mei conſortio ſeparaſti. Denique inde iam tacui, ſed clementiſſimo principi cuſtodi fidei frequenti litterarum petitione ſuggeſſi, vt pro pace Eccleſiarum, quam tibi maximè prodeſſe cognoſcis, hæc quæ nunc à tua dilectione facta ſunt implerentur. Cui ineffabiles gratias ago, quòd ſecundùm eruditionem Spiritus ſancti, cuius eſt virtute pleniſſimus, ſacerdotali dignatur ſtudere concordiæ, ſciens ſibi orationes ſupplicantium copioſiùs profuturas, ſi famuli vnius Domini in nullo ſint à veræ pacis vnitate diuiſi.] & poſt aliquanta, Illam, inquit, culpam, quam de augenda poteſtate aliena vt aſſeris adhortatione contraxeras, efficaciùs atque ſinceriùs tua caritas diluiſſet, ſi quod tentari ſine tua voluntate non potuit, non ad ſola clericorum conſilia tranſtuliſſes: quia ſicut in mala ſuaſione delinquitur, ita & in mala conſenſione peccatur. Sed gratum mihi, frater cariſſime, eſt, quòd dilectio tua profitetur ſibi diſplicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regreſſum profeſſio dilectionis tuæ, & atteſtatio principis Chriſtiani: nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis aſſertor acceſſit. Abiiciatur penitùs inconceſſi iuris qui diſſenſionem fecerat appetitus. Sufficiant limites, quos ſanctorum patrum prouidentiſſima decreta poſuerunt, vt quieta ſit ſuis meritis & antiquis priuilegiis dignitas omnium ſacerdotum. Renouetur & maneat in te Dominicæ caritatis affectio, ad quam dilectionem tuam ſæpiùs cohortatus ſum, cum fratre & Coepiſcopo noſtro Iuliano, qui communem gratiam ſemper optauit, cuius induſtria & ſollicitudines tuæ releuabuntur, & fides ca-

Epiſt. 77.

tholica munietur. Super omnia autem fraterna caritate hortor & moneo, vt ea quæ ad gloriam vel ad munimen pertinent ſacerdotalis officij, Nicænorum canonum vniuerſalis Eccleſiæ pacem ſeruantia decreta cuſtodias. Sic enim inter Domini ſacerdotes inuiolata caritas permanebit, ſi paribus ſtudiis quæ ſunt à ſanctis patribus conſtituta ſeruentur.]

Cap. XXIV. *De eodem canone Chalcedonenſi, & de canonibus Apoſtolorum, déque ſententiis Angilramno datis, & de epiſtolis Pontificum collectis ab Iſidoro.*

Qvia verò iterum quidam hæc releuare ac reſtituere conati ſint, allegantes quoniam Synodus Chalcedonenſis aut rata in totum tenebitur, aut in totum annullanda ducetur, beatus Gelaſius explanat, & vanas opiniones atque obiectiones deſtruit, & quæ ſunt tenenda in decretis ſuis oſtendit, dicens, Ne fortè, quod ſolent, dicant, quin Græci, quòd ſi Synodus Chalcedonenſis admittitur, omnia conſtare debeant quæ illic videntur eſſe deprompta. Aut enim ex toto eam admitti oportere, aut ſi ex parte repudianda eſt, firmam ex toto conſtare non poſſe. Cognoſcant igitur, quoniam illud ſecundùm ſcripturas ſanctas traditionémque maiorum, ſecundùm canones reguláſque Eccleſiæ, pro fide communi & veritate catholica & Apoſtolica, pro qua hanc fieri ſedes Apoſtolica delegauit factámque firmauit, à tota Eccleſia indubitanter admitti. Alia autem, quæ per incompetentem præſumptionem illic prolata ſunt, vel potiùs ventilata, quæ ſedes Apoſtolica gerenda nullatenus delegauit, quæ mox à Vicariis ſedis Apoſtolicæ contradicta manifeſtum eſt, quæ ſedes Apoſtolica, etiam petente Martiano Principe, nullatenus approbauit, quæ præſul Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ tunc Anatolius, nec ſe præſumpſiſſe profeſſus, in Apoſtolicæ ſedis antiſtitis non negauit poſita poteſtate, quæ ideò, ſicut dictum eſt, ſedes Apoſtolica non recepit, quia quæ priuilegiis vniuerſalis Eccleſiæ contraria probantur, nulla ratione ſubſiſtunt. Quid enim quia in libris ſanctis, quos vtique veneramur & ſequimur, quoniam quorundam illic & profanitates eſſe feruntur & ſcelera geſta narrantur, ideo nobis pariter aut veneranda ſunt aut ſequenda, quia in illis ſanctis libris & venerabilibus continentur? Sanctus Petrus primus Apoſtolorum, ſic æſtimans noui Teſtamenti gratiam prædicandam, vt à legis veteris non recederet inſtitutis, quædam per ſimulationem legitur inter Iudæos Gentiléſque geſſiſſe: numquid ideò aut illa eius ſequenda ſunt, quæ meritò & Coapoſtolus eius facta redarguit, & poſtea conſequenter ipſe vitauit, pariter aſſumenda ſunt cum his quæ vtpote primus Apoſtolus ſalubria prædicauit? Numquidnam aut eius recta doctrina cum his quæ humanitùs acceſſerant repudianda eſt,

In tomo de anathem. vinc.

aut illa adhuc imbecillis inscitia cum perfecta eius doctrina suscipienda est? Numquidnam in ipsorum hæreticorum libris non multa quæ ad veritatem pertineant posita releguntur? Numquidnam ideò veritas refutanda est, quia illorum libri, vbi prauitas inest, refutantur: aut ideo praui libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas quæ

1.Thess.5. illic inserta est non negatur? Ait Apostolus, Omnia probate, quæ bona sunt tenete. Scimus Apostolum etiam de paganorum libris aliqua posuisse. numquid ideò etiam cuncta recipienda sunt, quæ cum his pariter sunt prolata? Ipse Apostolus ait multos prædicatores aliter atque aliter Christum prædicare, vbi licet, quocumque modo, Christum prædicatum oportet admitti. Tamen nō ideò illum morem, quo non rectè prædicatum est, non admonet euitare. Malos operarios ipse conqueritur, quorum alia refutanda, alia docet esse sectanda. Hæc & huiusmodi exempla nos edocent, & testimonia diuina confirmant, non omnia passim à quocunque dicta, vel vbicumque scripta, indifferenter accipere, sed retentis bonis quæ noceant refu-

Post multa. tare.] Et item, *Quod firmauit in Synodo sedes Apostolica, hoc robur obtinuit: quod refutauit, habere non potuit firmitatem. & sola rescidit quod præter ordinem congregatio Synodi putauerat vsurpandum.*] Et item, *Nobis*, inquit, *opponunt canones*, quin Orientales Episcopi, *dum nesciunt quid loquantur, contra quos ipsi se venire produnt, quòd primæ sedi sana rectáque suadenti parere refugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationem totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri.*] Et item idem, *Viderint ergo si alios habent canones, quibus suas ineptias exequantuur. Ceterùm isti, qui sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, non solùm sedem Apostolicam ad iudicium vocare non possunt*, & reliqua.] Itémque idem. *Sed velint nolint, ipsius iudicio*, scilicet Apostolicæ sedis, *antiquæ canonum constitutiones firmantur. Sed religiosi viri atque perfecti secundùm canones concessam sedi Apostolicæ potestatem nimirum conantur eripere, & sibimet eam contra canones vsurpare contendunt. O canonum magistros atque custodes!* Et post aliquanta, *Quantum ad religionem pertinet, non nisi Apostolicæ sedi iuxta canones debetur totius summa iudicij.*] Et item, *Apostolicæ sedis auctoritas quòd cunctis sæculis Christianis Ecclesiæ prælata sit vniuersæ, & canonum serie paternorum, & multiplici traditione firmatur.*] Et item, *Si quidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.*] Beatus quoque Gregorius eadem passus à Ioanne, & post eum à Cyriaco, Constantinopolitanis Episcopis, quæ & Leo ab Anatolio de præfatis Constantinopolitanis canonibus, pari modo scribens ad Eulogium Alexandrinum Episcopum, & ad Anastasium Antiochenum Episcopum, in suis epistolis inter cetera dicit hoc modo, Canones quidem Constantinopolitani Con-

Lib. VI. Epist. 31. cilij Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, nequaquam dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem canones, vel gesta Synodi illius, hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem ean-

eandem Synodum suscepit, quod est per eam contra Macedonium diffinitum. Reliquas verò hæreses, quæ illic memoratæ sunt, ab aliis iam patribus damnatas reprobat. De Eudoxianis verò nihil hactenus agnouit.] Et cùm idem beatus Gregorius sæpè in suis epistolis dicat ita se quatuor Synodos recipere sicut quatuor Euangelia, apertè demonstrat eodem modo, sicut præmisit, Synodum Constantinopolitanam recipere, scilicet, vt quod de fide contra hæreticos in ea est diffinitum Apostolica sedes recipiat, canones autem vel gesta Synodi illius contra Nicænos canones, vt suprà ostensum est, nequaquam recipiat. Quia verò sedes Apostolica canones Chalcedonensis Concilij, præter illud vnum capitulum in XVII. recapitulatum, quod contra Nicænos canones est constitutum, recipiat, idem beatus Gregorius in epistola ad Secundinum, & in homilia Euangelij decima septima euidenter ostendit, Quinam sunt, inquiens, in templo Dei hodie qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam videlicet impositionem Spiritus sanctus cælitus datur? Columba igitur venditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur. Sed Redemptor noster cathedras vendentium columbas euertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. Hinc est quòd sacri canones Simoniacam hæresim damnant, & eos sacerdotio priuari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas euertitur, quando hi qui spiritalem gratiam venundant, vel ante humanos vel ante Dei oculos sacerdotio priuantur.] Nulla quippe Synodus ex hac re decreuit iudicium nisi Chalcedonense Concilium, licèt inde habeatur decretum & in canonibus qui vocantur Apostolorum, quia non Episcopalium Conciliorum auctoritate sunt constituti, sed à primis temporibus traditione viritim Apostolicorum virorum fuerunt mentibus commendati, & partim verbis, partim sensu, ac sparsim diuersis quorumdam epistolis pro qualitate causarum & personarum ac temporum inditi, atque exinde, antequam Episcopi Concilia liberè inciperent celebrare, à deuotis quibusque collecti. In quibus quædam receptibilia, quædam verò sunt non seruanda. De quibus interdum quædam adsumpta sunt in Conciliis, quædam etiam à maximis & præcipuæ auctoritatis viris in suis opusculis, sicut & de apocryphis, adsumpta fuisse legimus, quoniam in quibusdam ad instructionem valent. Et ideo, sicut maiorum traditione didicimus, seorsum ante Concilia in canonum libris ad instructionem & propter vulgatam eorum famam ponuntur: in quibúsque codicibus sacrum Nicænum & vniuersale Concilium regionalibus Conciliis, quæ ante illud acta fuerunt, propter auctoritatem suæ magnitudinis præponitur. Ceterùm iidem canones qui vocantur Apostolorum, non ab Apostolis conscripti esse creduntur: quoniam, sicut in sacra historia legi-

mus, & inde ſcriptum ab Eccleſiæ magiſtris accepimus. Prima Synodus Apoſtolorum habita eſt Hieroſolymis, de electione duodecimi Apoſtoli pro Iuda. ſecunda, de electione ſeptem diaconorum. tertia, de Circumciſione, ne credentibus ex gentibus imponeretur. quarta facta eſt de credentibus ex Iudæis illo tempore, ne prohiberentur, vbi neceſſitas exigeret, etiam legalibus ceremoniis initiari, ob deuitandum videlicet eorum ſcandalum, qui putabant eos ita Moſaica decreta tamquam idololatriæ dogmata damnaſſe, quod etiam antè facere conſueſſe Timothei maximè circumciſione probatum eſt. Quintam verò Synodum Apoſtolorum patres noſtri fuiſſe tradunt, quando ſecundùm quod prædictum eſt tempus adimpletionis aduenit, vt in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, & ſecundùm Domini dictum, Euange-
Matth.21. lium prædicaretur in toto mundo per Apoſtolos, quibus dixit, *Ite, docete omnes gentes.* Et tunc Symbolum, ſicut vniuerſalis tenet Eccleſia, condiderunt, ſinguli ſingulas ſententias proferentes, ſicut & Leo
Epiſt. xv. in fine. ad Pulcheriam Auguſtam demonſtrat, Siquidem ipſa, inquit, catholici Symboli breuis & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis, tam inſtructa ſit munitione cæleſti, vt omnes hæreticorum opiniones ſolo ipſius poſſint gladio detruncari. Cuius Symboli plenitudinem ſi Eutyches puro & ſimplici voluiſſet corde concipere, in nullo à decretis ſacratiſſimi Nicæni Concilij deuiaret, & hoc à ſanctis patribus intelligeret conſtitutum, vt contra Apoſtolicam fidem, quæ non niſi vna eſt, nullum ſe ingenium, nullum eleuaret eloquium.] Denique poſt hæc nulla Synodus ab Apoſtolis legitur celebrata, qui fuerunt per omnem terram ad verbum fidei ſeminandum progrediendo diſperſi. Sed & beatus Gelaſius in catalogo qui libri ab Eccleſia catholica recipiantur deſcripto, authenticis ſcripturis, & Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, ac Epheſinæ, Chalcedonenſis quoque Synodi, & aliis Conciliis à ſanctis patribus inſtitutis, & orthodoxorum opuſculis, atque decretalibus epiſtolis Apoſtolicæ ſedis Pontificum, aliiſque ſcripturis diſcretè commemoratis, de his Apoſtolorum canonibus penitùs tacuit, ſed nec inter apocrypha eos miſit. Quapropter in lectione illorum ſequenda eſt cautela ab eodem S. Gelaſio præmonita, Cùm hæc, inquit, ad catholicorum manus aduenerint, beati Pauli Apoſtoli præ-
1.Theſſ.5. cedat ſententia, qua dicit, *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.*] Sicut & in illis capitulis, quæ dicuntur ex legibus Romanis Latina & Græca lingua conſcriptis, & ex præfatis epiſtolis diuersè collecta, & ſatagente Oſio ad Synodum Nicænam delata, ſed nonniſi ea quæ ibidem conſtituta tenemus, ad ſeruandum fuiſſe decreta. Vnde identidem iſdem Oſius quædam in Synodo Sardicenſi recitauit, quæ cum legatis Apoſtolicæ ſedis ab eadem Synodo corroborata Eccleſia catholica recipit. In qua Synodo, cui præſederunt legati Apo-

ſtolicæ ſedis, idem Oſius Cordubenſis Epiſcopus, & Vincentius Capuanus, atque Calepodius Neapolitanus, fuerunt de Heſperiis partibus Epiſcopi quaſi trecenti, ex Orientalibus ſex & ſexaginta, ſub Conſtantio Imperatore, Rufo & Euſebio Conſulibus: & Orientalibus Arrianis à Synodo fuga recedentibus, Heſperij catholici remanentes quæ tunc agenda fuerant exequi ſtuduerunt. Recordare quando hæc & plura hinc tibi dixi ex traditione hiſtoriæ veteris, cùm mihi eras dulciſſimus filius, & vbi etiam iſta de Apoſtolorum canonibus, & de in præfatis Synodis, Oſio ſatagente, recitatis capitulis legere potuiſti, ſi non neglexiſti, & contra auctoritatem veterum, qui veraci atteſtatione confirmant non plura fuiſſe capitula ſacri Nicæni Concilij, quàm illa quæ ex antiqua conſuetudine catholica tenet & veneratur Eccleſia, his adquieſcere nolens contende, ſi dicentem Apoſtolum nolueris obaudire, *Si quis*, inquit, *vult contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.* 1. Cor. 11.
Ego autem ex hac cauſa ceſtus iam depoſitos non reſumam, cùm ſufficiant mihi quæ ſedes Apoſtolica & catholica docet Eccleſia. Et quod addidiſti tuis commentis, non eſſe primatem diœceſeos præter Apoſtoli primi vicarium, ſufficienter ſuprà legiſti quæ ſacri canones & decreta ſedis Romanæ Pontificum de prouinciarum primatibus intellexerunt ac decreuerunt.

De ſententiis verò, quæ dicuntur ex Græcis & Latinis canonibus & Synodis Romanis atque decretis præſulum ac ducum Romanorum collectæ ab Adriano Papa, & Engelramno Metenſium Epiſcopo datæ, quando pro ſui negotij cauſa agebatur, ex quibus quædam tuis commentis interpoſuiſti, quàm diſſonæ inter ſe habeantur, qui legit ſatis intelligit, & quàm diuerſæ à ſacris canonibus, & quàm diſcrepantes in quibuſdam ab Eccleſiaſticis iudiciis habeantur, vt hîc quędam de plurimis ponam, euidenter manifeſtatur, Delatori, inquiunt, Cap. 49.
aut lingua capuletur, aut conuicto caput amputetur. Iudex crimi- Cap. 57.
noſum diſcutiens, non antè ſententiam proferat capitalem, quàm aut reus ipſe confiteatur, aut per innocentes teſtes conuincatur. Teſtes autem ſine aliqua ſint infamia, vxores & filios habentes, & Cap. 73.
omnino Chriſtum prædicantes. Teſtimonium clerici aduerſus laicum nemo ſuſcipiat.] Quæ quantum aliena ſint à ſacris canonibus, & quantum inimica ſint Eccleſiaſticis iudiciis, nemo eſt qui ignoret. & quàm tibi tuiſque nuperrimis factis, de quibus reprehenderis, ſint in quibuſdam aduerſæ, ex quibuſdam de plurimis hîc oſtenſis patenter quilibet poteſt agnoſcere. Placuit, in- Cap. 22.
quiunt, vt nullus Epiſcoporum quemquam clericorum iudicare aut damnare præſumat, niſi accuſatus legitimos accuſatores præſentes habeat, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina.] & poſt aliquanta: Nec priùs litigantibus ſua velit, quin iudex, ſententia obuiare, niſi quando ipſi, peractis omnibus, iam nihil ampliùs

habuerint in quæstione quod proponant, & tamdiu actio ventiletur,
Cap 53. quo vsque ad rei veritatem perueniatur, & reliqua. Caueant Iudices Ecclesiæ, ne absente eo cuius causa ventilatur sententiam proferant, quia irrita erit, immo & causam in Synodo pro facto dabunt.] Contra quas sententias fecisti, quando excommunicationes Deo & præceptis eius contrarias, de quibus te scriptis redargui, exerere præsumpsisti. Et item in eisdem sententiis scriptum est;
Cap. 27. Sunt nonnulli, qui indiscussos potestate tyrannica non canonica auctoritate damnant, & sicut nonnullos gratia fauoris sublimant, ita quosdam odio inuidiáque permoti humiliant, & leui opinionis aura condemnant, quorum crimina non adprobant. Ideóque communi decreto censemus, vt quandocumque aliquis Episcoporum criminatur, congregatis omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis causa eius audiatur, vt non occultè iudicetur vel damnetur, quia ab aliis priùs iudicari non potest, nisi ab his à quibus ordinari potuit. quod si aliter factum fuerit, nullas vires habebit.] Bona hora, tantùm laborasti vt nulli subditus esses nisi Apostolicæ sedis Pontifici, & nullus te iudicare posset nisi Apostolica sedes, cùm ex ipsis sententiis, quas ad defensionem tui muniminis protulisti, hoc contra te proferatur, quia ipsis es subditus, & ab his potes iudicari, à quibus potuisti ordinari. Miranda, vel potiùs miseranda tua mirabilis immo miserabilis sapientia, quia hæc in ipsis sententiis videre non potuisti, vel videre non voluisti, cùm legas Episcopus sancta animalia Ezechieli ostensa plena esse oculis antè & retrò, & arrogantem Pharisæum ibi oculum non habuisse, vbi iactando enumerans bona sua publicano se prætulit. Hinc etiam de te intelligi potest quod Salomon dicit,
Prou. 12. *Doctrina sua noscitur vir: qui autem vanus & excors est, patebit contemptui.* Et Seneca penè Christianus, & Apostolo Paulo familiaris, *Videndum*, inquit, *ne per quæ admiratio paratur, ridicula & odiosa*
Prou. 26. *sint.*] Et item Salomon, *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.* Et Cato,

Audit quod non vult, qui pergit dicere quod vult.
Vlcus proserpit, quod stulta silentia celant.
Tolle mali testes, leuiùs mala nostra feremus.

Prou. 22. Vnde item Salomon, *Eiice derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabúntque causæ & contumeliæ.* Si verò ideo talia quæ tibi visa sunt, de præfatis sententiis, ac sæpè memoratis epistolis, detruncando, & præposterando, atque disordinando collegisti, quia fortè putasti neminem alium easdem sententias, vel ipsas epistolas, præter te habere, idcirco talia liberè te existimasti posse colligere, res mira est, cùm de ipsis sententiis plena sit ista terra, sicut & de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus Episcopus in huiusmodi, sicut & in capitulis regiis, studiosus obtinuit, & istas regiones ex illo repleri fecit. In cuius præ-

ſatione idem Iſidorus dicit de Apoſtolorum canonibus, quòd à quibuſdam dicantur apocryphi, & plures eos recipiant, & ſancti patres eorum ſententias Synodali auctoritate roborauerunt, & inter canonicas conſtitutiones poſuerunt. quod de quibuſdam ſententiis verum eſt, ſicut alibi in hoc opuſculo potes legere. Differentiam quoque inter epiſtolas quas collegit, & ſacros canones, ex verbis beati Gelaſij, quibus & ſua verba interpoſuit, fecit. De Nicæno autem Concilio non eſt ita vt ſcripſit, ſicuti multis auctoritatum teſtimoniis adprobatur: & quod de Paſcha ex epiſtola Theophili protulit, qui Eccleſiaſticas hiſtorias legit, in eodem Concilio de Paſcha cum capitulis ibidem conſtitutis epiſtolam conditam reperit. De cuius ſcilicet Iſidori dictis, ſed & de epiſtola Damaſi, quam ſuæ præfationi ſuppoſuit, & collectioni præpoſuit, quædam poſſem prolixiùs oſtendere. Sed cùm ad ea quæ hinc ſunt opus, Apoſtolicæ ſedis Leonis, & Gelaſij, ac ceterorum pontificum Romanorum poſt Damaſum, ſufficientiſſimè auctoritas & explanatio ſuppetat, ſuperfluum duxi non neceſſaria in medium deuocare, ne illud poëticum mihi obiiceres, *Tu ne fortè feras in ſyluam ligna viator.* Tu dicis, vt audiui, quia non ego ſolus ſapio canones, & verum dicis. Accepto prorſus hoc dictum, non quia tuum eſt, ſed quia verum eſt. Et ego dico, quia non tu ſolus bene intelligis canones, & verum dico. Recipe igitur hoc dictum, non quia meum eſt, ſed quia verum eſt. Et ſi tu te putas ſcire quæ non didiciſti, ego illum hominem ſolum dico eſſe, qui ſciuit quæ non ab homine didicit, de quo admirantes dicebant Iudæi, *Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?* & ideo potuit per idiotas & piſcatores docere oratores, & ſubiugare ſibi Imperatores. Ioan.7.
Et quia ego dico illum ſolum hominem eſſe, qui ſciuit quæ ab homine non didicit, tu videbis de Paulo, qui dicit ſe non didiciſſe ab homine, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti, quem idem Paulus hominem eſſe non denegauit, quando dixit, *ſe nihil ſcire, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* quia Ieſus Deus & homo, quoniam diuinitas crucifigi non potuit, homo eſt qui crucifixus fuit. Tu me reprehendis quia dico, quoniam antequam tu fuiſſes natus, ego canones ſciui, iactans te cur non tibi liceat ſcire, qui poſt me didiciſti, quod ego ſcio qui ante te didici. Sed Paulus non eſt de tuo corde locutus, qui legens dictum à Moyſe, *Interroga patrem tuum & adnuntiabit tibi, maiores tuos & dicent tibi,* glorietur ſe didiciſſe legem ad pedes Gamalielis: & ſciens quia quando ſuperbus erat, de cælo eſt proſtratus à Domino, & qui prædicator futurus erat, non tamen mox vt prædicaret quod viderat audiuit, ſed ei iacenti dicitur, *Ingredere in ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere.* Et hoc Dominus eum ab Anania diſcere voluit, vnde ipſe eum ſtatim & in momento per reuelationem potuit docere. Deinde venit Hieroſolymam videre Petrum. Deinde poſt annos quatuordecim aſcendit Hieroſolymam ſecundùm

1.Cor.2. Deut.32. Act.22. Act.9. Galat.c.1. & 2.

Ibid. reuelationem, & contulit cum antecessoribus suis Apostolis Euangelium quod prædicabat in Gentibus : seorsum autem cum his qui videbantur præstantiores, ne fortè in vacuum curreret aut cucurrisset. Iob 12. Et hæc dico non ignorans de quibusdam dictum fuisse, *In antiquis est sapientia*, & de quibusdam, *Cani hominis, sapientia eius.* Similiter de quibusdam, *Quanto iuniores, tanto perspicaciores*, & de quibusdam 2.Tim.4. intelligendum, *Quanto iuniores, tanto peruicaciores*, de qualibus Paulus dicit, *Erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros*, & reliqua. Et quoniam scimus vbi, & quanto tempore, & à quibus, & quæ ac quanta didicisti, qui Ezech.28. non es doctus in schola Danielis, de quo dicitur, *Numquid tu Daniele sapientior?* quandiu talia tibi ad intentionem tuam non profutura, quæ in commentis tuis continentur, vadis fodiendo, vtilius, immo quia hæc inutilia sunt vtile tibi foret illa quærere, quæ ad tuam & commissorum tibi saluationem debueras baiulare. Scilicet quomodo in regulis sacris debeas intelligere, quia quidam iubentur vsque ad missam catechumenorum manere in Ecclesiâ, quidam autem sola intra Ecclesiam fidelium oratione iungi sacræ mysteriorum celebritati, à Dominicæ autem mensæ conuiuio segregari. Et Leo Epist. 91. c. 4. dicit, His qui in tempore necessitatis, & periculi vrgentis instantia, præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda.] Et Inno- Epist.1.c.19 centius dicit, Vt quæ Christo spiritualiter nubunt, & à sacerdote velantur, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculò corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se iunxerant de mundo recesserit.] Et Cælestinus dicit, Vt nulli sit vltima Epist.1.c.2. pœnitentia deneganda.] Cùm enim nullus dicitur, nemo excipitur. Et Leo sicut præmisimus, Implorantibus nec satisfactio, inquit, inter- Ep.91. c. 4. dicenda est, nec reconciliatio deneganda.] Et hæreticos ac schismaticos legimus ad Ecclesiasticæ fidei & pacis vnitatem redeuntes per manus Episcopalis impositionem in ordinibus suis debere recipere, & presbyteros vel diaconos in aliqua grauiori culpa conuictos, qua eos à ministerio necessesit remoueri, non eis manus tanquam pœnitentibus debere imponi. Sciendum ergo nobis est, cur hęreticis & schismaticis redeuntibus manus imponitur, & lapsis diaconibus vel presbyteris ad reconciliationem nequaquam manus imponitur, de quibus Leo dicit, Huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuatam esse expetendam secessionem, vbi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa.] Et idem Leo dicit, Vt si quis in regulas sacras commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.] Et S. Gregorius, ac ceteri Romani Pontifices, sed & sacri canones dicunt, Lapsos in ordine non debere restitui, sicut nec publicè pœnitentes ad Ecclesiasticum ordinem promoueri. Quomodo ergo pœnitentia, si fuerit digna, esse poterit fructuosa, si in gradibus suis huiusmodi

pœnitentes non valebunt restitui? Quid enim prodest triticum seminare, & fructum illius non colligere? aut domum construere, & non illic habitare? *Numquid qui cadit non adiiciet vt resurgat?* Et quorundam hæreticorum, quorum baptisma probatur, clericos in ordinibus suis recipi, quosdam autem legimus recipi non debere, & à quibusdam quosdam hæreticos vel schismaticos cũ chrismatis vnctione, à quibusdam quosdam per manus impositionem sine chrismatis vnctione, à quibusdam quosdam sine manus impositione, cum professione simul & subscriptione, à quibusdam quosdam tantùm professione recipi debere legimus. Et item in sacris canonibus legimus, Vt hi qui post sanctam religionis professionem apostatant, & ad sæculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, sine pœnitentia communionem penitùs non accipiant. &, Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si superuixerint.] Et legimus, quia sicut vnum est baptisma, ita & vna debet esse pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Et sunt in nostris parochiis plurimi, qui post pœnitentiam & reconciliationem per manus impositionem, & post communionem, iterum labuntur, non solùm semel, sed & secundò ac tertiò: quomodo nobis de his faciendum sit, cùm, sicut præmisimus, sine pœnitentia communionem non accipient, vel quomodo qui accipiunt Eucharistiam, & sic moriuntur, absoluti erunt, qui non essent absoluti sine manus impositione, si superuiuerent. Et in sacris canonibus legimus, Eorum, qui pœnitentia accepta in bono vitæ cursu satisfactoria compunctione viuentes, sine communione inopinato nonnumquam transitu in agris aut in itineribus præueniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu prosequendam.] Et Leo dicit, Horum causa Dei iudicio reseruanda est, in cuius manu fuit, vt talium obitus vsque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.] Sed & quomodo distinctos gradus pœnitentium, de quibus in canonibus legimus, pœniteant pœnitentes secundùm præfixos gradus, intelligere quot sint, & qui sint, & obseruare erga pœnitentes in Ecclesia debeamus, ne contra sacras regulas faciamus, nosse ex canonibus sacris debemus. de quibus quædam, si in opusculo isto diligenter attenderis, & ea reducere ad memoriam volueris, quæ iam tibi dixisse me recolo, quando videbaris dignationem discendi habere, & velle docenda discere, poteris intelligere. Sunt & alia plurima, quæ hinc tibi poteram computare, sed mihi, præsertim inter spinas seminanti, esse longum & tibi infructuosum fore existimo, quia voluntatem tuam ac desiderium ad ea tendere inhianter audio & video, *quæ tamquam fœnum velociter arescent, & sicut olera herbarum citò decident.* De quibus iterum scriptum est, *Dormie-*

Amos c.5.
Conc. Arelat. II. can. 25.
Conc. Vasen. can. 2.
Epist. 92 ad Rust. Narb. cap. 8.
Psal. 39.
Psal. 75.

runt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitauerunt qui ascenderunt equos. In morte animæ, inquit Gregorius, *mentis oculos à veritatis luce clauserunt, qui in præsentis vitæ honore confisi sunt: qui temporalis amor & honor, tùm sicut fumus deficient, nisi ad tempus fueris inde conuersus, quando transibit actus, manebit tibi reatus.*] Ideo oportuerat te illa, quæ hîc tibi prodesse inciperent, & in semper existenti sæculo amplius prodessent, *quando*, sicut dicit Apostolus,
1. Cor. 13. *veniet quod perfectum est, & euacuabitur quod ex parte est*, tota mentis deuotione amplecti, de quibus si hodie aut cras interrogatus fueris, vera & salubria respondere valeres. Sed quia vsus pessimo præceptore teipso, dedignaris scire quod nescis, cùm inde interrogatus fueris, aut hæsitando dissimulabis respondere, aut incerta studebis peruersè docere. Tandem ab eo quod in fine pitacioli tui misisti, Decretalia, inquiens, quæ à sanctis Pontificibus primæ sedis Romanæ Ecclesiæ sunt instituta, cuius auctoritate atque sanctione omnes Synodi & sancta Concilia roborantur, & stabilitatem sumunt, cur vos non habere vel obseruari dicitis, nisi quia vestræ ordinationi contradicunt?] Miror quare non vidisti te manifestè redargui & increpari, cùm illa, quæ tibi in parua scedula apud Gundulfi villam dedi, & in hoc opusculo suprà posui, quæ certum est te habere, penitus prætermiseris, nisi, vt tu ipse ex alterius verbis in tuo pitaciolo scripsisti, quia tuæ ordinationi, id est, tuæ voluntati, & tuæ intentioni contradicunt. Vnde inferri tibi
Luc. 19. rectè potest quod scriptum est, *Ex verbis tuis te iudico*, sicut ipse scripsisti dicens, Ecce hîc euidentissimè ostenditur, si quis contra Romanorum Pontificum decreta obloqui præsumpserit, iure temeritatis arguetur.] Igitur lege illam præfatam scedulam, & suprà scripta Pontificum Romanorum decreta ex sacris canonibus promulgata, & inuenies te obloqui Pontificum Romanorum decretis. & quando altera vice sic accuratè dictabis, studiosiùs polire linguam tuam curabis, ne vitiosè contra tuam grammaticam dictes, sicut hîc fecisti dicens, Si quis contra Romanorum Pontificum decreta obloqui præsumpserit. Nos enim simplices ac idiotæ, si hinc loqui contingeret, diceremus, aut contra Romanorum Pontificum decreta loqui, aut Romanorum Pontificum decretis obloqui. Idem enim est, aut contra Romanorum Pontificum decreta loqui, aut Romanorum Pontificum decretis obloqui, vt non contemnendæ auctoritatis falsator dicit, *Obloquitur numeris septem discrimina vocum*. Vnde tuus Seruius, *obloquitur numeris*, dicendo *obloquitur*, chordarum expressit laudem, quas dicit verbis locutas. obloqui enim non est nisi contra loquentem loqui. Qua de re, si talionem mihi reddere volueris, & in dictis meis reprehensiones quærens inueneris, ego iam spretis iactantibus puerorum plausibus, qui manente integro sensu, in verbis me magis intelligi quæro, quàm admirari, cum Paulo

lo dicam, *Et si imperitus sermone, non tamen scientia.* Tibi autem nouo 2.Cor.11.6.
grammatico, qui, vt frondosa & condensa arbor, foliis ornatus verborum phaleris debes incedere, & tua figmenta grandisonis pompare modis, & in omnem ventum inflatis buccis grammaticas spumas exspuere, hoc dicere non licebit. In clausula verò tui pitacioli posuisti, Hæc, inquiens, succinctè quidem excerpsi, ac passim pro qualitate negotij contexendo promiscuéque conserendo, ordine cùm præpostero, tum composito, sed & sensim connexo, adsciui.] Vnde parcat mihi tua prudentia, & cuiuscumque alterius lectoris patientia, si tumultuario, & sæpiùs repetito, non autem recti tramitis vel ordinato sermone, necessitate compulsus hoc opusculum designare potiùs quàm perficere studui: quoniam tuis compilationibus confuso, & sicut ipse dixisti, præpostero ordine positis, & nunquam in eodem statu manentibus, aliter respondére non potui, nisi, vt venatores feræ lustra sequentes agere auditu & lectione puer scholarius in libro qui inscribitur Cynegeticon Carthaginensis Aurelij didici, hac íllácque discurrendo, retrograda etiam vestigia repetendo, anfractus tuos vestigando, explicare studerem: quod adhuc mihi erit necessarium facere, & in explicanda de inceptis ratione, & in ostendenda causali actione de his quæ admisisti, & pro quibus tibi & Ecclesiæ tibi commissæ scripsi, contra quæ inregulariter subscripsisti, ac subscribi fecisti, & etiam cùm tuam nouam subscriptionem, quin potiùs tuam nouam præsumptionem adiens,

—mille vias, tristésque labores,
Discursúsque citos, securi prælia ruris,

& sincero corde lites domesticas subire compellar.

CAP. XXV. *De auctoritate & differentia Conciliorum & epistolarum sedis Apostolicæ Pontificum.*

De cetero quod Daniel dicit, *Pertransibunt plurimi, & multiplex* Dan.12.
erit scientia, Dominus demonstrat ad Moysem dicens, *Ego sum Deus* Exod.6.
Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, & nomen meum Adonai non indicaui eis. & longè post Moysem Dauid dicit, *Super seniores meos* Psal.118.
intellexi, & super omnes docentes me intellexi. & Apostoli viderunt & audierunt quòd multi antiqui iusti desiderantes non viderunt vel audierunt. Quod beatus Gelasius, sapientiæ & scientiæ spiritu repletus, in catalogo, qui libri ab Ecclesia catholica recipiantur, post descriptionem authenticarum scripturarum, & Nicæna, Constantinopolitana, ac Ephesina, Chalcedonensi quoque Synodis commemoratis, subiunxit, Et si qua sunt Concilia à sanctis patribus instituta, post horum quatuor auctoritatem & custodienda & recipienda decreuimus.] Commemoratis etiam opusculis orthodoxorum ex nomine designatorum, adiunxit dicens, Item opuscula atque tracta-

tus omnium patrum orthodoxorum, qui in nullo à sanctæ Ecclesiæ Romanæ consortio deuiarunt, nec ab eius fide vel prædicatione seiuncti sunt, sed ipsius communioni per gratiam Dei vsque ad vltimum diem vitæ suæ fuere participes, legenda decernimus.] Deinde dicit, Item decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Roma pro diuersorum patrum consolatione dederunt, venerabiliter suscipiendas.] Et sic de Martyrum passionibus coniunctim loquens, & de vitis sanctorum, & de actibus beati Siluestri, & ex scriptura de inuentione dominicæ Crucis, & de inuentione capitis beati Ioannis, Baptistæ sollertissimè ac discretissimè addidit dicens, Sed cùm hæc ad catholicorum manus aduenerint, beati Pauli Apostoli præcedat sententia, *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Sed & in ipsis apocryphis discretionem teneri debere subinnuit, De quibus quædam in totum sunt reiicienda, quædam autem propter hæreticorum calumnias inter apocrypha sunt computanda, sed non penitùs abominanda, de quibus viros catholicos in suis opusculis testimonia legimus adsumpsisse, sicut & beatus Iudas Apostolus in epistola sua egit.] Animaduertenda igitur est discretio ex verbis beati Gelasij inter synodalia Concilia, & Apostolicorum virorum epistolas, quas ante Concilia celebrata diuersis temporibus, pro diuersorum patrum consolatione dederunt, quásque venerabiliter suscipiendas dicit: si qua sunt autem Concilia à sanctis patribus instituta post quatuor Conciliorum auctoritatem, custodienda & obseruanda decreuit. Vnde item idem in decretis suis dicit, Patres, inquit, nostri catholici doctíque Pontifices, in vnaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque Apostolica, secundùm scripturarum tramitem, prædicationémque maiorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps firmúmque constare, nec in eadem causa denuò quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt.] Quantum enim distet inter illa scilicet Concilia, quæ custodienda & recipienda decreuit, & inconuulsa firmáque deinceps patres catholici manere voluerunt, & illas epistolas, quæ diuersis temporibus pro diuersorum consolatione datæ fuerunt, quas venerabiliter suscipiendas dicit, nemo in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatus ignorat. Si enim quædam ex his, quæ in quibusdam illis epistolis continentur, tenere & custodire velle inceperimus, contra alia plurima illarum epistolarum facere incipiemus. Et rursus, si alia contra quæ feceramus, tenere & custodire inceperimus, aduersus ea quæ antea seruare voluimus faciemus, & à Conciliis sacris, quæ perpetuò nobis recipienda, tenenda, ac custodienda, atque sequenda sunt deuiabimus: sed & à consuetudine quam catholica Ecclesia habuit, ex quo in sacrum Nicænum Concilium patres nostri conuenerunt, qui adhuc, sicut Leo dicit, nobis-

[Margin notes: 1. Thess. 5. — Gelas. epist. 11. ad Dardanos. — Epist. 51. vel 53. ad Anatol.]

cum in ſuis conſtitutionibus viuunt, perniciosiſſimè diſcedemus, & nihil certi tenentes in ſectam Genethliacianorum, id eſt Mathematicorum offendemus, qui diffinierunt omnia in incertum. Nam & beatus Gelaſius eaſdem epiſtolas, non ſolùm ſacris canonibus in quibuſdam aduerſas, ſed etiam ſibi ipſis diuerſas oſtendit, cùm dicit, illas diuerſis temporibus pro diuerſorum conſolatione datas. Et hinc fortè aduerſum me dices, Ergo calumniaris Apoſtolicam ſedem in ſanctis eius Pontificibus, eo quòd malè ſenſerint, & non tenenda decreuerint. Vnde tibi reſpondeo, quod de lege non Iudaicè ſeruanda, contradicentibus ſibi & dicentibus, *Lex ergo aduerſus promiſſa Dei?* reſpondit Apoſtolus, *Abſit. Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum*, ſed perſonis & temporibus ſuis congrua. *quæ propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen cui repromiſerat Deus, ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Et illas epiſtolas ſanctorum & Apoſtolicorum virorum, diuerſis temporibus pro diuerſorum conſolatione, ſicut & beatus Gelaſius dicit, à ſede Apoſtolica datas, & per eoſdem Domini ſacerdotes qui & Angeli ſecundùm ſcripturam appellantur ordinatas, cum beato Gelaſio Apoſtolico viro venerabiliter ſuſcipiendas dico. Quæ ſuis temporibus congruentes fuerunt, donec per ſacra Concilia patres noſtri in vnum conuenientes, ſicut eiuſdem Apoſtolicæ ſedis Pontifices proteſtantur, ſuggerente ſibimet ſancto Spiritu, quoniam aliter credendum non eſt, manſuras vſque in finem ſæculi leges condiderunt. Et ſicut de lege dicit Apoſtolus, *Si enim eſſet lex quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia*, ita ſalua reuerentia ſedis Apoſtolicæ dico, quia ſi illa, quæ in eiſdem epiſtolis continentur, & ſuis temporibus congrua fuerunt, ſubſequentibus temporibus, ita vt in eis continentur, omnia & inſimul cuſtodiri valerent, & ſeruari ac teneri congruerent, patres noſtri, catholici videlicet doctique Pontifices, in Conciliis ſacris leges manſuras vſque in ſæculi finem non conderent. Suſcipiendas ergo illas epiſtolas venerabiliter cum beato Gelaſio dico, & cùm leguntur, ſicut ipſe præcipit Gelaſius, Apoſtolica illa præcedat ſententia, qua dicit, *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Et hæc dico, non quo quædam in eis dicam eſſe non bona, ſed non per omnia ſacris canonibus, patrúmque Conciliis conſona, ſicut & Apoſtolus dicit, *Lex quidem bona & ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum & bonum*, ſed in temporibus ſuis. Et Dominus de Iudæis, quibus ipſa lex data fuerat, dicit, *Dedi eis præcepta non bona*, id eſt, quædam tempore reuelatæ gratiæ immutanda, quia lex dicitur in allegoria, vt Apoſtolus de duobus Abrahæ filiis interpretatur. *Et patres,* inquit, *noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem ſpiritalem eſcam manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt. bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Et lex in

Gal. 3. 21. Rom. 7. 12. Galat. 3. 19. Galat. 3. 21. 1. Theſſ. 5. Rom. 7. 12. Ezech. 20. Gal. 4. 24. 1. Cor. 10. 4

decalogo quod non est immutatum accipitur, & lex inceremoniis &
Col. 2. legalibus sacrificiis dicitur, quæ *futurorum vmbras* appellat Apostolus,
&, vt longè superiùs prælibaui, immutata nunc spiritaliter in Ecclesia conseruantur. Quid enim agebatur in illo populo Iudæi nescierunt, sed nec modò sciunt. De illis quippe dictum est,
2. Cor. 3. *Quamdiu legitur Moyses, velamen super cor eorum positum est.* ibi velamen figura est, sed ablata est figura, & apparet veritas. Audi Apostolum quando
Ibid. ablatum est velamen, *Cùm transieris*, inquit, *ad Dominum, auferetur velamen.* Propitiatus ergo peccatis nostris & impietatibus per illud sacrificium vespertinum, quando Christus extendit manus in Cruce
Psal. 140. vt diceretur, *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, sicut nouimus quia Dominus circa vesperam pependit in cruce, ipse sacerdos, ipse victima, ipse oblator, ipse oblatio. Ipse sacerdos est, qui nunc ingressus est in interiora veli, solus ibi ex his qui carnem gestauerunt interpellat pro nobis. In cuius rei figura, in illo primo populo, & in illo primo templo, vnus sacerdos intrabat in Sancta sanctorum. Populus omnis foris stabat, & ille, qui solus ingrediebatur in interiora veli, offerebat sacrificium pro populo foris stante. Propitiatis ergo peccatis nostris & impietatibus per illud sacrificium vespertinum, transimus ad Dominum, & aufertur velamen. Propterea & Domino crucifixo velum templi scissum est. Itaque nec carnem præputij circumcidimus iuxta ritum Mosaicæ legis, nec abstinemus carnibus quas eadem lex dicit immundas, nec sabbata, & neomenias, & dies festos eorum carnaliter obseruamus, nec victimas pecorum sacrificamus Deo, nec Pascha in oue & azymis similiter celebramus, & si qua alia fuerunt vetera sacra-
Col. 2. menta, quæ omnia, vt dixi, *vmbras futurorum* appellat Apostolus, quia ea significabant suo tempore reuelanda, quæ nos reuelata percipimus, vt remota vmbra, nuda eorum luce fruamur. Nam & exuendo veterem hominem circumcidimur in expoliatione corporis carnis, & quos cibos illi vitant in pecoribus,
Rom. 12. nos vitamus in moribus, & *exhibemus corpora nostra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem*, cui & animas nostras in desideriis sanctis pro sanguine intelligenter effundimus, & Christi velut agni immaculati sanguine ab omni iniquitate mundamur: qui propter similitudinem carnis peccati, etiam caprino pecore in veteribus sacrificiis figuratur, nec eum negat in crucis cornibus taurum, qui in illo cognoscit maximam victimam. In illo requiem cùm inuenimus, verè sabbatizamus, & lunæ nouæ obseruatio, vitæ nouæ est sanctificatio, & Pascha nostrum est Christus, & azymum nostrum sinceritas veritatis fermentum non habens vetustatis. Et propter hanc vitæ nouitatem, primus mensis in anni mensibus celebrationi huic attributus est, nam ipse dicitur & mensis nouorum. Quia ve-

rò in toto tempore sæculi nunc tertium tempus apparuit, ideo resurrectio Domini triduana est. Primum enim tempus est ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia, vbi iam manifestatio est sacramenti priùs occulti in prophetico ænigmate. hoc ergo & in lunari numero significatur. Quia enim septenarius numerus solet in scripturis ad quandam perfectionem mysticus apparere, tertia hebdomada Lunæ Pascha celebratur, id est, qui dies occurrit à quarta decima in vicesimam primam. Et quæcumque alia illis veteribus adumbrata sunt signis, in isto habent finem, cuius regni non erit finis. In illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit legem & prophetas non soluere, sed implere. Proinde illa vetera signa rerum non euacuauit arguendo, sed mutauit implendo, vt alia essent quæ nuntiarent venisse iam Christum, quàm fuerant illa quæ prænuntiabant esse venturum. Similiter & in illis Apostolicorum virorum epistolis, quædam demonstrantur etiam apud Gentiles fuisse ante aduentum Domini significatiua, sicuti de prouinciis & priuilegiis ciuitatum, & primatibus Flaminum & Archiflaminum, quæ ad instar legis Mosaïcæ, longè ante Gentilium dispositionem, & in legislatione, & in eis quibusque distinctionibus existentis, vt suprà ostendi, & in diuisione tribuum ac incolatuum, & priuilegiorum, ac primatum ordinum singulorum Gentiles disposuerunt, &, vt Clemens atque Anacletus ostendunt, Apostolica traditione in Ecclesia hodiéque seruantur in diuisione regionum, & parochiarum, & priuilegiis sedium, & Episcoporum, ac Metropolitanorum, atque primatum. Quæ Apostolica vera traditio etiam ratione & prisca consuetudine sufficientissimè est confirmata. Planè, inquit Augustinus, verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est: sed cùm consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmiùs retineri. Quædam denique, sicut in eisdem epistolis ab Apostolis tradita leguntur, vel ex legibus Romanis adsumpta inueniuntur, ita plenariorum Conciliorum auctoritate firmata seruantur: & quædam ex his in Conciliis immutata fuerunt. Sed & quædam de his, quæ in regionalibus fuere statuta Conciliis, plenariorum Conciliorum auctoritate immutata, vel in postmodum inrefragabiliter conseruanda tenentur, sicut catholici doctores & Ecclesiæ magistri demonstrant, & partim ex eorum dictis suprà ostendi. & præter ea quæ de verbis beati Augustini in hoc opusculo posui, in libris De baptismo dicit. primùm quidem ostendens differentiam esse inter epistolare conloquium, quo istæ epistolæ Apostolicorum, de quibus agitur, conditæ sunt, & regionale ac plenarium Concilium. Video, inquit, quid adhuc à me possit inquiri. videlicet, vt respondeam verisimilibus illis rationibus, quibus vel antè Agrippinus, vel ipse Cyprianus, vel illi qui eis in Africa consenserunt, vel si fortè aliqui ex transmarinis terris longè discretis, nullo quidem siue plenario siue saltem regionali Con-

Matth. 5.

Lib. 4 de bapt. cōtra Donatist. cap. 5.

Lib. 3 de bapt. cap. 2.

cilio, sed epistolari conloquio, commoti sunt, vt hoc esse faciendum putarent, quod & consuetudo Ecclesiæ pristina non habebat, & postea catholicus orbis terrarum robustissima firmitate consensionis exclusit, vt quod per disputationes eiusmodi in aliquorum mentes inrepere cœperat, de salute veniens vnitatis potentior veritas & vniuersalis medicina sanaret.] Item differentiam inter regionalia & plenaria Concilia ostendit hoc modo, Nobis, inquiens, tutum est in ea non protrahi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt. Id autem securum est sententia vocis adserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri & saluatoris Iesu Christi vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.] Item differentiam ostendit inter authenticas scripturas, & regionalia & plenaria Concilia. Quis, inquit, nesciat sanctam scripturam catholicam, tam veteris quàm noui Testamenti, certis suis terminis contineri, eámque omnibus posterioribus Episcoporum litteris ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit? Episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorem auctoritatem, doctorúmque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est: & ipsa Concilia, quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere: ipsáque plenaria sæpè priora posterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vllo typho sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum caritate Christiana.] & item, Quapropter illud vnum isti considerent, quod omnibus patet. Si auctoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam esse in vnitate seruanda, quàm in Ecclesiæ consuetudine commutanda. Si autem Concilium eius attendimus, huic esse vniuersæ Ecclesiæ posterius Concilium præponendum, cuius se membrum esse gaudebat, & vt se in totius corporis compage retinenda ceteri imitarentur, sæpiùs admonebat. Nam & Concilia posteriora prioribus apud posteros præponuntur, & vniuersum partibus semper optimo iure præponitur. Cyprianus enim sanctæ Ecclesiæ catholicæ vniuersitas non fuit, sed in eius vniuersitate permansit: cuius radicem nunquam deseruit, sed in cuius radice fœcundus, vt esset fœcundior, ab agricola cælesti purgatus est.] Hæc de aliis Conciliis à beato Augustino sunt dicta. Ceterùm de sacra & mystica Nicæna Synodo, sicut suprà ex verbis Leonis & aliorum ostendi, ni-

Lib. 2. de bapt. cap. 3.

Ibid. c. 9.

hil vnquam à quoquam, vel Apoſtolicæ ſedis Pontifice, vel à plenario Concilio, minimè autem à regionali, eſt immutatum, quod non ſit penitùs irritum. Sicut & ſanctus Gelaſius in decretis ſuis dicit, Non inquiens nos latet, in tempeſtate perſecutionis Arrianæ, plurimos Pontifices de exiliis pace reddita reſpirantes, per certas prouincias, congregatis ſecum fratribus, Eccleſias compoſuiſſe turbatas: non tamen vt illius Synodi Nicænæ quicquid de fide & communione catholica diffiniuerat immutarent, nec noua quemquam pro lapſu damnatione percellerent: ſed illius tenore decreti, niſi reſipuiſſet, iudicare damnatum, eſſétque conſequens, vt niſi corrigeret, damnationi proculdubio ſubiaceret.] Suſcipe igitur illas epiſtolas, de quibus tua commenta compilaſti, venerabiliter vt dicit Gelaſius, & ſerua inuiolabiliter ſacra Concilia vt decreuit Gelaſius, & ceteri catholici videlicet doctique decreuerunt Pontifices. Sicut & de ſanctorum imaginibus decreuerunt, reprehendentes eos, veluti & beatus Gregorius in epiſtolis ad Secundinum & ad Serenum Maſſilienſem demonſtrat Epiſcopum, qui ſub hac quaſi occaſione ne adorari debuiſſent, confringenda eaſdem imagines dixerunt, & laudantes eos, qui illas non adorandas, ſicut neque confringendas, ſed ad inſtruendas ſolummodo mentes fuiſſe neſcientium collocandas conſtituerunt: quoniam in adoratione ſolius omnipotentis ſanctæ Trinitatis humiliter proſterni debet, & ſi quis imagines Dei & ſanctorum ad inſtructionem facere voluerit & habere, non debet vllo modo prohiberi. Et quia, vt ſcriptum eſt, *Quomodo in aquis reſplendent vultus perſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.* &, *Aqua profunda verba ex ore viri.* &, *Diriuentur fontes tui foras.* ex verbis ſanctorum, quaſi ex eorum imaginibus, ipſos, videlicet corda & promulgationes eorũ, cognoſcere poſſumus, quæ ſint quæ ſinguli quique pro conſolatione vel inſtructione quorundam, iuxta temporum & actuum qualitatem, & quæ communiter atque vnanimiter in Conciliis ſacris ad auctoritatem generaliter cuſtodienda & recipienda perpetuò decreuerunt, Tu hac diſcretione, vt præmiſi ex verbis B. Gelaſij, ſuſcipe ad inſtructionem illas epiſtolas, quas beatiſſimi Papæ diuerſis temporibus ab vrbe Roma pro diuerſorum patrum conſolatione dederunt, legendas venerabiliter, & ſerua ſacra Concilia, quæ ſedes Apoſtolica & omnis ſequitur Eccleſia, inuiolabiliter. Et vt Dominus ex lege confirmat in Euangelio, *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum*, quia mihi non pigrum, tibi autem eſt neceſſarium, repetam tibi quod de ſacris Conciliis ad Ianuarium dicit beatus Auguſtinus, Omnia itaque talia, quæ neque ſacrarum ſcripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diuerſorum locorum diuerſis motibus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino nunquam inueniri cauſæ poſſint, quas in eis

Epiſt. 11. ad Dardanos.
Prou. 27.
Prou. 18.
Prou. 5.
Matth. 18.
Epiſt.

constituendis homines secuti sint, vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo.] Quæ verba B. Augustini quomodo placeant tibi, tu videris, exiguitati autem meæ tutiùs & salubriùs videtur cum illo sacra sequi Concilia, & omnibus qui me audire voluerint inculcare, non sequi relictis sacris Conciliis illa quæ ipse existimat resecanda, quàm illa quæ tu resecata & dissecata proponis sectanda, quoniam sibi ipsis diuersa, ostendunt se esse non posse omnibus & in omnibus seruanda atque sequenda. Oportet igitur, inquit Innocentius ad Decentium Eugubinum Episcopum, eos, quin Domini sacerdotes, hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne, dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.] Quid sit autem quod Ecclesia Romana custodit, & Domini sacerdotes oporteat sequi, demonstrat Gelasius, Confidimus, inquiens, quod nullus iam veraciter Christianus ignoret, vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedem præ ceteris oportere quàm primam, quæ vnamquamque Synodum & sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper & retinet.] Ecce habes secundum legem & Euangelium, plenitudinem testium testificantium de sequendis inconuulsè Conciliis, & de non studendis peregrinis assertionibus, Apostolo etiam præcipiente, *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Peregrinas autem eas assertiones ideò cum Innocentio dico, quia ex quo sacra Concilia in Ecclesia catholica celebrari cœperunt, illa quæ suo tempore partim viguerunt, nisi quantum ex eis sacra Concilia assumenda viderunt, ab vsu Ecclesiastico effluxerunt, vsquequo nuper à te, quantum ex te est, recrudescere inceperunt, vt ad ea, quæ adspiras libenter, transire possis in affectum cordis licenter, & à nullo coerceri vel iudicari valeas regulariter. sed non sentiunt tecum, neque tibi consentiunt doctores & magistri Ecclesiæ.

Epist. 11. ad Dardanos.

Heb. 13.

CAP. XXVI. *De eadem differentia iterum, & de Conciliis plenariis, Synodíque Nicanæ prærogatiua.*

Epist. 118.

VNDE quasi ex supererogatione superadiicio tibi quod item beatus Augustinus ad Ianuarium dicit, Primò, inquiens, tenere te volo quod est huius disputationis caput, Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Euangelio loquitur, leni iugo suo nos subdidisse & sarcinæ leui. Vnde sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit, sicut est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in scri-

pturis

pturis canonicis commendatur, exceptis his quæ ſeruitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum & prophetici temporis onerabant, quæ & in quinque libris Moyſi leguntur. Illa autem quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſeruantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri, ſicuti quòd Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cælum, & aduentus de cælo Spiritus ſancti, anniuerſaria ſolemnitate celebratur, & ſi quid aliud tale occurrit, quod ſeruatur ab vniuerſis quacumque ſe diffundit Eccleſia.] Et in edicto Iuſtiniani Imperatoris, de rectæ fidei confeſſione, & refutatione hæreſium quæ aduerſantur catholicæ Dei Eccleſiæ, à Synodo quinta dictato, & ab eodem Imperatore confirmato, ſcriptum eſt, Oportet, inquit, etiam illud attendere eos qui veritatem perſcrutantur, quòd forſitan in Conciliis quædam à certis ibi conuenientibus dicuntur, aut per fauorem, aut per contrarietatem, aut per ignorantiam: nemo autem attendit ea quæ per partem à quibuſdam dicuntur, ſed ſola illa quæ ab omnibus communi ſenſu diffiniuntur. Si enim aliquis ſecundùm illos voluerit attendere huiuſmodi contrarietates, vnaquæque Synodus inuenietur ſemetipſam deſtruens.] Qua diſcretione prudentiùs te intelligens Antiochena Synodus, quam ſanctus Hilarius, illo in carne viuens tempore quando celebrata fuit, in epiſtola ad Imperatorem Conſtantium, & in libro de Synodis monſtrat fuiſſe catholicam, quámque Chalcedonenſis comprobat: & ſciens, poſt tempora quorumdam eorum, de quorum epiſtolis quædam collegiſti & quædam dolo omiſiſti, habitum Nicænum Concilium, cui à ſequentibus ſanctis Conciliis, ſicut nihil contrarium eſt additum, ita ab eo nihil eſt abrogatum, nihil mutilatum vel immutatum, licèt à quibuſdam non præualentibus fuerit adtentatum, conſtituiſſe vt per ſingulas prouincias ſuis priuilegia ſeruentur metropolitanis Eccleſiis, ita vt horum omnium, videlicet ſibi commiſſorum, Metropolitanus habeat poteſtatem, decreuit dicens, Per ſingulas regiones Epiſcopos conuenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius prouinciæ gerere, propter quod ad metropolim omnes vndique, qui negotia videntur habere concurrant.] & item, Nullus Epiſcopus ex alia prouincia audeat ad aliam tranſgredi, & ad promotionem miniſterij aliquos in Eccleſiis ordinare, licèt conſenſum videantur præbere nonnulli, niſi litteris tam Metropolitani, quàm ceterorum qui cum eo ſunt Epiſcoporum, rogatus adueniat, & ad actionem ordinationis accedat.] Quod manifeſtum eſt de quolibet Metropolitano, ne in prouincia Metropolitani alterius quod non eſt ſuum non petitus vel vocatus præſumat, & non de tuo Metropolitano in tua parochia illi ſubiecta dicere. Vnde & Innocentius ad Alexandrum Antiochenum Epiſco-

Conc. Nicæn. can. 6.

Conc. Antioch. can. 6

Can. 13.

Epist.10. pum, Reuoluentes, inquit, auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, quia super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam prouinciam, recognoscimus constitutam.] Et Bonifacius Papa ad Hilarium Narbonensem Episcopum, Nulli, inquit, videtur incognita Synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, vt eadem propriè verba ponamus, Per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subiectas: quod illi, quia aliter credendum non est, seruandum sancto Spiritu suggerente sibimet censuerunt.] & paulo pòst, Quòd idcirco dicimus, vt aduertat caritas tua, adeò nos canonum præcepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.] Et his consona Cælestinus, Iuxta decreta, inquit, canonum vnaquæque prouincia suo Metropolitano contenta sit, vt decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta: nec vsurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur iniuriam. Sit concessis sibi contentus vnusquisque limitibus, alter in alterius prouincia nihil præsumat.] Vnde & Africanum Concilium ad Cælestinum Papam scribit dicens, Decreta Nicæna, siue inferioris gradus clericos, siue ipsos Episcopos, suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim iustissiméque viderunt, quæcumque negotia in suis locis vbi orta sunt finienda: nec vnicuique prouinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas à Christi sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur.] Et Leo ad Anatolium, Illa Nicænorum canonum per sanctum verè Spiritum ordinata conditio nulla vnquam est parte solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum, vel comparare se audeat, vel præferre: cùm tanto diuinitùs priuilegio Nicæna sit Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitùs auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum.] De cuius priuilegio & beatus Ambrosius dicit, Non humana industria, non compositione aliqua, trecenti decem & octo Episcopi ad Concilium conuenerunt. sed vt in numero eorum, per signum suæ passionis & nominis, Dominus Iesus suo probaret se adesse Concilio, crux in trecentis, Iesu nomen in decem & octo est sacerdotibus.] Et mihi, inquit Hilarius, ipse ille numerus hic sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum ab eo qui æterni sacerdotij est forma benedicitur.] Et item beatus Leo Papa, Sancti illi & venerabiles patres, qui in vrbe Nicæna sacrilego Arrio cum

Margin notes: Epist.3. (beside "Episcopum, Nulli, inquit"); Epist.1. (beside "sona Cælestinus"); Post Conc. African. (beside "pam scribit dicens"); Epist.56. (beside "Illa Nicænorum canonum"); Lib.1.de fide cap.9. (beside "tione diuersum"); Epist.56. Anatolio. (beside "cerdotij est forma")

ſua impietate damnato, manſuras vſque in finem mundi leges Eccleſiaſticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus viuunt, & ſi quid vſquam aliter quàm illi ſtatuere præſumitur, ſine cunctatione caſſatur.] Et hinc ſanctus Leo ad Pulcheriam Auguſtam, Contra ſtatuta, inquit, canonum paternorum, quæ ante longiſſimæ ætatis annos in vrbe Nicæna ſpiritalibus ſunt fundata decretis, nihil cuiquam audere conceditur: ita vt ſi quis diuerſum aliquid decernere velit, ſe potiùs minuat, quàm illa corrumpat. Quæ ſi vt oportet à cunctis Pontificibus intemerata ſeruentur, per vniuerſas Eccleſias tranquilla erit pax & firma concordia, nullæ de menſura honorum diſſenſiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de priuilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni vſurpatione certamina: ſed æquo iure caritatis, rationabilis & morum officiorúmque ordo ſeruabitur, & ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus.] Epiſt.58.

CAP. XXVII. *De canonibus & ſententiis ab eo prauè intellectis & vſurpatis.*

QVOD ergo de tua parochia, quaſi ego ad aliquid in ea diffiniendum illam adire non poſſim, ex verbis Calliſti & aliis, tuis compilationibus tecum non facientibus, adfirmare conaris, prauè intelligis. Sed his & aliis regularum conſtitutionibus inuenies hoc obſeruare debere vnumquemque Metropolitanum in prouincia alterius Metropolitani, quod tu tibi peruersè arrogas de tua parochia metropolitanæ ſedi Remorum ſubiecta. Vnde ea quæ ſuprà poſui non meæ perſonæ arrogo, ſed metropolitanæ ſedis dignitati adſcribo: quia ſicut beatus Leo dicit, Etſi nonnunquam diuerſa ſunt merita Præſulum, iura tamen permanent ſedium, quibus poſſunt æmuli perturbationem aliquam fortaſſis inferre, non tamen poſſunt minuere dignitatem.] Sed nec ſenſu ſacris canonibus concordante in metrica titulatione compilationis tuæ domno Regi porrigendæ ſcripſiſti, *Reſponſum à vincto ritè nec exigier.* & mihi per comminiſtros meos ad te directos remandaſti, ne cogerem te reſpondere, quandiu in cuſtodia & abſentia clericorum tuorum eras. Vnde tibi tunc ſcripto reſpondi, & nunc oſtendo te, vt dixi, non recto ſenſu ponere ex ſacris regulis, quod de non reſpondendo in tua excuſatione dixiſti, aſſerente ſancto Papa Hilaro, Nos, inquit, in nullo volumus ſeueritatem vltionis exercere: ſed qui in cauſis Dei contumacia vel contemptu deliquerit, aut ipſe quod perperam fecit abolere noluerit, in ſe quicquid in alium non reſecarit inueniet.] Non enim hæc quæ egiſti inter dubia vel obſcura ſecundùm Leonis decreta poterant vel poſſunt vllo modo computari, vt inde locum defendendi te haberes, & tuis redonatus, regulariter vocatus ad Sy- In Concil. Rom. c. 4.

nodum respondere deberes, sicut & in præcedentibus & in subsequentibus istius opusculi ex sacris regulis, & tu & quilibet alius qui legerit potest cognoscere. & ideo tibi scribere studui, vt quæ in causis Dei contumacia vel contemptu deliquisti, & quæ perperè commisisti, abolere curares, & factum tuum, quo malè exordinasti, sicut idem Hilarus iubet de eo qui malè ordinauit, ipse dissolueres: quatenus seueritatem vltionis in te exerceri ab eis quorum interest non exigeres, & ego in me non inuenirem quod in te non resecare curauerim: quia, vt isdem dicit, Nulli fas est sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare. quia nos, qui potissimi sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inuenti. quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentiæ sacerdotum: siquidem reatu maiore delinquit, qui potiore honore perfruitur, & grauiora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum.] Scripsi ergo tibi secundùm decreta Leonis, vt salubres suscipere curares hortatus, & nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium deuotionis vnanimes, diuinis & Apostolicis constitutionibus pareremus, & in nullo pateremur prouidentissima canonum decreta violari. Tu autem cogitans consilia quæ non poteris stabilire, inobedientiam tuam, ne corrigas quæ perperè admisisti, & effrenationem desideratæ libertatis, indebitè, vt non sis Metropolitano subiectus, de appellatione, & non reddenda compellatus de iniustis iudiciis tuis responsione, secundùm sensum tuum, sed non rectum, interpretata vis palliare: cùm sicut Africæ prouinciæ canones manifestè demonstrent à quibus non licet prouocari, ita Sardicenses canones patenter ostendant, appellatio Episcopi ad sedem Apostolicam quando, vbi, & pro quibus fieri & qualiter exequi debeat, sed & Innocentius, ac Bonifacius, atque Leo idipsum decernant. qui etiam & pro quibus appellans constringi non debeat, leges concordantes regulis eloquuntur. Attende igitur conuenienter quod item idem beatus Leo Anatolio Constantinopolitano Episcopo extollenti se supra mensuram suam scripsit dicens, Virum catholicum, & præcipuè Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate corrumpi. Dicente quippe sancta scriptura, *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua vetare*, multis mundi huius inlecebris, multis vanitatibus resistendum est, vt veræ continentiæ obtineatur integritas, cuius prima est labes superbia, initium transgressionis & origo peccati. Quoniam mens potentiæ auida, nec abstinet vetitis, nec gaudet concessis, dum inordinato prauóque progressu excrescunt culpæ, quæ toleratæ sunt studio reparandæ fidei & amore concordiæ.] Quapropter reuoca oculos mentis tuæ à prauis progressionibus, & rectos gressus fac pedibus intentionis tuæ & actionum tuarum, vt qui nunc de te

In eodem Conc. c. 1.

Epist. 56.

Eccl. 18.

gemimus, de te in Domino gaudeamus. Et attende quod beatus Gregorius ad Felicem Episcopum in Serdica scripsit, Qualiter, inquiens, obedientia vel sit reuerentia præpositis exhibenda, ex tuis quoque subiectis ipse non ambigis. In qua re valde est vtile, si id quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente humilitas laudanda seruauerit. Peruenit ad nos itaque quòd fraternitas tua Ioanni fratri nostro, primæ Iustinianæ Episcopo, secundùm morem constitutum parere despiciat, & nec decreto eius, nec relationi iuxta consuetudinem voluisset subscribere. Quod si ita est, contristamur, quia superbiæ de te manifestæ præbes indicium, quod quàm sit præcipuè in sacerdote culpabile, diuinæ clementia admonitionis eloquitur. Propterea hortamur, vt mentis tumore deposito, antedicto fratri & Coepiscopo nostro humilem te exhibere & parere non desinas, quatenus & Deus gaudeat in fraternitatis vestræ concordia, & alij de te sumant bonitatis exemplum. Nam si, quod non credimus, te in superbia permanere contigerit, districtam canonicámque disciplinæ correctionem contumaciæ tuæ scito sacros canones vlciscenter imponere. Bene ergo facis, talem te sponte salubri consideratione præbere, qualis esse canonica coercitione exigente compelleris. Nam nec tibi denuò post hanc nostram admonitionem licebit ad tuæ voluntatis arbitrium contra morem maioribus tuis inobedientem existere, nec nos tantæ indisciplinationi Ecclesiasticam cognoscas dissimulare vel differre vindictam.] Et item idem S. Gregorius ad Vincentium, & ceteros Episcopos, Hortamur, inquit, fraternitatem vestram, vt si quemquam vestrûm pro causis propriis vbicumque longiùs compulerit ambulare necessitas, à Metropolitano vestro, secundùm indictam à sanctis patribus regulam, petere licentiam debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis, excepto si, quod non optamus, contra eundem Metropolitanum vestrum vos habere aliquid causæ contingat, vt ob hoc sedis Apostolicæ iudicium requiratis. Nam iis qui petere festinant licentiam, quod scitis, per canones etiam antiquorum patrum institutione permissum.] Manifestum est enim, qui canones hanc licentiam à Metropolitanis petendam ab Episcopis decreuerunt. Quin Antiochenum Concilium, à Synodo Chalcedonensi fauorabiliter comprobatum. Sed & Sardicenses canones dicunt, Vt de qualibet prouincia Episcopi ad eum fratrem & Coepiscopum nostrum preces mittant, qui in Metropoli consistit, vt ille & diaconum eius, & supplicationes destinet, tribuens commendatitias epistolas, & reliqua.] De iudicio etiam Apostolicæ sedis expetendo aduersus Metropolitanum, si Episcopo necesse fuerit, iidem Sardicenses canones decreuerunt, sicut & Innocentius ad Victricium Rotomagensem Episcopum patenter ostendit. & Hilarus Papa dicit, Illud etiam non potuimus præterire quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter Metropolitanorum suorum litteras ali-

Lib. 4. epist. 10.

Lib. VII. Ind. II. Epist. 8.

Can. 9.

Epist. 8. ad Metropol. Galliæ.

qui Episcopi ad quamlibet prouinciam audeant proficisci, quod etiam in omni genere officij clericalis per singulas debet Ecclesias custodiri.] Et sanctus Leo ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum dicit,
Epist. 59. Sollicitudinis tuæ is ordo esse debuerat, vt cum Metropolitano tuo de eo quod quærendum videbatur esse conferres, ac si id quod ignorabat dilectio tua etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis: quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet inquiri.]
Epist. 5. Et Symmachus ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, Si quilibet, inquit, Episcopus Metropolitano Pontifici, iuxta canonum diffinitionem vocatus, obtemperare noluerit, nouerit succidendum se, quod non optamus, Ecclesiasticæ disciplinæ.] Et Africæ prouinciæ canones dicunt, Vt Episcopus à primate suo vocatus ad Synodum competenter occurrat. Quòd si non potuerit occurrere, nisi rationem impedimenti sui apud suum primatem reddiderit, Ecclesiæ suæ communione debere esse contentum.] &, Qui non fuerit concors circa Metropolitanam Ecclesiam, & circa sacerdotale consortium, sed inflatus, & ab hoc consortio separatus, putat propriæ plebi incubandum, & nonnunquam conuentus ad Concilium venire detrectat, circa hunc non tantùm diœcesim non esse seruandam, verùm & de propria Ecclesia, quæ illi malè fauerit, omnimodo adnitendum vt etiam auctoritate publica reiiciatur, atque ab ipsa principali cathedra remoueatur.] &, Si accusatus ad rationem reddendam venire refugerit, & excommunicatus à primate suo extiterit, tempore quo non communicat, nec in sua Ecclesia vel parochia communicet.] Et sanctus Hilarus Papa ad Leontium, & ceteros Episcopos scribit, Quia non minùs in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in iniuriam ipsius Domini prosilitur.] Et Dioscorus in Synodo Chalcedonensi, sicut in gestis eiusdem Concilij, sed & in edicto Iustiniani super quintam Synodum demonstratur, non quia in fidem peccauerit, sed propter solum Ecclesiasticum ordinem, & quia contra suum Archiepiscopum sacris canonibus obuians rebellauerat, est damnatus. Et Acacius Constantinopolitanus Episcopus propter præuaricationem Nicæni Concilij à Felice Papa est condemnatus, sicut idem Felix ad eum scripsit dicens, Multarum transgressionum reperiris obnoxius, & in venerabilis Nicæni Concilij contumelia es sæpè versatus.] Hæc mentis oculo perspice, & ne illa, quod absit, incurras sollertissimè caue.

Margin notes: Can. 43. (beside "ciæ canones dicunt"); Can. 20. (beside "Ecclesiæ suæ communione"); Can. 19. Carthag. (beside "que ab ipsa principali"); Epist. 2. (beside "ceteros Episcopos"); Epist. 4. (beside "psit dicens")

CAP. XXVIII. *De malè ab eo excommunicatis. qui & qualiter excommunicari debeant, & qui ordo in iudiciis Ecclesiasticis obseruandus.*

NAM cùm dicat beatus Petrus Apostolus, *Si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum,* causa iniuriarum tuarum, sicut in petitione mihi ab Ecclesia Laudunensi data continetur, presbyteros & diaconos, ac reliquos clericos, non accusatos, nec confessos, neque conuictos, ab omni Ecclesiastico officio excommunicasti, & vt nemo sacra Missarum officia in tua parochia celebraret, interdixisti: cùm sacri canones neminem ab officio remoueri permittant, nisi aut sponte confessum, aut regulariter conuictum, aut eum qui regulariter vocatus ad reddendæ rationis iudicium venire noluerit, sicut scriptum est in capitulo XIX. Carthaginensis Concilij de Episcopis, & in XX. de presbyteris & diaconibus, ac reliquis clericis. Si, inquiunt, presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adiuncto sibi ex vicinis locis proprius Episcopus legitimo numero collegarum, quos ab eodem accusati petierint, id est, vnà secum in presbyteri nomine sex, in diaconi tres, ipsorum causas discutiant, eadem dierum, & dilationum, & à communione remotionum, & discussione personarum inter accusatores & eos qui accusantur forma seruata.] Scilicet sicut de Episcopis in præcedenti capitulo est diffinitum: reliquorum autem clericorum causas etiam solus Episcopus loci agnoscat & finiat. Et item, Presbyteri, diaconi, vel ceteri inferiores clerici, in causis quas habuerint, si de iudiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos diffiniant: vel ad primates suarum prouinciarum prouocent, sicut & de Episcopis sæpè constitutum est.] Et secundùm Antiochenos canones, Ad Metropolim omnes vndique qui negotia videntur habere concurrant. Et, In canonicis Conciliis adsint presbyteri, & diaconi, & omnes qui se læsos existimant, & Synodi experiantur examen. Nullis verò liceat apud se celebrare Concilia, præter eos quibus Metropolitana iura videntur esse commissa.] Et hinc S. Augustinus, doctor famosissimus, atque ab Apostolica sede receptissimus, qui Carthaginensi Concilio, in quo hæc quæ ex eo præmisimus, Apostolica auctoritate firmato interfuit, & plenissimè sensum nouit, quo eadem Synodus capitulum illud constituit, de quo in epistola ad clerum & plebem Hipponiensium inter alia dicit, Nuper in Concilio Episcoporum constitutum est, nullum clericum, qui nondum conuictus est, suspendi à communione debere, nisi ad causam suam examinandam se non præsentauerit.] Ipsam autem præsentationem idem demonstrat Concilium, videlicet, vt aut ipse accusatus, ad causam suam dicendam electorum iudicum die statuta litteris euocatus

1.Petr.2. Can.20. Can.28. Can.9. Can.20. Epist 137. Conc. Carthag can. 19.

occurrat, aut aliquas veras necessitatis causas probet, quibus occurrere non potuisse manifestum sit.] Et attendendum, quia dicit *non potuisse*, & non dicit *non voluisse*. Sic & de accusatore dicit, Vt nec ipsi adimatur facultas causæ suæ peragendæ, si se ad diem occurrere non valuisse probauerit.] Sic & iterum de accusato, si ad Concilium vniuersale anniuersarium occurrere noluerit, dicit, Quòd si accusatus vel accusator occurrere voluit & non valuit, excusabilem quemlibet eorum Synodus esse voluit.] Hoc quippe Africana Synodus patenter ostendit, dicens, Vt si intra annum excommunicationis causam suam purgare contempserit.] Vnde & Carthaginense Concilium dicit, Quisquis Episcoporum accusatur, ad primatem prouinciæ ipsius causam deferat accusator, nec à communione suspendatur cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum iudicum die statuta litteris euocatus minimè occurrerit.] Qua sententia euidenter ostenditur, quia accusator accusare non potest nisi in accusatione præsens fuerit, potest autem accusare absentem: & qui non potest accusari nisi per præsentiam accusatoris, potest absens iudicari, immo etiam ab his qui hoc decreuerunt iam iudicatus est, si ad iudicium litteris euocatus secundùm quod decretum est non occurrerit, vel aliquas veras necessitatis causas, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, non probauerit. Similiter vt de Episcopo, ita & de presbytero, vel diacono subsequenti capitulo demonstratur. Hinc Bonifacius ad septem prouincias scripsit, dicens de Maximo, Si adesse voluerit, præsens si confidit ad obiecta respondeat: si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto & totiens delegato iudicio, purgandi se occasione non vtitur.] Qui autem ad accusationem admitti non debeant, leges dicunt, Sanè hi qui crimina sua in quæstione confessi sunt, de aliis si dicere voluerint, à iudice non credantur: quia iure & legibus constitutum est, vt spontanea professione reus reum non faciat, neque illi de altero credatur, qui se criminosum esse confessus est.] & item, Non credendum est contra alios eorum confessioni, qui in criminibus accusantur, nisi se priùs probauerint innocentes, quia periculosa est, & admitti non debet rei aduersum quemcumque professio.] Et Concilium Africanum demonstrat, Qui postea, inquiens, quàm excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, siue sit clericus, siue sit laicus, accusare voluerit. Omnésque serui, vel proprij liberti, ad accusationem non admittantur, vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Omnes etiam infamiæ maculis aspersi, id est, histriones, aut turpitudinibus subiectæ personæ. Hæretici etiam, siue pagani, seu Iudæi. Sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentia non est neganda.] Et quotienscumque

Marginal notes: Can.46. (beside "dus patenter ostendit"); Can.19. (beside "Concilium dicit"); Epist.2. (beside "uincias scripsit"); Can.96. (beside "Qui postea"); Can.97. (beside "cusare voluerit"); Can.98. (beside "causis propriis")

que clericis ab accusatoribus multa crimina obiiciuntur, & vnum ex ipsis, de quo priùs egerit accusator, probare non valuerit, ad cetera iam non admittatur. Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit: ad testimonium autem intra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur.] Et sanctus Augustinus dicit, Quamuis, inquiens, vera sint quædam, non tamen iudici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur.] Qui fecit quod docuit, cùm in reddita ratione ad primatem suæ prouinciæ Xantippum scribens, quendam presbyterum suum Abundantium à se iudicatum esse demonstrat, de eo dicens, Insinuo prudentiæ tuæ, Abundantium quendam in fundo Strabonianensi pertinente ad curam nostram ordinatum fuisse presbyterum. Qui cùm non ambularet vias seruorum Dei, non bonam famam habere cœperat, qua ego conterritus, non tamen temerè aliquid credere volens, sed planè sollicitior factus, operam dedi, si quomodo possem ad aliqua malæ conuersationis eius certa indicia peruenire. Ac primò comperi, eum pecuniam cuiusdam rusticani de vino apud se commendato interuertisse, ita vt nullam inde posset probabilem reddere rationem. Deinde conuictus atque confessus est, die ieiunij natalis Domini, quo etiam Gippitana Ecclesia sicut & ceteræ ieiunabat, cùm tanquam perrecturus ad Ecclesiam suam valefecisset collegæ suo presbytero Gippitano hora ferè quinta, & cùm secum nullum clericum haberet, in eodem fundo restitisse, & apud quandam malæ famæ mulierem, & prandisse & cœnasse, & in vna domo mansisse, & hoc negare non potuit. Nam quæ negauit Deo dimisi, quæ occultare permissus non est, iudicaui. Timui ei committere Ecclesiam, præsertim inter hæreticorum circumlatrantium rabiem constitutam. Hæc autem me prudentiæ tuæ præcipuè intimare oportebat, ne aliqua tibi fallacia subreperet.] Sciebat enim iste vir Domini canones, & non contemnebat secundùm eosdem sacros canones, primati suo, minori scientia & fortè merito, sed potiori loco subdi, obaudiens dicentem Apostolum, *Obedite præpositis vestris in Domino.* Vbi autem inter accusatores & accusatos causa debeat agitari, Carthaginense Concilium statuit dicens, Vt accusatus vel accusator in eo loco vnde est qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quò non sit difficile testes producere vbi causa finiatur.] & hinc leges dicunt, Criminum discussio ibi agitanda est, vbi crimen admissum est: nam alibi criminum reus prohibetur audiri.] & item, Si quis aduersarium aut repetitione, aut criminis obiectione pulsauerit, in prouincia, in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerat actiones: nec æstimet aduersarium suum alibi aut longiùs ad iudicium pertrahendum. Ille verò qui pulsatus fuerit si iudicem suspectum habuerit, liceat appellare.] Et Carthaginen-

Can. 98.
Epist. 236.
Heb. 13.
Can. 30.

Can.15. ſe dicit Concilium, Vt à quibuſcumque iudicibus Eccleſiaſticis ad alios iudices Eccleſiaſticos, vbi eſt maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obſit quorum fuerit ſoluta ſententia, ſi conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicaſſe, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauati. Sanè ſi ex conſenſu partium electi fuerint iudices, etiam à pauciori numero quàm conſtitutum eſt, non liceat prouocari.] Qualiter autem ſententia finiri debeat, leges & ſacri canones monſtrant, dicentes vt vel in Synodo, vel per iudices, ſiue quos conquirentes primates dederint, ſiue quos ipſi vicinos ex conſenſu
Can.88. delegerint. Deputati autem iudices Epiſcopi, vt Africanum dicit Concilium, ab illo primate ſunt dandi, in cuius prouincia cauſa verſatur: ſi autem ex communi placito conquirentes vicinos iudices elegerint, aut vnus eligatur, aut tres, & ſi tres elegerint, aut omnium ſententiam ſequantur, aut duorum.] Et Chalcedonenſe Concilium
Can.9. dicit, Si quis clericus aduerſus clericum habet negotium, non deſerat Epiſcopum proprium, & ad ſæcularia percurrat iudicia: ſed priùs actio ventiletur apud Epiſcopum proprium, vel certè conſilio eiuſdem Epiſcopi, apud quos vtræque partes voluerint, iudicium continebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus ſubiacebit.] Et ſanctus Innocentius ad Victricium Epiſcopum,
Epiſt.1. Si quæ, inquit, cauſæ, vel contentiones inter clericos tam ſuperioris ordinis quàm etiam inferioris fuerint exortæ, vt ſecundùm Synodum Nicænam congregatis eiuſdem prouinciæ Epiſcopis iurgium terminetur: nec alicui liceat, (ſine præiudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus cauſis debet reuerentia cuſtodiri) relictis his ſacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Eccleſiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias. Quod ſi quis fortè præſumpſerit, & ab officio cleri ſummotus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores cauſæ in medio fuerint deuolutæ, ad ſedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt iudicium epiſcopale referantur.] Et quia ſicut duo ſunt peccata, & duo genera peccatorum, (aut enim in Deum peccat homo, aut in hominem,) & duo ſunt aduentus Domini, qui venit peccatores ſaluos facere, *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*, vnus occultus, & alter manifeſtus, vnus, de quo ſcriptum eſt,
Pſal.71. *Deſcendit ſicut pluuia in vellus*, & alter de quo ſcriptum eſt, *Deus ma-*
Pſal.49. Ioan.3. *nifeſtè veniet*, vnus de quo dicitur, *Venit filius hominis, non vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*, alter quando *veniet iudicare viuos & mortuos & ſæculum per ignem.* Ita duo ſunt iudicia, vnum occultum, & alterum manifeſtum, & duo iudiciarij ordines, vnus
1.Cor.5. de quo dicit Apoſtolus, *Si quis frater nominatur fornicator*, &c. eam no-
Cap.3. minationem intelligi volens, vt dicit Auguſtinus in libro de Pœnitentia, quæ fit in quemquam, cùm ſententia ordine iudiciario & cum integritate profertur. Noluit enim hominem ab homine iudicari ex

arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario vſurpato iudicio : ſed potiùs ex lege Dei ſecundùm ordinem Eccleſiæ, ſiue vltro confeſſum, ſiue accuſatum atque conuictum. Nam ſi nominatio ſufficit, multi damnandi ſunt innocentes, quia ſæpè falsò in quemquam crimen nominatur. Qui ordo iudiciarius qualiter exequi debeat, beatus Gregorius in commonitorio ad Ioannem defenſorem euntem in Hiſpanias dicit : videlicet, Vt alij ſint accuſatores, & alij teſtes : Lib.11.ind. 6.epiſt.32.
deinde cauſarum qualitas eſt examinanda. & vt præſente accuſato ſub iureiurando dicatur teſtimonium ſcriptis allegatum, & accuſatus reſpondendi & defendendi ſe locum habeat, & examinatio perſonarum accuſantium ac teſtificantium regulariter fiat.] Quem Luc.8.
iudiciarij ordinis modum etiam Dominus innuit, cùm in reſuſcitatione puellæ in domo iacentis mortuæ, ac ſi in reuelatione non omnibus cauſæ notæ, quoſdam diſcipulorum ſuorum teſtes, ſed & patrem & matrem puellæ ſecum adhibuit. Alter verò iudiciarij ordinis modus eſt eorum, quæ non ſub paucorum notitia, quaſi adhuc in cubiculo contecta, vt patrata credantur teſtibus indigent, ſed Luc.7.
quaſi iam extra portam ciuitatis multa turba comitante elatus, ad multorum cognitionem delata eſſe noſcuntur. De quo iudiciarij ordinis modo, dicit Apoſtolus, *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini Ieſu, tradere huiuſmodi hominem ſatanæ in interitum carnis.* & paulo 1.Cor.5.
ſuperiùs, *vt tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit.* Vnde Ambroſius *cognito opere pellendum peccantem fuiſſe de cœtu fraternitatis* dicit. Omnes enim crimen eius ſciebant, in qua re neque teſtibus opus erat, neque tergiuerſatione aliqua poterat tegi crimen. De patratore autem manifeſtorum, & ſi ad iudicium adduci non poteſt, Bonifacius Papa ad ſeptem prouincias decernens dicit de Maximo, qui conuentus etiam deuitabat, & adeſſe minimè volebat, Nullus, inquit, Epiſt. 2.
dubitat, quòd ita iudicium nocens ſubterfugit, quemadmodum vt abſoluatur qui eſt innocens quærit. Sed aſtuta cauillatio eorum, qui verſutias agendi credunt eſſe conſilia, nunquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus quiſquis ſe ſubterfugere iudicium dilationibus putat. Nihil enim intereſt vtrum in præſenti examine omnia quæ dicta ſunt comprobentur, cùm ipſa quoque pro confeſſione procurata totiens conſtet abſentia. Quòd ſi adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur.] Sic Cæ- Epiſt.1.
leſtinus de Daniele Galliarum quondam Epiſcopo iudicauit. Et quia nemo præproperè, vel præpoſterè, ſcilicet non commonitus, neque conuentus eſt iudicandus, de conuentione huiuſmodi patratoris manifeſtorum criminum lex dicit, Quicumque tribus auctoritatibus iudicis conuentus, vel tribus edictis ad iudicem fuerit prouocatus, aut vno pro omnibus peremptorio, id eſt, quod cauſam extinguit,

fuerit euocatus, & præsentiam suam apud eum iudicem à quo ei denunciatum est exhibere noluerit, aduersus eum quasi in contumacem iudicari potest, quinimmo nec retractari per appellationem negotia possunt, quotiens in contumacem fuerit iudicatum.] Et hanc sententiam de tribus auctoritatibus conuentis ex Euangelica veritate, Cælestinus ad Nestorium scribens, & Ephesina Synodus de eodem decernens, & beatus Gregorius ad Ioannem scribens comprobant. De peremptorio autem scripto, Africanum Concilium
Can. 15. monstrat de Cresconio, Vt si conuentus resipiscere detrectauerit suo contemptu & contumacia faciente, auctoritate iudiciaria protinus excludatur.] Et item beatus Gregorius de sententia in contumacem
Lib. v. Epist. 5. scribens ad Maximum præsumptorem Salonitanum Episcopum dicit, Hortamur vt ad nos venire omni postposita excusatione festines, quatenus seruata iustitia, hæc de quibus accusaris & cognoscere & finire secundùm canonica instituta Christo reuelante possimus. Ita autem fac, vt ad veniendum ampliùs iam moras non ingeras, ne ipsa te magis absentia obnoxium his quæ dicuntur adsignet, & nos in te hæc res, non solùm propter dicta crimina quæ purgare subterfugis, sed etiam propter inobedientiæ culpam, duriùs scilicet
Can. 67. vt in contumacem cogat ex Concilio ferre iudicium.] Et Africanum Concilium, ad suggestionem vel postulatum Maurentij Episcopi, post recitatam scedulam quam obtulit Placentinus, Debuisse quidem ex sancto Concilio aduersus contumaces Episcopos, qui præcepti fuerant à primate suo vt occurrerent ad Concilium, & non venerunt, secundùm mensuram sacerdotalem ferri sententiam: sed seruata Ecclesiastica mansuetudine, dati sunt de Concilio electi iudices, & missæ sunt litteræ ad eorumdem Episcoporum primatem.] Qualiter autem examinatis omnibus, & ad liquidum cognitis, sententia regulariter ac legaliter proferri debeat, & Ecclesiasticæ & publicæ leges demonstrant dicentes, Obseruare iudices specialiter debent, vt in omnibus causis sententia, quæ deliberata fuerit, constitutis pariter partibus recitetur, vt ab his à quibus causa dicta est ad integrum quæ dicta fuerit sententia cognoscatur.] & item, Quicquid præsentibus partibus in causis fuerit ordinatum, habebit plenissimam firmitatem, nec poterit immutari.] & item, Ea quæ, altera parte absente decernuntur, vim rerum iudicatarum non obtinent.] Et item, quod & sanctus Gregorius in commonitorio ad Ioannem defensorem euntem in Hispanias ex legibus Nouellæ constitutionis capitulo decimo sexto de testibus posuit, & canonicum es-
Lib. epist. se decreuit, Hoc quoque inquiens sæpiùs agnouimus, quoniam quidam, aut apud locorum defensores, aut apud clarissimos prouinciarum iudices, aut etiam vt adsolet hîc apud clarissimum magistrum census ingrediuntur & queruntur, tanquam ab alio passi aliquid contra leges, aut aliter iniustitiam sustinentes, aut damnificati

teſtes volunt producere. At ne poſtea obiiciatur eis quia per vnam partem geſta confecta ſunt, oportet & illum qui impetitur, in ipſa ciuitate conſtitutum vbi teſtimonia dantur, admonitum à iudice ſiue à defenſore, aduenire aut audire teſtes. Si verò noluerit aduenire, ſed contempſerit vt ex hoc ab vna parte teſtimonia aduerſus aliam inutilia ſint, ſancimus huiuſmodi teſtimonia ita valere, tanquam ſi non ex vna parte conſiſterent, ſed etiam ipſo præſente fuiſſent facta. Si enim repudiauerit, & venire noluerit & audire quæ deponuntur, cùm vtique in publico ſit & non ex ineuitabili quadam neceſſitate venire non poſſit, æqualiter erunt tanquam ſi aduenifſet, & nulla vtilitas ex contemptu ſuo ei adhibebitur, ſed videbuntur quidem in vtriuſque præſentia facta.] Ecce, inquit ſanctus Gregorius, admonendus eſt ſemper aduerſarius, vt ad audiendos teſtes adueniat, alioquin neceſſe eſt vt quod contra leges actum eſt firmitatem non habeat.] Quales autem teſtes, vel cuius opinionis, ad teſtimonium admittendi ſunt, plurimæ leges oſtendunt, quæ penè nulli habentur incognitæ, quæ etiam & illud ſanciunt, *Vt vilifſimis teſtibus etiam ſine corporali diſcuſſione credi non debeat.* & item in libro ſexto, titulo decimo nono, inter alia præcipitur, *Vt ſententia, ſi ſine ſcripto dicta fuerit, nec nomen ſententiæ habere mereatur.* Quod legale decretum & in paſſione Domini, ſuper cuius caput poſuerunt cauſam ipſius ſcriptam, & in Martyrum paſſionibus, quando iudicati ſunt, obſeruatum multotiens legimus, & legatos Apoſtolicæ ſedis, auctoritate Leonis Papæ, Dioſcorum in Chalcedonenſi Concilio, & Felicem Acacium, & Siluerium Papam Vigilium, & ceteros Romanæ ſedis Pontifices per ſcripturam plures qui reſipiſcere noluerunt legimus condemnaſſe.

CAP. XXIX. *Quid canones ſtatuant de irregulariter excommunicatis.*

VIDE, frater, ſi has ſacras leges fuiſti ſecutus, quando preſbyteros & diaconos parochiæ tuæ ab officio Eccleſiaſtico generaliter excommunicaſti, cùm certiſſimum atque notiſſimum & nobis & omnibus in hac Remenſi prouincia habeatur, quòd nec accuſati, nec confeſſi, neque conuicti de aliquo crimine fuerint. Quia verò certum eſt te non ſecũdùm has regulas iudicaſſe, nec ex conſenſu partiũ electus in hac iudicatione iudex fuiſti, à te iudice Eccleſiaſtico ad me maioris auctoritatis iudicem Eccleſiaſticum iudicati, ſicut & fecerunt, debuerant prouocare, & tua iniuſta ſententia à me eſt competenter ſoluta. *Placuit,* inquit Carthaginenſe Concilium, *vt à quibuſcumque iudicibus Eccleſiaſticis ad alios iudices Eccleſiaſticos, vbi eſt maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obſit quorum fuerit ſoluta ſententia, ſi conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicaſſe, vel aliqua cupiditate, aut gratia deprauati,* & reliqua.

Quæ ſententia vtrum te an non tangat, ratio ipſa demonſtrat. Nunc videamus quid ſacri canones dicant de his, qui à ſingulis Epiſcopis prouincialibus, pro incognitis cauſis primati prouinciæ & ceteris Epiſcopis excommunicantur, De his, inquiunt Nicæni canones, qui communione priuantur, ſeu ex clero ſeu ex laico ordine, ab Epiſcopis per vnamquamque prouinciam, ſententia regularis obtineat, vt hi qui abiiciuntur ab aliis non recipiantur, requiratur autem, ne puſillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet Epiſcopi vitio videatur à congregatione ſecluſus. Vt hoc ergo decentiùs inquiratur, bene placuit annis ſingulis per vnamquamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus ſimul Epiſcopis congregatis prouinciæ, diſcutiantur huiuſmodi quæſtiones, & ſic qui ſuo peccauerunt euidenter Epiſcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æſtimentur, vſquequò vel in communi, vel Epiſcopo placeat humaniorem pro talibus ferre ſententiam.] Et Antiochenum Concilium, Si quis à proprio Epiſcopo communione priuatus eſt, non antè ſuſcipiatur ab aliis, quàm ſuo reconcilietur Epiſcopo, aut certè ad Synodum quæ congregatur occurrens pro ſe ſatisfaciat, & perſuadens Concilio ſententiam ſuſcipiat alteram. Hæc autem diffinitio maneat circa laicos, & preſbyteros, & diaconos, omnéſque qui ſub regula eſſe monſtrantur.] Et Carthaginenſe Concilium, quod in capitulo vigeſimo dixerat, vt ſtatuto numero vniti Epiſcopi cum proprio Epiſcopo preſbyterorum & diaconorum cauſas terminarent, reliquorum clericorum querelas ſolus Epiſcopus cognoſceret & finiret, capitulo vigeſimo octauo dicit, Vt preſbyteri, diaconi, vel ceteri inferiores clerici, in cauſis quas habuerint, ſi de iudiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos cum conſenſu ſui Epiſcopi audiant, & inter eos diffiniant adhibiti ab eis Epiſcopi. Quòd ſi & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent ad tranſmarina iudicia, ſed ad Primates ſuarum prouinciarum, ſicut & de Epiſcopis ſæpè conſtitutum eſt. Ad tranſmarina autem qui putauerint appellandum, à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiantur.] Et Africanum Concilium capitulo nonageſimo ſecundo hæc eadem diffiniuit. Qui canones propter longinquitatem primatum, ad finitimos Epiſcopos, preſbyteros, vel diaconos, ac reliquos clericos præcipiunt prouocare, ſicut iidem canones apertè demonſtrant in capitulo de viſitandis tempore Concilij prouinciis, ſed & in eo vbi Carthaginenſe Concilium dicit, Vt vnaquæque prouincia propter longinquitatem primatem habeat proprium. Vnde & Mauritania Sitifenſis poſtulauit primatem prouinciæ Numidiæ, ex cuius cœtu ſeparatur, vt ſuum habeat primatem, quem, conſentientibus omnibus primatibus prouinciarum Africanarum, vel omnibus Epiſcopis, propter longinquitatem habere permiſſa eſt. Quapropter *in vnaquaque Prouincia quæ primatem habet, omnes qui negotia videntur habe-*

Can. 5. Can. 6. Can. 17.

re, ſecundùm Antiochenos canones, *ad metropolim debent concurrere*: quia vt Africanum Concilium ad Cæleſtinum Papam ſcribit, Decreta Nicæna, ſiue inferioris gradus clericos, ſiue Epiſcopos ipſos, ſuis Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt. Prudentiſſimè enim iuſtiſſiméque viderunt, quæcumque negotia in ſuis locis vbi orta ſunt finienda, nec vnicuique prouinciæ gratiam ſancti Spiritus defuturam, qua æquitas à Chriſti ſacerdotibus & prudenter videatur, & conſtantiſſimè teneatur: maximè quia vnicuique conceſſum eſt, ſi iudicio offenſus fuerit cognitorum, ad Concilium ſuæ prouinciæ vel etiam vniuerſale prouocare.] Quod & Innocentius ad Victricium ex Nicænis decreuit canonibus, & ex eis Bonifacius ad Hilarium Narbonenſem Epiſcopum dicit, Aduertat, inquiens, caritas tua adeo nos canonum præcepta ſeruare, vt ita conſtitutio quoque noſtra diffiniat, quatenus Metropolitani ſui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet.] & ſimiliter Cæleſtinus, & alij ſedis Romanæ Pontifices decreuerunt. Sardicenſes quoque canones, propter præfatam longinquitatem primatum, ad finitimos Epiſcopos, veluti & Africæ prouinciæ canones, prouocare permiſerunt, ſicut & in eiſdem Sardicenſibus canonibus demonſtratur, memorante Oſio importunitates Africanorum Epiſcoporum, quos dicit ſe cognouiſſe ſanctiſſimi fratris & Coepiſcopi ſui Grati ſalutaria conſilia ſpernere atque contemnere. Vnde in præfato Sardicenſi Concilio ſcriptum eſt, Oſius Epiſcopus dixit, Quod me adhuc mouet reticere non debeo, ſi Epiſcopus quis fortè iracundus, quod eſſe non debet, citò & aſperè commouetur aduerſus preſbyterum, ſiue diaconum ſuum, & exterminare eum de Eccleſia voluerit, prouidendum eſt ne innocens damnetur, aut perdat communionem. & ideo habeat poteſtatem is qui abiectus eſt, vt Epiſcopos finitimos interpellet, & cauſa eius audiatur, ac diligentiùs tractetur, quia non oportet ei negare audientiam roganti. Et ille Epiſcopus, qui iuſtè aut iniuſtè eum abiecit, patienter accipiat vt negotium diſcutiatur, vt vel probetur ſententia eius à plurimis, vel emendetur. Tamen priuſquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerat à communione ſeparatus, ante cognitionem nullus debet præſumere vt eum communioni ſociet.] Attendendum quippe nobis eſt quod diſcretiſſimè ſacri canones dicunt, vt eum qui fuerat à communione ſeparatus, ante cognitionem nullus debet præſumere vt eum communioni ſociet. Quia ſicut ſanctus Leo ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum ſcribit, In his quæ vel dubia fuerint aut obſcura, id nouerimus ſequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum inueniatur aduerſum.] & item, Quia ſacerdotum Domini matura volumus eſſe iudicia, nihil poſſumus in rebus incognitis in cuiuſquam partis præiudicium diffinire, priuſquam vniuerſa quæ geſta ſunt veraciter audiamus.] & item alibi

Can. 9.
Epiſt. 1.
Can. 17.
Epiſt. 95. in præfat.

egregiè dicitur, Non esse iustum mediatorem, qui in incertis sic vnam partem audit, vt alteri parti nihil reseruet.] Et S. Gregorius, Ira, inquit, sacerdotis nequaquam debet esse præceps & perturbata, sed
Moralium xix.c.14. magis ex consilij grauitate mitiganda.] Et item, Ad proferendam, inquit, sententiam nunquam præcipites esse debemus, nec temerè indiscussa iudicemus, ne quælibet mala audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profectò perpetrare pertimescimus, si auctoris nostri subtiliùs facta pensemus. Ipse quippe, vt nos à præcipiti sententiæ prolatione compesceret, cùm omnia nuda & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudi-
Genes.18. 21. care, qui ait, *Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* Omnipotens itaque Dominus, & omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum antè præsumamus credere quàm probare?] De manifestis autem & plurimis cognitis mox ibidem subsequitur. Ecce per Angelos ad cognoscenda mala descendit, móxque facinorosos percutit: at-
Sap.12.18. que ille patiens, ille mitis, ille de quo scriptum est, *Tu autem,*
Eccl.5.4. *Domine, cum tranquillitate iudicas,* ille de quo rursum scriptum est, *Dominus patiens est redditor,* in tanto crimine inuolutos inueniens, quasi patientiam prætermisit, & diem extremi iudicij expectare ad vindictam noluit, sed eos igne iudicij ante iudicij diem præuenit. Ecce malum quasi cum difficultate credidit cùm audiuit, & tamen sine tarditate percussit cùm verum agnoscendo reperit: vt nobis videlicet daret exemplum, quòd maiora crimina & tardè credenda sunt cùm audiuntur, & citiùs punienda cùm veraciter agnoscuntur.] Et qui à patre accepit omne iudicium, & in spiritali & in sæculari sua republica, pro se ad iudicandum ministros suos constituit, sicut scriptura dicit, eísque sibi in iudicio etiam mini-
Ioan.12.26. strare præcepit, dicens, *Si quis mihi ministrat, me sequatur,* id est, me imitetur. In qua ministratione idem qui est via, veritas, & vita, viam iudicandi hoc modo iudicibus sacra lectione, qui fuerint Sodo-
Genes.18. 20. morum accusatores ostendit, *Clamor,* inquit, *Sodomorum venit ad me,* id est, non solùm magna, sed & manifesta perseuerantia peccata eorum ad iudicandum prouocant me. Qui fuerint testes accusa-
Ibid.21. tionis eorum subsequitur dicens, *Descendam & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non, vt sciam.* Dominus itaque omnia sciens, vt ex verbis sancti Gregorij præmisimus, & alij catholici doctores exponunt, iudicandi nobis modum proponit, vt quæ non sunt manifesta non iudicemus, & quæ manifesta sunt sine tarditate & hæsitatione aliqua iudicemus, sicut suprà ex verbis beati Ambrosij Apostoli sententiam exponentis ostensum est, Cognito, inquit, opere pellendum peccantem fuisse de cœtu fraternitatis dicit Apostolus. Omnes enim crimen eius sciebant, in qua re ne-

que

que testibus opus erat, neque tergiuersatione aliqua poterat tegi crimen.]

CAP. XXX. *Qua ratione solui queant excommunicationes non legitimæ, & de iis qui iniustè excommunicant.*

QVIBVS sententiis sanctarum scripturarum, & sacrorum canonum, atque decretorũ sedis Romanæ Põtificum, fultus atque suffultus, & sicut adhuc in processu ostendã, metropolitana auctoritate, execrabilem atque exitiabilem, non excõmunicationem, sed maledictionem tuam, in eos iaculatam, qui non accusati, nec confessi, nec conuicti, nec etiam à te fuere secundum Domini iussionem commoniti, ac de his, pro quibus eos excommunicaueras, sicut non solùm mihi sed & penè omnibus in Remensi prouincia erat notum, innoxij, & tanti simul à sacro officio & sacra communione, atque à societate Ecclesiæ catholicæ, solo tuo furore & causa tuæ iniuriæ, ad multorum exitium fuere depulsi, irritam & nullius momenti esse decreui. præsertim cùm sacræ regulæ nulli in mortis vrgente periculo constituto baptisma denegari, nulli poscenti vltimam pœnitentiam & viatici muneris communionem interdici præcipiant, nulli etiam sepulturæ humanitatem abrogari permittant, & in tua parochia nemo in necessitate mortis ab eis quorum interest baptizari, nemo communionis gratia reconciliari, nemo sepeliri cum debita commendatione poterat, si ministri Ecclesiæ suis forent priuati ministeriorum officiis. Et tua ligamenta non fuerunt sanctæ Ecclesiæ alligationes, sed tuæ maledictiones. Vnde beatus Gregorius respondens Petro interroganti, Nunquidnam valde esse graue credimus, si fortasse cuilibet exagitati iracundia maledicamus? In libro dialogorum dicit, Pensa, inquiens, quàm grauis est culpa quæ separat à regno vitæ, cùm Paulus dicat, *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Et interroganti eidem Petro, Quid si homo non fortasse ex malitia, sed ex linguæ incuria, maledictionis in proximum iaculatur verbum? respondit, Si apud districtum inquiens iudicem, Petre, otiosus sermo reprehenditur, quanto magis noxius? Pensa ergo quantum sit damnabilis qui à malitia non vacat, si & ille sermo pœnalis est qui à bonitate vtilitatis vacat.] Et in libro Moralium, Sciendum est, inquit, quòd scriptura sacra duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur iudicio iustitiæ, aliter liuore vindictæ. Contra maledictum quippe liuore iustitiæ deprompum, voce Pauli prædicantis admonemur, qui ait, *Benedicite, & nolite maledicere.* & rursum dicit, *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Nam & sancti viri, cùm maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto vltionis, sed ex iustitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile Dei iudicium adspi-

[Margin notes: Lib. 3. dialog. cap. 15. — 1. Cor. 6. 10 — Lib. 4. cap. 6. — Rom. 12. 14]

ciunt, & mala foras exurgentia quia maledicto debeant ferire cognoſcunt, & eo in maledicto non peccant, quo ab interno iudicio non diſcordant.] Tu verò à iudicio iuſtitiæ in tuis maledictionibus diſcordaſti, qui non iudicio iuſtitiæ, ſed liuore vindictæ, & cauſa iniuriarum tuarum eas protuliſti, non videns quoniam à te inregulariter maledictos ſacri canones non vetant ab aliquo Epiſcopo regulariter recipi, multo magis autem ab eo qui tibi præeſt innuunt eos debere abſolui. Scriptum eſt enim in Carthaginenſi Concilio, Au-
Can.9. guſtinus Epiſcopus legatus prouinciæ Numidiæ dixit, Hoc ſtatuere dignamini, vt ſi qui fortè merito facinorum ſuorum ab Eccleſia pulſi ſunt, & ſiue ab aliquo Epiſcopo vel preſbytero fuerint in communionem ſuſcepti, etiam ipſe pari cum eis crimine teneatur ob-
Can.29. noxius, refugientes ſui Epiſcopi regulare iudicium.] & item, Qui excommunicatus fuerit pro ſuo neglectu, ſiue Epiſcopus, ſiue quilibet clericus, & tempore excommunicationis ſuæ ante audientiam communionem præſumpſerit, ipſe in ſe damnationis iudicetur protuliſſe ſententiam.] Sentíſne quid audis? intelligíſne quæ legis? Hi enim ſacri canones eos ab aliis recipi prohibent, qui merito facinorum ſuorum ab Eccleſia pulſi ſunt, & qui refugiunt ſui Epiſcopi regulare iudicium, & qui pro ſuo neglectu excommunicati ſunt, & ante audientiam tempore excommunicationis communionem præſumunt. Laudunenſes autem clerici, nec pro ſuo neglectu excommunicati à te fuerunt, nec regulare iudicium refugerunt, nec ante audientiam & cognitionem communionem contra regulas præſumpſerunt. Regula quippe, vnde & qualiter quique excommunicari
Matt.18. debeant, nobis eſt manifeſtè deprompta, dicente Domino, *Si peccauerit in te frater tuus*, & reliqua vſque dum dicitur, *ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo.* Et hac regula, atque hoc regulari iudicio, canonicóque ordine, in ab Eccleſiæ communione medicinaliter, vſque dum conuertantur & ad pœnitentiam redeant, ſeparatos conſtat
Ibid. rata à Deo prolata ſententia, *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo.* Et ſacri canones taliter à propriis Epiſcopis abiectos vel excommunicatos, vel ſi dubium fuerit vtrum taliter necne abiecti vel excommunicati fuerint, interim non recipi ab aliis præcipiunt, ſi antè per finitimos Epiſcopos, vel per electos aut deputatos iudices, cauſæ eorum finiri nequiuerint, donec in prouinciali Synodo, quo Metropolitanus Antiſtes probauerit, diſcutiantur, & regulariter ſententiam communiter inuentam abiecti ſuſcipiant,
Can.5. ſicut Nicæni canones apertè demonſtrant dicentes, Hi qui abiiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne puſillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Epiſcopi vitio, videantur à congregatione ſecluſi.] Manifeſtum eſt enim, quoniam dubia vel obſcura iubentur requiri, non certa vel manifeſta. Et Antiochenum

Concilium, Communione, inquit, priuatus à proprio Episcopo, Can.6.
non antè recipiatur ab aliis, donec proprio reconcilietur Episcopo, aut occurrens ad Synodum quæ congregatur, pro se satisfaciat, & persuadens Concilio sententiam suscipiat alteram.] Et Sardicenses canones, Ille, inquiunt, Episcopus, qui iustè aut iniustè eum abiecit, patienter accipiat vt negotium discutiatur, vt vel probetur sententia eius à plurimis, vel emendetur.] Scilicet vt discussione facta de antè dubiis & obscuris, sententia rationabiliter dicta probetur, vel inrationabiliter prolata emendetur. Et hoc de vno, vel duobus, aut tribus, decem quoque, vel viginti, aut triginta, & de dubiis vel obscuris seruari patienter aliquo modo poterat. At vbi manifestissimè, sicut omnibus constat esse notissimum, sine aliqua ratione, vel culpa abiectorum, contra omnem auctoritatem, trecenti, vel quadringenti, siue quingenti, solo tuo furore & causa iniuriarum tuarum abiecti erant, in quorum abiectione, vt beatus Augustinus dicit, non huius aut illius hominis erat periculum, sed populorum strages iacebat in perditione, etiam qui in tuis iniuriis non peccauerunt, sed potiùs doluerunt, pro quibus illi abiecti erant, cui Christiano seruari vsque ad examinationem, sicut de dubiis & obscuris & nihil periculi habentibus, videri debuerit? Maximè erga non peccantes in tuis iniuriis, sed dolentes: cùm Deus hanc retributionem modis omnibus detestetur, *cùm retribuuntur mala pro bonis.* Non ergo ante cognitionem, sicut Sardicenses canones iubent, sed post manifestam cognitionem, præfatos clericos à te maledictos communioni regulariter sociaui. Et si fortè aliquid rationis vel auctoritatis haberet quod fecisti, vbi tantorum populorum strages & pericula imminebant, detrahendum foret, vt idem beatus Augustinus demonstrat, aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis subueniret caritas quæ cooperit multitudinem peccatorum.] Et si tantùm in eos, qui auctores vel patratores iniuriarum tuarum erant, maledictiones tuas iaculando exereres, fortè portari ab aliis poterant, vsque dum synodali conuentu tibi demonstraretur te contra rationem egisse, docente beato Petro Apostolo, *Hæc est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias patiens iniustè. Quæ enim gratia si peccantes & colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniustè.* & Paulus, *Benedicite, & nolite maledicere, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto.* Et hinc per semetipsam Veritas dicit, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Virtus, inquit Gregorius, est coram hominibus aduersa tolerare, sed virtus coram Deo diligere: quia

Marginalia: Can.17. — Epist.50. — Psal.34. — Epist.50. — 1.Pet.c.2. — Rom.12. — Matt.5. — Hom.xxxv in Euang.

hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante eius oculos in altari bonæ operationis flamma caritatis incendit.] Et Dominus illos dicit beatos, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, non propter nequitiam, nisi fortè per ipsam persecutionem conuertantur ad correctionem, & consequantur purgationis beatitudinem. Tu autem, si contra leges diuinas & humanas in te quiddam à quocumque extitit perpetratum, mihi hoc notum facere, & per aliquod temporis spatium patienter debueras expectare, vsque dum inde cum fratribus & Coepiscopis nostris satagerem, sicut etiam egeram, & non tuas molestias aliorum perditionibus vindicare. Et si fortè, quærens resistendi suffugia, & potiùs perniciosum factum tuum elegeris defendere, quàm recognoscere atque corrigere, obiicere mihi volueris quod Innocentius ad Macedones scripsit Episcopos dicens, Sed vt sæpè accidit, quotiens à populis aut à turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solet transire, priora ergo dimittenda dico Dei iudicio, & de reliquo maxima sollicitudine præcauendum,] reiicio tibi, vt vel in populos, aut in turbam peccantem, & non in populos & in turbam innoxiam, has maledictiones tuas exereres, qui nulli maledicere, etiam in te peccanti, minimè autem non peccanti, præciperis. De alligatione autem Episcopali, quod nobis satis tremendum, & cauendum, atque obseruandum est, sanctus Gregorius in homilia Euangelij vigesima sexta dicit, Sæpè in ligandis ac soluendis subditis pastor suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Vnde fit, vt ipsa hac ligandi & soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subiectorum moribus exercet. Vnde rectè per Prophetam dicitur, *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuunt.* Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat: & non victurum viuificare nititur, qui reum supplicio absoluere conatur.] ac sæpè agitur, vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat. Non igitur nouum, sed veterum regularum constitutum est, quod egi in absolutione à te maledictorum: quia vt Gelasius de suo decessore dicit, Non nouæ constitutionis auctor, sed veteris sum executor.] Sicut Carthaginenses canones manifestè demonstrant dicentes, Nouellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ à nobis formam accipient. ceterùm de quibus apertissimè diuina scriptura sanxit, non est differenda sententia, sed potiùs exequenda. Proinde quod in laicis reprehenditur, id multò magis in clericis oportet prædamnari. Vniuersi dixerunt, Nemo contra Prophetas, nemo contra Euangelium facit sine periculo.] & post pauca, Reliqua verò, quæ vel facta vel dicta superiùs comprehensa sunt, vel aliis Conciliis conscripta, quæ secundùm legem inueniuntur, custodire nos oportet, Si quis verò statuta supergres-

Margin notes: Matt. 5. — Ep. XXVII. sub finem. — Ezech. 13. — Can. 5.

ſus corruperit, vel pro nihilo habenda putauerit, ſi laicus eſt, communione, ſi clericus eſt, honore priuetur. Vniuerſi dixerunt, placet, placet.] Et poſt iſtam Synodum, Chalcedonenſe celebratum Concilium dicit, Regulas ſanctorum Patrum per ſingula nunc vſque Concilia conſtitutas proprium robur obtinere decreuimus.] Et item poſt aliquanta, Eos verò qui auſi fuerint poſt diffinitionem magnæ & vniuerſalis huius Synodi, quicquam ex his quæ ſunt prohibita perpetrare, decreuit ſancta Synodus à proprio huiuſmodi gradu recedere.] Et hîc ſi obiicere mihi volueris quod ſuprà dixi de capitulo huius Synodi à ſede Apoſtolica non recepto, refero tibi vt legas ſuperiùs, & videas quantum dixi, quòd de eodem capitulo ſedes Apoſtolica non recipiat. ſcilicet, Si aduerſus eiuſdem prouinciæ Metropolitanum Epiſcopus vel clericus habet querelam, petat ſedem regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſam iudicetur.] Et adhuc tibi refero, quia idem Concilium hoc quod de Conſtantinopolitana ſede petenda dixit, non prohibuit, ſed conceſſit: in hoc autem ſuppoſito capitulo dixit, Qui auſi fuerint ex his quæ ſunt prohibita perpetrare. Quia igitur conſtat in his te inimico animo iudicaſſe, & cupiditate vincendi deprauatum fuiſſe, ſecundùm Carthaginenſes canones, obeſt tibi tua ſoluta ſententia. Et quoniam in rotulis tuis, domno regi & mihi per comminiſtros Eccleſiæ tuæ directis, multotiens ac multipliciter ad confirmandas tuas ſententias, cum ſacris canonibus, & decretis Apoſtolicæ ſedis Pontificum, etiam legales ſententias catholicorum Imperatorum poſuiſti, proponam tibi legalem ſententiam Iuſtiniani catholici Imperatoris, quam probat & ſeruat Eccleſia catholica, qua conſtitutione CXVIII. capitulo CCCCXLI. decreuit, Vt nemo Epiſcopus, nemo Preſbyter excommunicet aliquem antequàm cauſa probetur, propter quam Eccleſiaſtici canones hoc fieri iubent. Siquis autem aduerſus ea excommunicauerit aliquem, ille quidem qui excommunicatus eſt, maioris ſacerdotis auctoritate ad gratiam ſanctæ communionis redeat, is autem, qui non legitimè excommunicauit, in tantum abſtineat à ſacra communione tempus, quantum maiori ſacerdoti viſum fuerit, vt id quod iniuſtè fecit, ipſe iuſtè patiatur. Et hinc S. Gregorius ad Ioannem Epiſcopum iniuſtè excommunicantem inter cetera ſcripſit dicens, Caſſatis priùs atque ad nihilum redactis prædictæ ſententiæ tuæ decretis, ex beati Petri Apoſtolorum principis auctoritate decernimus, triginta dierum ſpatio ſacra te communione priuatum, ab omnipotenti Deo noſtro tanti exceſſus veniam cum ſumma pœnitentia ac lacrymis exorare. Quòd ſi hanc ſententiam noſtram te cognouerimus impleſſe remiſſiùs, non iam tantùm iniuſtitiam, ſed & contumaciam fraternitatis tuæ cognoſcas iuuante Domino ſeueriùs puniendam.] Et item alibi, Quòd ſi contra hæc quæ ſtatuimus quolibet tempore, qualibet occaſione, vel ſubreptione venire

Can.1. Can.10. Cōc.Chalced.can.9. Lib.11. Ind.11. Epiſt.7.

tentaueris, sacra scias te communione priuatum, nec eam te, excepto vltimo vitæ tuæ tempore, nisi cum concessa Romani Pontificis decernimus iussione percipere. Hæc enim consona sanctis patribus diffinitione sancimus, vt qui sacris nescit obedire canonibus, nec sacris administrare, nec communionem capere sit dignus altaribus.]

CAP. XXXI. *De eo quòd paruulos, qui sæpè discrimine mortis periclitantur, baptizari prohibuit.*

DENIQVE sicut in petitione mihi ab Ecclesia Laudunensi data continetur, causa iniuriarum tuarum paruulos baptizari, qui sæpè discrimine mortis periclitantur, prohibuisti. In quo capitulo Pelagius & tu facti estis, vt ex maiori parte egregius Poëta dicit,

Ambo errore pares, quamuis diuersa sequentes.

Pelagius docuit paruulos recentes ab vteris matrum non baptizandos in remissionem peccatorum, quia nihil trahebant ex Adam, quod lauacro regenerationis expiaretur, certans ostendere nos vacuè à Christo redemptos, contradicente sibi Apostolo, *Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertransiuit, in quo omnes peccauerunt.* Et tu sciens verum esse quod Dominus dicit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum,* præcepisti non baptizari in tua parochia paruulos, etiam in mortis periculo constitutos, ne saluari valerent, cùm scriptum sit, *Non venit filius hominis animas perdere, sed saluare,* obuians etiam decretis Siricij, Leonis, Gelasij, & Africani Concilij, sicut iam tibi scriptis non solùm semel sed & secundò mandaui. Vnde quia ex integro iam tibi illa decreta scripto direxi, breuiter tibi quædam exinde commemoro. Nam de infantibus baptizandis, qui necdum baptizati noscuntur, quotiens necessitas exegerit, regula Ecclesiastica per beatum Siricium est prolata, cuius regulæ conclusio constat hoc modo, Nunc præfatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ petræ, super quam Christus vniuersalem construxit Ecclesiam, soliditate diuelli.] Et S. Leo, In mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragij, nullo tempore hoc veræ salutis singulare præsidium cuiquam denegari decreuit.] Et Africanum Concilium, sed & idem S. Leo, Etiam eis infantibus, de quibus non inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem de traditis sibi sacramentis idonei respondere, absque vllo scrupulo eos baptizandos esse iusserunt. Et sanctus Gelasius, Etiam si necessitas extrema compulerit, à laicis Christianis huiusmodi baptizari debere ostendit.]

Rom. 5. Ioan. 3. Luc. 9. Epist. 1. Himerio. Epist. 92. Rustico. Iuo P. 1. cap. 152.

CAP. XXXII. *De eo quòd pœnitentiam & viaticum morientibus dari vetuit.*

In eo verò capitulo, quo vltimam pœnitentiam denegari, & viatico munere ſubueniri morientibus contra Nicænos & Africanos canones, & decreta Siricij, & Innocentij, atque Cæleſtini, necnon & Leonis, vetuiſti, ſicut Innocentius, & ceteri doctores catholici oſtendunt, Nouati hæretici, licet diuerſo itinere, ſed non diuerſo diſcrimine, ſequipes extitiſti. Nouatiani enim dogmatizant recipi non debere lapſos ad pœnitentiam atque communionem: & tu ſciens, iuxta Nicænos canones quouis tempore non eſſe denegandam pœnitentiam & communionis gratiam poſtulanti, cauſa iniuriarum tuarum præcepiſti, ſicut in petitione à Laudunenſi Eccleſia mihi porrecta continetur, etiam in exitu mortis poſitis pœnitentiam & communionis gratiam denegari, ne permittente Saluatore noſtro à perpetuo exitio vindicari valerent, cùm per ſe de ſe Veritas dicat, *Venit filius hominis quærere & ſaluare quod perierat, qui non* Luc.19. *venit iuſtos ſed peccatores vocare in pœnitentiam*, multis voce Domini reclamantibus ſanctis & Eccleſiæ catholicæ doctoribus, vt præſidium regenerationis, ac pœnitentiæ, ſacræque communionis, in mortis periculo poſitis & petentibus à quoquam nullatenus denegetur. Vnde tibi ex integro quid ſacri Nicæni canones, quid ſanctus Siricius, quid ſanctus Innocentius, quid ſanctus Cæleſtinus, quid ſanctus Leo decreuerint, tibi ſcribere ſtudui, ſed & iudicium, quod de hæc contemnentibus ſanctus Leo protulerit, præfatis ſubiunxi, tibique mandaui. Ait enim, Ne quid verò ſit quod prætermiſſum à nobis fortè credatur, omnia decretalia conſtituta, tam Epiſt.1. beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita à veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus, vt ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari.] Vnde quia ignorare non potes quid ſanctus Cæleſtinus prædeceſſor beati Leonis decreuerit, cuius decretorum partem tuæ collectioni interpoſuiſti, quibus dicit, Nulli Sacerdoti ſuos liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod patrum poſſit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna ſeruabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permiſſa frangatur?] ſatis mirari non valeo, quomodo teipſum neſcire, & tam grandem cauſam, ſicut contra decreta Cæleſtini egiſti, obliuiſci valens, inter cetera in tuo pitaciolo verba eiuſdem Cæleſtini Papæ ponere auſus fuiſti. quæ, etſi in profeſſionis tuæ decreto à te ſubſcripto hanc beati Cæleſtini ſententiam decretalem præſcripſiſti, non ſolùm ſuo, ſed & tuo iudicio, te ſecundùm ſacros Carthaginenſes canones, ho-

Can.13. nore priuasti, qui dicunt, Si quis contra suam professionem vel subscriptionem venerit in aliquo, ipse se honore priuabit.] Fecisti enim quod patrum regulis obuiat, cùm pœnitentes, contra decreta Cælestini, & ceterorum Pontificum Romanorum, atque contra sacros canones, ad pœnitentiam suscipi, & morientibus viatico munere subueniri prohibuisti, & pro tuo libitu vsurpata à te sententia, decretalium normam constitutorum fregisti. Sed fortè noluisti intelligere illa constituta tuos esse canones, & ob id in tuo pitaciolo misisti, Nulli sacerdoti liceat canones ignorare, omittens quod ibi habetur *suos*. Non igitur radendum, vel omittendum est pronomen *suos*, de verbis Cælestini: quoniam canones & patrum regulæ canones & regulæ sunt sacerdotum, eo modo sicut lex Moysi dicitur & lex Iudæorum, de qua Dominus ad Iu-
Ioan.8.&15 dæos, *In lege*, inquit, *vestra scriptum est*, & de eis iterum, *In lege eorum scriptum est.* Aut ergo quilibet non est sacerdos, & sui non sunt canones: aut qui sacerdos est, sui sunt canones. Non vt sicut Iudæi legem, eosdem canones pro suo libitu ad suum sensum inflectant, sed vt sensum eorum præceptis obediendo accommodent: quatenus eorum præcepta sequendo, gressus rectos faciant pedibus suis, & de scripturarum lumine promulgatos lucernam
Psal.118. eos ponant actionibus suis, vt possint dicere cum Psalmista, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, & lumen semitis meis.* Si aliqua etiam tortitudo sensibus, vel præceptionibus, atque actionibus suis inesse videtur, eorum regulis corrigatur, & ad ea quæ sentienda, tenenda, & sequenda sunt dirigatur. Lege igitur decreta Siricij, & eiusdem Cælestini, & sacros canones, & inuenies te contra illorum decreta, immo contra Euangelicam veritatem, & Apostolicam auctoritatem, ausu nefario talia prohibuisse, sicut semel, & secundò iam tibi scripsi. Sed fortè hæc, & ea quæ dicimus esse canones, tenere non vis pro canonibus, sed illa de quibus tua commenta finxisti. Ideo peregrino sensu Cælestini verba interposuisti. Reduc tamen ad memoriam quæ in eodem tuo pitaciolo ex verbis Cælestini posuisti, Quæ, inquiens, sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per seueritatem congruentem regulis vindicemus. Per totas hoc ergo, quæ propriis rectoribus carent, Ecclesias volumus innotescat, vt nullus sibi spe aliqua forsitan blanditus inludat.] Quapropter obseruandum tibi est de cetero, ne per ipsas regulas iudiceris, quas de verbis sancti Cælestini tuis collectionibus immisisti, sicut & ego seruare studui quod præcepit, scilicet notum faciens quæ seruare debeat Ecclesiæ Laudunensi. Et quoniam, vt suprà ostendi, verba beati Gregorij à proprio eorum sensu, quantum ex te fuit, alienasti, & imposturasti, atque detruncasti, vt anathema, quod in eodem capitulo conuenienti sensu miserat, ad eos quibus non conuenerat retorqueres, tibi scribere dignum duxi, quod de ana-

anathemate in synodica epistola, quam secundùm more, in ordinationis suæ exordio patriarchis, Alexandrino scilicet, Antiocheno, Hierosolymitano, & Constantinopolitano direxerat, scripsit, Præterea, L.b.1.ep.24
inquiens, quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me profiteor: Nicænum scilicet, in quo peruersum Arrij dogma destruitur, Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur, Ephesinum etiam primum, in quo Nestorij impietas iudicatur, Chalcedonense verò, in quo Eutychis, Dioscorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima probatione custodio, quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit. Et cuiuslibet vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola quæ Ibæ dicitur erroris plena reprobatur, Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur, scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas verò quas præfata veneranda Concilia personas respuunt respuo, quas venerantur amplector: quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut soluere quos religant, aut ligare quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis verò præfatarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit à Deo patre per Iesum Christum filium eius, qui cum eo viuit & regnat consubstantialiter Deus in vnitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum, Amen.] Et sacrum Nicænum Concilium dicit, De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua Can.13.
regularísque seruabitur, ita vt si quis egreditur è corpore, vltimo & necessario viatico minimè priuetur. quòd si desperatus & consecutus communionem, oblationísque particeps factus, iterum conualuerit, sit inter eos qui cõmunionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.] Ecce audisti, frater, quòd sacri Nicæni canones generaliter omni cuilibet in exitu posito, & poscenti communionis gratiam, non denegari, sed per eandem communionem obeuntem absolui præcipiunt. Et ecce audisti decernentem beatum Gregorium, Quisquis præsumit, aut soluere quos præfata Concilia, quorum primum est Nicænum, religant, aut ligare quos soluunt. quisquis, ergo aliud sapit, anathema sit.] Imitare igitur sanctum Dauid, qui audiens à Nathan Propheta de peccato quod fecerat, ex cordis intimo dixit, *Peccaui Domino.* & item, *Quia percussit cor suum, eo quòd fædasset vestem Christi Domini.* Et vestis Domini est Ecclesia, de qua 2.Reg.12. 1.Reg.24.

Esa. 49. 18. ſcriptum eſt, *Viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento*
Gal. 3. 27. *veſtieris.* Et Apoſtolus, *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Percute pectus tuum, quia percuſſio pectoris oſtendit contri-
2. Reg. 12. tionem cordis, & dic cum profuſis lacrymis, *Peccaui Domino*, vt merearis audire, *Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris.*

CAP. XXXIII. *De eo quòd ſepulturam mortuis in parochia ſua denegari præcepit.*

In eo verò capitulo, quo ſepulturam mortuis, ſicut in petitione à Laudunenſi Eccleſia mihi porrecta continetur, denegari iuſſiſti, nimia inhumanitate contra ſacras hiſtorias ſacróſque canones agere non erubuiſti, cùm ſicut in hiſtoria veneranda libri Regum legimus etiam eorum corpora, qui ad conſultum Domini propter peccatum Saul, ob quod facta eſt fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, crucifixi fuerant, laudabiliter cuſtodita legamus à concubina Saul, ne lacerarentur ab auibus per diem, neque à beſtiis per
2. Reg. c. 21. noctem, *Donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo.* ſícque ſepulta ſunt cum oſſibus Saul & Ionathæ. Et in Euangelio legimus, quia petente Io-
Matth. 27. 58. ſeph, *Pilatus iuſſit reddi corpus Domini*, quem quaſi nefarium peten-
Esai. 53. 12. tibus Iudæis crucifigi adiudicauit, vnde *& cum iniquis*, ſecundùm
Luc. 21. 38. ſcripturam, *deputatus eſt.* Et Iudæi, ne remanerent etiam ſceleratorum corpora in cruce die ſabbati inhumata, obtinuerunt à Pilato vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Et antiquorum patrum regulæ, etiam eorum corpora, qui ſibi quolibet modo mortem intulerint, vel qui pro ſuis ſceleribus puniuntur, ad ſepulturam, licèt ſine hymnis & pſalmis, deferri præcipiunt, & non ſepultura in ventre matris omnium, id eſt terræ, carere etiam talium cadauera præceperunt. Si verè vtique iuſtitiam loqueris, iuſtè iudica fili hominis, & vide ſi ſecundùm præfatas regulas ac leges, metropolitanà auctoritate pontificium habuerim hæc corrigere, quæ contra ſacras regulas præſumpſiſti.

CAP. XXXIV. *Quòd in rebus certis & definitis, nec Synodus conuocanda, nec ſedes Apoſtolica inquietanda ſit, ſed quæ ſtatuta ſunt obſeruanda.*

At ſi tu in contumacia tua, & in contemptu meo permanere delegeris, & quæ hinc vera ſunt profiteri nolueris, quia de certis & manifeſtis cauſis, quæ in nullo nobis ſunt dubia vel obſcura, de quibus diffinitiuas ſententias, quæ nulla poſſunt ratione conuelli, à ſanctis patribus promulgatas habemus, Synodale conſultum, vel Coepiſcoporum prouinciæ noſtræ conſilium vel conſenſum, non debeo expectare, nec à regulis præſtitutis vlla aut negligentia aut præſum-

ptione discedere, nec etiam sedem Apostolicam inde requirendo inquietare, dicat S. Innocentius scribens ad Macedones Archiepiscopos atque Episcopos inde quid sentiat, Cùm tradidisset epistolas, Epist.27. quin Vitalis Archidiaconus, vestrarum portitor litterarum, eas præcepi illicò recenseri. in quibus multa posita esse peruidi, quæ stuporem mentibus nostris inducerent, facerentque nos non modicum dubitare, vtrum aliter putaremus, an ita illa essent posita quemadmodum personabant. Quæ cùm sæpiùs repeti fecissem, aduerti sedi Apostolicæ, ad quam relatio quasi ad caput Ecclesiarum missa currebat, fieri iniuriam, cuius adhuc in ambiguum sententia duceretur. Vnde de quibus iam dudum scripsisse me memini, nunc iterare formam argumentis euidentioribus relationis vestræ percunctatio geminata compellit.] Et ad Felicem Episcopum Nucerianum, Stupuimus prudentem virum de his voluisse consulere, quæ omnibus Epist.3. sunt certa ratione comperta.] Et sanctus Zosimus, Sciet quisquis Epist. 1. Hesychio. hoc postposita patrum & Apostolicæ sedis auctoritate neglexerit, à nobis districtiùs vindicandum, vt loci sui minimè dubitet sibi non constare rationem, si hoc putat post tot prohibitiones impunè posse tentari. Contumeliæ enim studio fit quicquid interdictum toties vsurpatur.] Et sanctus Cælestinus quod & tu in tuis collectionibus, vt præmisimus, posuisti, Nulli sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod patrum possit regulis Epist.11. Episcopis Apul.& Calab. obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permissa frangatur?] Et post aliquanta, Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per seueritatem congruentem regulis vindicemus.] Et Leo, quod iterare non piget, Omnia decretalia Epist.1. Episcopis. constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.] Et item idem Leo ad Leonem Augustum, Quæ patefacta sunt quærere, & quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt diffinita conuellere, quid aliud est, quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?] Et item idem S. Leo ad eundem Leonem Au- Epist 84. gustum dicit, Quia de rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonem sicut Deo placuit diffinitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia vel infirma sint, quæ tanta per sanctum Spiritum fixit auctoritas.] Et Hilarus Papa dicit, Quia non minus in sancta- Epist.11. Verano. rum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in iniuriam ipsius Domini prosilitur.] Et Gelasius, Satis indignum est quenquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium, hanc obseruantiam refutare, quam beati Petri sedem & sequi videat & docere, satisque

conueniens sit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum.] Et item ad vniuersos Episcopos per Dardaniam constitutos, Patres inquit nostri, catholici videlicet doctique Pontifices, in vnaquaque hæresi quolibet tempore suscitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque Apostolica, secundùm scripturarum tramitem, prædicationémque maiorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps firmúmque constare, nec in eadem causa denuò quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt: sapientissimè peruidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper eisdem furoribus rediuiuis omnis integra diffinitio turbaretur. Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel Synodalium regularum, non cessant elisæ pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, & simplicia quæque corda percutere, quid fieret si subinde fas esset perfidis inire Concilium, cùm quamlibet illa manifesta sit veritas, nunquam desit quod perniciosa depromat falsitas, & si ratione vel auctoritate deficiens, sola tamen contentione non cedens? Quæ maiores nostri diuina inspiratione cernentes, necessariè præcauerunt, vt contra vnamquamque hæresim quod acta semel Synodus pro fide, communione, & veritate catholica atque Apostolica promulgasset, non sinerent nouis post hæc retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur quæ medicinaliter fuerint statuta pulsandi: sed auctore cuiuslibet insaniæ ac pariter errore damnato, sufficere iudicarunt, vt quisque aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus, quoniam manifestè quilibet, vel professione sua, vel communione posset agnosci.] Et si volueris hoc tantùm de suscitatis hæresibus intelligere, pariter quoque quod dicit intellige, Auctore inquiens cuiuslibet insaniæ ac pariter errore damnato, sufficere iudicarunt, vt quisque aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus.] Quæ enim maior potest esse vesania, vel quis deterior error, aut grauius contra catholicam Ecclesiam schisma, quàm sanctorum Conciliorum & Apostolicæ sedis decreta contemnere, & leges quas probat Ecclesia conculcare, & Christianam pietatem abdicare, & innoxios contra omnes leges diuinas & humanas gradu ac communione priuare, atque ex proprio crimine innocentes in mortis vrgentis periculo per baptismi gratiam non subueniri, obeuntibus & petentibus communionis gratiam denegari, mortuis sepulturæ humanitatem non tribui? Quicquid ergo, inquit Gelasius, pro fide, communione, & veritate

Epist. XI. in princip.

catholica atque Apostolica maiores nostri promulgauerunt, non siuerunt nouis posthæc retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur quæ medicinaliter statuta fuerunt pulsandi: sed generaliter auctore cuiuslibet insaniæ ac pariter errore damnato, sufficere iudicarunt, vt quisque aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus, quoniam manifestè quilibet vel professione sua, vel communione posset agnosci.] Et item idem Gelasius dicit, Decessorem, inquiens, meum executorem fuisse veteris constituti, non nouæ constitutionis auctorem: quod non solùm præsuli Apostolico facere licet, sed cuicumque Pontifici.] Quia verò non vetera constituta retractari vel refragari liceat, sed de nouis emergentibus rebus nouæ constitutiones requiri debeant, quæ tamen Euangelicæ veritati non habeantur contraria, nec decretis Sanctorum aduersa, idem sanctus Gelasius in decretis suis, his enumeratis qui diffinitione constituta viritim & per diuersa tempora fuere damnati, hoc modo demonstrat, Synodus, inquiens, semel gesta condemnans, quin præfatos, vlteriùs ad noua Concilia venire non siuit, sed vniuersos quocumque modo in has blasphemias recidentes tradito sibi limite synodali refutauit Ecclesia: nec vnquam rectè cessisse manifestum est, qualibet necessitate cogente, nouiter quæ fuerant salubriter constituta temerasse.] & post aliquanta, Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet prauæ communionis effecto, execrationem sui gestat & pœnam.] & item, Quia & noua in vtroque Pontifice causa esset exorta, & nouam discussionem consequenter inquireret, vt sicut semper esset effectum, sacerdotali Concilio de sacerdotibus iudicia prouenirent.] & item, Cùm nouæ essent causæ, noua debuit Ecclesiastica prouenire discussio] & item, Nouæ certè erant causæ, & his consequenter noua Synodus debebatur.] & item, An hæc licuit sæculari potestati, & actis talibus Acacio consentiente, absque vlla Synodo, quam ipsa rerum nouitas exigebat, absque sedis Apostolicæ consultatione perficere, & sedi Apostolicæ non licuit, secundùm tenorem Synodi Chalcedonensis, in veteri vtique causa, & veteri constituto, iusta diffinitione damnata, inimicis Synodi Chalcedonensis Acacium communicantem à sua communione depellere?] & item, Nec opus fuit noua Synodo, cùm veteris constituti sufficienter hoc forma præscriberet.] & item, Quæ congregatio facta Pontificum, non contra Chalcedonensem, non tanquam noua Synodus contra veterem primámque conuenit: sed potiùs secundùm tenorem veteris constituti particeps Apostolicæ executionis effecta est.] & item, Nec dubium quòd sicut in vnaquaque hæresi, quod incessabiliter repetendum est, quia firmum esse nullus ambigit Christianus, omnes complices, sectatores, communicatores damnatæ semel prauitatis pari sorte censentur.] & item,

In Commonitorio.

Epist. 11. sub initiũ.

Ibid. post alia.

Ibidem mox. Post alia.

Inauditos, indiscussos, inconuictos non debere percelli, maximè cùm nouæ causæ & noua rerum facies appareret, vt rectores isti plebium repentinis incursionibus, pro mundanæ potentiæ voluntate, sacris dignitatibus priuarentur, ex nulla veteri causa, ex nullo collegio reatus, nec participatione cuiuslibet erroris iam antè damnati, teneri eos conuincíque consortes, vt tanquam ex præterita diffinitione iudicarentur obstricti.] Sed & beati Gregorij condigna inuectio ad Vitalianum Episcopum Sipontinum memoriam meam non transiit, quando tuam alligationem, quin immo execrabilem maledictionem dissolui, qua idem beatus homo dicit, Si custos religiosi habitus, aut esse nosses Episcopus, filiæ gloriosæ memoriæ Tulliani magistri militiæ, te illic posito, nec proiectis religiosis vestibus ad secularem reuerti habitum, nec ad nos licuisset peruersam epistolam destinare. Nam si, vt præfati sumus, sollicitus extitisses, priùs ad nos vltio mulieris prauissimæ quàm culpa debuit peruenire.] Et hinc ad Sergium defensorem, Si homo esses, aut discretionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinæ debuisti custos existere, vt ea quæ illic illicita committuntur, antè vindicta corrigeret, quàm ad nos eorum nuntius perueniret.] & post pauca. Nam si quolibet modo in hac re negligens vel lentus extiteris, ita in te noueris districtissimè vindicandum, vt quod ex te nescis, pœna possis referante cognoscere: quia sicut diximus, si intellectum hominis habuisses, hæc quæ modò facere præciperis, à te debueramus etiam cum vltione antè facta cognoscere.] Quid etiam hinc sacri canones per singula Concilia decernant, deuitans prolixitatem, & quia notissima sunt, hîc ponere prætermitto. Tantùm de Carthaginensi Concilio testimonium, quod & suprà posui, vnum pono, Gratus Episcopus dixit, Nouellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ à nobis formam accipient. Cæterùm de quibus apertissimè diuina scriptura sanxit, non differenda sententia est, sed potiùs exequenda.] Lege Breuiarium Africæ prouinciæ canonum, sedi Apostolicæ missum, & ab eadem sede corroboratum, & hæc in fronte canonum ipsorum inuenies.

Lib. VIII. Epist. 9.

Lib. eodem Epist. 10.

Conc. I. Can 13.

CAP. XXXV. *Quòd Apostolica sedes cum Episcopis coniudicet, qui secundùm canones iudicant, & quòd non bene intelligat, vt Metropolitanus absque prouincialium instantia causas non audiat.*

QVICVMQVE igitur Primates prouinciarum à Domino constituti, & Apostolica auctoritate confirmati, sed & quique catholici Episcopi, de certis & manifestis rebus, de quibus expressa iudicia, & inrefragabiliter atque inconuulsè conseruandas diffinitiuas habemus sententias, secundùm sacros canones, & decre-

ta sedis Romanæ Pontificum, quæque decernimus & iudicamus, Apostolica sedes, & catholica Ecclesia, Apostolorum fundamento fundata super angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in nobis pro patribus natis filiis, id est, pro Apostolis creatis Episcopis, vt in ordinandis coordinat, ita & in decernendis canonicè condecernit, & in iudicandis coniudicat. Nos autem, qui sacros canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum sub ipsius Apostolicæ petræ iudicio exequimur, nihil aliud quàm iustè iudicantium fautores, & iustorum iudiciorum executores, obedientiam sancto Spiritui, qui per eos locutus est, & sedi Apostolicæ, à qua riuus religionis, & Ecclesiasticæ ordinationis, atque canonicæ iudicationis profluxit, dependentes existimus. Quoniam quicumque baptismo catholico baptizent, sicut ad Ioannem Baptistam dictum est, ipse est Christus videlicet Iesus qui baptizat, & quicumque sacrificent, ipse est sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, sempiternum habens sacerdotium, qui sanctificat. quia vt sanctus Leo dicit, Si quid per seruitutem nostram bono ordine & gratulando impletur effectu, non ambigimus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum, & operi nostro ipse Saluator interuenit, nec vnquam ab his abest, quæ ministris suis exequenda commisit dicens, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.*] Et item Leo, De his qui in Nicæno Concilio, suggerente sibimet sancto Spiritu, quia aliter credendum non est, mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt, & si quid vsquam aliter quàm illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur.] Et S. Augustinus dicit, Æternam legem mundis animis fas est cognoscere, non est fas iudicare. In istis autem temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundùm ipsas.] Non ergo ea, quæ per me qualemcumque Metropolitanum, & Primatem Remorum prouinciæ, ad cuius curam, secundùm sacros canones & decreta sedis Romanæ Pontificum, sollicitudo pertinet totius prouinciæ, sedes Apostolica, & sancti patres nostri, qui cum Deo in cælo regnant, & in terris miraculis coruscant, quin ipse vt præmiseram Saluator noster dissoluit, ex his quæ prouincialis Episcopus contra diffinitiuas sanctarum regularum sententias alligasti, quantacumque & qualicumque tua & complicum tuorum subscriptione potes ligare, nec ea, quæ secundùm præfixas regulas à sanctis patribus ligo, potes absoluere. quia vt Gelasius in decretis suis dicit, veluti potes in libro, quem tibi ante altare sanctæ Mariæ in die ordinationis tuæ commisi, relegere, Inferior potiorem absoluere non potest, potior autem inferiorem conse-

Ioan.1. Epist.91. Matth.28. De vera relig. c.31.

quenter absoluit. Proinde inferioris loci Pontifices, qui nullatenus se nouerant potiorem sibi sine prima sede posse resoluere, præcipuè quem eius sententia nouerant obligatum, præuaricatoria absolutione non illum penitùs exuerunt, sed se præuaricatione potiùs nexuerunt. Sed & quia Dominus ad quendam dicit, *Ex verbis tuis te iudico*, licèt in tuis compilationibus non mittere, sed potiùs omittere delegeris ex eorum verbis de quibus testimonia collegisti, quæ te mordere non ignorasti, vnum pro omnibus quasi peremptorium edictum tibi proponam. Cùm enim quædam posuisti de diuersè collectis à Lucio Papa ex diuersis decessorum ac prædecessorum suorum dictis, interscripsisti, Similiter, inquiens, auctoritate fulti Apostolica præcipimus, vt nullus Metropolitanus, absque ceterorum omnium comprouincialium Episcoporum instantia, aliquorum audiat causas, quia irritæ erunt, & ipse causam pro facto dabit: putans te alligare onus graue & importabile, & imponere in humeros Metropolitanorum, quod tibi coniunctim idem Lucius scripsit, digito tuo mouere noluisti. Ait enim consequenter sine vlla interpositione, Episcopi verò per singulas prouincias obseruent, ne posteriores se prioribus suis præferant, nec eis inconsultis, nisi quantum ad propriam pertinet parochiam, aliquid agant: sed omnes de communibus eorum causis consonam sententiam proferant & determinent, quoniam aliter actæ nullas vires habebunt, nec Ecclesiasticæ reputabuntur.] Quia igitur partim Lucius, & post eum pleniùs Antiocheni canones decreuerunt, Vt Episcopus præter Metropolitanum nihil agat, nisi ea tantùm quæ ad suam parochiam pertinent, possessionésque subiectas, vt regat iuxta reuerentiam singulis competentem, & prouidentiam gerat omnis possessionis, quæ sub eius est potestate, ita vt presbyteros & diacones ordinet, & singula suo iudicio comprehendat, debes limatè attendere quod dicitur, Presbyteros, inquit, & diacones ordinet, & non exordinet: quia quos solus Episcopus ordinare potes, solus, nisi vt venerandi præfigunt canones, à sacris officiis submouere vel suspendere nequaquam potes. Et singula, inquit, non autem generalia, tuo iudicio comprehendas, quem conuenit nosse Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius prouinciæ gerere, propter quod ad Metropolim omnes vndique qui negotia videntur habere concurrant.] Et Leo tibi dicit, Quoniam in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri.] Et Lucius tibi ante Leonem prædixit, quod & canones Africæ prouinciæ dicunt, Ne tuis prioribus inconsultis, nisi quantum ad propriam pertinet parochiam, aliquid agas, quoniam aliter actæ nullas vires habebunt, nec Ecclesiasticæ reputabuntur.] Quia ergo illa quæ malè contra Euangelicam veritatem, & Apostolicam auctoritatem, contráque sacrorum canonum & Apostolicæ sedis constitutiones

Luc. 19. Can. 9. Ibid.

tiones

tiones, ſine conſilio Metropolitani, in quo tibi conſentire non debuit, ſicut nec fecit, ligaſti, ſecundùm Lucij verba nullas vires habent, nec Eccleſiaſticæ reputantur, liberè potui ſoluere quod non licuit tibi ligare. Sed & hoc benè, vt patet, non intellexiſti, & certum eſt quia non recto ſenſu poſuiſti quod Lucius dixit, Vt nullus Metropolitanus abſque ceterorum omnium comprouincialium Epiſcoporum inſtantia aliquorum audiat cauſas.] Quia pro omnibus reprehenſibilibus, quæ de te per omnium, vt ita dixerim, ora volitant, & ad me non peruenire non poſſunt, ſemper quando eaſdem reprehenſiones tuas audiero, omnes Epiſcopos prouinciales, vt eas mecum audiant, congregare non poſſum. Si enim bene intellexiſſes Carthaginenſes canones quibus dicitur, Vt Epiſcopus nullius cauſam audiat ſine præſentia clericorum ſuorum, in hac de auditione ſententia non errares: cùm alio ſenſu accipiendum ſit quod Iacobus dixit ad Paulum, *Audient*, quin Iudæi, *te ſuperueniſſe*, & Paulus de ſe, *Audiant omnes gentes, & liberatus ſum de ore leonis.* & alio ſenſu quod dicit ad Corinthios, *Audio inter vos ſciſſuras eſſe*, id eſt ſchiſmata, *& ex parte credo.* & alio quod item ad eos dicit, *Auditur inter vos fornicatio.* & Heli filiis ſuis, *Non bona eſt fama, quam ego audio de vobis.* Vnde intelligere debes, inter auditionem & auditionem vel audientiam eſſe differentiam, ſicut & ſcripturæ demonſtrant. De audientia quippe Felix ad Paulum, *Audiam te*, inquit, *cùm accuſatores tui venerint*, & canones, Non oportet negare audientiam roganti. & aliter intelligenda eſt auditio in eo loco vbi dicitur, *Domine, audiui auditionem tuam & timui*, & aliter vbi dicitur, *Iuſtus ab auditione mala non timebit.* Similiter differentiam intelligere debes inter nominationem, & nominationem atque cognitionem. vt item Paulus dicit, *Si quis frater nominatur fornicator.* &, *Ecce ego Paulus dico vobis, Et veniam citò ad vos, ſi Dominus voluerit, & cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem.* Hinc ſicut in legibus atque in canonibus inuenitur, inter cognitionem quoque & agnitionem eſſe differentiam intelligere debes, ſicut oſtenditur in Africæ prouinciæ canonibus, in quibus ſcriptum eſt, Quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum expetiuerit, honore proprio priuetur.] Sed & alibi iidem ac Sardicenſes canones gloſſam cognitionis exprimunt. Et ſanctus Gregorius in Homilia Euangelij differentiam agnitionis, quæ ſignificationibus vel relatu percipitur, vt Paulus, *Significatum eſt mihi de vobis ab his qui ſunt Chloes*, & reliqua, à cognitione, quæ legali ac regulari iudicio comperitur, demonſtrat loquens ad Epiſcopos de Simoniaca hæreſi, quam ſi per cognitionem in perſonis certis compertus fuiſſet, ſine iudicio Eccleſiaſtico non dimiſiſſet. Vobis, inquit, ſacerdotes, lugens loquor, quia nonnullos veſtrûm cum præmiis facere ordinationes agnouimus, ſpiritalem gratiam vendere, & de alienis iniquitatibus cum peccati dam-

Conc. Carthag. IV. can. 23. — Act. 21. — 2. Tim. 4. — 1. Cor. 11. — 1. Cor 5. — 1. Reg. 2. — Act. 23. — Habac. 3. — Pſal. 111. — 1. Cor. 5. & 4. — Can. 71. — 1. Cor. 1. — Greg. hom. 17. in Euãg.

no temporalia lucra cumulare. Cur ergo ad memoriam vestram non
Matth.10. redit quod vox diuina præcipiens dicit, *Gratis accepistis, gratis date?*
Cur non ante mentis oculos reuocatis, quòd templum Redemptor noster ingressus, cathedras vendentium columbas euertit, & nummulariorum effudit æs? Quinam sunt in templo Dei hodie, qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam videlicet manus impositionem Spiritus sanctus cælitus datur? Columba igitur venditur, quia manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur: sed Redemptor noster cathedras vendentium columbas euertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. Hinc est quòd sacri canones simoniacam hæresim damnant, & eos sacerdotio priuari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Cathedra ergo vendentium columbas euertitur, quando hi, qui spiritalem gratiam venundant, vel ante humanos, vel ante Dei oculos sacerdotio priuantur.] De hac agnitione & beatus Augustinus in libro de Pœnitentia dicit,
Cap.5. Plerique inquiens boni Christiani tacent, & sufferunt aliorum peccata quæ nouerunt, quia documentis sæpè deseruntur, vt ea quæ ipsi sciunt iudicibus Ecclesiasticis probare non possint. Quamuis enim vera sint quædam, non tamen iudici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò à communione quemquam prohibere non possumus, quamuis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut spontè confessum, aut aliquo, siue sæculari, siue Ecclesiastico iudicio accusatum atque conuictum. Quis enim sibi vtrumque audeat adsumere, vt cuiquam ipse sit & accusator & iudex? Non enim temerè & quomodolibet, sed per iudicium, ab Ecclesiæ communione separandi sunt mali, vt si per iudicium auferri non possunt, tolerentur potiùs velut palea cum tritico, vsque ad vltimum ventilabrum, vel pisces mali cum bonis vsque ad segregationem, quæ futura est in littore, hoc est in fine sæculi.] De qua agnitione ad me peruenta, bene reminisci potes me iam te commonuisse, quoniam per multos audiui, sed & vsque ad aures domni regis peruenit, quia & de impositione manus in ordinatione Ecclesiasticorum graduum, etiam à manu munera accipiebas, & de Ecclesiarum datione, quæ etiam non ampliùs quàm dotem suam, id est mansum, quem sub immunitate, sicut in capitulis Ecclesiasticis continetur, habent cum decima fidelium, præmia requirebas, & à diffamatis presbyteris, ne discuterentur, redemptionem accipiebas. Vnde & ab Ecclesiæ tuæ filiis isdem domnus rex veritatem audire quæsiuit, & requisitionem, interueniente tali causa quæ nota est, prosequi destitit, tibíque quàm terribiliùs potui, interdixi, vt his facinoribus nullo modo communicares. Sed & ante altare sanctæ Mariæ, ante quod Episcopus es ordinatus, à me dictum audisti, & accepisti, si fortè obaudisti, & mente condidisti,

vt quod gratis accepisti, gratis etiam aliis, secundùm præceptum Domini dares: quia dextera ad pretium ordinantium, dextera est iniquitatis. Sed & quando hæc de te audiui, & à domno rege hæc requisisse cognoui, tibi & præscripta verba B. Gregorij dixi, & hæc quæ subsequuntur inculcare curaui, quibus in Homilia Euangelij trigesima nona dicit, Ingressus, inquit, Dominus Iesus templum, cœpit eiicere vendentes & ementes de illo. Sicut templum Dei in ciuitate est, ita & in plebe fideli vita religiosorum. Et sæpè nonnulli religionis habitum sumunt, & dum sacrorum ordinum locum percipiunt, sanctæ religionis officium in commercium terrenæ negotiationis trahunt. Vendentes quippe in templo sunt, qui hoc quod quibusdam iure competit, ad præmium largiuntur. Iustitiam enim vendere est, hanc pro præmij acceptione seruare. Ementes verò in templo sunt, qui dum hoc persoluere proximo quod iustum est nolunt, dúmque rem iure debitam facere contemnunt, dato patronis præmio emunt peccatum. Quibus bene dicitur, *Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* quia dum nonnunquam peruersi homines locum religionis tenent, ibi malitiæ suæ gladiis occidunt, vbi viuificare proximos orationis suæ intercessione debuerunt.] Et item in Homilia quarta, *Gratis*, inquit Dominus, *accepistis, gratis date.* Præsciebat namque nonnullos hoc ipsum donum accepti Spiritus in vsum negotiationis inflectere, & miraculorum signa ad auaritiæ obsequium declinare. Hinc est enim quòd Simon per impositionem manus edita miracula concupiscens, percipere donum Spiritus sancti pecunia voluit, scilicet vt deterius venderet quòd malè comparasset. Hinc de templo Redemptor noster flagello de resticulis facto turbas eiecit, cathedras vendētium columbas euertit. Columbas quippe vendere est, impositionem manus, qua Spiritus sanctus accipitur, non ad vitæ meritum, sed ad præmium dare. Sed sunt nonnulli, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodò retributionem quærunt. Hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt, quia de impenso officio sanctitatis nummum fauoris expetunt. Vnde bene cùm iustum virum describeret Propheta ait, *Qui excutit manus suas ab omni munere.* Neque enim dicit, qui excutit manus suas à munere, sed adiunxit, ab omni: quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio est, subiectio indebitè impensa, munus à manu, pecunia, munus à lingua, fauor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus non solùm nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.] Et in epistola ad Ioannem Corinthiorum Episcopum, Peruenit, inquit, ad nos, quòd in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perueniat.

Matth.10. Sub mediū. Luc.19. Esai.56. Matth.10. Esai.33. Lib.4.ep.55

Quod ſi ita eſt, flens dico, gemens denuntio, quia cùm ſacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu ſtare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio, quid Redemptor noſter per ſemetipſum fecerit, quia ingreſſus templum cathedras vendentium columbas euertit. Columbas enim vendere eſt, de Spiritu ſancto, quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi per impoſitionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. ex quo, vt prædixi, malo iam innuitur quid ſequatur, quia qui in templo Dei columbas vendere præſumpſerunt, eorum Deo iudice cathedræ corruerunt. Qui videlicet error in ſubditis cum augmento propagatur. Nam ipſe quoque, qui præmio ad ſacrum honorem perducitur, iam in ipſa prouectus ſui radice vitiatus, paratior eſt aliis venundare quod emit. & vbi eſt quod ſcriptum eſt, *Gratis accepiſtis, gratis date?* (Matth. 10.) Et cùm primò contra ſanctam Eccleſiam Simoniaca hæreſis ſit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum, quem quis cum pretio ordinat, prouehendo agit vt hæreticus fiat? Quia igitur hanc nefandiſſimam prauitatem vniuerſalis damnat Eccleſia, hortamur fraternitatem veſtram, vt tam deteſtabile & immane peccatum de locis omnibus, quæ ſub ſe ſunt, ſollicitudinis ſuæ compeſcat omnibus modis inſtantia. Nam ſi quid tale deinceps fieri ſenſerimus, iam non verbis, ſed canonica vltione corrigemus, & de vobis, quod non oportet, aliud incipiemus habere iudicium.] Et hinc in multis epiſtolis ſuis ad multos Epiſcopos terribilia & grandia ſcripſit, quæ per te in ſuis locis legere potes, & cauere debes. Dixi etiam tibi, quia verba Dei, quæ ſanctus Petrus Apoſtolorum princeps, qui hanc hæreſim in Simone mago damnauit, in omnes ex tunc & nunc, & vſque in finem ſæculi, veridica & valentia permanent. Et ſicuti cum illo pecunia ſua extitit in perditionem, ita & omnes qui hinc munera dant vel accipiunt, niſi dignam inde pœnitentiam egerint, in perditione & manent & ſine fine manebunt. Et cùm vterque ſint hæretici, ſcilicet, & qui pro impoſitione manus pretium donant, & qui munus accipiunt, reatu tamen maiore delinquit, qui potiore honore perfruitur, quia grauiora facit vitia peccatorum ſublimitas dignitatum. Et det Dominus vt non ſint vera, quæ per multos ex hoc de te audio, & obteſtor te per ſanctam & inſeparabilem Trinitatem, & per crucem & ſanguinem Ieſu Chriſti filij Dei viui, ex quo, & à quo, & per quem omnis Epiſcopatus Eccleſiaſticus cepit exordium, & per ipſum ſanctum Spiritum, qui maximè in ordinationibus operatur, & per omnem ſanctorum Angelorum militiam, ac per ſanctam omnium electorum Eccleſiam conſcriptam in cœlis, & per futurum iudicium, quo Chriſtus veniet iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem, & reddere vnicuique ſecundùm opera ſua, vt nec ipſe, contra diuinas & canonicas conſtitutiones, te huic Deo contrariæ negotiationi quolibet modo vel quacum-

que excogitata adinuentione immiſceas, nec alicui, quantum ex te eſt, & quantum ad te pertinet, immiſceri conſentias: immo tuis, quanta potes obteſtatione, interdicere ſtudeas. Quam obteſtationem non noua præſumptione exero, ſed pro modulo meo B. Pauli ſequor exemplum, ſcribentis ad Timotheum, quem iuuenem ordinauit Epiſcopum, licèt non de hac cauſa, ſed de aliis, de quibus neceſſarium duxit, huiuſmodi obteſtationem exeruit. cuius verba, per quem locutus eſt Chriſtus, etiam tibi inculco, *Teſtificor*, inquit, *coram Deo, & Chriſto Ieſu, & electis Angelis, vt hæc cuſtodias ſine præiudicio, nihil faciens in aliam partem declinando*, &, *Præcipio tibi coram Deo, qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem, vt ſerues mandatum ſine macula inreprehenſibile vſque in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti.* De Lucij autem epiſtola, quæ ante Nicænum Concilium facta fuit, non ideo tibi ſcripſi, quaſi non ſufficiant ad auctoritatem, quæ ſacrorum Conciliorum canones, & ex his promulgata decreta alia ſedis Apoſtolicæ dicunt, ſed vt ſcientiam tuam quæ inflat, ſine charitate quæ ædificat, vento diſtentam eſſe demonſtrem. Hæc, frater, patienter atque benignè ſuſcipe, & apud peritos medicos diſce ſapientiam, quia illis imponentibus ſæpe funem portat phreneticus vnde ligetur. Et illa, de quibus me comprehendi à te poſſe exiſtimas, diſcretè intellige: quoniam alia ſunt quæ Metropolitanus ſine conſilio atque conſenſu omnium Coepiſcoporum prouinciæ agere non debet, ſicut cauſas accuſantis Epiſcopum, ad diſcutiendum, vel ipſum canonicè iudicandum, ſiue noxium vel purgatum decernere, vel in loco decedentis Epiſcopi ordinare, & de quibuſcumque nouiter emergentibus cauſis, vel dubiis aut obſcuris: & alia ſunt, de quibus certa & expreſſa in ſacris regulis habemus iudicia, quæ refragari vel conuelli non licet, sed ſine retractatione exequi auctoritas & ratio ipſa compellit.

1 Tim. 5. & 6.

CAP. XXXVI. *De irregulari ſubſcriptione, quam collectioni ſuæ appoſuit.*

HIS igitur documentis certiſſimis conſtat, quod me replicare cogit ipſa neceſſitas, quia ſi in parochia tua, quæ mihi cũ ſollicitudine totius Remorum prouinciæ commiſſa eſt, ſecundùm priuilegium mihi datũ, quod malè admiſiſti corrigere detrectaſſem, à præſtitutis regulis negligentia diſcederem, à quibus præſumptione tu diſceſſiſti. Egi ergo ſecundùm ius Metropolitanæ auctoritatis, in quo iure Metropolitanæ dignitatis, me à te, ſubiectæ ciuitatis Epiſcopo, mihi velis nolis ſubiecto, capitulum beati Leonis diſcreuit, quo iuſſit Metropolitanis ſingularum prouinciarum ius traditæ ſibi antiquitùs dignitatis intemeratum ſeruare, ita vt à præſtitutis regulis nulla, aut negligen-

tia, aut præsumptione discedant. Aliud autem capitulum eiusdem beati Leonis me tibi ordinis societate coniunxit, in Epistola ad omnes Episcopos per diuersas prouincias constitutos, de sacris ordinibus & canonum promulgata disciplinis, cùm dicit, Hoc admonitio nostra denuntiat, quòd si quis fratrum contra hæc constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ.] Pensemus igitur non dolosa sed recta statera, quem nostrûm pressiùs istud contingat Capitulum, vtrum me, qui ea, quæ inrefragabiliter obseruanda sunt constituta, auctoritate metropolitana in parochia prouinciæ mihi commissæ conseruare decreui, an te, qui in illa, quæ inuiolabiliter conseruanda sunt constituta, & temerasti & conuelli fecisti, & præter me, Primatem tuum, contra statuta Ecclesiastica subscripsisti & subscribi fecisti, cùm sicut statuta Ecclesiastica docent, sine me nihil decernere valeas, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, sicut Africanum decreuit Concilium dicens, Vt posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Qua de re, inquit Aurelius, dico, provt captus animi mei retinet, eos qui putauerint spretis maioribus aliquid præsumendum, competenter esse ab omni Concilio coercendos.] Et hinc Leo ad Theodorum Foroiuliensem Episcopum dicit, Quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet impleri.] Contra constituta ergo venisti, cùm ea, quæ ipsa præcipiunt nulli poscenti negari, omnibus in tua parochia denegari iussisti. prohibita quidem fuisti ausus admittere, cùm aduersus ea me postposito subscripsisti & subscribi fecisti, quod etiam nec in rectis agere debuisti, Subscriptio namque tua, sicut à multis dicitur, habetur huiusmodi.

Epist. 1.

Cõc. Afric. can. 53.

Leo epist. 59

Hincmarus Deo miserante Ecclesiæ Laudunensis Episcopus, his sanctorum Apostolicæ sedis Patrum decretis obtemperandum subscripsi. Qui quoque mihi eodem Deo auctore commissi sunt, & in his similiter sentiunt, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, hac mecum pace potiantur. Si verò aliqui secùs nolentes fieri socij huius disciplinæ, nec habeantur participes communionis nostræ. Actum Lauduno VIII. *Idus Iulias.*

Qua subscriptione tua manifestissimè claret, quia si Nicæno Concilio, & aliis generalibus catholicis Synodis, eorúmque fixis & immobilibus decretis contraria sentis in aliquo, te tibíque complices à catholica communione segregasti, dicens, His decretis obtemperandum subscripsi. Vnde verbis beati Gregorij alloquentis Serenum Massiliensem Episcopum te alloquor, dicens, Dic frater, à quo factum sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? Si non aliud, vel illud te debuit reuocare, vt despectis aliis fratri-

Lib. 9. ep. 9.

bus solum te sanctum & esse crederes sapientem. Præcipuè cùm sacrorum canonum prohibitio te ab hac præsumptione modis omnibus reuocet. Hoc verò quod dicis, Deo miserante Ecclesiæ Laudunensis te esse Episcopum, oramus vt verum sit. Legimus tamen de quibusdam dicere Dominum, *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* Et, *Dedi eis Regem in ira mea, & principem in furore meo. Qui facit hypocritam regnare propter peccata populi.* In eo quod subscripsisti, *Actum Lauduno* VIII. *Idus Iulias*, intelligimus secundùm leges quas probat Ecclesia, atque secundùm sacros canones, hanc tuam sine Consule prolatam non valere sententiam. Alia namque sunt, quæ subscribuntur ad notitiam rei vel temporis, alia quæ, scripto prolata sententia, subscriptione alligantur ad obseruationem constitutionis, aut professionis, seu accusationis, vel petitionis. Sententia, inquiunt leges, si sine scripto dicta fuerit, nec nomen habere sententiæ mereatur. Et, Si qua post hæc edicta siue Constitutiones sine die & consule fuerint deprehensa, auctoritate careant.] Et hinc Africæ prouinciæ canones Episcopis litteras ab ordinatoribus suis manu eorum conscriptas iubent accipere, continentes consulem & diem.] De eo, quod subnexuisti, *Qui quoque mihi commissi sunt, & in his similiter sentiunt, hac mecum pace potiantur*, videris non simplici intelligentia posuisse, *hac mecum pace potiantur.* quia non est pax vera, nisi in vnanimitate catholica. alioquin dicentes, vt scriptum est, *Pax, pax, cùm non esset pax. Non est pax impiis, dicit Dominus.* Impij namque dicuntur, qui aut per fidem rectam Ecclesiæ catholicæ non incorporantur, aut ab ea fide vel opere per hæreses aut schismata recedunt. Et in vnanimitate catholica non subscripsisti, neque tibi commissos subscribere fecisti, si vt dixi contra Nicænos canones, & alia generalia Concilia, fixáque decreta sentis vel sensisti, ac per hoc sollicitus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, nequaquam in ista subscriptione fuisti. Sicut enim in edicto quintæ Synodi scriptum est, Solent prauè sentientes, vt simpliciores decipiant, vocibus quidem vti, quæ ab orthodoxis piè dicuntur, rectum autem earum intellectum & expositionem ad suam impietatem transferre. quoniam est quando eædem voces, cùm benè exponuntur & intelliguntur, cum pietate sunt: quando autem malè à prauè sentientibus interpretantur & proferuntur, impietatem habent.] Et sanctus Gregorius in homilia x. Ezechielis dicit, Quia quisquis expositor in explanatione sacri eloquij, vt fortasse auditoribus placeat, aliquid mentiendo componit, sua & non Dei verba loquitur, si tamen placendi vel seducendi studio mentiatur.] Et tu, si hanc sententiam Apostoli tuis dictis interposuisti, vt ad subscribendum, quod non licet, comministros tuos faciliùs posses seducere, de auro & argento Dei, id est, de sensu & eloquio diuino, sicut per Prophetam Dominus ad idololatram populum dicit, tuo sensu tibi

Oseæ 8. & 13. Iob 34.

Cod. Th. Lege 1. de cōst. princ. Can. 36.

Hierem. 8. Esai. 48.

& illis idolum fabricasti. Manifestum est enim, quia sententia Apostolica, quam in eadem tua subscriptione ad tuam confirmandam sententiam peruersè misisti, non eo sensu dicta est à beato Paulo Apostolo, sicut eam ibi posuisti, Non enim, quando illam subscriptionem firmasti, quin potiùs te & subscribentes tecum infirmasti, sollicitus fuisti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, sed sollicitus fuisti dissoluere vnitatem spiritus contra vinculum pacis. Vnde prouidendum est tibi, ne inter adulteratores verbi Dei computeris, quos, vt suprà posui, redarguit Paulus Apostolus. Sed & de hac sententia idem dicit, *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vnum corpus, vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Vnde beatus Gregorius, Ad vnam igitur vocationis spem nequaquam pertingitur, si non ad eam vnita cum proximis mente curratur. *Est*, inquit Dominus ad Moysem, *locus penes me, & stabis super petram.* Locus quidem apud Dominum est sanctæ Ecclesiæ vnitas, qua supra petram statur, dum confessionis eius soliditas vtiliter tenetur. Hi enim in loco qui penes Dominum est, & supra petram stant, qui per hæreses, vel per schismata ab vnitate se Ecclesiæ non diuidunt. Quia, vt sanctus Hilarus Papa dicit, sicut & suprà posui, Non minùs in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, quàm in ipsius Domini iniuriam prosilitur.] Credimus namque, ac cum Ecclesia catholica confitemur, sacros canones Spiritu Dei conditos: vnde qui per contemptum pertinaciter à sacris canonibus deuiant, in Spiritum sanctum quo sunt conditi peccant. Pertinaciter autem addidi, quoniam Dominus dicit, quòd in Spiritum sanctum peccantibus nec hîc esse, nec in futuro sæculo remittendum. Et multos hæreticos legimus & credimus ad fidem catholicam reuertentes, & hîc remissionem suæ percepisse blasphemiæ, & in futuro spem indulgentiæ consequendæ sumpsisse. Nec tamen eius refragatur sententia, qui alibi dixit, *Verte impios, & non erunt.* Non quidem vt non sint per essentiam, sed non erunt quod fuerant per impietatis culpam: sicut & Paulus dicit de se, *Viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Extinctus quippe fuerat sæuus ille persecutor, & viuere cœperat pius prædicator. Hinc etiam adhuc dico, quod cum catholica credo Ecclesia, & confiteor, quia Spiritu Dei, vt Leo cum aliis orthodoxis adfirmat, canones sacri sunt conditi. Qui siquidem Spiritus est patris, Spiritus est filij, & pater, & filius, & Spiritus sanctus, quorum est vna substantia, vna voluntas & operatio, vnus est Dominus, ac per hoc à patre & filio & Spiritu sancto, tota scilicet Trinitate vno Deo & Domino, canones sacri sunt conditi, à quibus qui per contemptum pertinaciter deuiant, in patrem & filium & Spiritum sanctum, scilicet in Deum ac Dominum peccant. Constat igitur, quia, vt Hilarus Papa scribit, non minùs in sanctarum traditionum sanctiones delinqui-

Marginalia: Ephes. 4. — Exod. 33. — Epist. 2. — Matth. 12. — Prou. 12. — Gal. 2.

quitur, quàm in ipsius Domini, patris scilicet & filij & Spiritus sancti, iniuriam prosilitur. Et consequenter iterum pertinaciter, id est, perseueranter addidi, quia beatus Ioannes Apostolus dicit, *Est peccatum ad mortem*, non dico vt oretur pro eo: *& est peccatum non ad mortem*, dico vt oretur pro eo. Est quidem peccatum ad mortem, in eodem peccato manentibus: est peccatum non ad mortem, ab eodem peccato recedentibus. Nullum est quippe peccatum, pro quo aut non oret Ecclesia remittendum, aut quod data sibi diuinitùs potestate discedentibus ab eo non possit absoluere, vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur, *Quæcumque dimiseritis super terram, dimissa erunt & in cælis, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Cùm enim dicitur, *Quæcumque solueritis*, omnia quæcumque sint, & quantacumque sint, & qualiacumque sint, ex quocumque statu, vel ex quocumque lapsu comprehenduntur: veraci nihilominùs eorum manente sententia, quæ nunquam soluenda esse denuntiantur, in eodem tenore consistentibus, non etiam ab hoc eodem peccato postea recedentibus. Ex his igitur manifestissimè claret de eadem tua subscriptione, in qua dicis, *His*, quin à te specialiter excerptis, *sanctorum Apostolicæ sedis patrum decretis obtemperandum subscripsi.* Quia si, vt suprà dixi, & nunc iterum dico, Nicæno Concilio, & aliis generalibus ac catholicis Synodis, eorúmque fixis & inrefragabilibus decretis, quæ Apostolica sedes & cuncta Ecclesia catholica recipit, veneratur, & seruat, contraria in aliquo sentis, vel teneri ac seruari decernis, te tibíque complices à catholica communione segregasti, & quando catholicæ obseruantiæ contrariis subscripsisti, sollicitus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis nequaquam in ista subscriptione fuisti. Et beati Leonis decernentis, Quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri, non fuisti socius disciplinæ. Vnde timendum est, vt non sis etiam consors communionis suæ, à cuius communione si quod absit fueris alienus, cum his, quorum decreta conuelli fecisti, sicut ex sacris canonibus & decretis Romanæ sedis Pontificum tibi scripto direxi, ac per hoc cum Ecclesia catholica communionem habere non poteris. Et non leue tibi vllo modo videatur quod suprà ex verbis eiusdem beati Leonis posui, quibus dicit, Quæ patefacta sunt quærere, & quæ perfecta sunt retractare, & quæ sunt diffinita conuellere, quid aliud est, quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum improbos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?] Sed cum magna cordis intentione considera, cui peccato peccatum quod admisisti diffinita conuellens comparet, scilicet quod non nisi sanguine Filij Dei præualet expiari. videlicet quod à primo parente commissum in omnes posteros pertransiuit, sicut dicit Apostolus, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines*

1. Ioan
Matth. 18. 18.
Epist. LIX.
Epist. 84. ad Leonem Augustum.
Rom. 5. 12.

pertransiuit, in quo omnes peccauerunt. ſicut & per te in omnes tecum ſubſcribentes contra diffinita à ſanctis patribus peccatum pertranſiit, qui te agente in hoc peccauerunt, quia in illa ſubſcriptione non te penitus exuiſti, ſed eos præuaricatione potiùs nexuiſti, volens me oſtendere canonum præuaricatorem, qui quaſi contra canones in tua parochia ſolui quæ ligaſti, & certans me nota damnationis inurere, quam conſcientia tua nequibat effugere, & ideo plus veritus humanam verecundiam, ne vilis fieres ex his quæ perperè geſſiſti tuis ſubditis, quàm reatum ante diuinos oculos, quod humili reſipiſcentia corrigere poteras, ad illud argumentum te conuertiſti, vt hanc inregularem, immo tragœdialem ſubſcriptionem excogitares, & hac adinuentione Dominum ad iracundiam ampliùs prouocares, & tecum alios necteres. Lege igitur in decretis Gelaſij ſententiam de Acacio, & de Epiſcopis qui eum regulariter contendebant poſſe abſolutum dicere, & eam tibi & his quos tecum feciſti ſubſcribere applica, & quid egeris recognoſce. Et quod ibi de ſede Apoſtolica leges, de tua Metropoli, quæ iuſſa ſedis Apoſtolicæ executa eſt, dictum puta. Ait enim, Ideo cum ſede Apoſtolica minimè congruebant, quia in ſortem reciderant præuaricatoris Acacij, & illius ſe ſine dubio peruidebant ſententia conſequenter adſtringi, ob hoc eum videri nolebant eſſe damnatum, quia ſe cognoſcebant in eadem præuaricatione eſſe damnatos, in qua hodiéque manere perſiſtunt. Sed ſicut hi ſimili conditione conſtricti, complicem ſuum non poſſunt iudicare non iure damnatum, neque rei reum poſſunt competenter abſoluere: ſic illo iuſtè præuaricatore damnato, ipſi quoque pari iacent damnatione proſtrati, neque niſi reſipiſcentes inde poterunt prorſus abſolui. quia ſicut per vnum ſcribentem eorum omnium vulgata tranſgreſſio eſt, qui in eandem perfidiæ reciderant actionem, ſic in vno eodémque, qui pro omnibus ſcripſerat, vel ſcribendo omnium prodiderat voluntates, tranſgreſſione punita, pariter quoque cùm eodem, vel in eodem eſt complicum tranſgreſſio punita cunctorum.] Et S. Hilarius in epiſtola de Synodis, quam de exilio ad Gallicanos miſit Epiſcopos, dicit, Nihil, inquiés, mirum videri vobis debet, fratres cariſſimi quòd tam frequenter exponi fides cœptæ ſunt. neceſſitatem hanc furor hæreticus impoſuit, & neceſſitas conſuetudinem intulit exponi fides, & expoſitis ſubſcribi. Vbi enim ſenſus conſcientiæ periclitatur, illic littera poſtulatur, nec ſanè ſubſcribi impedit, quod ſalutare eſt confiteri.] Conuerte igitur oculos mentis tuæ ad actum tuum, quod inrationabiliter, & contra auctoritatem atque ſine vlla neceſſitate in hac præſumptiua ſubſcriptione tua perpetrare nõ timuiſti, & tibi ſubditos agere compuliſti, ne furor tuus, etſi diuerſo modo, non diuerſo dolo, in hoc facto furori hæreticorum æquetur, qui illic litteram poſtulaſti, vbi ſenſus conſcientiæ non periclitabatur, & feciſti ſubſcribi quod ſalutare non eſt confi-

Gelaſius Epiſt. xi. in fine.

teri, si tamen sacro Nicæno Concilio, & Romanæ sedis Pontificum decretis post Nicænum Concilium habitis, & ex sacris canonibus promulgatis, in aliquo est contrarium, quod à te & tuis complicibus constat esse subscriptum. In quo pernicioso facto à te non leuiter est erratum, in quem à beato Gelasio ostenditur transgressio punienda cunctorum, qui omnibus præscripsisti, & ab omnibus comministris tuis subscribi fecisti. Vnde idem Gelasius dicit, Quoniam idem ipse error, qui semel est cum suo auctore damnatus, in participe quolibet prauæ communionis effecto, execrationem sui gestat & pœnam.] Et in epistola ad Anastasium, Cùm dicat Apostolus, non solùm qui non facienda faciunt reos videri, sed etiam qui consentiunt facientibus? Proinde sicut non potest, peruersitatis communicatore suscepto, non pariter peruersitas approbari: sic non potest refutari peruersitas complice sectatore peruersitatis admisso. Legibus certè vestris criminum conscios, susceptorésque latrocinantium par iudiciorum pœna constringit: nec expers facinoris æstimatur, qui licèt ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœdúsque receperit.] Et in edicto quinti Concilij scriptum est, Miramur eorum dementiam, qui diuinæ scripturæ contraria agunt, euidenter dicenti, quia æqualiter horribilia sunt apud Deum impius & impietas eius. Actio enim cum actore punietur.] Si autem similiter impietas horribilis est Deo, & ille qui impiè agit, certè separatus est talis à Deo, & anathemati iustè subiicitur. Anathema enim nihil aliud significat nisi à Deo separationem, sicut in veteri & in nouo testamento iudicium de anathemate significat. In mente igitur habe scriptum à beato Paulo, *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes eorum infirmam conscientiam, in Christum peccatis.* Grauiter autem illi in Christum peccant, qui periculosissimo, & maximè detestando mendacio in religione mentientes, infirmorum conscientias percutiunt, de quibus specialiter scriptum est, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et in decretis Apostolicæ sedis scriptum est, *Quoniam quisquis schismatico assenserit, schismaticus esse negare non poterit.* Schisma enim à scissura est animorum, vt catholici doctores dicunt, vocatum. Eodem enim cultu, eodem ritu credit vt ceteri, solo congregationis delectatur discidio, & schismaticus est, licèt sic credat vt catholica credit Ecclesia, si in dogmatibus Ecclesiasticis ab Ecclesia se scindit catholica, cui quisquis assenserit, schismaticus esse negari non poterit: quod & si omnes sacerdotes & mundus assentiat, damnatio consentientes inuoluit, non præuaricationem consensus absoluit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cùm generale fit ex priuato. Hoc enim Deus omnium indicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit. Quorum perditionem euidenter catholica demonstrat Ecclesia, quæ vt pro hæreticis, ita coniunctim & pro

Epist. x. sub medium.
Rom. I.
Sap. 14.
I. Cor. 8.
Psal. 5.

schismaticis orat, vt ad fidei & pacis redeant vnitatem, sciens hæreticos & schismaticos in hæresi ac schismate permanentes regnum Dei non intraturos: quia nisi ad iudicium, in scissura mentium Deus non est, vt beatus dicit Gregorius. Deus quippe in vnitate est, & illi eius habere gratiam merentur, qui se ab inuicem per sectarum scandala non diuidunt. Vnde per se Veritas admonet dicens, *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Vt quisquis habere sal sapientiæ studet, curet necesse est quatenus à pace concordiæ nunquam recedat. Sed sunt nonnulli, qui dum plus sapere quàm necesse est student, à proximorum pace resiliunt, dum eos velut hebetes stultósque contemnunt, sicut tu egisti, qui cum tuis complicibus, & tecum subscribentibus, à vinculo & vnitate pacis Ecclesiasticæ diuisisti, contemnens auctoritatem tuæ Metropolis, & contradicens atque resistens his quæ de Euangelica veritate & Apostolica atque Ecclesiastica auctoritate tibi & Ecclesiæ Laudunensi Metropolitana sollicitudine scripsi, & eadem catholicæ Ecclesiæ auctoritate, considerans periculum imminens, quod malè ligasti pro officio loci mei dissolui.

Marc. 9.

CAP. XXXVII. *Vt non sit prudens apud semetipsum, & de discretione in pace tenenda.*

VNDE, frater, & me & te moneo, vt attendamus quod Dominus per Prophetam dicit, *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* & per Apostolum, *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* &, *Si quis se existimat aliquid scire, nondum cognouit quomodo oporteat eum scire.* &, *Si quis vult inter vos sapiens esse, stultus fiat vt sit sapiens, quia sapientia huius mundi inimica est Deo.* & per Iacobum Apostolum monstrat, *Quia superba & contentiosa sapientia terrena, animalis est & diabolica: sapientia autem quæ de sursum est, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens.* Scientia etenim virtus est, humilitas custos virtutis, & miranda actio cum elatione non eleuat, sed grauat. Qui enim sine humilitate virtutes congregat, in ventum puluerem portat, & vnde aliquid ferre cernitur, inde deteriùs cæcatur. Hinc etiam scriptum est, *Qui emittit fontes in conuallibus.* &, *conualles abundabunt frumento.* A montibus namque aqua dilabitur, quia superbas mentes veritas doctrinæ deserit: sed fontes in conuallibus surgunt, quia corda humilium verbum prædicationis accipiunt. Vnde per se Veritas admonet dicens, *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Vt quisquis habet sal sapientiæ, studiosè curet necesse est, quatenus à pace concordiæ nunquam recedat. Et ne in pace tenenda quis erret, per semetipsam veritas, cùm terrenam pacem à superna distingueret, atque ad venturam discipulos ex præsenti prouocaret, ait, *Pacem meam relinquo vobis, pa-*

Esa. 5. Rom. 12. 1. Cor. 8. 1. Cor. 3. Rom. 7. Iacob 3. Psal. 103. & 64. Marc. 9. Ioan. 14.

cem meam do vobis. relinquo ſcilicet tranſitoriam, do manſuram. Si ergo in ea cor quæ relicta eſt figitur, nunquam ad illam quæ danda eſt peruenitur. Pax igitur præſens ita tenenda eſt, vt & diligi debeat & contemni. quæ ſi immoderatè diligitur, diligentis animus in culpa capitur: & dum nimis humanam pacem deſiderat, prauos hominum mores nequaquam redarguit, & conſentiendo peruerſis ab auctoris ſui ſe pace diſiungit, & dum humana foras iurgia metuit, interni fœderis diſcuſſione feritur. Hinc Dauid, dum totum ſe ad fœdera pacis internæ conſtringeret, teſtatur quòd cum malis concordiam non teneret, dicens, *Nonne qui te oderant oderam illos, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi.* Pſal.138. Inimicos etiam Dei perfecto odio odiſſe eſt, ad quod facti ſunt diligere, & quod faciunt increpare, mores prauorum premere, vitæ prodeſſe. Penſandum eſt igitur, quando ab increpatione quieſcitur, qua culpa cum peſſimis pax tenetur, ſi Propheta etiam velut in hoſtiam Deo obtulit, quòd contra ſe pro Domino prauorum inimicitias excitauit.

CAP. XXXVIII. *Vt ſacræ ſcripturæ verba, & ſacras regulas rectè intelligat.*

ADMONEO etiam tuam dilectionem, vt cum ſacræ ſcripturæ verbis etiam ſacras regulas, ſicut à ſancto Spiritu quo & ſacræ ſcripturæ ſunt conditæ, intelligas: quoniam qui ſacræ legis verba non rectè intelligunt, ſaluberrimum vini potum in veneni ſibi poculum vertunt, ac per medicinale ferrum vulnere ſe mortali feriunt, dum per hoc in ſe ſana perimunt, per quod ſalubriter abſcidere ſauciata debuerunt. quos videlicet ad intellectum prauum intentio peruerſa non raperet, niſi priùs ſuperbia inflaret. dum enim ſe præ ceteris ſapientes arbitrantur, ſequi alios ad meliùs intellecta deſpiciunt: atque vt apud imperitum vulgus ſcientiæ ſibi nomen extorqueant, ſtudent ſummopere & ab aliis rectè intellecta deſtruere, & ſua peruerſa roborare. quorum ſapientia *ſicut nouacula acuta facit dolum,* quia Pſal.51. ſicut nouacula acuta ſæpe aſſimilat ſe agere vultus nitorem, & genas vulnere ſuo ſauciat, ita doloſa verſutia dolo prauæ intelligentiæ vulnerat quos ſano ſenſu ſanare ſe ſimulat. Vnde bene per Prophetam dicitur, *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminum* Amos 1. *ſuum.* Quia nimirum bene dicta prauè intelligentes, fidelium mentes, quæ iam aliquid de veritatis intellectu conceperant, peruerſa doctrina perimunt: & dum ſcientiæ ſibi nomen extendunt, paruulorum corda iam de verbi conceptione grauida erroris gladio ſcindunt, & quaſi doctrinæ ſibi opinionem faciunt. Quibus primùm neceſſe eſt ne inanem gloriam quærant: quia ſi radix elationis abſciditur, conſequenter rami prauæ aſſertionis areſiunt. Nam catholici docto-

res, & Ecclesiæ sanctæ rectores, qui de hæresibus scripserunt, eos qui verba diuini eloquij non rectè intelligunt, vel non rectè interpretantur, sed ad suos sensus illa allegorizant, in catalogo prauè sentientium hæreticis connumerantes adscribunt.

CAP. XXXIX. *Vt ab eo remoueat dolorem, à se ipso periculum, & ab vtroque improperium.*

ADMONEO te paterna & fraterna dilectione, vt remoueas à me dolorem, à te periculum, & ab vtrisque nostrûm à plurimis inlatum improperium. A me quidem dolorem, quia vt sanctus Gregorius dicit, minorem dolorem mala ingerunt, quæ ab extraneis inferuntur, plus verò in nobis ea tormenta sæuiunt, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus præsumebamus, quia cum damno corporis mala nos cruciant amissæ caritatis.] Hinc est enim quod de Iuda traditore

Psal. 54. suo per Psalmistam Dominus dicit, *Et quidem si inimicus meus maledixisset mihi, supportassem vtique: & si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, absconderem me vtique ab eo. Tu verò homo vnanimis dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Domini ambulauimus cum consensu.* Et rursum, *Homo pacis meæ, in quo sperabam, & qui edebat panes meos ampliauit aduersum me supplantationem.* Ac si de traditore suo apertis vocibus dicat, Transgressionem eius tanto grauiùs pertuli, quanto hanc ab eo qui meus esse videbatur sensi. Omnes ergo electi, quia summi capitis membra sunt, caput quoque suum in passionibus sequuntur, vt ipsos aduersarios in sua morte sentiant, de quorum vita præsumebant, & tanto eis crescat merces operis, quanto eis virtutis lucrum pro-

Greg. hom. 55. in Euãg. ficit & ex alienæ damno caritatis. Et quoniam minùs iacula feriunt quæ præuidentur, & nos tolerabiliùs mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur, eo ista de te tolerabiliùs porto, quo longè antè per Prophetam à Domi-

Hierem. 9. no dictum lego, *Vnusquisque*, inquit, *à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquetur.* Et paulo pòst, *In ore pacem cum amico suo loquetur, & occultè ponet ei insidias, numquid super his non visita-*

Matth. 10. *bo, dicit Dominus?* Et per semetipsam veritas dicit, *Inimici hominis do-*

Malac. 2. *mestici eius.* Et cùm scriptum sit, *Labia sacerdotis custodient scientiam,*

Exod. 20. *& legem*, quæ inter alia dicit *Honora patrem tuum & matrem tuam, requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Tu è contra, ne magnitudo miserationum Domini, quas de manu illius gratuita gratia sine merito vllo suscepi, extollat me, datus es mihi stimulus recognoscendæ infirmitatis meæ, Angelus Satanæ, vt me & matrem tuam Remorum Metropolim, quæ te nutriuit, elatis mori-

bus & inobedientiis colaphizes. Sed ſciens quia virtus in infirmitate perficitur, libenter gloriabor in his, quæ infirmitatibus meis, aut à Deo per corporales moleſtias, aut à diabolo per tentationes, aut ab homine per quaſlibet immiſſiones inferuntur, vt inhabitet in me infirmo virtus Chriſti, qui perficit in infirmitate virtutem. Periculum quoque diſcordiæ, quam contra auctoritatem & rationem, contráque ſalutem tuam erga me videris habere, à te quantocyus amoue: certiſſimè ſciens, quoniam quantiſlibet virtutibus polleas, ſpiritalis nullatenus fieri potes, ſi vniri per concordiam mihi & ceteris fratribus tuis neglexeris. Scriptum quippe eſt, *fructus ſpiritus eſt caritas, gaudium, pax:* qui autem ſeruare pacem non curat, ferre fructum ſpiritus recuſat. Certus enim es, ſi ſanum ſapis, quoniam tamdiu nullum boni operis Deo ſacrificium immolas, quamdiu à proximorum caritate diſcordas: multo minus autem, ſi à dilectione mea diſcordas, qui te benignè nutriendum ſuſcepi, orphanum dulci dilectione nutriui, in clericum totondi, litteris per me & per quoſcunque potui erudiui, per ſingulos gradus ad ordinē Epiſcopatus prouexi, familiaritatem & dulcedinem dilectionis domni noſtri Regis tibi obtinui. Penſare enim cum magno timore debes quod ſcriptum eſt, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quoniam frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum.* Ex qua ſcilicet præceptione conſiderare debes, quàm intolerabilis eius culpa monſtratur, cuius hoſtia repellitur. Nam cùm mala cuncta bonis ſequentibus diluantur, penſandum nobis eſt quanta ſint mala diſcordiæ, quæ niſi extincta funditus fuerint, bonum ſequi non permittunt: quia quælibet in nobis bona opera fuerint, ſi caritas deſit, per malum diſcordiæ locus aperitur in acie, vt ad feriendum nos valeat hoſtis intrare. Ego, crede mihi, non tecum, ſed cum tuis improbabilibus moribus & actuum motibus, de quibus te ſæpè & verbis & litteris reprehendi & caſtigaui, & vt doleo, dolui, diſcordiam habeo. Fac quod ſalubriter tibi cupio, & tuo conuenit miniſterio, & me placabilem ac præſtabilem in cunctis habebis. Alioquin expectabo, ſi per Dei gratiam verbum Domini, quod inter me & te adhuc laborat, tandem requieſcere valeat. *Si peccauerit,* inquit, *in te frater tuus, increpa illum: ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Interim autem, donec hoc verbum Domini inter me & te laborabit, vtar continuè ſalubris antidoti medicina contra mortiferum diſcordiæ poculum mihi à te propinatum, quam Dominus & Saluator noſter conſcius infirmitatis noſtræ largiri dignatus eſt, dicens, *Cùm ſtabitis ad orandum, remittite ſi quid habetis aduerſus aliquem in cordibus veſtris, vt & pater veſter cæleſtis dimittat vobis peccata veſtra.* Et ſcilicet Conditor noſter, dum tale placitum noſtræ mentis adſpexerit, à peccato nos ſoluet, quia munus pro

Galat. 5. — Matth. 5. 23. — Matth. 18. — Marc. 11.

culpa sumet. Quod munus etiam holocaustum gratia Dei misericordis fiet, si fuerit simila oleo conspersa, & in zeli sartagine frixa. scilicet cùm misericorditer eum diligimus, & inter sacra pro eo oramus, quem zeli salutaris feruore insequi videmur, vel à quo inuidiæ liuore insequimur. imitantes illum qui mori etiam pro inimicis venerat, & tamen positurum se animam pro amicis dicebat, vt profectò nobis ostenderet, quia cùm diligendo lucrum facere de inimicis possumus, etiam ipsi amici sunt qui persequuntur. Quæ non ideo dico, vt persecutionem tuam in damnis temporalibus vel in contumeliis timeam, aut magnopere sentiam, quibus etiam etsi voles me nocere non potes: sed de illa persecutione dico, licèt sim iniustus, qui me veraciter & ex corde peccatorem profiteor, de qua
2.Petr.2. beatus Petrus dicit, *Quoniam inter quos Loth habitabat, iniquis operibus de die in diem eius animam cruciabant*, & de qua Apostolus recolens
Gal.4. historiæ veteris, *Quomodo*, inquit, *tunc is, qui secundum carnem erat, persequebatur eum qui secundùm spiritum, ita & nunc.* Quia, vt ita dicamus, ferrum nostræ animæ nequaquam perducitur ad subtilitatem acuminis, si hoc non eraserit alienæ lima prauitatis.

CAP. XL. *Verum non esse quod dicere solebat, Hincmari consilio Regem ipsi aduersatum esse.*

Et quia dictum est mihi, te plurimis solere dicere, quoniam quicquid tibi, de tuis hominibus, & de hominibus suis ad Laudunum directis, & de eo quòd te commendauit Conrado, contrarium domnus noster rex egerit, hoc meo instinctu & consilio atque consensu egisse, tibi refero non esse verum, sicut & scriptis ad eundem domnum nostrum regem, sed & ad alios inde in eodem tempore directis possum ostendere, & coram plurimis Episcopis apud Pistas domno nostro regi dixi me audisse quòd sic diceres, & idem domnus noster rex coram eisdem Episcopis respondit, sicut & pro certo verum dixit, quod nec meo instinctu, nec meo consilio, neque meo consensu hoc egerit, licèt quædam fuerint & sint, de quibus metropolitana auctoritate, vel synodali conuentione, ac regia potestate corripi debueris atque debeas. Quæ non ideò dico, vt me apud te excusare operæpretium ducam, cùm stultum esse maiores nostri demonstrent, si eis placere quærimus, vel displicere timemus, quos bonorum iudiciis non placere cognoscimus: sed vt in quibus ex veritate possum, quantum ex me est, quantúmque sufficio, idoneum reddam bonum nomen, quod Apostolus etiam ab his qui foris sunt habere iubet Episcopum. Quia verò auctoritate diuina Regi obedire iubemur, ipsius iussione respondisse me ex scripturis & sacris legibus atque sanctorum verbis tuis litteris ad eum directis non nego. In qua responsione si quid perperè dixisse vel egisse me

me inuenisti ostende, & aut rationabiliter sine contentione defendam, aut humiliter sine disceptatione recognoscam.

CAP. XLI. *Quòd si culpam agnosceret, pro diuino timore indulgentiam expeteret.*

CETERVM, si me contra auctoritatem & debitam fraternæ dilectionis vnanimitatem, quæ vt suprà dixi te mihi reputasse audiui, egisse recognoscerem, quia dicente beato Ioanne Apostolo; *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est Dominus, vt remittat nobis peccata nostra*, & prima salutis spes est confessio, deinde dilectio, *Quia charitas operit multitudinem peccatorum*, non dimitterem quin inde salubrem indulgentiæ medicinam expeterem, non pro humano, sed pro diuino timore, & fraterno amore, ac propria saluatione. Non enim perfunctoriè nobis sacerdotibus legendum & tenendum est, quod etiam laicis & feminis Spiritus sanctus per beatum dicit Gregorium, Est vbi se quisque interroget, & in confessione Christi se veraciter probet. Veremur sæpè à proximis despici, dedignamur iniurias verbi tolerare. Si contingat iurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Cor quippe carnale, dum huius vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit: & plerumque ipse homo qui irascitur, discordantem sibi reconciliari appetit, sed ire ad satisfaciendum prior erubescit. Pensemus facta veritatis, vt videamus quo iaceant nostræ prauitatis actiones. Si enim membra summi capitis sumus, imitari eum cui connectimur debemus. Quid namque ad nostræ eruditionis exemplum Paulus egregius prædicator dicit? *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Ecce inter nos & Deum discordiam peccando fecimus, & tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, vt nos ipsi qui peccauimus, ad pacem Dei rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, confundatur quisque si non satisfaciat prior proximo, quando post culpam nostram, vt ei reconciliari debeamus, & ipse quoque qui offensus est legatis interuenientibus obsecrat Deus.]

1. Ioan. 1. 1. Petr. 4. Homil. XXXII. in Euang. 2. Cor. 5.

CAP. XLII. *De auferendo à nobis ambobus opprobrio à multis inlato.*

AVFER ergo, faciendo quæ debes, & quæ opto ac oro, & vtinam dignus exaudiri fuissem, à me & à te opprobrium quod mihi à multis reputatur, quia talem, sicut & contra diuinæ ordinationis dispositionem, & contra regem, & erga me, & erga Ecclesiam tibi commissam, & erga plurimos alios effectus es, Episcopum ordinauerim. Sed qui mihi hæc reputant, non attendunt, quia non vt Iu-

dam electum præsenti iustitia, & vt per eum diuina dispositio impleretur, Apostolum, sicut & Saul regem postea reprobatum, de quo scriptum est, *Erat vir electus & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo*, Deus omnia sciens per prouidentiam ordinauit, & nil culpæ contraxit, qui peccare non potuit, sed vt homo nesciens quod futurum erat, te per improuidentiam ordinaui, & diuini iudicij non iniusti minister extiti, quia sicut timeo aliis peccatis meis hoc esse promerui. Quamquam & sancti Apostoli cum beato Stephano & aliis Diaconibus Nicolaum ordinauerint, nec tamen dictis & factis illius, improbabilibus postea comprobatis, per manuum suarum impositionem communicauerunt, quem ordinantes bonum crediderunt, & mansurum perpetuò in bonitate optauerunt: sicut nec Samuel culpam contraxit in ordinatione Saul, quem diuina iussione à se ordinatum, & à Domino postea reiectum, sicut de te doleo, diutissimè fleuit, velut sacra narrat historia. Reputatur etiam mihi, quòd te nepotem meum gratia propinquitatis Episcopum ordinauerim. [Quasi non & alij per me sint ordinati Episcopi, qui non sunt mihi carne propinqui. & nolunt attendere mihi hoc reputantes, quia non impedit ad quemquam ordinandum carnis propinquitas, si ordinandus fuerit electus & petitus secundùm Ecclesiasticas regulas. Nam & Dominum, à quo & per quem cœpit Episcopatus, carne sibi propinquos legimus ordinasse Apostolos. Sed licèt in te nepote meo egerim vnde gemo, quia nescio qualiter de hoc & de aliis meis factis, terribilis in consiliis super filios hominum in occulto suo iudicio, qui posuit tenebras latibulum suum disponat: scio tamen omnipotentem aduocatum, & misericordem iudicem meum, ante quem est omne desiderium meum, & cui gemitus meus non est absconditus. Si enim obaudieris monita beati Pauli Timotheo à se iuuene ordinato Episcopo directa, & à me & à te opprobrium tuæ ordinationis tolles, in quibus inter cetera dicit, *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* id est, talem te exhibe, vt propter ætatis adolescentiam nemo te contemptibilem habeat, quia cuius vita despicitur, restat vt & prædicatio contemnatur. Si hæc, frater, tibi in aliquo dura sunt, quæ non sunt dicta ea intentione, vt velim quod absit in aliquo tuam damnationem, vel dehonorationem, sed potiùs salutem & correctionem, attende quia, vt beatus dicit Gregorius, per amarum poculum confectionis, peruenitur ad effectum optatæ salutis.] & Salomon dicit, *Meliora sunt vulnera amici, quàm odientis inimici oscula.* Et Dominus dicit, *Ego quos amo, arguo & castigo.* &, *Quem diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.*

Margin notes: 1. Reg. 9. — 1. Tim. 4. — Prou. 27. — Apoc. 3. — Heb. 12.

CAP. XLIII. *De sacrarum scripturarum falsatione, & responso eius ad litteras de Neuino. Qui canones sint recipiendi. & de imperitia & iactantia eiusdem. De Bertrico item, & de eo quòd sæpè illum admonuit.*

PER plures denique audio te apud multos me infamare, quoniam sacras scripturas soleam detruncare, & ad meum sensum inflectere. Quod vt pro certo adhuc credo nec in vno loco me egisse, si tamen hoc quod dicis poteris approbare, & si hoc ad approbationem volueris ducere, ostende coram quantis & quibus tibi libuerit, & aut patenter ostendam te mea verba bene non intelligere, aut ab aliquo illa falsata fuisse: & si fortè me, quod dicis, si tamen dicis, egisse cognouero, quantocyus corrigere procurabo. Quod enim de me dicere diceris, Gothescalcus hoc de scripturis facere consueuit, illas scilicet detruncare, & ad suum sensum violenter inflectere: sed & ea quæ in canonicis libris non continentur auditoribus suis proferre, sicut & suprà priscos hæreticos facere consueuisse ostendi. quia sicut B. dicit Gregorius, Sæpè hæretici, dum sua student peruersa adstruere, ea proferunt, quæ profectò in sacrorum librorum paginis non tenentur.] Vnde & discipulum suum prædicator egregius admonet dicens, 1.Tim.6.
O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates. Quia dum laudari hæretici tanquam de excellenti ingenio cupiunt, quasi noua quædam proferunt, quæ in antiquorum patrum libris veteribus non tenentur: sícque fit vt dum videri sapientes desiderant, miseris suis auditoribus stultitiæ semina spargant. Et quoniam hæc egisse Gothescalcus in conuentu Episcopali reuictus fuit, idem Concilium, sicut scriptum est *Qui imponit stulto silentium, iras mitigat*, silentium Prou.26.
ei imposuit, mihíque illum ad custodiendum commisit. sícque complicum eius, qui iam sicut vermes in putredine scatentes ebulliebant, iræ partim sunt mitigatæ, & congregatæ sunt à Domino quasi in vtrem aquæ maris, cùm amaritudo peruersarum mentium nondum apud nos, de his quæ Gothescalcus eos docuerat, erumpit exteriùs in vocem prauæ libertatis. Et quod de sanctis scripturis Gothescalcus agebat, & tu me agere notaris dicere, vt cum pace tua dicam, tu de sacris canonibus, & Ecclesiasticis regulis, atque de legibus soles agere, sicut iam quater egisse te possum ostendere. Scilicet in rotula per Hadulphum Archipresbyterum tuum mihi transmissa, in qua de canonibus & legibus quædam detruncando, quædam de suo sensu expulsa prauè interpretando, de Capella parochiæ meæ in Attolæ villa sita nonnulla aduersum me concinnasti. Similiter in rotula à te mihi data, in qua fabulam de Amalberto & vxore eius contexens plurima in eum captasti. In rotulis nihilominus domno Regi & mihi per comministros tuos directis, in quibus historias altercationum

inter te & eundem domnum Regem, & item inter te & Normannum descripsisti, & vocum ac factorum tuorum nouitates explicuisti, sententias scripturarum & canonum atque legum te ferientes tuo sensu in alios detorsisti, veluti ex ore & opere tuo, & ex eisdem sententiis, maiorum adstipulante doctrina, singillatim ac viritim possum ostendere. In quaterniunculis quoque, à te mihi per Wenilonem venerabilem Archiepiscopum missis, plurima inter se diuersa collegisti, quæ tecum facere æstimasti, non videns, quin potiùs videre non valens, aut non volens, quia inter se dissonabant, & de illis ipsis Epistolis, ex quibus eandem tuam collectionem compilasti, coniunctim sequentia dolo penitus omisisti. sed & illa quæ cuncta catholica Ecclesia recipit, tenet, sequitur, veneratur, honorat, amplectitur, quæque tibi in diplomate, paruo corpore, sed maximo merito, per præfatum venerabilem Archiepiscopum Wenilonem remisi, nec ad memoriam reducere voluisti. Nimia sunt quæ dico, si hæc ita esse illa ipsa tua scripta quæ habeo non attestantur, & lex, quam catholica Ecclesia recipit, manifestè decernit dicens, Confiteri quis in iudicio non tantùm sua voce, sed & litteris, & quocumque modo potest, conuinci autem non nisi scriptura aut testibus potest.] Et tu his scriptis hæc quæ dico denegans, si necesse fuerit, in iudicio reuinci valebis. Et Gelasius in decretis suis ad Episcopos per Dardaniam constitutos dicit, quoniam manifestè quilibet vel professione sua vel communione possit agnosci.] Præterea per Heddonem, clericorum tuorum Præpositum, conscriptam nuperrimè more tuo solito mihi rotulam direxisti, contra litteras de in mea parochia delinquentibus à me tibi directas, quæ ita se habent.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS
Hincmaro Coepiscopo nostro salutem.

NIVINVS *in parochia mea sacrilega infamia est diffamatus de quadam sanctimoniali ab infantia in monasterio Deo dicata, & à sacerdote velata, quòd clanculo eam priùs corruperit, & postea ab ipsis monasterij claustris furtim educi fecerit, & in parochia mea aliquandiu multis scientibus habuerit, ac demum latenter in alteram prouinciam abduxerit. Vnde recogitandi, siue ad noxam confitendam, siue ad infamiam suam purgandam, ei legales ac regulares, consilio ac consensu clericorum ac nobilium laicorum nostrorum, inducias dedi. Sed ipse nec confiteri peccatum, nec ab infamia se purgare legaliter adquieuit. Quapropter, quia non est de mea prouincia, illum à mea parochia excommunicaui, donec aut confiteretur, aut se ab obiectis purgaret. Nunc verò dici à multis audio, quoniam in altera prouincia res proprietatis suæ in pretium ab eo accipias, & illi res ac facultates Ecclesiasticas, quas in ordinatione Episcopali ad regendum & regulariter dispensandum sine pretio suscepisti, ad turpis lucri præmium in beneficium dones: quod satis supérque sanctarum scripurarum auctoritati contrarium, & canonum est sacrorum decretis aduersum. & si ita est vt passim à multis, & etiam publicè in publicis placitis diuulga-*

tur, quantum periculum ac detrimentum inde incurras, quantámque vituperationem ſacerdotali miniſterio ingeras, ſi ſanum ſapis intelligis. Bertricum etiam, ipſius Niuini fratrem, frequentiſſimè de adulteriis & aliis inceſtis pollutionibus regulariter correptum, ſed non correctum, & diutiùs toleratum, atque vt à prauitatibus ſuis ſe cohiberet expectatum, quoniam à ſuis iniquitatibus eum coercere non potui, quia non eſt de mea prouincia, à mea parochia regulariter exire cum ſuis præcepi. Quæ tibi, ſicut ſacri præcipiunt canones, nota facere procuraui. Data idus Februarij Indict. III.

Et has litteras non ita, vt debueras, recepiſti, ſed ex eis nacta occaſione amaritudinem, quam erga me in animo geris, verbis euaporando exhalaſti, volens oſtentare tuam ſapientiam & meam inſipientiam, & demonſtrare me Niuino iniuſtè & contra auctoritatem egiſſe, & os mihi obſtruere, vt de his quæ ex te audieram, non te auderem corripere, vt ſi fortè vera forent te corrigeres, ſin autem, ne illa incurreres præcaueres: cùm ſicut derogantium linguas noſtro vitio non debemus, quantum ex nobis eſt, ad derogandum acuere, ita debemus derogantium detractiones, provt rationabiliter potuerimus compeſcere. Sed non talis eſt tuus animus, vt ea quæ benignè tibi dicuntur vel ſcribuntur, niſi talia fuerint qualia verſantur in corde tuo, benignè & patienter poſſis audire. vnde Salomon ait, *Acetum in nitro ei qui cantat carmina cordi peſſimo.* Prou. 25. Acetum, inquit Gregorius, ſi mittatur in nitrum, ferueſcit nitrum protinus & ebullit: & peruerſa mens, quando per increpationem corripitur, aut per prædicationis dulcedinem ad bona ſuadetur, de correptione fit deterior, & inde in murmurationis iniquitate ſuccenditur, vnde debuit ab iniquitate compeſci.] Litteris autem meis, quas per ſingulas periodos diſſoluere voluiſti, non eis conuenientibus auctoritatibus reſpondiſti, nec recto ſenſu eum in hoc es imitatus, qui tuis ſcriptis iſtiuſmodi tenore, veritate ſubnixis auctoritatibus ſolitus eſt reſpondere: quia non in hoc iure rationem ſtudes attendere, ſed tuam intentionem modo quolibet confirmare. Non enim ille, qui taliter tuis ſolet ſcriptis reſpondere, talis reſponſionis modum ab his didicit à quibus hæc ſtuduit diſcere. De Niuino autem, vt me oportuit, ea quæ geſta ſunt tibi nota facere procuraui. Cuius aduocationem non videtur mihi vt oporteat te ſuſcipere. Quod & ſi aduerſum me illam volueris ſuſcipere, & ratio atque auctoritas conſentit, quantum ex me eſt, inde tibi non refugio reſpondere. Ceterùm iſdem ætatem habet, ipſe de ſe loquatur. Et ſi legaliter ac regulariter me accuſare voluerit, aut de excommunicationis, aut de conlaborationis, aut de alterius cuiuſque rei præiudicio, rationem inde ei reddere non recuſo. Nemo tamen poteſt me apud te regulariter accuſare, nec de meo iudicio ad tuum iudicium prouocare, nec ſollicitudo totius Remenſis prouinciæ cum mea parochia eſt tibi commiſſa, vt inde ampliùs tibi red-

dere debeam rationem, nisi vt tibi scribere studui. Scrutare epistolam beati Augustini ad Xantippum primatem suum, quam suprapositam legere præuales, & inuenies te debere mihi de tuis iudiciis reddere rationem: & si de tuo iudicio quisquam ad meum iudicium prouocauerit, ego debeo inde veritatem inuestigare, & singula quæque canonicè terminare. Tu autem, quando hæc audisti quæ mihi post litteras meas tibi inde directas rescripsisti, debueras mihi aut humiliter suggerere quæ inde audisti, vt si perperè inde actum haberem, corrigere procurarem: sin autem, fraterna ac paterna benignitate veritatem inde tuæ filiali dilectioni rescriberem, quod & faceres si apud te humilis esses, & erga me caritatem haberes. Verumtamen pro modulo meo secutus beati Apostoli Petri exemplum, qui etiam minoribus suis quærentibus cur ad Gentiles intrasset, rationem per ordinem reddidit, & testes suæ rationi adhibuit, bonum duco, quocumque modo tu mihi ea quæ scripsisti mandaueris, vt iteratò quæ inde sunt vera tibi rescribam. Videlicet quia, vt scripsisti, nullius praua vel mendosa suggestione illi ea de quibus diffamatus est imputaui, nec ad comprobationem sui sceleris testibus causa indiguit, quia sicut ipse scripsisti, negotij qualitas vnumquemque aut excusat, aut accusat. vnde & Dominus de eo quòd quidam pater-familias ei, qui apud eum diffamatus est quasi dissipasset bona illius, dixit, *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ.* Et suprà sufficienter habes in quibus negotiis testes legaliter atque regulariter examinati requirendi sunt, & in quibus negotiis ratio non indigeat testibus. Manifestum est enim & presbyteris, & aliis clericis, & laicis, ac feminis, & nobilibus, & villanis in nostra ciuitate, quia sanctimonialem, de qua tibi scripsi, ab infantia in monasterio Deo dicatam, & à sacerdote velatam, clanculò priùs de ipso monasterio furatam, in mansione in qua manebat apud hortos per plurimas noctes habuit, consentiente portario, cuius factione ipsa egrediebatur de monasterio, & à Niuini hominibus abducebatur: in quo monasterio ipsa sanctimonialis regulariter inde est disciplinata. Quapropter cùm fama excrescere cœpit, & ego ad ciuitatem reuerti incepi, misit suos homines, Walchanonem scilicet & Lupum, qui eam scalis pretio locatis de ipso monasterio noctu eduxerunt, & ad beneficium, quod ei dederam in nostra parochia, deduxerunt, & ibi per plures dies eandem sanctimonialem Niuinus habuit, sicut & presbyteri, & circummanentes homines ac villani manifestissimè sciunt. Et cùm ministeriales nostri ipsam sanctimonialem cœperunt requirere, per eosdem suos homines illam in Calmontensem deduci fecit. De placitis autem sibi à me datis quot & quanti spatij fuerint, canonici & monachi, & fideles ac nobiles laici, ac presbyteri parochiani cognoscunt, in quorum præsentia & quorum consilio inde egi, quæ secundum regulas sacras in-

Luc. 16.

ueni. De eo verò quod dicis, me ab illo quæsisse qualiter famam suam purgaret, non ideò ab eo quæsiui, vt non scirem quia hoc agere non poterat, sed vt vel ita eum ad confessionem & pœnitentiam, atque pòst ad indulgentiam possem compellere, quem voluntarium ad ea non poteram prouocare. & eo vsque illum perduxi, vt si præfati sui homines, quia non liberæ conditionis sunt, aut cum aqua calida, aut cum aqua frigida, inde ad iudicium Dei exirent, quid inde Deus ostenderet mihi sufficeret. Et cùm se ratione conuictum atque constrictum vidit, in contumaciam & contumelias prosiliuit. cui dixi, quòd nisi aut confiteretur, aut satisfaceret parochiæ meæ vnde infamabatur, ipse & illi sui homines, qui eandem sanctimonialem cum eo furati fuerant, in mea parochia habitare non possent. & progrediente illo ad contumelias atque calumnias, quia de mea parochia, vel de mea prouincia non erat, & res & mancipia in regno senioris nostri non habebat, per quæ illum constringere ad reddendam rationem valerem, & per beneficium vel per peculiare noluit sustinere distringi, excommunicaui illum à mea parochia. Quod dicis, *oportet Episcopum omnibus bene facere, omnes recipere fideles*, verum est, & vtinam ita facias. Sed aliter vicini & parochiani tui de te dicunt, & tibi specialiter commissi aliter sentiunt. Ceterùm de his quæ tibi mandaui ex te me audisse, si alteri sic mandarem, scio quia gratias mihi inde referret, & tu sic faceres quantum intelligo, si amaritudo animi tui tibi permitteret, & occasionem inuenire non velles, vt mihi de his quæ in quaterniunculis per venerabilem Archiepiscopum Wenilonem à te missis compilasti, iterum licèt non ad rem pertinentia inculcando conscriberes, & me dicere prouocares, vnde in sermone capere posses. Quod euidenter ipse in præfato tuo scripto demonstras. quia commemoratis dictis Anacleti, Victoris, Callisti, & Eleutheri, qui ante Nicænum Concilium pro quorundam consolationibus, sicut dicit Gelasius, ad diuersos suas epistolas direxerunt, subiungis, Ecce pater, qui canones recipiendi, venerandi, ac obseruandi habeantur. Et quia patrem me, vt paret, irrisione potiùs quàm veneratione vocasti, dico tibi, Et si pater ego sum, vbi est honor meus? Dicam tamen tibi, Fili pro arbitrio tuo vel proprie vel aliene, si isti sunt canones Mal. 1.
recipiendi, venerandi, ac obseruandi, quos commemorasti, qui sunt illi, quos & Apostolica sedes, & omnes Episcopi per vniuersum orbem, à primæ sedis Apostolicæ Pontifice vsque ad illum qui modò nouissimè etiam post te est ordinatus Episcopus, immò & omnis catholica Ecclesia, canones appellant? quíque à Nicæno Concilio, quod primum in nostris codicibus, quos ab Apostolica sede maiores nostri acceperunt sequendos per ordinem vsque ad Africanum Concilium pro canonibus recipiendis, venerandis, & obseruandis retinent, & Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Leo, Hilarus, Symma-

chus, Gelasius, Hormisda, Gregorius, & ceteri quique obseruandos canones nominant? Inter quos & istas epistolas Apostolicæ sedis Pontificum, quas canones appellas, Gelasius, vt suprà posui, differentiam facit, & illa Concilia canonum obseruanda decreuit, has autem epistolas pro consolatione quorumdam directas, venerabiliter suscipiendas dicit. & item in decretis suis inter alia dicit, Nobis, inquit, opponunt canones, quin Orientales Episcopi, dum nesciunt quid loquantur, contra quos ipsi se venire produnt, qui primæ sedi sana rectáque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri.] Quod manifestum est de Sardicensibus canonibus illum dicere, de quibus & Innocentius ad Victricium, & Gregorius ad Vincentium his consona dicunt, quæ in hoc etiam legis Opusculo. Et ibidem post aliquanta, Viderint ergo si alios habent canones, quibus suas ineptias exequantur. Ceterùm isti, qui sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, non solùm sedem Apostolicam ad iudicium vocare non possunt, & Constantinopolitanæ Episcopus ciuitatis, quæ vtique per canones inter sedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum non debuit submoueri?] Nam vt ipse demonstrat, Heracleotes suffraganea fuit. Hoc autem Gelasium dicere patet de sacris Nicænis canonibus, qui priuilegia sedium constituerunt, sicut in sexto ipsorum capitulo apertè monstratur. Vnde Bonifacius, Nulli, inquit, videtur incognita Synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, vt eadem propriè verba ponamus, Per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subiectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, seruandum sancto Spiritu suggerente sibimet censuerunt.] & paulo pòst, Quod idcirco dicimus, vt aduertat caritas tua, adeò nos canonum præcepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.] Et Leo ad Anastasium, Secundùm sanctorum patrum canones, spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum prouinciarum Episcopos ius traditæ sibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus.] Et item Gelasius, vt suprà ostendi, post descriptionem authenticarum scripturarum, & Nicænæ, Constantinopolitanæ, ac Ephesinæ, Chalcedonensis quoque Synodi, addidit, Et si qua sunt Concilia à sanctis patribus instituta, post horum quatuor auctoritatem, & custodienda, & recipienda decreuimus.] Ipsas autem epistolas, vt prædixi, & sæpè dicere necessitas ipsa compellit, pro diuersorum patrum consolatione diuersis temporibus datas, à sede Apostolica venerabiliter suscipiendas, sicut & facimus, dicit. Addam etiam, Si illa quæ de præfatorum Pontificum Apostolicæ sedis epistolis dicis recipiendos venerandos canones

Gelasius in commonitorio ad Faustum.

Epist. III. Hilario Narbon.

Epist. 88. cap. I.

nes esse, qui quod vis sanctum dicis & licitum, & quod non vis non sanctum & illicitum, ac si in voluntate tua cuncta sint posita, & non sit qui tuæ possit resistere voluntati, pande nobis quæsumus, quid censeas de eorum decretis, qui post Nicænum Concilium, & alia catholica Concilia, obseruanda decretalia constituta de eisdem sacris canonibus promulgata sanxerunt, sicut Siricius, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Leo, Hilarus, Symmachus, Gelasius, Hormisda, Gregorius, & quique alij, quorum decreta Ecclesia catholica, & patres ac prædecessores nostri seruanda tenuerunt, & venerati sunt. Et quoniam in quibusdam à præfatis, quos appellas canones, dissonant, magistrali censura decerne, quæ ex his sequi & quæ refutare debeamus: quoniam nisi tu ferula singularis auctoritatis de nostra consuetudine ista reieceris, quæ sicut & patres nostri, mentibus nostris tenenda & seruanda imbibimus, non videtur mihi vt facilè ab Ecclesiastico vsu illa quæ tenemus generaliter valeas remouere, de quibus satis supérque superiùs potes relegere, quæ si tibi non suffecerint, nec plura sufficient. Tantùm de vna re superadiiciam, videlicet quoniam qui dicis, Ecce qui canones recipiendi, venerandi, ac obseruandi habeantur, non satis eosdem canones perscrutatus es, in quibus, sicut scripsisti, habetur vt qui accusare alium elegerit, præsens per se & non per alium accuset, inscriptione videlicet præmissa. Quod quia ad munimen tui conuertere studuisti, legere debueras, quia ipsa sententia de antiquis legibus Romanis fuit assumpta, in quibus legibus. In capituli interpretatione edicti Valentiniani de Episcopali iudicio, posteriore videlicet constitutione, ita scriptum habetur, Lex ista de diuersis rebus multa constituit, Interp. Nouellæ Valent.
sed in primis de clericis quod dictum est, vt nisi per compromissi vinculum iudicium Episcopale non adeant, posteriore lege Maioriani abrogatum est.] Quam constitutionem, sicut petiit & obtinuit, ita ex tunc hactenus Ecclesia conseruauit. Sed & sicut in litteris meis legisti, differentiam intelligere debueras inter admonitionem & de accusatione iudicationem, & inter hoc quod dixi, si ita est vt passim à multis & etiam publicè in publicis placitis diuulgatur, & hoc quod non dixi, quia ita est. Vnde à multis & etiam publicè, quod non licet, in publicis vel à publicis placitis accusaris. Et quod confusè dixisti, te mirari si aliqui ex his placitis fecissent à vobis pro hoc petitionem negotio, ex verbis Callisti adiungens, nullus doctor per scripta accusetur, non bene distinxisti, quia nec bene intellexisti ex legibus & canonibus differentiam inter petitionem & accusationem. Reuolue hinc leges, & decreta sedis Apostolicæ, & disce quæ nescis. Vnde iterum quasi vestigans, sequar te per angulosos anfractus, & dicam tibi ad notitiam pauca de pluribus, sed quibus te consequi valeam. Innocentius ad Maximum & Seuerum Episcopos scripsit, Nuper Maximilianus filius noster agens in rebus Epist. 4.

cuiusmodi querelam detulerit, libelli eius series annexa declarat.] &
Lib.vii. Ind.ii. epist.46. Gregorius Sabino subdiacono, Clerus Ecclesiæ Regitanæ multa contra reuerentissimum fratrem nostrum Bonifacium Episcopum suum data nobis petitione conquestus est, petens vt ad nos debuisset habere veniendi licentiam, quatenus causæ ipsæ hîc subtiliter probarentur. Sed quia nos interim prædictum fratrem nostrum huc modò non præuidimus deducẽdum, visum nobis est illic personam deputare ad causam eandem cognoscendam. Et ideò mediis sacrosanctis Euangeliis, experientia tua, vnà cum Paulino, Proculo, Palumbo, Venerio, atque Martiano reuerentissimis fratribus Coepiscopísque nostris, sine cuiusquam personæ respectu, tam clericorum querelam, quam aduersus suum, sicut diximus, habent Episcopum, vel si quam fortè contra eos ille habuerit, cum omni æquitate ac sollicitudine perscrutetur: & quicquid in veritate cognouerit, nobis vnà cum prædictis nostris fratribus subtiliter diligentérque significet, vt renuntiatione vestra redditi certiores, quid fieri debeat decernamus.] Et ad prædictos Episcopos, Clerus Ecclesiæ Regitanæ contra reuerentissimum fratrem nostrum Bonifacium Episcopum suum data nobis petitione conquestus est, & reliqua.] Sed & de auditione, sine
Lib.xi. Epist.28. petitione vel accusatione, ad Sabinum idem B. Gregorius scripsit, Peruenit ad nos, inquiens, reuerentissimum Palumbum fratrem & Coepiscopum nostrum, quod dici graue est, Ecclesiæ suæ, vel parochiarum causas vtilitatésque negligere.] & post aliquanta, Ideóque experientia tua prædictum fratrem nostrum studeat commonere, vt res Ecclesiæ, vel parochiarum suarum, siue ministeria, rationabiliter vindicet atque defendat, & reliqua.] De accusatione autem Episcopi, aut cuiuslibet ordinis clerici, ex sacris canonibus sufficienter suprà potes relegere. Verumtamen oportet te discretè intelligere quod de accusatione leges dicunt, In criminalibus, inquiunt, causis, vel obiectionibus, per mandatum nullus accuset, nec si per rescriptum principis hoc potuerit impetrare: sed ipse qui crimen intendit, præsens per se accuset. vt scias quo sensu de accusatione hoc dicant.] Et ca-
Conc. Carthag c.19. nones dicunt, Quisquis Episcoporum accusatur, ad primatem prouinciæ ipsius causam deferat accusator, nec à communione suspendatur cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum iudicum die statuta litteris euocatus minimè occurrerit.] Manifestum est autem, quia Episcopus accusatus apud Primatem non esse præsens ostenditur, qui litteris euocari præcipitur. Et Bonifa-
Epist.2. cius de Maximo dicit, Si adesse voluerit, præsens si confidit ad obiecta respondeat, scilicet præsenti accusatori: si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur.] Accommoda ergo sensum tuum bene dictis, & non prauè intelligi tradas bene dicta, ad tuum sensum illa inflectens. Velis enim vel nolis, illi erunt canones, quos catholica Ecclesia canones vocat, & non erunt illi canones, quos

tua ſocordia ad effrænationis tuæ libertatem canones aduocas. Erunt autem Epiſtolæ venerabiliter ſuſcipiendæ, à ſede Apoſtolica pro diuerſorum patrum conſolatione datæ, quas canones vocas. & Concilia à ſanctis patribus inſtituta, ad auctoritatem erunt cuſtodienda & recipienda, ſicut decreuit Gelaſius, & ceteri ſedis Romanæ Pontifices, atque illi qui in eiſdem Conciliis, ſuggerente ſibimet ſancto Spiritu, ſacros canones condiderunt, & quos ſedes Apoſtolica, & Eccleſia catholica canones vocat. Verba quoque obſtruſa, & vndecumque per gloſſulas collecta, & ſine ratione poſita, quæ in hoc ſcripto tuo poſuiſti, ſicut & in aliis domno Regi & mihi olim directis congeſſiſti, redarguunt te typo iactantiæ, cùm dicat Apoſtolus, *Vocum nouitates deuita*, &, *Malo quinque verba loqui in Eccleſia ad ædificationem, quàm decem millia verborum in lingua.* 1.Tim.6. 1.Cor.14. Qui enim linguam, in qua natus es, non ſolùm non loqui, verùm nec intelligere niſi per interpretem potes, cùm ſuppeterent ſufficienter verba Latina, quæ in his locis ponere poteras, vbi Græca, & obſtruſa, & interdum Scottica & alia Barbara, vt tibi viſum fuit, nothata atque corrupta poſuiſti, paret quia non ex humilitate, vel ad manifeſtationem, ea quæ dicere voluiſti Græca verba, quæ ipſe non intelligis, inconuenientiſſimè poſuiſti, ſed ad oſtentationem illa inſipientiſſimè inſeruiſti, vt omnes, qui illa legerint, intelligere poſſint, te illa velle vomere quæ non glutiiſti. Hunc namque morem etiam à pueritia habuiſti in his quæ te dictare rogabam, maximè autem in verſibus, & præcipuè in figuris Porphyriacis, in quibus verba linguæ alienæ, atque obſtruſa, impropria & vtilitate ſenſus carentia, quæ nec ipſe intelligebas, ſtudioſè ponebas. Quod mente percipiebam, & mihi admodum diſplicebat. ſed cùm viderem te per iactantiam amore laudis flagrare, & me non poſſe ſentirem in ætatis adoleſcentia te ad tantum robur mentis accendere, vt ad diſcendi ac verſificandi ſtudium te prouocarem, & iactantiæ à te prauitatem eraderem, ne acriori correptione fractus reuocareris ab ſtudio, permiſi te interim tantùm, vt ſtudio litterali incumberes, de ſcientia iactitare, donec in maturiori ætate ab illo etiam vitio poſſem compeſcere, ſecutus pro modulo meo Apoſtolum, qui cùm infirmum auditorem ſuum perpenderet, aut praua adhuc velle agere, aut de actione recta humanæ laudis retributione gaudere, ait, *Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Rom.13. Interea, quia illud, quo hæc agere cogitabam, tempus ante tempus exceſſit, cum præceptione Apoſtoli, iubentis vocum nouitates vitare, ab hac iactantia & oſtentatione te doctorem & Epiſcopum cohibere debueras: quoniam ſancti & ſapientes ac magnæ auctoritatis viri, & etiam vtriuſque linguæ Græcæ videlicet & Latinæ periti, ſuis ſcriptis verba Græca, niſi ea quæ in ſcripturis, vel canonibus, ſiue legibus, ſine interpretatione ſunt poſita, & veluti Latina in vſu habita, verùm & obſtruſa ſuis

dictis immittere ad ostentationem noluerunt. De Hebræa verò lingua Alleluia, & Osanna, atque Amen, propter auctoritatem primæ linguæ, & reuerentiam sensus sine interpretatione vsi fuerunt. Nos etiam moderni Glossarios Græcos, quos suatim Lexicos vocari audiuimus, sed & sapientum scripta de nominibus obstrusis habemus, & adeò sensatuli sumus, vt nostras dictatiunculas eo vsque circumducere & producere possimus, quatenus verba Græca vel obstrusa de Glossariis adsumpta in admirationem vel stuporem nescientibus seu scalpentes aures habentibus proferre possimus, cui vanitati obuiat
Eccles.1. scriptura dicens, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Et timeo, quia sicut agis de verbis, & canonum ac legum sensibus, nouitates vocum in eis delectando requirens, ad hoc vsque te perducat elatio cordis, & iactantia inflatæ ac inanis scientiæ, vt ita in scripturarum
Eccli.19. sensibus facias & aberres, quia vt scriptura dicit, *Qui modica spernit, paulatim decidit.* Quoniam qui minora corrigere, ac deuitare negligit, ad maiora proruens, ab statu iustitiæ, non quidem repentè,
1.Cor.8. sed partibus totus cadit. Attende igitur quod dicit Apostolus, *Si quis existimat se aliquid scire, nondum scit quemadmodum oporteat eum scire.*
1.Cor.3. Rom.12. &, *Si quis vult inter vos sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens.* &, *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos*, &, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Beatus quoque Gregorius in epistola sua dicit, quoniam domnæ Dominicæ salutes mandans ideo non rescripsit, quia cùm esset Latina ei Græcè scribere voluit, paruipendens illi rescribere, quoniam à corde pensauit quæ per sermonem in scripto suscepit. De eo quod petis à me te instrui, si Bertricus de mea esset prouincia, non autem ex propria parochia, qualiter ex eo acturus essem, illo in-
Matth.22. spirante, qui cognita nequitia sibi dicentium, *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum, dic nobis, si licet censum dare Cæsari, an non*, respondeo tibi, Interrogabo te & ego vnum sermonem. Rescribe mihi per ordinem & ex integro, qualiter ego feci & dixi, & qualiter tu fecisti & dixisti in placito confinium parochiarum nostrarum, te conhibente condicto de Amalberto parochiano meo, qui in tua parochia & mea prouincia legaliter vxorem accepit, & in parochiam meam duxit, quem tu inregulariter excommunicasti, & vxorem suam legaliter acceptam, quæ per mandatum tibi suggessit quoniam idem vir eius cum ea non posset concumbere, de parochia mea apud Laudunum ad tuum iudicium reduci rogasti, & ego dicam tibi qualiter facerem de Bertrico, si de mea esset prouincia, & non esset ex propria mea parochia. De hoc quod dicis, Sciẽdus est modus correptionis, quin præfati Bertrici, vtrum secretus, an publicus, vtrum à Christianorum consortio, aut à corpore & sanguine Domini fuerit segregatus, quem publicæ deditum pœnitentiæ non audisti, & modum istius eiectionis de parochia mea nosse conuenit, Tibi respondeo, quia si tanto

ſtudio ſacros canones perſcrutareris, vt moderata diſcretione te in ſubiectorum tibi actibus gereres, ne in ſanctarum ſcripturarum auctoritatem prædicationémque maiorum offenderes, & in ipſis tibi ſubiectis ſeruares quod ſcriptum eſt, *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, & omnes greges tuos conſidera.* &, *Perfode parietem, & vide abominationes, quas iſti faciunt hîc*, quanta intentione illa legis, vnde tua commenta compilare procuras, quatenus effrænis, & ſine vllius coercitione, viam voluntatum tuarum currere, & in affectum cordis tranſire præualeas, benè intelligere poſſes & modum, quo toleratus & correptus & diu expectatus fuit, quem audire potuiſti, ſicut eum in pœnitentia publica poſitum dicis te non audiſſe, & ſcire cur hac conditione iſdem Bertricus, qui non eſt de mea parochia, neque de mea prouincia, regulariter cum ſuis exire præcipitur. Et quoniam qua mente hoc interrogas me latere non poteſt, *paratus*, iuxta Petri vocem, *ad ſatisfactionem omni poſcenti*, quantum Deus dederit, *reſpondere de ea quæ in me eſt ſpe*, tibi ex hac quæſtione reſpondeo, quia Pilatus veritatem, quam ante oculos corporis non autem ante oculos mentis habebat, *quid eſt veritas?* interrogauit, & audire non meruit, quia, vt dicit S. Gregorius, *quam non inuenit humilem, veritas fugit mentem*, &, *Qui fictè quærunt, inuenire Dominum nunquam merentur.* Et iſdem, *Dei virtus, & Dei ſapientia, à cuius facie eſt ſapientia & intellectus.* &, *Qui docet hominem ſcientiam, contra quem non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium. quique eſt via, veritas, & vita*, via ſcilicet conuerſationis ſanctæ, veritas doctrinæ diuinæ, vita beatitudinis ſempiternæ, confitetur, id eſt, laudat patrem, *quia abſcondit ea à ſapientibus & prudentibus*, de quibus ſcriptum eſt, *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes, quæ reuelauit paruulis*, id eſt humilibus, quoniam, *Qui reſiſtit ſuperbis, humilibus dat gratiam.* &, *Valles*, id eſt humiles, *abundabunt frumento*, id eſt, eloquij diuini pabulo. His ita de his qui non ſunt de mea parochia, ſed neque de mea prouincia. Cùm autem me interrogaueris de tuis parochianis, confido in clementiſſima gratia Dei dicentis, *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*, quoniam qui mihi dedit regimen diſciplinæ, dabit & ſpiritum ſapientiæ, quo ſalutaria tibi valeam reſpondere. Denique de hoc quod mihi obiicis, te ſciſſe atque ſenſiſſe, ſæpiùs de te ſimilia me audiſſe, ac falsò audita pro veris recepiſſe, atque tenuiſſe, & quia voluntariè audio verba mendacij, & detractoribus tuis aurem libenter accommodo, non me ad iram commoueo, quia & capiti noſtro plura & maiora mendaciter obiecta fuere, ſcilicet, quia dæmonium haberet, & publicanorum atque peccatorum eſſet amicus, & multa alia. Vnde & in his titulum mei Domini recognoſco, & tanta ac talia mihi & facta, & dicta, & mandata habes, vt de his commoueri non poſſim. ſed quod ad remedium tibi adinueniſti, remediabiliter dictum accipio. quia

Prou.16. Ezech.8. 1.Petr.3. Ioan.18. 1.Cor.1. Pſal.93. Prou.21. Ioan.14. Iſa.5. Luc.10. Iacob.4. Pſal.64. Pſal.80. Matth.11.

ſicut Heliu præuius arrogantium, qui non meruit per beatum Iob,
Iob.32. ſicut ceteri amici eius, à ſua ſtultitia hoſtiis expiari, de ſe dicit, *Venter tuus quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod laguncula nouas diſrumpit*, niſi ſe verbis euaporaret inflata aduerſum me tua ſtomachatio, aut follem inflati ventris tui diſrumperet, aut aliàs ſecundùm antiquum Poëtam,

Vt diſploſa ſonat quantum veſſica ſonaret.

Factus ſum inſipiens, tu me coegiſti. Sed nec te cogente tibi taliter reſponderem, niſi beatum Auguſtinum Iuliano, elato ac duræ mentis iuueni & Exepiſcopo, reſpondiſſe huiuſmodi ſenſu & partim etiam verbis legiſſem, docente Paulo, & explanante Gregorio, qualiter ſit reſpondendum Galatarum mentes habentibus. Verumtamen quia ſapientibus & inſipientibus debitor ſum, præcipuè omnibus conſiſtentibus in prouincia Remenſi, cuius ſollicitudo meæ indignitati eſt à Deo commiſſa, & vnicuique ſecundùm ordinem & perſonam ac qualitatem ſuam, inter quos & tu annumeraris, væ mihi eſt, ſi non docendo, cuſtodiendo, ſuadendo, increpando, mulcendo, terrendo, aliquando leniter, aliquando verò ſeueriùs agendo, pro viribus & captu meo euangelizauero tibi cum aliis, quæ ad fidem rectam, & bonos mores, atque ad bonas actiones pertinent, in ſanctis ſcripturis atque ſacris canonibus rectam habere intelligentiam, & continuam obſeruantiam, & humilitatem atque obedientiam tibi prælatis, ſecundùm ſanctas ſcripturas, & eoſdem ſacros canones dependendam, & tibi ſubditis neceſſariam ſollicitudinem, & benignitatem, atque modeſtiam impen-
Ezech.3. dendam, & in his continuum laborem atque perſeuerantiam. Quia cùm dicitur nobis qualibuſcumque ſpeculatoribus, *Quia ſanguis nobis ſubditorum, ſi non annunciauerimus eis, de manibus noſtris requiretur*, augetur metus. Quia ſi in ſubiectis ſuis, is qui prælatus ad ſpeculandum eſt, etiam de morte corporis quandoque morituri tam grauiter reus tenetur, quo reatu de morte animæ ſubiectorum conſtringitur, quæ potuiſſet ſemper viuere, ſi verba correptionis audiſſet? Sanguis ergo morientis de manibus ſpeculatoris requiritur, quia peccatum ſubditi culpæ præpoſiti ſi tacuerit reputatur. Et quia frequenter, iuxta præceptionem Domini, verbis & literis, ſecretò per me & cum aliis, te corripui, ſed correptionem meam, vt optaueram, prodeſſe tibi non vidi, de quibus reprehendi te audio, tacere tibi non audeo, & quæ aduerſum me, rationi & auctoritati atque ſaluti tuæ contraria, contráque alios tibi malè non meritos, quibus potes molitionibus ſatagis, vnde apud homines inconueniens nomen Epiſcopo, & periculum habes coram Domino, quæ nullo rancore ſed pio animi dolore commemoro,
Leuit.19. tibi tacere non debeo, cùm Dominus dicat, *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum*, & item,
Luc.17. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi.*

Non igitur nobis tacendum est ea quæ ad dicendum sunt necessaria, vel his à quibus honoramur, vel his à quibus contemnimur, cùm Dominus vnicuique nostrûm dicat, *Ecce dedi faciem tuam valentiorem facie-* Ezech.3. *bus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorũ: vt adamantem & silicem dedi faciem tuam.* vt nec subditorum humilitatem debeamus erubescere, nec superbiam formidare. Sed nec honorantes, nec contemnentes nos admonere debemus erubescere, cùm veritas dicat, *Qui me eru-* Luc.9. *buerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua.* Sed & quem in suis actibus infirmari, vel in contumacia permanere conspicimus, remissiores & clementiores nos illis, vsque dum firmentur ac corrigantur, ostendere non debemus. Vnde scriptum est, *Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum, & non ostendas hilarem* Eccl.7. *faciem tuam ad illas.* Infirmæ quippe animæ, atque ad appetitum mundi deditæ, aliquando meliùs ex seueritate seruantur, vt obfirmata facie, id est per seueritatis custodiam, ab omni spe friuolæ remissionis obducta, inconstantem animam terreat, atque à delectatione vitiorum districtionis vigore constringat. Quod cùm à doctore agitur, semper necesse est vt dulcedo & humilitas in corde teneatur, quatenus & multum amet, & nunquam contra eum quem corrigit, per elationem superbiat, cui tamen amorem suum, & humilitatem pro vtilitate eius prodere recusat. Mihi ergo, fili & contemptor, & tibi parces, si à contumacia cordis, & ab inconditis moribus, atque inconuenientibus actibus resipueris. Tibi & mihi parcam, quando ea, quæ de te displicenda audiero, aut corrigenda in te videro vel cognouero, non tacebo. Vt igitur ego non taceam, & tu libenter audias, atque obaudias, consideremus pariter quàm liber à commissorum sibi sanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat, *Mundus sum à sanguine omnium vestrûm. non enim subterfugi quo minus* Act.20. *annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Si enim non annuntiasset, mundus à sanguine eorum non esset: sed quibus omne consilium Dei annuntiare studuit, ab eorum sanguine mundus fuit. In qua voce nos conuenimur, nos constringimur, nos rei esse ostendimur, qui sacerdotes & prælati vocamur, qui super ea mala quæ propria habemus alienas quoque mortes addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem ire cotidie tepidi & tacentes videmus. & sollertissimè attendamus, quia non sufficit tantùm si verbo sine bono exemplo prædicemus, quia cuius vita despicitur, restat vt & prædicatio contemnatur. &, *Qui mandatum soluerit, & docuerit, hic minimus vocabitur in* Matth.5. *regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum,* id est, in Ecclesia iustorum. Igitur corrige hæc quæ egisti, & de cetero sollicitè stude ne huiusmodi probra incurras, aut scripturas authenticas, aut ea quæ Dominus per sanctos suos locutus est corrumpendo, quia scriptum est, *Non addas quicquam verbis il-* Prou.c. 30 *lius, & arguaris, inueniarísque mendax.* Quod ita catholici doctores ex-

ponunt, Ne corrumpas eloquia sanctarum scripturarum, quod quidam hæretici, ne his conuincerentur, fecisse noscuntur.

CAP. XLIV. *Qualiter redire valeat ad paternæ caritatis dulcedinem.*

VNDE frater, & quondam dulcissime fili, qui exigentibus peccatis de nido paterno, velut implumis, citiùs quàm necesse fuerat euolasti, & antequam soliditate plumarum, id est, humilitatis veste fieres protectus, quasi nudus his animositatum & sæcularium cupiditatum spinis ac vepribus, quibus laceraris, insedisti, sed si volueris sacris regulis & religioni concordari, gratia Dei sine difficultate ad cubile paternæ dulcedinis redire valebis, te ante teipsum repone, &, memento vnde excideris,& age pœnitentiam. Quòd si volueris, necesse est vt intelligas per qualia & quanta delinquas, qui apud te tumens, nulli subesse voles, & cunctis præesse non potes. & idcirco sacras regulas, peruersè interpretando, & quas prauè interpretari non potes, quasi non sint, in tuis collectionibus ex studio prætermittendo, conuellere satagis, quibusdam etiam de tuo quædam contra veritatem immittis, & dum inuictus esse desideras, exteriùs quæ non debes defendis, & interiùs veram dilectionem amittis, & te à compage fraternæ vnanimitatis præcidis. quod sine vlla dubitatione de illius magisterio tibi descendit, qui, vt scriptum est, *Omne sublime videt, & est rex super vniuersos filios superbiæ, factúsque est vt nullum timeret.* quíque dixit, *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Et quia diuinæ ordinationis dispositionem seruare, & socialem vitam in cælo tenere non voluit, Lucifer qui mane oriebatur de cælo cecidit, & veram beatitudinem perdens, miseriam sempiternam incurrit, sibi consentientes & obsequentes atque complices de beatis miseros fecit, & adeò in miseriam suam excreuit, vt se recognoscere & humiliare non possit. Quod vitium primis parentibus nostris immisit, vt suam culpam delinquentes non dicerent, sed in alium, videlicet in auctorem suæ cōditionis, non autem iniquitatis, retorquere studerent. Quo vitio adhuc non minimè laborat genus humanum, & timeo ac doleo quia ego & tu ab hoc vitio in totum alieni non simus. Attende igitur tota mentis intentione verba B. Leonis, quibus dicit, Sedis, inquiens, Apostolicæ moderatio hanc temperantiam obseruat, vt seueriùs agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis.] Quam temperantiam ex diuino magisterio sedes Apostolica suscepit, & hanc omnibus sedibus imitandam proposuit. quoniam error confessus & correctus iam culpa caret, quia veniam habet: error verò conuictus nec sic correctus, & culpam habet & venia caret. Et, vt Augustinus dicit, melius est in factis malis humilis confessio, quàm in bonis superba gloriatio.] Et beatus Ioannes in Apocalypsi voce diui-

[Margin notes: Iob 41. — Isa. 14. — Epist. xv. ad Pulcheriam.]

diuina Angelo, id est Episcopo Ephesi dicit, *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Et Angelo, id est Episcopo Laodiciæ Ecclesiæ dicit, *Collyrio inunge oculos tuos vt videas.* Collyrio quippe oculos vt videamus inungimus, cùm ad conspiciendam veri luminis claritatem intellectus nostri aciem medicamine operationis adiuuamus. Sícque in mutuam gratiam redire valebimus, si hæc & alia tibi salubria, & ministerio nostro competentia, agere & sequi volueris: quia, vt item beatus Leo dicit, Dulciùs munera gratiæ diuinæ proueniunt, quotiens non sine magnis sudoribus adquiruntur, & minùs videri bonum solet pax continuata per otium, quàm reddita per labores: ipsa quoque veritas & clariùs renitescit, & fortiùs retinetur, dum quæ priùs fides docuerit, hæc postea examinatio confirmarit.] Noli ergo diutiùs, tanquam ciuili bello, nostris contra nos erectis signis armísque pugnare, & seditiones à multis & per multos super multos compressas, rediuiuo contumaciæ furore in perniciem tuam, & Ecclesiæ catholicæ commotionem reexcitare. Redi ad paternam caritatem humiliter, quam contempsisti contumaciter. Fiat pax, vt dicit beatus Augustinus de Donatistis contra Ecclesiam se erigentibus, in virtute Hierusalem, quæ virtus caritas est, cui sanctæ ciuitati dictum est, *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Et noli te extollere contra maternam Metropolis tuæ generalem totius prouinciæ sollicitudinem, & contra paternam nutritoris & ordinatoris tui benignitatem, quam tibi cum ceteris, sine aliquo detrimento, tantùm vt te recognoscas, & Metropolis priuilegium, & Metropolitani dilectio, sine difficultate cupiunt exhibere. Sciunt enim & auctoritas Metropolis & Metropolitanus, illum verè esse magnum, qui totius ambitionis fuerit alienus, dicente Domino, *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et tamen, inquit Leo, hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, & de infimis ad summa transire.] Tu autem, vt scriptum est, iam magister infantium, & doctor insipientium factus, debes modum tuum cognoscere, & tibi subditis, à quibus obedientiam exigis, humilitatem obedientiæ tibi prælatis dependendo insinuare: præsertim cùm ordines & distinctiones Episcoporum sacri canones & decreta sedis Romanæ Pontificum, nec non & leges quas Ecclesia probat & seruat, sufficientissimè ostendant, & inrefragabiliter conseruari decernant. quæ si quis præsumit conuellere, quid est aliud nisi seipsum ab vniuersali Ecclesia, quæ partim iam in cælo cum Deo regnat, partim autem adhuc in terris peregrinatur, & ad patriam cælestem suspirat, præcidere? Vnde, frater, maximo cordis dolore perculsus, cogor tibi dicere quod Moyses & Aaron rebelli &

Apoc. 2. & 3.

Matth. 20.

Exod.16. sibi populo resistenti dixerunt, *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Nos enim quid sumus?* Et licet me nihil esse cognoscam, scio tamen quia seruanda est mihi in corde humilitas. & quando causa exigit, in regimine disciplinæ miscenda est lenitas cum seueritate. Faciendum quoddam ex vtroque temperamentum, vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia
Heb.9. benignitate soluantur iura regiminis. Quod iuxta Pauli vocem, bene illa tabernaculi Arca significat, in qua cum tabulis virga simul & manna est: quia cum sacræ scripturæ scientia in rectoris pectore sic esse debet virga districtionis, vt sit etiam manna dulcedinis: & rursum non sit tanta dulcedo, ne hac dissolutione sui loci oblitus quis pereat. Nam falsa pietate superatus, quia ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum iudicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Si autem mihi locus & possibilitas, quocumque obstaculo intercludente, ad id exequendum quod debeo defuerit, ponam sartaginem inter me & obsistentem mihi, murum ferreum, vt zeli munitione defendar, ne destitutus pro dissolutione condemner.

CAP. XLV. *Vt recordetur quanta in dulcedine fuerit initio Episcopatus, & deponat animositatem.*

TANDEM, frater & fili, moneo te, reduc in memoriam, qui nunc es omnibus in prouerbio, & motione capitis, atque in fabula & cantico tota die, cum quanta quiete à tumultu cogitationum, quibus nunc in diuersa distenderis, degebas in primis diebus quando ad Episcopatum venisti, cum quanta benignitate à domno Rege suscipiebaris, quanta dulcedine mea fruebaris, quanta vnanimitate cum fratribus & Coepiscopis nostris vtebaris, cum quanto amore à Palatinis, & ab aliis huius terræ hominibus colebaris, cum quanta amoris reuerentia à tibi commissis, sed & à nostris, à quibus & cum quibus & inter quos nutritus fuisti, venerabaris, antequam immoderatus amor sæculi tibi irreperet, & per quosdam surriperet, & ad se te raperet, & cùm te raptum habuit, fecit mundus sicut solet facere mundus immundus, cunctos quos accepit decepit, cunctos quibus arrisit irrisit, & sicut à plurimis dicitur, ad ea te sponte offerre (tantum vt hoc ego nescirem, nullo nisi forte cupiditate aut indebito timore cogente, quem non haberes si episcopaliter viueres,) exequenda perduxit, quæ in tantum detestabaris, vt antea tibi collum absci deretur, quàm ad illa perduceteris agenda, quæ multi dicunt à te etiam iterata. Et sicut illa non seruasti vera, quæ totiens atque tantisper alligare curasti, qui solebas dicere & scribere, quia verba sacerdotis aut vera sunt aut sacrilega, ita sunt nihilominus falsa quæ diceris per plures disseminare, scilicet quia nihil aliud aduersum te habeo, nisi quoniam non vis consentire vt sedes Apo-

ſtolica ſuam poteſtatem non habeat. A temetipſo enim hæc dicis, & non alij tibi dixerunt de me, nec didiciſti à me, nec etiam vidiſti in me, vel audiſti ex me. ſed tu auxiliator humanus illam ſummam ſedem non petitus inde adiuuas, vnde à te ſe adiuuari non ſentit. Iam per annorum millia etiam in paganiſmo orbis caput exiſtens, nec ex quo Petrum Apoſtolorum Cepham, quin caput & principem, cui Dominus dixit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, id eſt, ſuper hanc firmam & ſolidam fidei confeſſionem, quam tu es confeſſus, *ædificabo Eccleſiam meam.* &, *Ac tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* &, *Si diligis me, paſce oues meas*, videlicet quæ ſunt in vniuerſo mundo, quaquauerſum ſe catholica diffundit Eccleſia, licèt per terrarum plagas diſperſa, ſub vno tamen paſtore ac paſtorum principe Chriſto, vnitate fidei in ouili vno concluſa, ſuſcipere meruit prima ſedes, & omnium Eccleſiarum in toto orbe terrarum mater atque magiſtra, antequam heri ſerò vel nudiuſtertius terra te germinaret, & vterus maternus in hanc lucem produceret, manſit & permanet. Nam non ego, ſed tu illius poteſtati ac priuilegio derogare videris, qui Dei ordinationi, quam per eã diſpoſuit, vt nulli ſubeſſe valeas, reſiſtere prout potes laboras. Quamquam non vnde, nec ſicut canones ſacri, quos ipſa veneratur & ſeruat, præcipiunt, ſed pro motibus incompoſiti animi tui, vndecumque & per andronas de hora in horam appellas, & illam ſemel etiam & ſecundò ab ea litteris euocatus adire detrectas: cùm ea quæ voles, & pro quibus te illam fingis appellando adire, quolibet modo apud domnum Regem obtines, pro certo ſciens adhuc de cauſis regulari ordine non te compellari, pro quibus appellans in Synodo, cum appellatione tua illam, ſicut ipſa per canones præcipit, cures adire. licèt abſque rationabili neceſſitate, quantum ex te conſtat, litteras euocationis tuæ obtinueris, vt ipſam primam & ſanctam ſedem adires. ceterùm ipſa vnde & ſicut audit reſcribit. Crede mihi, frater ac fili, ſi qui ſunt, qui te hortantur in hac pertinacia, quam indebitè & ſine vlla neceſſitate aſſumpſiſti, & in qua permanes, pertinere, non pro tua ſalute, neque pro tuo honore hoc faciunt. Et non Epiſcopum, non quemcumque ſanum ſapientem inuenies, cùm ad certam rationem veneris, qui tibi conſentiat ita intelligere debere ſacras regulas, ſicut eas interpretaris, & ab aliis vis intelligi, vt nulli debeas ſubdi. quod tibi preſſiùs demonſtrabo, ſi neceſſitate, quod abſit, cogente me ad hoc ſine mea voluntate compuleris. Accipe ergo ſalubre & honeſtum tibi oblatum conſilium. Depone noxiam tibi animoſitatem, & illas næ nias, quin potiùs tragœdias, quæ vadis per tuas collectiones & ſubſcriptiones interpretando, mihi oſtende, & tempore congruo, cum quibus & cum quantis volueris de fratribus & Coepiſcopis noſtris, ſed & de communibus noſtris fidelibus, familiariter illas legamus, & inueniamus inde conſilium, qualiter & ſine tuo periculo, & ſine

Matth. 16.
Luc. 22.
Ioan. 20.

opprobrio sopiantur, quia illa tua subscriptio, diuinæ auctoritatis, quæ per beatum Leonem dicit, quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, nihil sine primatibus oportet impleri, est contradictio. Et si in plurimorum
Luc. 14. sapientum notitiam perlata fuerit tua derisio, *incipient*, inquit Dominus, *omnes illudere ei, dicentes, Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Quia enim nihil fit, nisi quod aut Dominus voluntate facit, aut fieri contra voluntatem suam interdum iustè permittit, & miro modo fit, quia eius consilio militant etiam quæ eius consilio repugnant, si quædam aliquando peruersè à peruersis obtinentur, vel euindicantur, aut ad eorum damnationem, aut ad electorum purgationem, aut ad vtrumque fieri Dominus iustè permittit, & in suo tempore
Prou. 3. eos irridebit, quia sicut item scriptum est, *illusionibus ipse deludet.* Propter quod Psalmista Spiritu sancto repletus, vnumquemque fide-
Psalm. 36. lem admonet dicens, *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias, quoniam qui malignantur exterminabuntur. Et vidi impium superexaltatum, & eleuatum super cedros Libani. Transiui, & ecce non erat, quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Custodi innocentiam & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.*

CAP. XLVI. *De eo quòd gloriatur se in omnibus, quæ contra quoslibet suscepit, fuisse ac semper fore victorem.*

QVÆ idcirco dico, quia sicut à pluribus audio, per vanitatem te iactitas, quoniam quæcumque incepisti, aut contra regem, aut contra me, aut contra quoscumque tuorum, siue clericos, siue laicos, qui contra tuam voluntatem fecerunt, vel contra vicinos tuos, qui se contra te erexerunt, totum ex parte maxima semper euicisti, & quod adhuc restat euinces. Vnde tunc potes in Domino te gloriari victorem, si per rectitudinem vincis errorem: si autem de errore errorem, aut vincis rectitudinem per errorem, non te potes gloriari victorem, sed debes flere miserabiliter te victum errore, & si ita non sapis, insipidè desipis, quia vnde tristari & flere debueras, inde iactaris. Grauiore enim sunt vindicta plectendi, qui gaudent etiam in delictis, & lætantur cùm malè fecerint, & exultāt in rebus pessimis. Et quidam sapiens dicit, *Qui semper vincit, non semper bene vincit.* Quando enim nobis diabolus vincendi libidinem suggerit, debemus recordari sententiæ beati Gregorij in capitulo decimo huius opusculi suprà positæ, qua dicit sæpe se vidisse, quòd cùm se ad feriendum grauiter rhinoceros, id est temporali potestate fultus accenderet, & quasi eleuato cornu subiectis intentaret damnationem, repentè fronti signo crucis impresso omne in se incendium furoris extinxisset, & minas deposuisset. Et si homini sæculari potestate prædito sic vtique est agendum, quid nos miseri sacerdotes in iudicio Dei dicemus, qui loco sacer-

dotali deuincti, non nostras vllo modo, sed diuinas iniurias cum misericordia & discretione in alios, & cum seueritate in nosmetipsos, vindicare debemus, si ad euindicationem parati semper existimus, quibus dicitur, *Benefacite his qui oderunt vos, non reddentes malum pro malo.* Scriptum est enim, *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus: sed si esurierit inimicus tuus ciba illum, si sitit potum da illi.* Et Salomon dicit, *Melior est patiens viro forte, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium.* Minor est ergo victoria vrbes expugnare, quia extra sunt quæ vincuntur: maius autem est quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibimetipsi subiicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ substernit. *Qui,* inquit Apostolus, *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis,* vt non solùm à prauo opere, sed etiam à concupiscentia praui operis crucifixi, non sequamur deliberatione, minimè autem opere, quod prauè à nobis concupiscitur, vel in mente suggeritur, Domini incessanter petentes clementiam, vt qui nos iussit vigilare & orare, vt non intremus in tentationem, sua nos gratia protegat, ne inducamur in tentationem: & si vt homines labimur, citiùs ad pœnitentiam redeamus vt non regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis eius. cui videlicet peccato, si tollere non possumus, vt non sit in nobis, tollamus tamen per Dei adiutorium illi regnum, ne dominetur nostrî. Maxima quippe infelicitas est hominis, in malo suo prosperari feliciter. Scriptum est enim, *Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter.* Non enim omne quod feliciter, bene: nec omne quod bene, feliciter. Feliciter enim semper incedere, filio perditionis est proprium. Grandis namque offensa est, vt Hieronymus dicit, postquam peccaueris, iram Dei non mereri.] Et sanctus Gregorius, Necesse est vt peccantes quosque tunc consideremus ampliùs miseros esse, quando eos conspicimus in culpa sua sine flagello derelictos.] Hinc etenim per Salomonem dicitur, *Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos.* Qui enim à Deo auertitur & prosperatur, tanto perditioni fit proximus, quanto zelo disciplinæ inuenitur alienus. quo contrà Psalmista de Moyse, & Aaron, & Samuele dicit, *Quia inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat illos, in columna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia eius, & præceptum quod dedit illis.* & more prophetico conuersus mox ad Dominum dicit, *Domine Deus noster tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Propitiatio quippe Dei, est delinquentem corripere. *Cùm iudicamur,* inquit, *à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* &, *Qui in bonis ducunt dies suos,* vt scriptum est, *in puncto ad inferna descendunt.* Hinc enim Psalmista de Domino dicit, *Immissiones per Angelos malos, viam fecit semitæ iræ suæ.* Cor quippe Dominus prioribus meritis adgrauatum iustè

Matth.5. 1.Petr.3. Rom.12. Prou.16. Gal.5. Prou.38. Prou.1. Psal.98. 1 Cor.11. Iob 21. Psal.77.

permittit etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli. quod cùm dignè in culpam trahitur, reatus eius in pœna cumulatur. Vnde & iræ suæ Domino viam facere est, in eos, qui punire in se causas rectè noluerunt, districtè iudicando dilatare: vt qui illuminati agere recta noluerunt, iustè cæcati adhuc faciant
1.Thess.2. vnde ampliùs punire mereantur, de quibus dicit Apostolus, *Vt impleant peccata sua semper.* Et hinc voce Angeli ad Ioannem dicitur, *Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Et hinc
Apoc.22. Psal.68. Dauid dicit, *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam.* Et hinc per Moysem dicitur, *Nondum completa sunt*
Genes.15. Deut.32. *peccata Amorrhæorum.* Hinc per eundem Dominus dicit, *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis? In die vltionis reddam eis.* Et quia eorum mala narrauit, illico adiunxit, *In tempore quo lapsus fuerit pes eorum.* Ecce atrocissima peccata illorum describuntur, & tamen ad vltionis diem adhuc subsequens lapsus adspicitur, quo eorum culpæ cumulentur. Habent iam quidem vnde feriri mereantur, sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescere, vt peccantes possit acrior culpa cruciare. Iam meretur supplicium peccatum & causa peccati, sed expectatur adhuc, vt augmentum supplicij
Homil. XI. in Ezech. subroget peccatum & pœna peccati. Peccatum, inquit Gregorius, quod per pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum est & pœna peccati, aut peccatum simul causa & pœna peccati. Omne enim quod priùs committimus, peccatum est: sed si citiùs pœnitendo non tergitur, iusto iudicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, vt quæ flendo & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo, quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum simul est & causa peccati, quia ex illo oritur vnde adhuc peccatoris animus altiùs obligetur. Peccatum verò quod ex peccato sequitur, peccatum simul est & pœna peccati, quia excrescente cæcitate ex retributione prioris culpæ generatur, vt quasi iam quædam sint in peccatore supplicia ipsa incrementa vitiorum.] Peccatum quippe tibi fuit insolentiæ contumacia, cùm sine causa, si tamen sine causa, contra domnum Regem te inrationabiliter erexisti. à quo peccato quia per humilitatis debitam & rationabilem satisfactionem noluisti resipiscere, exegisti vt ageret & agi præciperet in te, vnde ampliùs furore exagitatus te contra illum commoueres. qua commotione deuictus, in peccatum subsequens incidisti, vt perniciosas excommunicationum maledictiones in eos etiam qui erga te non inde peccauerunt exereres: quasi non in te, sed in illum ipsa pericula, quæ de eisdem maledictionibus imminebant, redundarent. Qui te ad hoc prouocauit vt taliter innoxiis malediceres, cùm de his qui non iudicio iustitiæ, sed liuore vindictæ maledicunt, dicat A-

postolus, *Neque maledici regnum Dei possidebunt*. Et hoc peccatum extitit 1. Cor. 6.
pœna præcedentis contumaciæ insolentis peccati, & causa adhuc subsequentis peccati: quia cùm voluisti ostentare nihil te contra rationem in ipsa excommunicatione parochiæ tuæ fecisse, & verecundiam irrationabilis facti à te depellere, & non esse ita te subditum Metropolitanæ prælationi, vt non liberè quicquid velles in parochia tua sine meo consultu agere posses, méque præuaricatorem canonum esse, quia quod ligasti in parochia tua præsumpsi absoluere, & non esse soluta quæ solui, quin potiùs sedes Apostolica, & omnes illi per quos Deus sacros canones suo spiritu condidit, ac per hoc ipse Deus, si rectè intellexisses, absoluit, nisi contra ea quæ tibi & parochiæ tuæ scripsi, tecum sentirent, atque in præfato sensu subscriberent. In hanc vesaniam ex retributione iustitiæ corruisti, vt sicut de auersore principe scriptum est, *Qui peccauit, & peccare fecit Israel*, contra Euangelicam veritatem, & Apostolicam auctoritatem, & sacrorum canonum constitutionem, de quibus promulgata sunt 3. Reg. 14.
illa scripta, quæ per me in vnum collecta, & tibi ac parochiæ tuæ constant esse directa, & ipse subscriberes, & alios subscribere faceres, reclamantibus aduersum te sacris regulis, vt inconsulto priore tuo nihil noui facere præsumas, quoniam quæ ad generalem obseruantiam omnium Domini pertinent sacerdotum, nihil sine Primatibus oportet impleri. Sed quia nerui testiculorum Behemoth perplexi sunt, cùm his te explicare finxisti, te duriùs & multipliciùs nexuisti, & super dolorem vulnerum tuorum ipse superaddens, alios solutos tecum connexuisti, insuper & contra canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum commenta ad hoc collegisti, quatenus te vt onagrum liberum à sede Metropolitana monstrares, & me vt præuaricatorem canonum, eisdem commentationum tuarum vinculis adstrictumininsolubiliter demonstrares, & adhuc etiam sicut de malo in peius, ita de peiore in pessimum profecisti, vt non solùm tibi commissis clericis, sed & Episcopis illa figmenta compilata, & Regi danda ostenderes, & mihi dari faceres, vt per illa me concrederem, & adeò me tibi subiugarem, vt, sicut mandasti, verba Euangelica & Apostolica atque canonica, quæ tibi & Ecclesiæ tibi commissæ direxeram, igne cremarem, & me non solùm à gradu, verùm & à Christianitate exuerem, & potum mortis mihi à te propinatum bibens, etiam homicida mei velut Iudas pœnitendo existerem, & in hoc etiam grauiùs à Iuda differrem, vt de bono facto me pœniteret. Hoc namque poculum, quod confecisti ex nominibus sanctorum Apostolicæ sedis Pontificum, quasi ad ora melle oblitum, & indiscretè commixtum, de quo tibi commissos clericos potionasti, & quod quibusdam Episcopis obtulisti, & Satanas primis parentibus nostris in paradiso obtulit, quando pomum bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile ostendit,

Geneſ.3. eiſque dixit, *Quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* & quibus promiſit diuinitatem, tulit immortalitatem, & pollicens liberam & nulli ſubiectam deitatis æqualitatem, captiuitatis eis intulit miſeram ſeruitutem, quos ſibi complices fecerat ad iniquitatem. Et tu clericis tuis, qui, inquis, mihi eodem Deo auctore commiſſi ſunt, & in his ſimiliter ſentiunt, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, hac mecum pace potiantur,] ac ſi patenter addendo diceres, & in transgreſſionem ſanctarum regularum per ſanctum verè Spiritum prolatarum gradiantur. & mox ſubſequendo, Si, inquiens, aliqui ſecus nolentes fieri ſocij huius diſciplinæ, nec habeantur participes communionis noſtræ.] Quod non eſt aliud dicere, niſi permaneant in catholicæ Eccleſiæ communione, & ſi fortè non verbis, rebus tamen quibuſdam Epiſcopis perſuadendo, Hanc, inquiens, tenete & mecum euindicate compilationem, & nulli niſi Romano Pontifici debebitis ſubiectionem, & diſſipabitis mecum Dei ordinationem in communis Epiſcopalis ordinis diſcretam ſedibus dignitatem.] Sed concedamus hæc dicere & agere poſſe aliquem arrogantem atque iactantem, illa verò diuinare non valeo, quomodo in mentem tuam venire potuit, vt Regi illam compilationem verſibus inuerſis, ſcilicet adulatoriis ſenſibus prælitam velles oſtendere, quem latere non poſſe ſciebas ad quid illam voluiſti colligere. Sed & mihi quomodo potuiſti mandare, vt non ſolùm ea quæ ædificaui deſtruerem, verùm ſic metropolitanæ ſedis priuilegium & meipſum tibi ſubiicerem, & Euangelia, atque Apoſtolos, & prophetas, & canones incendendo negarem, vt ſicut ethnicus & publicanus omnibus fierem, cùm licèt infirmus & fragilis vnà cum ſanctaEccleſia frequentiſſimè cantem, eſſe virum ſanctum, qui pro lege Dei ſui certauit vſque ad mortem. Et hinc anxiè mihi hæſitanti occurrit Paulus de huiuſmodi dicens, *Cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerũt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* De quibus & Dominus ad Ezechielem prophetam dicit, *Patres*, inquiens, *eorum præuaricati ſunt pactum meum vſque ad diem hanc, & filij dura ceruice & indomabili corde ſunt, ad quos ego mitto te.* Sed priùs nobis ex verbis beati Gregorij dicendum eſt quid ſit pactum, In pacto, inquit, diſcordantium partium voluntas impletur, vt ad votum ſuum quæque perueniat, & iurgia deſiderato fine concludat. Quod pactum inter Deum & homines præuaricatum Deus queritur. Et ecce eſt vna culpa ſuperbiæ, quia præuaricati ſunt pactum. Ecce altera obſtinationis, quia vſque ad diem hanc. Ecce culpa grauis impudentiæ, quia dura facie, quoniam mala quæ faciunt iam nec erubeſcunt, & numquam vel poſt culpas ad pœnitentiam redeunt, quia indomabili corde ſunt. Cùm verò tantæ prauitatis, tantæque obſtinationis ſint hi, ad quos Propheta mittitur, quis

Rom.1.

Ezech.2.

Hom.9.in Ezech.

quis iam non videat quia persona prophetæ à tam peruersis hominibus despici valeat? Sed ecce auctoritas personæ tribuitur, cùm subditur, Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus, si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant, quia domus exasperans est. Et tu, fili hominis, ne timeas eos, neque sermones eorum metuas, quia domus exasperans est. Stultum enim valde est, si illis placere quærimus, quos non placere Domino scimus. Debemus autem habere in metu & reuerentia iudicia iustorum, quia membra omnipotentis Dei sunt, & hoc ipsi in terra reprehendunt, quod Dominus redarguit è cælo. Nam peruersorum derogatio, vitæ nostræ approbatio est quia iam ostenditur nos aliquid iustitiæ habere, si illis displicere incipimus qui non placent Deo. Ideò boni timendi sunt ne offendantur, ne fortasse per eos ille prouocetur ad iracundiam, qui eorum corda semper inhabitat. Propter quod etiam subditur, Tu autem, fili hominis, audi quæcumque loquor ad te, & noli esse exasperans, sicut domus exasperatrix est. Nisi enim ad loquendum verba cùm mittebatur obediret, omnipotentem Dominum, sicut auditores de peruerso opere, sic propheta, id est, prædicator de suo silentio Deum exasperasset.]

CAP. XLVII. *Quòd victum se nunquam agnoscat. De eius in Metropolitanum rebellione. & quòd sacra eloquia exuri petierit, & schisma subscriptione sua fecerit. & de iniustis eius obligamentis.*

VNDE mihi, ad cuius sollicitudinem pertinere dinosceris, non est tibi tacendum. Et quia ego monendo & tu resistendo luctari cœpimus, & puto in hac præsenti luctatione non ante sextam, aut septimam, vel vsque ad decimam volutionem patieris succumbere: nempe, vt timeo, etiam cum ratione, veritate, atque auctoritate, ac nube testium, acriori duello Daretis & Entelli iustissimè victus, & iudicum iustorum clamoribus percitus, iam subtus iacens, victum te dicere non dignaberis, & quæ ad tuam instructionem & correptionem tibi scripta sunt, non ad ædificationem suscipies, sed ad contentionem exaggerare studebis, & more tuo sueto vt inuictus sis, secutus Heliu præcursorem arrogantium, & in arrogantia sua inuictissimum, qui dixit, *Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei: loquar & respirabo paululum, aperiam labia mea & respondebo*, te Iob 32. intra te cohibere non poteris, quin scientiam tuam sine ratione & auctoritate in auras inconditè vt soles non proferas, & vt me ad rescribendum compellere possis, quatenus horas vtilitati & necessitati impendendas inutilitati & superfluitati expendam, friuola & inutilia atque ratione carentia rescribere decertabis, & illa quæ iam à me ti-

bi ſcripta ſunt, ſed & tuas ineptias ad Epiſcoporum & ſapientum examen me producere ad meum pro te dolorem & ad tuam perniciem exiges, & veniet ſuper te, ſicut vereor, illa ſententia quæ ſcri-
Matth.18. pta eſt, *Neceſſe eſt vt veniant ſcandala, væ autem homini illi per quem ſcandalum venit.* Et ſicut me & eos qui mecum te nutrierunt, deinde alios atque alios, ſed & plures de his qui tibi commiſſi fuerunt, verùm & de his qui à te in fœdus familiaritatémque ſuſcepti fuerunt, viritim dereliquiſti, & viciſſim alios atque alios tibi in amicitiam & familiaritatem recepiſti, cùm delegeris potiùs eorum, qui ſe per diuerſa iactantes ab vnitate catholicæ fraternitatis præciderunt, vel propter inreuocabilem ſuam pertinaciam præcidi exegerunt, vt noſtris temporibus Gotheſcalcus atque Guntarius, exitiabilem pertinaciam ſequi, quàm Eccleſiaſticam manſuetudinem & piam paternitatem. Contingat tibi, quod abſit, cum eis habere partem, quorum ſtudueris imitari peruerſam intentionem. & idcirco ſi, quod non opto ſed timeo, in hac dementia ſicut cœpiſti volueris perſeuerare, ne ampliùs contra verboſum ſtudeam contendere verbis, ſed iſta aut ad correctionem, aut per aliorum iudicium ad tuam reuictionem ſufficere valeant, & mihi de auulſione dextri oculi vel dextræ manus abſciſſione dolor continuus & perpetuus mœror accidat, ſicut ex verbis beati Gregorij tria tibi propoſui, Peccatum ſcilicet, & cauſam peccati, ac pœnam peccati: quæ etiam ſi negare velis admiſiſſe conuinceris, tibi alia tria ex verbis beati Augu-
Eſa.41. ſtini proponam, vt ſicut ſcriptum eſt, *Videas, & ſcias, & recogites, & intelligas pariter.* Primùm quidem prouectum auaritiæ, vnde A-
Coloſſ.3. poſtolus, *& auaritia quæ eſt idolorum ſeruitus.* Auaritia enim, vt demonſtrat Gregorius, non ſolùm pecuniæ eſt, ſed etiam altitudinis. Rectè quippe auaritia dicitur, cùm ſuper modum ſublimitas ambitur. Quod incidiſſe videris, qui contra decretum à Deo ordinatum, ne ſubditus ſecundùm regulas tuo Metropolitano fias, vt ſuprà oſtendi, rebellare conaris. In quo ſi perſeuerare delegeris, quantum delinquas, cùm tantis auctoritatibus reuincaris, ex eiuſdem beati Au-
Epiſt.65.ad Antonianũ. guſtini verbis, quæ de ſancti Cypriani dictis deprompſit, tibi oſtendere neceſſarium duxi. Ait enim ſanctus Cyprianus, Poſt inſpirationem, inquiens, & reuelationem factam, qui in eo quod errauerat perſeuerat prudens & ſciens, ſine venia ignorantiæ peccat: præſumptione enim atque obſtinatione quadam nititur, cùm ratione
Lib.4.de Bapt.cõtra Donatiſtas cap.5. ſuperetur.] Hinc Auguſtinus, Hoc veriſſimum eſt, longè grauius eſſe peccatum eius qui ſciens, quàm eius qui neſciens peccauerit. Et ideo vir ſanctus Cyprianus, non ſolùm doctus, ſed etiam docilis, quod in laude Epiſcopi quem deſignat Apoſtolus, ſic ipſe intellexit, vt diceret etiam hoc in Epiſcopo eſſe diligendum, non ſolùm vt ſcienter doceat, ſed etiam patienter diſcat. Non dubito quòd ſi iſtam quæſtionem in Eccleſia diu multúmque verſantem cum viris

sanctissimis doctissimísque tractaret, per quos postea factum est, vt antiqua illa consuetudo etiam plenario Concilio firmaretur, sine dubitatione demonstraret, non solùm quàm deuotus esset in his quæ firmissima veritate perceperat, verùm etiam quàm docibilis in his quæ minùs aduerterat. Et tamen cùm manifestissimum sit multo grauiùs peccare scientem quàm nescientem, vellem mihi aliquis diceret, Si quis in hæresim incurrat, nesciens quantum malum sit, & alius ab auaritia non recedat, sciens quantum malum sit, quis eorum sit peior? Possum etiam ita proponere, si alius nesciens in hæresim incurrat, & sciens alius ab idololatria non recedat, quia & Apostolus dicit, *Auaritia quæ est idolorum seruitus*, & ipse Cyprianus eandem sententiam non aliter intellexit, sicut ad Antonianum scribens ait, Nec sibi in hoc noui hæretici blandiantur, quod se dicant idololatris non communicare, quando sint & apud illos adulteri & fraudatores, qui teneantur idololatriæ crimine, secundùm Apostolum dicentem, Hoc enim scitote intelligentes, quia omnis fornicator, aut immundus, aut fraudator, quod est idololatria, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. & iterum, Mortificate itaque membra vestra quæ sunt super terram, exponentes fornicationem, immunditiam, & concupiscentiam malam, & auaritiam quæ est idolorum seruitus. Quæro ergo quis peccet grauiùs, qui nesciens in hæresim incurrerit, an qui sciens ab auaritia, id est, ab idololatria non recesserit? Secundùm quidem illam regulam, qua peccata scientium peccatis ignorantiæ præponuntur, auarus cum scientia vincit in scelere hæreticum nescientem. Sed ne fortè hoc fiat, facit in hæresi sceleris ipsius magnitudo, quod facit in auaritia scientis admissio, vt hæreticus nesciens auaro scienti coæquetur.] Exustionem quoque diuinorum eloquiorum, quam mihi persuadere, si posses, obtentu apud te obtinendæ pacis conatus fuisti, sicut clericos parochiæ tuæ eodem obtentu per inregularem subscriptionem tecum connexuisti. Legimus quippe esse os cordis, sicut & os corporis. De ore enim cordis scriptum est, *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.* & iuxta Euangelicam veritatem, *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, periuria, falsa testimonia*, & reliqua quæ ex ore cordis ad aliorum procedunt notitiam per os corporis. Et legimus deliberationem voluntatis esse perfectionem operis, dicente Domino, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*, & ad discipulos suos, *Posui*, inquit, *vos, vt eatis & fructum afferatis.* Eatis, inquit Gregorius, volendo, fructum afferatis operando. Eatis enim volendo dixi, quia velle aliquid facere iam mente ire est.] Et tu adeò ex deliberatione voluntatis peruenisti ad operationem sermonis, vt mortiferum ad bibendum mihi propinares, scilicet vt eloquia sacra gratia tuî incenderem, nisi mihi ille adesset qui in se credentibus repromisit dicens, *Si mortiferum quid biberint, non eos nocebit.* Dum pestiferas, inquit beatus Gregorius, sua-

Coloss. 3. Epist. 52. Ephes. 5. Coloss. 3. Psalm. 11. Matth. 15. Matth. 5. Ioan. 15. Marc. 16.

ſiones audiunt, ſed tamen ad operationem prauam minimè pertrahuntur, mortiferum quidem eſt quod bibunt, ſed non eis nocebit.] Et licèt me Deus hinc gratia ſua ſeruauerit, tu tamen, niſi pœnitueris, ſtudij tui lues iudicium. Tardiùs, inquit beatus Gregorius, peccatum ſoluitur, quod & per conſilium ſolidatur: niſi enim mens omnimodo æterna *deſpiceret, in culpa ex iudicio non periret. Hinc eſt quod per Prophetam Dominus non tam præcipitationum praua, quàm delictorum ſtudia reprehendit dicens, *Ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit qui extinguat propter malitiam ſtudiorum veſtrorum.* Hinc iterum iratus dicit, *Viſitabo ſuper vos iuxta fructum ſtudiorum veſtrorum.* Quoniam igitur à peccatis aliis differunt peccata quæ per conſilium perpetrantur; non tam praua facta Dominus, quàm ſtudia prauitatis inſequitur. In factis enim ſæpè infirmitate, ſæpè negligentia, in ſtudiis verò malitioſa ſemper intentione peccatur.] Hinc ergo colligant qui in culpa ſe etiam per conſilium ligant, qua quandoque vltione feriendi ſunt, qui nunc prauorum non ſocij ſed principes fiunt. Schiſma nihilominùs, quo te à tibi commiſſis ſeparaturum monſtraſti, niſi tecum ſubſcriberent, quos tecum ſubſcribentes à nobis, qui ea quæ tibi & Eccleſiæ tibi commiſſæ, de Euangelica veritate, & Apoſtolica auctoritate, atque canonica inſtitutione direxi, ſeruamus, immo ab Eccleſia catholica, quæ illa ſeruat & inrefragabiliter omnes ſeruare docet. Vt quoniam me ex merito meo deſpicis, ex beati Auguſtini verbis de ſcripturæ ſacræ auctoritate docentis agnoſcas, quàm graue peccatum ſit idololatria, quod ex ambitu altitudinis admiſiſſe videris, & quia grauius eſt incenſio diuinorum eloquiorum, ad quod me quantum ex te fuit traduxiſti, & quoniam grauiſſimum ſit peccatum ſchiſma, quo te à fraterna noſtra vnanimitate per tuam pernicioſam ſubſcriptionem ſeparaſti, ſi in eo, quod abſit, permanere delegeris: & ſi fortè his ſubſcripſiſti, quæ Euangelicæ veritati & Apoſtolicæ auctoritati contraria, & decretis ſanctorum Conciliorum, quæ vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, & Apoſtolicæ ſedis confirmauit auctoritas, inueniuntur aduerſa. Ait enim idem beatus Auguſtinus loquens ad Donatiſtas, immo contra Donatiſtas ſchiſmaticos per carnis præſentiam, ſicut tibi nunc loqui creditur per litterarum ſuarum doctrinam, & quæ mori nunquam potuit caritatem. velut ipſe de Cypriano dicit, Præſens eſt, inquiens, non ſolùm per litteras ſuas, ſed etiam per ipſam, quæ in illo maximè viguit & mori nunquam potuit, caritatem. Quíque te cum præfatis alloquens, Quare, inquit, vos, non dico ab innocentibus, quod probatur, ſed ab ipſis, quod non probatur, traditoribus ſeparaſtis? An, vt dicere cœperam, grauiora ſunt crimina traditorum, quàm ſchiſmaticorum? Non afferamus ſtateras doloſas, vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbi-

Paſtor. III. Admon. 33.

Hierem. 4.

Hierem. 21

Lib. 5. de bapt. c. 17.

Lib. 2. de bapt. cap. 6.

trio noſtro dicentes, hoc graue, hoc leue eſt: ſed afferamus diuinam ſtateram de ſcripturis ſanctis, tanquam de theſauris dominicis, & in illa quid ſit grauius appendamus, immò non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus. Tempore illo, quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monſtrauit, & idolum fabricatum atque adoratum eſt, & propheticus liber ira Regis contemptoris incenſus, & ſchiſma attentatum, idololatria gladio punita eſt, exuſtio libri bellica cæde & peregrina captiuitate, ſchiſma hiatu terræ ſepultis auctoribus viuis, & ceteris cæleſti igne conſumptis. quis iam dubitauerit hoc eſſe ſceleratius commiſſum, quod eſt grauiùs vindicatum?] De eo quod in tua ſubſcriptione miſiſti, vt tecum ſubſcribentes, *ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, hac tecum pace potiantur*, in eodem libro dicit ad Donatiſtas, Quare non communicatis Eccleſiis, quibus epiſtolas Apoſtolicas miſſas tenetis & legitis, & ſecundùm ipſas vos viuere dicitis?] Et poſt pauca, quæ ſtudio breuitatis prætereo, & lector ibidem ex ordine poterit inuenire, Hos, inquit, omnes catholica vnitas materno ſinu complectitur, inuicem onera ſua portantes, & ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, donec alteris eorum, ſi quid aliter ſapiebant, Dominus reuelaret. De hoc autem, quod quaſi ex verbis Leonis ſubiunxiſti, Si aliqui ſecus nolentes fieri ſocij huius diſciplinæ, nec habeantur participes communionis noſtræ, conferantur verba tua cum verbis Leonis in capitulo vbi hæc dicit, & iunctim legantur, ſicut ibi habentur, Hoc itaque admonitio noſtra denuntiat. quòd ſi quis fratrum contra hæc conſtituta venire tentauerit, & prohibita fuerit auſus admittere, à ſuo ſe nouerit officio ſubmouendum, nec communionis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius eſſe noluit diſciplinæ. Ne quid verò ſit quod prætermiſſum à nobis fortè credatur, Omnia decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita à veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus, vt ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari.] Hæc eſt integritas capituli beati Leonis. Intueamur ergo, ſi diſciplina diſcenda tuis à te propoſita, diſciplinæ, quam ſequendam Leo docuit, æqua ſorte conueniat, aut ſi tua doctrina ab illius doctrina diſcordet, & iudicet cælum ac terra quæ potiùs ſit ſequenda, tua diſciplina, an Leonis doctrina. Et cùm idem Leo dicat, Nec communionis noſtræ eſſe conſortem, qui ſocius eſſe noluit diſciplinæ,] diſcernendum eſt, cuius communionem, illius cum vniuerſali Eccleſia, an tuam oppidani Epiſcopi cum tuis complicibus debeat catholicus quiſque eligere, præſertim cùm idem Leo dicat, Si quis in decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium deceſſorum ſuorum, quæ de Eccleſiaſticis ordini-

Exod 32. Hierem.36 Num.16. Lib.2. de bapt.cap.6. Ephes.4. Epiſt.1.c 5.

bus, & canonum promulgata sunt disciplinis commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.] In quæ decretalia constituta te manifestum est commisisse, sicut & in scriptis semel & secundò à me tibi directis ostenditur, & ecce iam tertiò in hoc scripto suprà monstratur. à quorum disciplina, immò à catholica Ecclesia, cuius extitere rectores, hac subscriptione tua te separasti, si, vt prædictum est, & semper dicendum est, à te subscripta eisdem constitutis esse inueniuntur aduersa. Quapropter adhuc etiam tria tibi ex verbis beati Augustini catholicæ Ecclesiæ doctoris eximij proponenda proposui, præponens his tribus beati Cypriani sententiam, à beato Augustino fauorabiliter conlaudatam, & ab omnibus catholicis ac piè viuentibus acceptandam. Seruatur, inquit B. Cyprianus, à nobis patienter & leniter caritas animi, honor collegij, vinculum fidei, concordia sacerdotij. Hæc, inquit Augustinus, verba Cypriani sunt. An fortè inuidia & maleuola dissensio paruum malum est? Quomodo ergo isti erant in vnitate, qui non erant in pace? Vox enim non mea, aut alicuius hominis, sed ipsius Domini, nec per homines, sed per Angelos sonuit Christo nato, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quod vtique nato in terris Christo non sonaret ore Angelico, nisi Deus hoc vellet intelligi, eos esse in vnitate corporis Christi, qui sunt in pace Christi, eos autem esse in pace Christi, qui sunt bonæ voluntatis. Porrò sicut in beneuolentia bona voluntas, sic in maleuolentia mala voluntas est. Iam verò ipsa inuidia, quæ non potest esse nisi maleuola, quantum malum est? Non quæramus alios testes, sufficit nobis ipse Cyprianus, per quem tam multa de zelo & liuore Dominus veracissima intonuit, & salubria præcepit. Legamus ergo Epistolam Cypriani de zelo & liuore, & videamus quantum malum sit inuidere melioribus, cuius mali originem ab ipso diabolo extitisse memorabiliter docet. Zelare, inquit, quod bonum videas, & inuidere melioribus, leue apud quosdam & modicum crimen videtur, fratres dilectissimi.] Deinde paulo pòst, cùm eius mali caput atque originem quæreret, Hinc diabolus, inquit, inter initia statim mundi, & periit primus & perdidit. *Et paulo pòst*, Quale malum est, inquit, fratres, quo Angelus cecidit, quo circumueniri & subuerti alta illa & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decepit? Exinde inuidia grassatur in terris, dum liuore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est, *Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Imitantur ergo illum qui sunt ex parte eius.] Hæc idcirco tribus promissis de verbis beati Augustini à me tibi proponendis præposui, quoniam zelo & furore illa perniciosa ligamenta, de quibus agitur, te egisse, & hanc contra sacras regulas subscriptionem adinuenisse veraciter credimus. Quapropter necessarium duxi primùm quidem tibi ostendere, quia

Epist.73 ad Iubaianum in fine

Lib.4. de bapt.cap.7.

Luc.2.

Cap.8.

In principio libri.

Sap.2.

in ſola catholica, vnitate per hæreſes vel ſchiſmata non diuiſa, vera ſunt ligamenta, vt vera ſunt ſacramenta. Puto me, inquit beatus Auguſtinus, non temerè dicere, alios ita eſſe in domo Dei, vt ipſi etiam ſint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari ſuper petram, quæ vnica columba appellatur, quæ ſponſa pulchra ſine macula & ruga, & hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ viuæ, paradiſus cum fructu pomorum. quæ domus etiam claues accepit, ac poteſtatem ſoluendi & ligandi. Hanc domum ſi quis corripientem corrigentémque contempſerit, ſit tibi, inquit, tanquam ethnicus & publicanus.] Et ſciendum nobis eſt, quia præpoſita regula corripiendi data huic domui Dei, videlicet catholicæ Eccleſiæ, hæc ſententia ſi contempta fuerit, ſubditur, *ſit tibi*, inquit, *tanquam ethnicus & publicanus*. Secundum autem capitulum, contra iniuſtam obligationem innoxiorum à te patratam, quaſi ſpecialiter de hoc facto loquentis, & te vnà cum eis quos alloquebatur computantis, ex verbis eiuſdem doctoris magnifici tibi propono, dicentis, Si tunc in illos quos arguebatis vera diceretis, cauſam veſtram vnitati orbis terrarum perſuaſiſſetis, vt vobis retentis illi excluderentur. Quod ſi conati eſtis facere, & non obtinuiſtis, innocens orbis terrarum qui iudicibus Eccleſiaſticis potiùs quàm victis litigatoribus credidit. Si autem noluiſtis agere cauſam veſtram, innocens eſt orbis terrarum qui damnare non potuit inauditos. Quare ergo vos ab innocentibus ſeparaſtis? Sacrilegium ſchiſmatis veſtri defendere non valetis.] Spiritales autem, ſiue ad hoc ipſum pio ſtudio proficientes, non eunt foras, quia & cùm aliqua vel peruerſitate, vel neceſſitate hominum videntur expelli, ibi magis probant quàm intùs permaneant, cùm aduerſus Eccleſiam nullatenus eriguntur, ſed in ſolida vnitatis petra fortiſſimo caritatis robore radicantur. Ad hoc enim pertinet quod in illo Abrahæ ſacrificio dicitur, *Aues autem non diuiſit*, videlicet quia ſe ab vnitate ſpiritales non præcidunt. Quo contrà Antiochenum Concilium de his, qui ſe à miniſterio Eccleſiaſtico ſubtrahunt, & ſeorſum colligunt, ſéque ab vnitate diuidunt, dicit, Si quis preſbyter aut diaconus, Epiſcopum proprium contemnens, ſe ab Eccleſia ſequeſtrauerit, & ſeorſum colligens altare conſtituerit, & commonenti Epiſcopo non adquieuerit, nec conſentire vel obedire voluerit ſemel & iterum conuocanti, hic damnatus omnimodo nec vltra remedium conſequatur: quia ſuam recipere non poterit dignitatem. Quòd ſi Eccleſiam conturbare & ſollicitare perſtiterit, tanquam ſeditioſus per poteſtates exteras opprimatur.] Et Carthaginenſe Concilium, Si quis preſbyter à præpoſito ſuo correptus fuerit, debet vtique apud vicinos Epiſcopos conqueri, vt ab ipſis eius cauſa poſſit audiri, ac per ipſos ſuo Epiſcopo reconciliari. quod niſi fecerit, ſed ſuperbia, quod abſit, inflatus ſecernendum ſe ab Epiſcopi ſui communione duxerit, aut ſeparatim cum aliquibus ſchiſ-

Lib. 7. de bapt. c. 51.
Matth. 18.
D. Aug l. 2. de bapt. c. 6
Geneſ. 15.
Conc. Antioch. can. 5
Can. 10.

ma faciens sacrificium Deo obtulerit, anathema habeat, & locum amittat: si querimoniam iustam aduersus Episcopum non habuerit, inquirendum erit.] Secundum hoc capitulum, simul cum nono capitulo Antiocheni Concilij, comministri Ecclesiæ Laudunensis absque schismate & rebellione, iuxta temporis angustiam & imminens periculum, innocenter iniuriam passi Episcopum Metropolitanum adierunt, & ideo, sicut suprà ostendi, in communione Ecclesiastica restitui & permanere debuerunt. Vnde Carthaginense Concilium de inregulariter iudicantibus, & iniustè iudicatis, & de maioris au-

Can. 15. ctoritatis iudicibus, Placuit, inquit, vt à quibuscumque iudicibus Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos vbi est maior auctoritas fuerit prouocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicasse, vel aliqua cupiditate aut gratia deprauati.] De Episcopo autem, si fortè schisma à sacris canonibus in Ecclesia fecerit, Africanum Concilium dicit,

Can. 10. Circa eos sanè, inquiens, qui fuerint concordes, non solùm circa Ecclesiam Carthaginensem, scilicet Metropolim, sed & circa omne sacerdotale consortium.] & post pauca, Oportet, vt qui vniuersis fratribus ac toto Concilio inhæserit, non solùm sua iure integro, sed & diœceses possideat. At verò qui sibimet putant plebes suas sufficere fraterna dilectione contempta, non tantùm diœceses amittant, sed vt dixi etiam propriis publica careant auctoritate, vt rebelles.] De à te autem separatis à communione catholica, sicut in petitione mihi à Laudunensi Ecclesia data continetur, scilicet paruulis in tua parochia causa iniuriarum tuarum non baptizandis, & obeuntibus viatici muneris communione non reconciliandis, audi quid exinde ad remedium pertinens idem doctor catholicissimus & subtilissimarum rerum inuestigator, & gratia Dei inuentor sagacis-

Aug. lib. 4. de bapt. cap. 22. Luc. 23. simus dicat, Baptismi, inquiens, sanè vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est *Hodie mecum eris in paradiso*, non leue documentum idem beatus Cyprianus assumit. Quod etiam atque etiam considerans, inuenio non tantùm passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conuersionémque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum: nec quia credidit passus est, sed dum pateretur credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili baptismi sa-

Rom. 10. cramento quod ait Apostolus, *Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem*, in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur inuisibiliter, cùm ministerium baptismi non contemptus religionis, sed

Act. 10. articulus necessitatis excludit. Nam multo magis in Cornelio & in amicis eius, quàm in illo Latrone posset videri superfluum, vt aqua etiam tinguerentur, in quibus iam donum Spiritus sancti, quod nisi bapti-

baptizatos alios accepisse sancta scriptura testatur, certo quoque indicio, quod illis temporibus congruebat, cum linguis loquentibus eminuerat. baptizati sunt tamen, & in hoc facto Apostolica extat auctoritas. Vsque adeò nemo debet, in quolibet prouectu interioris hominis, si fortè ante baptismum vsque ad spiritalem intellectum pio corde profecerit, contemnere sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter adhibetur, sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritaliter operatur. Nec ob aliud existimo baptizandi munus Ioanni fuisse attributum, ita vt Ioannis baptismus diceretur, nisi vt Dominus ipse qui dederat, cùm serui baptismum non spreuisset accipere, dedicaret humilitatis viam, & quanti pendendum esset suum baptisma, quo ipse baptizaturus erat, tali facto apertissimè declararet. Videbat enim, tamquam potentissimus medicus salutis æternæ, quorumdam non defuturum tumorem, qui cùm intellectu veritatis & probabilibus moribus ita profecissent, vt multis baptizatis vita atque doctrina se præponere minimè dubitarent, superuacaneum sibi esse crederent baptizari, quando ad illum mentis habitum se peruenisse sentirent, ad quem multi baptizati adhuc ascendere conarentur. Quid autem valeat & quid agat in homine corporaliter adhibita sanctificatio sacramenti, sine qua tamen latro ille non fuit, quia non eius accipiendæ voluntas defuit, sed non accipiendæ necessitas affuit, difficile est dicere: nisi tamen plurimùm valeret, non serui baptismum Dominus accepisset. Verùm quia per se ipsa consideranda est, excepta salute hominis cui perficiendæ adhibetur, satis indicat, quòd & in malis, & in eis qui sæculo verbis non factis renuntiant, ipsa integra est, cùm illi nisi corrigantur salutem habere non possint. Sicut autem in latrone, quia per necessitatem corporaliter defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritaliter affuit, sic & cùm ipsa præsto est, si per necessitatem desit quod latroni affuit, perficitur salus. Quod traditum tenet vniuersitas Ecclesiæ, cùm paruuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit, quinetiam flendo & vagiendo, cùm in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt, & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari. Et si quisquam quærat in hac re auctoritatem diuinam, quamquam quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissimè creditur, tamen veraciter coniicere possumus, quid valeat in paruulis baptismi sacramentum ex circumcisione carnis, quam prior populus accepit, quam priusquam acciperet iustificatus est Abraham, sicut Cornelius etiam dono Spiritus sancti priusquam baptizaretur ditatus est. Dicit tamen Apostolus de ipso, Abraham signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, qui iam corde crediderat, & deputatum illi erat

[Margin notes: Ibid. c. 23. — Ibid. c. 24. — Genes. 15. — Act. 10. — Rom. 4.]

ad iustitiam. Cur ergo ei præceptum est, vt omnem deinceps infantem masculum octauo die circumcideret, qui nondum poterat corde credere vt ei deputaretur ad iustitiam, nisi quia & ipsum per seipsum sacramentum multum valebat? Quod in filio Moysi per Angelum manifestatum est, qui cùm adhuc incircumcisus à matre ferretur, præsenti & euidenti periculo vt circumcideretur exactum est, & cùm factum esset, depulsa est pernicies. Sicut ergo in Abraham præcessit iustitia fidei, & accessit circumcisio signaculum iustitiæ fidei, ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, & accessit sacramentum regenerationis in lauacro baptismi. Et sicut in Isaac, qui octauo suæ natiuitatis die circumcisus est, præcessit signaculum iustitiæ fidei, & quoniam patris fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa iustitia, cuius signaculum in infante præcesserat, ita in baptizatis infantibus præcedit regenerationis sacramentum, & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conuersio, cuius mysterium præcessit in corpore. Et sicut in illo latrone quod ex baptismi sacramento defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat: sic in infantibus qui baptizati moriuntur eadem gratia omnipotentis implere credenda est, quòd non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideò cùm pro eis alij respondent, vt impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. at si pro eo qui respondere potest alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quod omnes cùm legitur naturaliter mouet, *Ætatem habet, ipse pro se loquatur.* Quibus omnibus rebus ostenditur, aliud esse sacramentum baptismi, aliud conuersionem cordis, sed salutem hominis ex vtroque compleri. nec si vnum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse vt & alterum desit: quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo siue in illo, siue in isto, quod non ex voluntate defuisset. Cùm verò ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem inuolui. Et baptismus quidem potest inesse vbi conuersio cordis defuerit: conuersio autem cordis potest quidem inesse non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest. Neque enim vllo modo dicenda est conuersio cordis ad Deum, cùm Dei sacramentum contemnitur.] Et quia sicut veridica est sententia Saluatoris nostri, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non intrabit in regnum cælorum*, scilicet aut inuisibili gratia cum visibili sacramento, aut inuisibili gratia sine visibili sacramento renatus, ita veridica est eiusdem Saluatoris nostri sententia, qua dicit, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vnde idem beatus Augustinus in sermone ad infantes

Marginal notes: Genes. 17. — Exod. 14. — Exod. 4. — Genes. 21. — Rom. 4. — Ioan. 9. Cap. 25. — Ioan. 3. — Ioan. 6.

ad altare accedentes de Sacramento, Dominus, inquit, Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit, mysterium pacis & vnitatis nostræ in sua mensa consecrauit. qui accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Nulli est aliquatenus ambigendum tunc vnumquemque fidelium corporis sanguinísque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illius panis calicísque consortio, etiam si antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc quod illud sacramentum significat inuenitur.] His autem, qui fortè obeuntes viatici muneris communione reconciliari petierunt, sed impetrare non potuerunt, conuenire posse videtur remedialis sententia eiusdem beati Augustini, quam laudans sensum beati Cypriani de his qui in vnitate Ecclesiæ dormierunt, & idcirco ab Ecclesiæ muneribus non separati credebantur, dicit, Bene quidem præsumpsit quòd caritas vnitatis cooperire posset multitudinem peccatorũ.] Et his concinens B. Ambrosius in libro de morte Valentiniani inter alia dicit, Non habet ergo gratiam quam poposcit? Et quia poposcit, accepit. & vbi illud est, Iustus quacumque morte præuentus fuerit, anima eius in requie erit? Solue igitur, pater sancte, munus seruo tuo, quod Moyses dum in spiritu vidit, accepit, quod Dauid quia ex reuelatione cognouit, emeruit. Solue inquam seruo tuo Valentiniano munus quod concupiuit, munus quod poposcit sanus, robustus, incolumis. Si affectus ægritudine distulisset, tamen non penitus à tua misericordia esset alienus, qui celeritate temporis esset non voluntate fraudatus. Solue ergo seruo tuo munus tuæ gratiæ, quam ille nunquam negauit, qui ante diem mortis templorum priuilegia negauit insurgentibus quos reuereri posset. Adstabat virorum caterua gentilium, supplicabat senatus. non metuebat hominibus displicere, vt tibi soli placeret in Christo. Qui habuit spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? Aut quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc mouet? Ergo nec Martyres si catechumeni fuerint coronentur? Non enim coronãtur, si non initiantur. Quòd si suo abluuntur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas.] Et item idem in eodem libro, Beatus planè qui vel in senectute correxerit errorem. beatus, qui vel sub ictu mortis animum auertit à vitiis. Beati enim, quorum tecta sunt peccata, quia scriptum est, Desine à malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi. Quicumque ergo desierit à peccatis, & fuerit ad meliora in quacumque conuersus ætate, habebit superiorum indulgentiam peccatorum, quæ fuerit vel pœnitendi confessus affectu, vel corrigendi auersatus ingenio.]

Post medium versus finem.

Sap. 4.

Non longè à principio

Psal 36.

Cap. XLVIII. *De iis qui nimis amant ſententiam ſuam vſque ad ſchiſma vel hæreſim.*

Ex his, frater, diligenter attende & perſpicaciter collige, quia licèt ſicut in illo latrone, quod ex baptiſmi ſacramento & communicatione corporis & ſanguinis Chriſti, (quæ ſacramenta antequàm Dominus in crucem aſcenderet ſuis diſcipulis celebranda & ſumenda cunctis fidelibus tradidit) defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non ſuperbia vel contemptu, ſed neceſſitate defuerat, & ſicut paruulis naturali, id eſt alieno peccato obnoxiis, aliorum, id eſt patronorum fides pro eis reſpondentium in baptiſmate fit ad ſalutem, ita paruulis, quibus baptiſmum denegari iuſſiſti, parentum vel patronorum corde credentium, & pro paruulis ſuis fideli verbo baptiſma expetentium, ſed non impetrantium, fides & fidelis poſtulatio prodeſſe potuerit, dono eius, cuius Spiritus quo regeneratio fit vbi vult ſpirat, quia ipſe habet in poteſtate cuius cor gratia ſuæ viſitationis inluſtret, ſicut & in illis duobus, qui inter Septuaginta conſcripti fuerunt à Moyſe, vt ad tabernaculum Domini irent, & propagato eius ſpiritu inter ſeniores computarentur, & remanentes in caſtris prophetauerunt, & ſicut ante baptiſmum in Cornelium & amicos eius ſuperuenit, & ſicut ſecundùm Africanum Concilium, & decreta Leonis, etiam ſigna petentium, & teſtes communionem poſtulantium, proficere ad ſalutem debere legitur, ita eiſdem petentibus, licèt non impetrantibus, communionem, quibus eam denegari iuſſiſti, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, qui poſuit tenebras latibulum ſuum, & cuius miſericordiæ nec modum poſſumus ponere, nec tempora diffinire, dicente Dei Spiritu per prophetam, *Cùm ingemueris, tunc ſaluus eris*, quia apud Dominum miſericordia & copioſa apud eum redemptio, ipſa ex deſiderio fidelis poſtulatio, ſi non præſcientia Dei ex retributione iuſtitiæ fuerunt in maſſa perditionis humani generis relicti ad pœnam, ſed gratia Dei ex eadem maſſa prædeſtinati ad gloriam, prodeſſe valuerit. Tamen tu ſecurus eſſe non potes, ſi aliqui ſine eiſdem ſacramentis per tuam iuſſionem obierunt, vt non diſtrictè inde iudicetur tua malignitas, quod in eis complere valuit omnipotentis benignitas, ſi per dignos pœnitentiæ fructus ac profuſas lacrymas veniam non obtinuerit tibi apud Deum vera humilitas. dicente Leone, & per eum catholica & Apoſtolica Eccleſia, His, inquit, qui in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda, quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confeſſio, dicente Dei Spiritu per prophetam, Cùm ingemueris, tunc ſaluus eris,

Luc. 23. Matth. 26. Num. 11. Eſa. 3. Epiſt. 59 ad Theodorũ. Eſa. 30.

& alibi, Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris, *& iterum*, Quia Esa 43.
apud Dominum misericordia est, & copiosa apud Deum redemptio. Psal.129.
In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantum se gemitus lacrymásque negligere, cùm ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo, Ne fortè det illis Deus pœnitentiam, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem.] & paulo pòst, Verùm, vt dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, vt actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus postulant, negetur. At si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulo antè poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circunstantium prodesse debebunt, vt simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.] Et Gregorius, Pastores Ecclesiæ ei pœnam debent amouere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit.] Et sacri Nicæni canones generaliter omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui manifestè præcipiunt. Tertium capitulum est de his, qui nimis amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad præcidendæ communionis, & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium perueniunt. Vnde idem doctor catholicus ac sollertissimus dicit, Hoc, inquiens, facit sanitas pacis, vt cùm diutiùs aliqua obscuriora quæruntur, & propter inueniendi difficultatem, diuersas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidum perueniatur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris. Et ideo plerumque doctioribus minùs aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis caritas, in qua fructus maior est, comprobetur, vel quomodo teneant vnitatem, cùm in rebus obscurioribus diuersa sentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, cùm contra id quod sentiebant declaratam esse cognoscunt. Quorum duorum manifestatum tenemus vnum in beato Cypriano, id est, quomodo tenuerit vnitatem cum eis à quibus diuersum sentiebat. Ait enim, Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit amouentes. Alterum autem, id est, quomodo accipere potuerit veritatem contra id quod sentiebat inuentam, & si litteræ tacent, merita clamant, si epistola non inuenitur, corona testatur, si Concilium non iudicat Episcoporum, consortium indicat Angelorum. Non enim paruum documentum est pacatissimæ animæ, in ea vnitate martyrium meruisse, vnde se diuersum sentiens noluit separare. Homines enim sumus. Vnde aliquid aliter sapere quàm se res habet, humana tentatio est: nimis autem amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad præcidendæ communionis & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium peruenire, diabolica præsumptio est: in nullo autem ali-

[Margin notes: 2.Tim.2. (beside "Apostolo, Ne fortè…"); Can 13. (beside "Et sacri Nicæni canones"); August.lib. 2.de bapt. cap.4. (beside "Hoc, inquiens…"); Cap.5. (beside "Et ideo plerumque")]

ter ſapere quàm ſe res habet, angelica perfectio eſt. Quia itaque homines ſumus, ſed ſpe Angeli ſumus, quibus æquales in reſurrectione futuri ſumus, quamdiu non habemus perfectionem Angeli, non habeamus præſumptionem diaboli. Ideò dicit Apoſtolus, *Tentatio vos non apprehendat, niſi humana.* Humanum eſt ergo aliquid aliter ſapere. Propterea dicit alio loco, *Quotquot ergo perfecti hoc ſapiamus. Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit.* Quibus autem reuelat cùm voluerit, ſiue in hac vita, ſiue poſt hanc vitam, niſi ambulantibus in viam pacis, & in nullam præciſionem deuiantibus? Non quales iſti ſunt, qui viam pacis non agnouerunt, nec propter aliud vnitatis vinculum diruperunt. Ideóque Apoſtolus cùm dixiſſet, Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelauit, ne putarent præter viam pacis quod aliter ſapiebant ſibi poſſe reuelari, continuò addidit, Verumtamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. In quo ambulans Cyprianus perſeuerantiſſima tolerantia, ne fuſo ſanguine, ſed in vnitate non fuſo, quia ſi traderet corpus ſuum vt arderet, & non haberet caritatem, nihil ei prodeſſet, per martyrij confeſſionem peruenit ad Angelicam lucem: vt ſi non anteà, ibi certè reuelatum agnoſceret, quod cùm aliter ſaperet, ſententiam diuerſæ opinionis vinculo non præpoſuit vnitatis.] Quod autem adiungit Cyprianus & dicit, Non tamen quia aliquando erratum eſt, ideò ſemper errandum eſt, cùm magis ſapientibus & Deum timentibus congruat, patefactæ & perſpectæ veritati libenter atque incunctanter obſequi, quàm pertinaciter atque obſtinatè contra fratres & conſacerdotes pro hæreticis reluctari, veriſſimè dicit, nec alteri potiùs quàm ſibi aduerſatur qui reſiſtit apertiſſimæ veritati. Primatus autem non eſt niſi in ſancta conuerſatione & vita bona, quò pertinent omnes, ex quibus tamquam membris conſtat illa ſponſa non habens maculam neque rugam, & illa columba inter multorum coruorum improbitatem gemens. Niſi fortè cùm Eſau propter lenticulæ concupiſcentiam primatum perdiderit, tenere primatum arbitrandi ſunt fraudatores, raptores, fœneratores, inuidi, ebrioſi, & ceteri huiuſmodi, quales in Eccleſia ſui temporis etiam per litteras Cyprianus ingemuit. Quapropter aut quod eſt tenere Eccleſiam, non hoc eſt in diuinis tenere primatum, aut ſi omnis qui tenet Eccleſiam, etiam primatum tenet, omnes illi iniqui Eccleſiam non tenent, qui tamen intus videntur, & baptiſmum dare & habere à nullo noſtrûm negantur. Nam eos primatum in diuinis habere quis dicat, niſi qui nihil diuinum ſapit?] Et foris quidem, id eſt, in hæreſi vel ſchiſmate, nec ligari aliquid poteſt nec ſolui, vbi non ſit qui aut ligare poſſit aut ſoluere. Sed ſoluitur qui cum columba fecerit pacem, & ligatur qui cum columba non habet pacem, ſiue apertè foris ſit, ſiue intus eſſe videatur. Dathan verò & Abiron, qui ſibi ſacrificandi licentiam vſurpare conati ſunt contra vnitatem populi Dei, & filij

Matth. 22. 1. Cor. 10. Philip. 3. Epheſ. 4. 1. Cor. 13. Lib. 5. de bapt. c. 3. Num. 16.

Aaron, qui alienum ignem altari imposuerunt, nouimus quòd impunè non fecerint: nec nos alia scelera dicimus impunita remanere, nisi se tales correxerint, si patientia Dei ad pœnitentiam adducens tempus corrigendi largitur. Spiritus autem sanctus, qui in sola catholica per manus impositionem dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores nostri voluerunt quod Apostolus ait, *Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Ipse est enim caritas, quam non habent qui ab Ecclesiæ catholicæ communione præcisi sunt, ac per hoc etiam si linguis hominum & Angelorum loquantur, si sciant omnia sacramenta, & omnem scientiam, & si habeant omnem prophetiam & omnem fidem, ita vt montes transferant, & distribuant omnia sua pauperibus, & tradant corpus suum vt ardeant, nihil eis prodest. Non autem habet Dei caritatem, qui Ecclesiæ non diligit vnitatem: ac per hoc rectè intelligitur dici, non accipi nisi in catholica Spiritus sanctus. Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut anteà dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt in quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed inuisibiliter & latenter intelligitur pro vinculo pacis eorum cordibus diuina caritas inspirari, vt possint dicere, Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Multæ autem sunt operationes Spiritus sancti, quas idem Apostolus, cùm quodam loco quantum sufficere arbitratus est commemorasset, ita conclusit, *Omnia autem hæc operatur vnus atque idem Spiritus diuidens vnicuique prout vult.* Cùm ergo aliud sit sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio spiritus, quæ in malis etiam hominibus fieri solet, sicut Saul habuit prophetiam. aliud operatio eiusdem spiritus, quam non nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quodlibet hæretici & schismatici accipiant, caritas quæ cooperit multitudinem peccatorum, proprium donum est catholicæ vnitatis & pacis, nec est in omnibus, quia nec eius sunt omnes, sicut suo loco videbimus. Præter ipsam tamen esse illa caritas non potest, sine qua cetera etiamsi agnosci & approbari possunt, prodesse tamen & liberare non possunt.] Et sanctus Gregorius in libro Moralium, Conflationis ignis, qui extra catholicam toleratur Ecclesiam, quàm nullius omninò virtutis sit, Paulus Apostolus insinuat dicens, *Si tradidero corpus meum vt ardeat, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Alij quippe praua de Deo sentiunt, alij recta de auctore tenent, sed vnitatem cum fratribus non tenent: illi errore fidei, isti verò schismatis perpetratione diuisi sunt. Vnde & in ipsa prima

Aug. lib. 3. de bap. c. 16
Rom. 5.
Act. 8.
Rom. 5.
1 Cor. 12.
Act. 8.
1. Reg. 19.
1. Tim. 1.
1. Petr. 4.
Lib. 18. c. 14
1. Cor. 13.

parte Decalogi vtrarumque partium culpæ reprimuntur, cùm diui-
Deut. 6. na voce dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*, atque mox subditur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Qui enim de Deo peruersa sentit, liquet profectò quia Deum non diligit. Qui verò de Deo recta sentiens à sanctæ Ecclesiæ vnitate diuisus est, constat quia proximum non amat, quem habere socium recusat. Quisquis ergo ab hac vnitate matris Ecclesiæ, siue per hæresim de Deo peruersa sentiendo, seu errore schismatis proximum non diligendo, diuiditur, caritatis huius gratia priuatur, de qua hoc quod præmisimus Paulus dicit, *Si tradidero*
1. Cor. 13. *corpus meum vt ardeat, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* ac si aperta voce diceret, extra locum suum conflationis mihi ignis adhibitus tormento me cruciat, mundatione non purgat. Hunc omnes sanctæ pacis amatores summo studio locum quærunt, hunc quærentes inueniunt, hunc inuenientes tenent, scientes peccatorum remissio, vel vbi, vel quando, vel qualibus detur. Vbi quippe, nisi in catholicæ matris sinu? Quando, nisi ante venturi exitus diem? quia ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Et, Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum propè est. Qualibus, nisi conuersis, qui ad paruulorum imitationem magistra hu-
2. Cor. 6. militate formantur. quibus dicitur, *Sinite paruulos venire ad me: talium*
Esa. 55. *est enim regnum cælorum.* &, *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*] Et in decretis Apostolicæ sedis, quando Vigilius ex Apostolico, post multa & terribilia præstita sacramenta in hæresim lapsus Constantinopoli detinebatur, ab Ecclesiæ Romanæ catholicis clericis Ioanni schismatico presbytero directis, quæ ipsa sancta Romana Ecclesia inter catholicas regulas retinet, inter alia scriptum est, Sic semper habuit omnis Ecclesia, quia qui in vna communione consentiunt, vno dogmate, vna caritate, vno tenentur assensu. Sicut enim communio & ex omnibus offerentibus vna fit, & vna redit in omnibus, non parte corporea, sed virtute diuina: sic vnanimitas per omnes illic communicantes excurrit. Nam si non est vnius consensionis signum vna communio, quid erit quod ad confitendam per omnem Ecclesiæ consonantiam
Matth. 19. mysticè celebretur? Nec nobis iam dicas, Ergo si criminosus sit sacerdos, crimen redundat in populos. Aliud est enim quod committitur, aliud quod etiam prædicatur. Priuatum est quod ab vnoquo-
Matth. 18. que committitur: commune verò fit Ecclesiæ quod publicè prædicatur, tantorúmque sacerdotum manu subscribitur. Et sicut tu absolui non potes si contraria ore prædices, contraria vno eodémque tempore manu subscribas, sic ipsa omnium vestrûm collectio absolui non potest si contraria dicat & contraria faciat, id est, si communicet sacerdoti, à cuius prædicatione & subscriptione dissentit. Sicut enim os tuum & manus tua vnius eiusdémque
cor-

corporis membra ſunt, ita vnius eiuſdémque Eccleſiæ membra ſunt ſacerdotes & populus, ſiue cum catholicis catholicus, ſiue cum non fidelibus infidelis. Inde eſt enim quòd à Domino in finem ſæculi colligi iubentur zizania & alligari faſciculos ad comburendum. Matth.13. Hinc eſt quòd ſancto propheta Ezechiele teſtante, *Si ſacerdos non diſtinxerit populo, ipſe quidem populus in ſuo peccato morietur, animam tamen eius de manu ſacerdotis inquirit*, Ezec.3. non ait, quia extra peccatum populus eſt non morietur, ſed quia in ſuo peccato morietur, ſed populus quidem pro ſeipſo tantùm, ſacerdos verò etiam pro populo. Hinc eſt, *Si cæco cæcus ducatum præbeat*, non ipſe qui ducatum præbet ſolus, ſed *ambo in foueam cadunt.* Matth.15. Et item in eiſdem decretis, Schiſmaticus enim & hæreticus populus ſchiſmatico & hæretico ſacerdoti communicans, ſicut vniuerſa Dei ſemper tenuit & tenet Eccleſia, ſchiſmaticus & hæreticus in regnum Dei intrare non poſſunt, ſed pars eius eſt in gehenna. Ceſſa igitur talia prædicare, quæ ſcelus ſit cogitare. ceſſa vaſtare gregem Chriſti, ne ſicut & ipſe negare non potes, ſuper tuum caput ſit illius populi vniuerſi perditio. Quod quidem tibi perfectæ damnationis eſt cauſa, illos verò abſoluere omnino non poterit. Et item ibi, quod & in alio loco iſtius ipſius opuſculi poſui, Quiſquis aſſentit principi ſchiſmatis, ſchiſmaticus eſſe negare non poterit. Quòd ſi & omnes ſacerdotes & mundus aſſentiat, damnatio conſentientes inuoluit, non præuaricationem conſenſus abſoluit. Non enim crimen minuitur ſed accreſcit, cùm generale fit ex priuato. Hoc enim Deus omnium indicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit. Sed quid miſeri facietis, quia qui illum & prædixit & fecit, ipſe ignis diluuium nunc minatur, ipſe gehennæ ſine fine tormenta? Sicut enim iuſtos in æternam vitam prædixit ituros, ſic impios æterno damnandos interitu, vt ſicut non poteſt finiri beatitudo iuſtorum, ſic nec impiorum tormenta finiantur. Hæc hæreticis ſchiſmaticiſque ſunt. & quia quicquid nunc gerit Eccleſia, myſticè typus eſt futurorum, ſi guſtabunt de pane cæleſti, id eſt, de ſuauitate diuina gehennæ participes, damnatio eſt ſchiſmaticis & hæreticis corporis Chriſti communio. Et ſanctus Auguſtinus in Epiſtola Concilij Africani ad Donatiſtas, Auguſt. epiſt.152. Quiſquis, inquit, à catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere quòd à Chriſti vnitate diſiunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Quiſquis autem in hac Eccleſia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia vnuſquiſque in ea proprium portabit, ſicut Apoſtolus dicit, & Quicumque in ea corpus Chriſti manducauerit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. 1.Cor.11. Cùm enim dicit *iudicium ſibi manducat*, ſatis oſtendit quia non alteri iudicium manducat, ſed ſibi: quia communio malorum non maculat aliquem participatione ſacramentorum, ſed conſenſione factorum. Nam ſi

in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam & personam suam, nec præiudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis.] Et Prosper in libro Sententiarum, Escam vitæ accipit, æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.] Audis, frater, quia nimis amando quis sententiam suam, vel inuidendo melioribus, ad sacrilegium schismatis peruenit. audis, quia non in schismate, nec nisi in vnitate Ecclesiæ est primatus. audis, quia non in schismate, & non nisi in Ecclesiæ vnitate vera sunt ligamenta, in qua vera & ad salutem pertinentia sunt sacramenta. audis quia non in schismate, & non nisi in vnitate Ecclesiæ datur vel accipitur Spiritus sanctus, per quem diffunditur caritas in cordibus nostris. audis quia illis, qui non sunt in vnitate pacis Ecclesiasticæ, si gustant de pane cælesti, est perfecta damnatio corporis Christi communicatio. Depone ergo tumorem cordis tui, & pertinaciam contumacis animi tui: & nimium amando sententiam tuam noli te præcidere ab illa caritatis compage, in qua omnia sacramenta Ecclesiastica catholicè percepisti, & in qua idcirco es ordinatus Episcopus, vt in ea permaneres, & alios in ea permanere fide & operibus, exemplis & verbis doceres. Denique vnde oriantur schismata, idem catholicus doctor dicit, Origo & pertinacia schismatis nulla est alia, nisi odium fratris. & Ecclesia non priùs carnales, vel animales, & postea spiritales habuit, sed in ipsa sorte mortalitatis nostræ, ex quo de Adam nascimur, non est priùs quod spiritale, sed quod animale, postea spiritale. Ex ipso autem animali sensu, quia homo animalis non percipit quæ sunt spiritus Dei, omnes dissensiones & schismata generantur. In quo sensu perseuerantes Apostolus dicit ad vetus testamentum pertinere, id est, ad terrenorum promissorum cupiditatem; in quibus quidem spiritalia figurantur, sed animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. Quocumque ergo tempore tales homines esse cœperint in hac vita, iam diuinis pro sæculorum distributione sacramentis imbuti, adhuc tamen carnaliter sapiunt, & carnalia de Deo siue in hac vita, siue post hanc vitam sperent atque desiderent, animales sunt.] Et item ex verbis beati Cypriani, vt partim & suprà scripsi, quod tibi necessarium est replicari, dicit, Ignosci enim potest simpliciter erranti, sicut de seipso dicit Apostolus Paulus, *Qui primùm fui blasphemus, & persecutor, & iniuriosus, sed misericordiam merui, quia ignorans feci.* Post inspirationem verò & reuelationem factam, qui in eo quod errauerat perseuerat, prudens & sciens sine venia ignorantiæ peccat. Præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cùm ratione superetur.] Hinc Augustinus, Hoc verissimum

August de bapt. lib. 1. cap. 11. & cap. 15.

Cyprian. epist. 65. ad Antonianũ. 1. Tim. 1.

August. de bapt. lib. 4. cap 5.

eſt, longè grauius eſſe peccatum eius qui ſciens, quàm eius qui neſciens peccauerit. Et ideo vir ſanctus Cyprianus, non ſolùm doctus, ſed etiam docibilis, quòd in laude Epiſcopi tamen deſignat Apoſtolus, ſic ipſe intellexit vt diceret, etiam hoc in Epiſcopo eſſe diligendum, non ſolùm vt ſcienter doceat, ſed etiam patienter diſcat.] Docibilis autem ille eſt, qui eſt ad diſcendi patientiam lenis & mitis. Oportet enim Epiſcopos non tantùm docere, ſed & diſcere: quia & ille meliùs docet, qui quotidie creſcit & proficit diſcendo meliora. His vtique verbis ſatis indicat vir ſanctus, & pia caritate præditus, non eſſe metuendum ſic eius epiſtolas legere, vt ſi quid poſtea pluribus & diuturnioribus inquiſitionibus compertum Eccleſia confirmauit, non ambigamus quia ſicut multa erant quæ doctus Cyprianus doceret, ſic erat & aliquid quod Cyprianus docibilis diſceret.] Hæc, frater, auribus percipe, & mente intellige, & non dedigneris cum Cypriano & Auguſtino, Apoſtolo præcipiente, docibilis eſſe Epiſcopus, & quia ſi perſeuerare in obſtinatione & præſumptione tua delegeris cùm ratione ſupereris, prudens & ſciens ſine venia ignorantiæ peccabis. Hinc enim Pſalmus dicit, *Deſcendant in infernum viuentes*, id eſt, labantur in peccatum ſcientes. Vnde Leo ad Conſtantinopolitanos ſcribit dicens, Nam ſi vix in laicis tolerabilis videtur inſcitia, tanto magis in eis qui præſunt nec excuſatio eſt digna nec venia: maximè cùm etiam defendere peruerſarum opinionum commenta præſumunt, & in conſenſum ſuum, aut terrore, aut gratia inſanabiles quoſque traducunt. Separentur huiuſmodi à ſanis membris corporis Chriſti, neque ſibi catholica libertas infidelium iugum patiatur imponi.] Reuoca ergo te à pertinacia tua, quoniam illi, quos in conuenticulis tuis ad tecum ſubſcribendum pellexiſti vel coegiſti, habent quidem excuſationem, quoniam aut captiuas manus ſine cordis conſenſione timori dederunt, aut ignorantes quid agerent, palliata ſuaſione tua de vinculo pacis & communione pacis tuæ conſenſu etiam deliquerunt, aut fortè ſcientes & illi & iſti quiddam tibi exinde ſuggerere auſi non fuerunt. Vnde beatus Gregorius, Nemo, inquit, ampliùs in Eccleſia nocet, quàm qui peruerſè agens nomen vel ordinem ſanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præſumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur, quibus eſt facilior venia, quoniam ineſt eis & leuior culpa.] Nam de his qui per ignorantiam peccauerunt traducti, ſanctus Auguſtinus in ſuprà memorato opere dicit, Si quem fortè, inquiens, coegerit extrema neceſſitas, vbi catholicum per quem accipiat non inuenerit, & in animo pace catholica cuſtodita, per aliquem extra vnitatem catholicam poſitum acceperit quod erat in ipſa catholica vnitate accepturus, ſi ſtatim etiam de hac vita emigrauerit, non eum niſi catholicum deputamus. Si au-

Pſal. 54.

Epiſt. xxv.

Lib. I. de bapt. c. 2.

tem fuerit à corporali morte liberatus, cùm catholicæ congregationi etiam præsentia corporali reddiderit, vnde nunquam corde discesserat, non solùm non improbamus quod fecit, sed etiam securissimè verissiméque laudamus, quia præsentem Deum credidit cordi suo, vbi vnitatem seruabat.] De his autem qui scienter, sed causa timoris vel fauoris, in hanc transgressionem ierunt, Leo ad Pulcheriam
Epist.LIII. Augustam scribit, Sic vtimur iustitia commotionis, vt non amittamus remedia caritatis. quod sicut pietas vestra cognoscit non verbis solis promittitur, sed etiam factis docetur. Siquidem penè omnes, qui in consensum præsidentium, in illo Ephesino, non iudicio sed latrocinio, aut traducti fuerant, aut coacti, rescindendo quod statuerant, & condemnando quod scripserant, perpetuam culpæ abolitionem & Apostolicæ pacis gratiam sint adepti.] Et in epistola ad Anatolium,
Ep.XLII. Neque enim potest in aliquo benignitas nostra reprehendi, cùm satisfacientes recipimus, quos doluimus esse deceptos. Nec asperè igitur communionis nostræ gratia deneganda est, nec temerè largienda: quia sicut plenum pietatis est oppressis caritatem dominicam redhibere, ita iustum est omnia perturbationis auctoribus imputari.] Audite igitur & tu & illi, quos traduxisti, vel ad tecum subscribendum coegisti, admonitionem beati Augustini, qua eos de illis alloquens qui se ab vnanimitate fraterna disciderunt,
Lib.2 de bapt.c.10. admonuit dicens, Videant, inquit, nihil sibi remansisse quod dicant, sed tamen remansisse quod faciant, vt pro factis eorum præteritis sacrificium dilectionis offeratur placabili Deo, cuius vnitatem nefario scelere diruperunt, cuius sacramentis tam diuturnas iniurias irrogarunt. Misericors est enim & miserator Dominus, longanimis, & multùm misericors, & verax. Amplectantur in præsenti vita misericordem & longanimem, & timeant in futura veracem. Non vult enim mortem impij, quantum vt reuertatur & viuat, quia sententiā inflectit aduersus iniurias irrogatas. Hæc est nostra exhortatio. Propter hoc eos habemus inimicos, quia vera dicimus, quia tacere metuimus, quia
Cap.11. cessare ab instantia quanta possumus formidamus, quia obtemperamus
2.Tim.4. Apostolo dicenti, *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue,*
Ioan.12. *hortare, increpa*, sed sicut Euangelium loquitur, *Diligunt gloriam hominum magis quàm Dei*, & reprehendi ad tempus timent, damnari in sempiternum non timent. Vident etiam ipsi quid mali faciant, vident non esse quid omnino respondeant, sed nebulas imperitis ostendunt, cùm ipsi viui sorbeantur, id est, scientes & agnoscentes intereant. Vident horrere homines & grauiter detestari, quòd etiam se ipsi in multa schismata diuiserunt, & maximè in capite Africæ & notissima ciuitate Carthagine, conati sunt resarcire dedecus pannorum suorum, putantes quòd possent Maximianistas auferre.] Et post aliqua. Vrget
Ibid.c.12 & 13. eos vndique veritas, vidēt se non habere quid respondeant, & putant se non habere quid faciant: quid loquantur non inueniūt, tacere non per-

mittuntur. malunt peruersis vocibus veritati reluctari, quàm confessis erroribus paci restitui. Quis autem non intelligat quid in corde suo possint dicere? Quid ergo facimus, inquiunt, de his quos iam rebaptizauimus? Et vos, Quid ergo faciemus de his quos iam traduximus, vel quid faciemus qui traducti sumus? Respondetur, Redite cum eis ad Ecclesiam, videlicet ad vnanimitatem fraternam: medicamento pacis offerte curandos quos vulnerastis, vitæ caritatis offerte suscitandos quos occidistis. Multum valet ad propitiandum Deum fraterna concordia. *Si duobus ex vobis*, ait Dominus, *conuenerit super terram, quicquid petieritis fiet vobis.* Si duobus hominibus, quanto magis duobus populis? Simul nos Domino prosternamus, participamini nobiscum vnanimitatem, participemur vobiscum dolorem, & caritas cooperiet multitudinem peccatorum.] Et beatus Gregorius in Homilia Ezechielis dicit, Perfectorum semper & virtutes & lacrymas ante mentis nostræ oculos ponamus, imitemur quæ in illis adspicimus, vt dum cœperimus per incrementa crescere, possimus ab illo districto examine mala quæ fecimus velare. In assiduis enim fletibus, in cotidiana nostra pœnitentia, habemus sacerdotem in cælis qui interpellat pro nobis, de quo etiam per Ioannem dicitur, *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ecce exultat animus, cùm aduocati nostri potentiam audimus. sed exultationem nostram iterum remordet timor, quia ipse qui nobis aduocatus est dicitur iustus. Nos enim causas iniustitiæ habemus. Iustus verò aduocatus iniustas causas nullomodo suscipit, nec verba dare pro iniustitia consentit. Quid ergo agimus carissimi fratres mei? Sed ecce occurrit animo quid agamus. Mala quæ fecimus, & deseramus, & accusemus. Scriptum est, *Iustus in principio accusator est suî.* Quilibet enim peccator conuersus in fletibus iam iustus esse inchoat cùm cœperit accusare quod fecit. Cur enim iustus non sit qui contra suam iniustitiam iam per lacrymas sæuit? Iustus igitur aduocatus noster iustos nos defendit in iudicio, quia & nosmetipsos & cognoscimus & accusamus iniustos. Non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in aduocati nostri allegatione confidamus.] Timeamus quod scriptum est, Filius malus ipse se iustum dicit, exitum autem suum non abluit, hoc est, vt Augustinus dicit, non excusat, non diluit, non defendit. Noli ergo, frater, te conuertere, post auditas tot sacras auctoritates, & admonitiones, ac salubria tibi porrecta consilia, ad excusandas excusationes in peccatis, atque ad contumacem defensionem, cùm nemo quærat tuam damnationem, sed tuam correctionem, & coram Deo & hominibus saluationem. Et hæc legens, quæ tibi paterna deuotione scribo, cum his etiam B. Gregorij non prolixam verborum numero, sed maximam ac pretiosam intelligentia in mentis arcano reconde sententiam, qua dicit, In verbis, inquiens, sacri eloquij iste debet

Matth.18.
Hom.7.in fine.
1.Ioan.2.
Prou.18.

studij nostri ordo seruari, vt hæc ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti, cognoscentes mala quæ fecimus, vitemus ne alia faciamus, & cùm iam ex magno vsu lacrymarum, de peccatorum remissione cœperit esse fiducia, per verba Dei quæ intelligimus, ad vitam quoque & alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt, vt & nobis prosint, & intentione spiritali aliis conferantur.]

CAP. XLIX. *Admonetur vt talentum intellectus, quod Dominus sibi gratuitò dedit, non negligat.*

AVDIAMVS & obaudiamus beatum Apostolum secum nos ad-
Gal. 5. monentem, *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem inuidentes, inuicem prouocantes.* & iterum nobis dicit,
Ephes. 5. *Videte quomodo cautè ambuletis, non vt insipientes, sed vt sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*
Gal. 6. &, *Subiecti estote inuicem in timore Christi.* &, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*
Rom. 12. &, *Honore inuicem præuenientes.* Dic frater ac fili, quid aliud à te exegi, postquam Episcopus factus es, & diuitias terrenas adeptus es, nisi vt Deum haberes placabilem, & episcopaliter viuens, & episcopalem habitudinem gerens, te hominibus faceres venerabilem? & pro quibus me contra te commoui, nisi quia talem coram Deo ad salutem, & coram sæculo ad honorem episcopali grauitati & ordini debitum esse cupiebam, & esse commonebam? & tibi hoc esse graue videbam: Et hoc quidem tibi graue hactenus esse potuit, & propter ætatem, & quia sæculi huius instabilitatem, ac quàm mutabile
Rom. 13. & fragile sit, eatenus non cognouisti. Nunc autem hora est iam nos de somno surgere. Et non debemus esse semper iuuenes, sicut bos malus semper est vitulus. Debemus ante oculos mentis neglecta reducere, & de pristinis erubescere, sicut egregius prædicator nos admonens
Rom. 6. dicit, *Quem fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis?* Et debemus certare, *vt fructum nostrum habeamus in sanctificatione, finem verò vitam æternam.* Et si, frater & fili, me non vis aut dedignaris audire, audi & obaudi ipsum beatum Paulum Apostolum Timotheum spiritalem filium suum, quem iuuenem Episcopum ordinauerat, admo-
1 Tim. 4. 7. nentem, Exerce, inquit, teipsum ad pietatem. nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, & impositionem manuum presbyterij. hoc enim faciens, teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.] Sin autem time, frater ac fili, quod terribiliter Dominus dicit ei qui vnum talentum acceperat, & abiens fodit
Matth. 25. in terram, & abscondit pecuniam domini sui, *Serue male & piger, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non spargo*, & reliqua.

Talentum quippe in terra abſcondere, eſt acceptum ingenium in terrenis actibus implicare, lucrum ſpiritale non quærere, cor à terrenis deſideriis nunquam leuare. Sunt namque, vt beatus dicit Gregorius, nonnulli, qui donum intelligentiæ perceperunt, ſed tamen ſola quæ carnis ſunt ſapiunt, de quibus per prophetam dicitur, Sapientes ſunt vt faciant mala, bene autem neſciunt facere: ſed Dominus qui talenta contulit, rationem poſiturus redit: quia is qui nunc ſpiritalia dona diſtribuit, diſtrictè in iudicio merita exquirit, quid quiſquis accepit conſiderat, & quod lucrum de acceptis reportet, penſat.] Conſidera ergo quæ ſine tuo merito in talento intelligentiæ accepiſti, & vide ne in terra illud abſcondas, & quod Deus longè faciat à te, inde ab illo damneris. Greg. hom. in Euang. Hier. 4.

CAP. L. *De eo quòd dicitur ferre non poſſe, vt quiſquam dicatur ei bonum aliquod ſine ipſius merito exhibuiſſe.*

DENIQVE dicitur à quibuſdam, quòd portare patienter non poſſis, vt tibi à quoquam dicatur, quòd quiſquam tibi bonum aliquod ſine tuo merito exhibuerit. Hæc namque qualitas animi non de humilitate, ſed de ſuperbia manifeſtè deſcendit. Ait enim Apoſtolus, *Quid enim habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis*? Hæc enim & Domini conſuetudo, & ſanctorum eius in ſcripturis legitur eſſe, vt cùm non recognoſcimus à quo bona accepimus, & aut bonis factis malis operibus reſpondemus, aut ingrati exiſtimus, oſtendantur bona quæ nobis impenſa ſunt, quatenus illa recognoſcentes, de malis noſtris & de bonorum ingratitudine erubeſcamus, & ad bona reparanda, & ad gratias referendas conuertamur. Sic enim Dominus agere in ſcripturis ſæpiſſimè legitur, vt de pluribus pauca numero ſed non merito ad medium deuocemus. Ait enim ad peculiarem populum ſuum, *Popule meus quid moleſtus fui tibi? Oſtende mihi. Adduxi vos per deſertum quadraginta annis, non ſunt attrita veſtimenta veſtra, manna de cælo plui vobis, & obliti eſtis me?* Et ad Dauid dilectum ſeruum ſuum, de quo dicit, *Inueni Dauid ſeruum meum, qui facit omnes voluntates meas. Ego*, inquit, *te tuli de domo patris tui, & poſui te paſcere gregem populi mei, & fui tecum in omnibus vbicumque ambulaſti, firmans regnum tuum in æternum.* Et alia plurima quæ illi improperat, quoniam poſt multiplicia dona grauiter in eum ſine reſpectu peccauerat. Lege epiſtolas Pauli ad Corinthios, & ad Galatas, & hinc ſufficienter inuenies. Nam quatuor legimus ſpecies arrogantium, cùm aut bonum ſe putant à ſe habere quod habent, aut pro meritis ſuis ſe habere quod habent, aut ſingulariter ſe habere quod habent, aut præ cæteris ſe habere quod habent. Ab his omnibus cor tuum cuſtodi, iuxta quod ſcriptum eſt: *Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo vita procedit.* 1. Cor. 4. Mich. 6. 2. Reg. 7. Prou. 4.

CAP. LI. *De exeniis, quæ à clericis & laicis exigere dicebatur.*

DICITVR & à multis, quòd & clericos & laicos tibi commissos in multis exeniis per diuersas occasiones graues, quod sanctus Leo Papa non Christianæ deuotioni, minimè autem Episcopali religioni conuenire ostendens, dicit, Sicut, inquit, prælatus non vult grauis oneris sarcinam ferre, ita non audeat aliis importabile pondus imponere. Discipuli enim sumus humilis & mitis magistri dicentis, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Qui humilis & mitis magister iterum de graui & importabili prælato dicit, *Si dixerit*, inquiens, *malus ille seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriis, veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis.* Hinc beatus dicit Gregorius, Inter hypocritas enim iure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ, ministerium regiminis vertit in vsum dominationis.] Et beatus Apostolus Paulus vetat, *non percussorem esse Episcopum.* Non quidem qui non percutiat pugnis subditos, sed qui non percutiat actis & dictis suis conscientiam subiectorum, quos per prophetam Dominus redarguit, *Qui percutiunt pugno impiè.* Audiendum ergo nobis est prælatis quod per quendam sapientem dicitur, *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis.* &, *diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Timere etiam debemus, ne prælatio & honores, quos in isto sæculo habemus, si aliquid boni sumus, retributio nobis fiat, & à retributione iustorum alienos efficiat. Vnde Abrahæ voce ardenti diuiti dicitur, *Memento fili, quia recepisti bona in vita tua.* Idcircò enim bona hîc recepit & malus, vt illic pleniùs mala reciperet, quoniam hîc fuerat nec per bona conuersus: quia cùm largientem Deum humana mens boni operis responsione non sequitur, vnde nutrita piè creditur, iustiùs inde damnatur. Hinc enim per Psalmistam dicitur, *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Quoniam videlicet reprobi, cùm recta opera diuinis muneribus non rependunt, cùm totos se hîc deserunt, & affluentibus prosperitatibus dimittunt, vnde exteriùs proficiunt, inde ab intimis cadunt. A multis enim dicitur, quòd vix pauci, aut potiùs nulli apud te quiddam beneficij, nisi præmij datione præualent obtinere. quod satis supérque sanctarum scripturarum auctoritati contrarium, & canonum est sacrorum decretis aduersum, vt res & facultates Ecclesiasticas, quas in ordinatione Episcopali ad regendum & regulariter dispensandum sine pretio suscepisti, ad turpis lucri præmium in beneficium dones, cùm Paulus Apostolus Tito describens qualis debeat esse Episcopus, inter alia dicat, *Oportet*, inquiens, *Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum,*

Epist. 84. ad Anastas. — Matth. 11. — Matth. 24. — Pastor. 11. cap. 6. — 1. Tim. 3. & Tit. 1. — Esa. 58. — Eccles. 32. — Psal. 61. — Luc. 16. — Psal. 72. — Tit. 1.

non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum. Tit.1.5.
Et item idem dicit, *Auaritia quæ est idolorum seruitus.* &, *Radix omnium malorum cupiditas.* Ephes.5.5. 1.Tim.6.10 Et sacri Carthaginenses canones, Omninò, Can.5. inquiunt, cuiquam clericorum non liceat de qualibet re fœnus accipere. & paulo pòst, Proinde quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in clericis prædamnari. Vniuersum Concilium dixit, Nemo contra Prophetas, nemo contra Euangelia facit sine periculo.] Et Nicænum Concilium, quod sæpè & in aliis inuenitur canonibus, more suo plures causas vno comprehendens capitulo, hinc cum aliis conclusiuè dicit, Quoniam multi sub regula constituti Can.17. auaritiam & turpia lucra sectantur, iustè censuit sancta & magna Synodus, vt si quisque inuentus fuerit ex adinuentione aliqua vel quolibet modo negotium transigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, deiiciatur à clero, & alienus existat à regula.] Et Leo in epistola ad vniuersos Episcopos per vniuersas pro- Epist.1. uincias constitutos, Illud, inquit, duximus præmonendum, vt sicut non suo, ita non alieno nomine, aliquis clericorum exercere fœnus attentet. Indecens enim est, crimen suum commodis alienis impendere, Fœnus autem hoc solùm adspicere & exercere debemus, vt quod hîc misericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multipliciter, & in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus. Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quòd si quis fratrum contra hæc constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio summouendum, nec eum communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius noluit esse disciplinæ.] Et Dominus in Euangelio, *Esuriui,* inquit, *& non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi bibere: hospes eram & non collegistis me, nudus & non cooperuistis me, infirmus & in carcere, & non visitastis me.* Matth.25. 41. Quibus etiam præmittit dicens, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius.* Ecce nequaquam audiunt quia rapinas vel quælibet alia violenta commiserunt, & tamen æternis gehennæ ignibus mancipantur. Hinc ergo colligendum est, quanta damnatione plectendi sunt qui aliena rapiunt, si tanta animaduersione feriuntur, qui sua indiscretè tenuerunt. Perpendant quo eos obliget reatu res rapta, si tali subiicit pœnæ non tradita. Perpendant quod meretur iniustitia inlata, si tanta percussione digna est pietas non impensa. Cùm aliena rapere intendunt, audiant quod scriptum est, *Væ ei qui multiplicat non sua, vsquequò & adgrauat contra se densum lutum?* Habac.2.6. Auaro quippe densum lutum contra se adgrauare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Cùm multiplicare largæ habitationis spatia cupiunt, audiant quod scriptum est, *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci: numquid habitabitis soli vos in medio terræ?* Esa.5.8. ac si apertè diceret, Quo usque vos extenditis, qui non habere in cōmuni mundo consortes mi-

nimè poteſtis? Coniunctos quidem premitis, ſed contra quos vos valeatis extendere ſemper inuenitis. Cùm augendis pecuniis inhiant, audiant quod ſcriptum eſt, *Auarus non impletur pecunia, & qui amat diuitias fructus non capiet ex eis*. Fructus quippe ex illis caperet, ſi eas bene ſpargere non amando voluiſſet: quia verò eas diligendo retinet, hîc vtique ſine fructu derelinquet. Cùm repleri cunctis ſimul opibus inardeſcunt, audiant quod ſcriptum eſt, *Qui feſtinat ditari, non erit innocens*. Profectò enim quoniam augere opes ambit, vitare peccatum negligit, & more auium captus, cùm eſcam terrenarum rerum auidus conſpicit, quo ſtranguletur peccati laqueo non agnoſcit. Cùm quælibet præſentis mundi lucra deſiderant, eáque quæ de futuro damna patiuntur ignorant, audiant quod ſcriptum eſt, *Hæreditas ad quam feſtinatur in principio, in nouiſſimo benedictione carebit*. Ex hac quippe vita initium ducimus, vt ad benedictionis ſortem in nouiſſimo veniamus. Qui itaque in principio hæreditari feſtinant, ſortem ſibi in nouiſſimo benedictionis amputant: quoniam dum per auaritiæ nequitiam hîc multiplicari appetunt, illic ab æterno patrimonio exhæredes fiunt. Cùm vel plura ambiunt, vel obtinere cuncta quæ ambierint poſſunt, audiant quod ſcriptum eſt, *Quid prodeſt homini ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum fiat?* Ac ſi apertè veritas dicat, Quid prodeſt homini ſi totum, quod extra ſe eſt congregat, ſi hoc ſolum quod ipſe eſt damnat? Hinc quoque te frequentiſſimè monui, & adeò corripui, vt etiam contra me & mihi fideles inde ſcandalum ſumpſeris, & quas vel quantas potuiſti inſidias moliri ſtudueris. Sed & domnus Rex in ſuis litteris tibi datis ex hac cauſa monuit hoc modo, Verùm, inquiens, priùs te dignum duco monere, vt clerum & plebem tibi commiſſam, qui te, nullo cogente, ſed ſpe ducti, quia pro amore tui auunculi, qui & nobis, & regno, ac Eccleſiæ regni noſtri in multis profuit, me videbant te diligere, & quia putabant te illius veſtigia ſecuturum, & conſiliis obediturum, & quoniam Laudunenſe municipium Remenſi Eccleſiæ, in qua nutritus fuiſti, vnitum antiquitùs fuerat, deuotè elegerunt, & obnixè ſibi paſtorem ordinari petierunt, debitam eis vicem rependens, epiſcopalem ac paſtoralem benignitatem impendas, & non eos tam duriter tractes atque adfligas, neque illis alios quos antè non noſti præponas vel ſuperponas, & de gremio Eccleſiæ tibi commiſſæ, in qua nutriti & educati fuerant, illos, ſicut quoſdam iam expuliſti, vel abſcedere compuliſti, non proiicias, vel cum gemitu ibidem conſiſtere cogas.] Lege intelligenter, & retine tenaciter hanc epiſtolam beati Gregorij ad Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum, Scripta, inquit, fraternitatis veſtræ ſuſcipiens, magnas omnipotenti Deo gratias retuli, quia ordinationis veſtræ merui celebratione releuari. Quòd verò ex ſuperno munere in electionem veſtram concorditer omnium conuenit adſenſus, hoc fraternitas tua

Eccl. 5. Prou. 28. Prou. 20. Luc. 8. Lib. III. epiſt. 1.

cum summa debet consideratione pensare, quia post Deum valdè est debitrix eis, qui sibi vos præferri tam subdita mente voluerunt. Decet igitur vos sacerdotali benignitate eorum moribus in omnibus respondere, eorúmque necessitatibus pia compassione concurrere. Si quorum fortasse sunt vitia, hæc maturis obiurgationibus increpare, vt ipsa quoque sacerdotalis indignatio, virtute sit admixta dulcedinis, quatenus & tunc à subiectis amari debeat, etiam cùm grauiter timetur. Quæ res personam vestram apud eorum iudicium in magnam quoque reuerentiam adducit: quia sicut præceps furor vsitatúsque despicitur, ita contra culpas discreta indignatio plerumque quo tarda fuerit, eo ampliùs fit timenda.] Diligenter etiam debes attendere, quod non in mea, sed in Dei laude cuius est donum, pro tua vtilitate dico, quia & ego nutritor tuus, apud quem à pueritia vsque ad iuuentutem tuam exegisti ætatem, sicut vidisti & audisti, non pro largitione beneficiorum, non pro commendatione ministeriorum, non pro receptione eorumdem ministeriorum, non pro redhibenda gratia mea his qui in me offenderant, non per quamcumque petitionem cuiuscumque adiutorij, non per quascumque adinuentitias occasiones, aut à clericis, aut à laicis, aut à parochianis presbyteris, quæcumque pretia, vel exenia, seu emolumenta exegi, vel quolibet modo quæsiui, sed in omnibus eorum profectum, & loci mihi commissi vtilitatem attendi. Vnde & reminisci debes, quia sæpiùs te commonui, vt tibi commissis, qui te libenter elegerunt, non onerosus, sed gratiosus existeres. Et si meæ admonitiones non tibi placent, lege cum aliis Homiliam beati Gregorij in Euangelio *Ego sum pastor bonus*, & eam mente reconde, in qua inter alia dicit Ioan.10. de summè & essentialiter pastore bono, cuius formæ debemus inniti, Cognosco, inquit, oues meas, id est, diligo, & cognoscunt me meæ, id Homil. 14. est, diligentes obsequuntur: quia oportet vt nobis commissi magis di- in Euang. lectione in Christo obediant, quàm seruili timore coacti gementésque deseruiant.] Nam de huiusmodi prælationibus, vel præmissis negotiis, quibuscumque adinuentionibus præmia vel exenia quæcumque accipere, simoniacum & cótra sanctas scripturas, atque, vt suprà ostendi, contra sacros est canones. Vnde etiam leges, quibus debitæ obseruationis reuerentiam sancta Ecclesia exhibet, in CXVII. constitutione, capitulo CCCLII. constitutionis Iustiniani dicunt, Vt locorum venerabilium administratores sine pecunia fiãt. Nullus neque ex xenodochiis, neque ptochotrophiis, neque nosocomiis, neque alicuius religiosæ domus administrator, vel cuiuscumque curæ Ecclesiasticæ gestor, præstet aliquid ei à quo præponitur, vel cuicumque personæ, pro commissa sibi administratione. Qui autem præter hæc quæ disposuimus dederit aliquid, vel acceperit, vel mediator factus fuerit, sacerdotio vel clero, vel commissa sibi administratione nudabitur, his quæ data sunt vindicandis religioso loco, cuius talis persona cõsecrationem, vel

curam, vel administrationem accepit. ſin autem laicus ſit qui acceperit, vel mediator factus eſt, duplum ab eo exigatur, & religioſo loco, in quo talis perſona, vel adminiſtrationem, vel conſecrationem, vel curam accepit, præſtetur.] Iuſtè igitur & rationabiliter leges ſanctis ſcripturis & canonibus concordantes talia decreuerunt, quia

Serm. 9. de paſſione Domini.

vt ſanctus Leo dicit, Auaritiam meritò Apoſtolus radicem eſſe malorum omnium diffiniuit. Nullum enim peccatum ſine cupiditate committitur, & omnis inlicitus appetitus iſtius auiditatis eſt morbus. Amori pecuniæ vilis eſt omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit, nullúmque eſt iuſtitiæ in illo corde veſtigium, in quo ſibi auaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Iudas inebriatus veneno, dum ſitit lucrum, peruenit ad laqueum.]

CAP. LII. *De ſuperbia eius & arrogantia, iactantiáque inepta & indecenti.*

A multis etiam denotaris, quòd ſuperbia efferaris, & vana gloria iactiteris, atque arrogantia ſupereris. Vnde ego & tu, quaſi in ſpeculo, in verbis beati Gregorij nos noſtráſque mentes conſpicia-

Lib. 34. Moral. c. 18

mus, & nos coram diuinis oculis componamus. Ait enim, Superbia, inquiens, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam vnius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra ſe erigit, quaſi generalis ac peſtifer morbus corpus omne corrumpit, vt quicquid illa inuadente agitur, etiam ſi eſſe virtus oſtenditur, non per hoc Deo, ſed ſoli vanæ gloriæ ſeruitur. Quaſi enim Tyrannus quidam obſeſſam ciuitatem intercipit, cùm mentem ſuperbia inrumpit, & quo ditiorem quemque ceperit, eo in dominio durior exurgit, quia quo ampliùs res virtutis ſine humilitate agitur, eo latiùs iſta dominatur. Quiſquis verò eius in ſe tyrannidem captiua mente ſuſceperit, hoc primum damnum patitur, quod clauſo cordis oculo iudicij æquitatem perdit. Nam cuncta quæ ab aliis vel bene geruntur diſplicent, & ſola ei quæ ipſe vel prauè egerit placent. ſemper aliena opera deſpicit, ſemper miratur quod facit, quia & quicquid egerit, egiſſe ſe ſingulariter credit, atque in eo quod exhibet per gloriæ cupiditatem, ſibimetipſi per cogitationem fauet, nec conſiderat quid alter boni ampliùs quàm ipſe, ſed quid boni ipſe ampliùs quàm alter habeat. Neque enim penſat quæ bona ſpiritus alter acceperit, & ipſi deſint, ſed quæ bona ipſi, & quæ mala ſint alteri: & cùm ſe in cunctis tranſcendere ceteros æſtimat, per lata cogitationum ſpatia ſecum deambulans, laudes ſuas tacitus clamat. Nonnunquam verò ad tantam elationem mens ducitur, vt in eo quod tumet, etiam per oſtentationem locutionis effrænetur & tanto facilis ruina ſequitur, quanto apud ſe quiſ-

Prou. 16.

que impudentiùs exaltatur. Hinc enim ſcriptum eſt, *Ante ruinam exaltabitur cor*, & hæc elatio alios ex rebus ſæcularibus, alios verò ex

ſpiritalibus poſſidet. Alter namque tumeſcit auro, alter eloquio, alter infimis & terrenis rebus, alter ſummis cæleſtibúſque virtutibus, vna tamen eadémque ſuperbia ante Dei oculos agitur, quamuis ad humana corda veniens in eorum obtutibus diuerſo amictu pallietur. Aliter autem præpoſitos atque aliter ſubditos tentat. Prælato namque in cogitationibus ſuggerit, quia ſolo vitæ merito ſuper ceteros excreuit, & ſi qua ab eo aliquando bene geſta ſunt, hæc importunè eius animo obiicit, & cùm hunc Deo ſingulariter placuiſſe inſinuat, quo facilè ſuggeſta perſuadeat, ipſam ad teſtimonium poteſtatis traditæ retributionem vocat, dicens, Quia niſi omnipotens Deus te his omnibus meliorem cerneret, omnes hos ſub tuo regimine non dediſſet: eiúſque mox mentem erigit, & viles atque inutiles eos oſtendit qui ſubiecti ſunt, ita vt nullum iam quaſi dignum reſpiciat, cui æquanimiter loquatur. Vnde & mox mentis tranquillitas in iram vertitur, quia dum cunctos deſpicit, dum ſenſum vitámque omnium ſine moderatione reprehendit, tanto inrefrænatiùs ſe in iracundiam dilatat, quanto eos, qui ſibi commiſſi ſunt, eſſe ſibimet indignos putat. Et ſi ipſi ſubiecti ſunt aliis, eorum cor ſuperbia inſtigat, vt ſua acta conſiderare funditus negligant, & ſemper tacitis cogitationibus rectoris ſui iudices fiant. qui dum in illo quod reprehendere debeant importunè reſpiciunt, in ſemetipſis quod corrigant nunquam vident. vnde & tanto atrociùs pereunt, quanto à ſe oculos auertunt. Aliquando autem tales ſubditi proterua quæ ſentiunt nequaquam prodũt, & hi, quorum loquacitas vix compeſcitur, nonnunquam ex ſola amaritudine intimi rancoris obmuteſcunt. qui per dolorem mentis procacitatis ſuæ verba ſubtrahentes, cùm malè loqui ſoleant, peius tacent, quia cùm peccantes aliquid de correctione audiunt, indignantes etiam reſponſionis verba ſuſpendunt. Cum his quando aſperè agitur, ſæpè ad querelæ voces de hac ipſa aſperitate proſiliunt. cùm verò eos magiſtri ſui blandè præueniunt, de ipſa humilitate, qua præuenti ſunt, grauiùs indignantur, & tanto eorum mens vaſtiùs accenditur, quanto conſideratiùs infirma iudicatur. Cunctis namque ſuperba apud ſe cogitatione tumentibus ineſt clamor in locutione, amaritudo in ſilentio, diſſolutio in hilaritate, furor in triſtitia, inhoneſtas in actione, honeſtas in imagine, erectio in inceſſu, rancor in reſponſione. Horum mens ſemper eſt ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad laceſſendos verò alios importuna, ad ea quæ facere & debet & præualet ignaua, ad ea quæ facere nec debet nec præualet parata. Hæc in eo quod ſponte non appetit nullis exhortationibus flectitur, ad hoc autem quod latenter deſiderat, quærit vt cogatur, quia dum metuit ex deſiderio ſuo vileſcere, optat vim in ipſa voluntate tolerare. Quapropter hoc vitio laborantibus Dominus dicit, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* & item, *Immundus eſt apud Deum omnis qui* Iacob 4. Eccl. 17.

exaltat cor. & item, *Quid superbit terra & cinis?* Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, & Leuiathan rex dicitur superborum, apertè cognoscimus quòd euidentissimum reproborum signum superbia est, at contrà humilitas electorum. Cùm ergo quam quisque habeat cognoscitur, sub quo rege militet inuenitur. Vnusquisque enim quasi quendam titulum portat operis, quo facilè ostendat sub cuius seruiat potestate rectoris.] De hoc quippe vitio superbiæ descendit, quòd multi te apud plurimos dicunt de fortitudine & agilitate tui corporis gloriari, & de præliis, atque vt nostratium lingua dicitur, de *vassaticis* frequenter ac libenter sermonem habere, & qualiter ageres si laicus fuisses inreuerenter referre, & alia multa quæ tibi non conueniunt dicere & agere, nec mihi enunciare. Debes enim attendere quod scriptum est, *Non in fortitudine sua roborabitur vir*, &, *Non saluatur Rex per multam virtutem.* &, *Gigas non saluabitur in multitudine fortitudinis suæ.* Vnde apud se Dauid manu fortis, humiliter infirmus, & ideo veraciter fortis, qui gigantem multæ fortitudinis occidit, & regem ac virtutem exercitus eius ab opprobrio liberauit, Domino dicit, *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Et Paulus, qui audiuit à Domino, *Virtus in infirmitate perficitur*, gloriatur in infirmitatibus suis, dicens, *Quando infirmor, tunc fortior sum & potens*, &, *castigo corpus meum, & seruituti subiicio, ne aliis prædicans ipse reprobus efficiar.* Sed & cùm in his, in quibus infatigabiliter pugnando, non quasi aërem verberantes, sed contra aërias potestates, & carnis inlecebras, ac mundi concupiscentias agonizantes decertauerimus, quod nobis à Domino præcipitur ex intimo cordis affectu dicere debemus, *Serui inutiles sumus, quæ debuimus facere, fecimus. Quia non sumus sufficientes à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui dedit velle & perficere pro bona voluntate.* quíque suis dixit, *Sine me nihil potestis facere.* De vanitate autem qua te iactas, qualiter faceres si laicus esses, breuiter tibi valeo respondere, faceres vtique sicut patriotæ & propinqui tui laici faciunt, scilicet voluntariè viueres inter tuos conterraneos atque vicinos pacificè, quoniam si aliter præsumeres, fortiores & superiores qui tibi resisterent, téque reprimerent, inuenires.

1.Reg.2. Psal 32. Psal.58. 2.Cor.12. 1.Cor.9. Luc.17. 2.Cor.3. Philip.2.

CAP. LIII. *De motibus corporis inordinatis, qualiter cauere debeat.*

Et quoniam reprehenderis de motibus corporis inordinatis, attendendum mihi & tibi est quod beatus Gregorius dicit, quoniam interiùs est custodia, quæ ordinata seruat exteriùs membra. Et sanctus Gregorius Nazianzenus habitum Iuliani Apostatæ describit dicens, Faciebat me cautum adeo inconstantia morum eius, & excessus vberior. Vates enim egregius est, qui benè considerat. Nullum enim

Orat. 1. in Iulianum.

ſignum mihi in eo vtile videbatur, ceruix inflexibilis, humeri iactabiles, oculi currentes, huc illúcque directi & furiosè reſpicientes, pedes impatientes, nares ſpirantes iniurias atque contemptum, ſchemata riſibilia, & hoc ipſum ſemper habentia, riſus incontinens & quaſi ſubbulliens, conſenſus & negatio ſimul, ratio nulla ratione conſiſtens, interrogatio inordinata, atque reſponſio nulla conuenientia ſibi conueniens.] Et ſanctus Papa Gregorius quendam deſcribens potiúſque depingens iuuenem, de eo dicit, Quia erat ſuperbus & lubricus, verbis leuis, nutibus inſtabilis, mente tumidus, veſte compoſitus, actione diſſipatus.] Vnde attendendum eſt nobis, quia ſi hæ reprehenſiones in laicis quibuſcumque poteſtatibus præditis ita denotantur, quàm damnabiles in nobis Epiſcopis habeantur, qui lux mundi, & lucerna ſuper candelabrum poſita, vt luceamus omnibus qui in domo Dei, id eſt, Eccleſia ſunt poſiti, eſſe videmur? Hæc tibi, frater ac fili, ſcribo multo dolore ac confuſione compunctus, hortans vt in lutere, quem Moyſes de ſpeculis mulierum ante tabernaculum Exod 38.
Domini excubantium fecerat, in quo ſacerdotes miniſtraturi in eadem domo Domini manus & pedes lauarent, mecum te conſpicias, & interiùs atque exteriùs ibidem, id eſt in ſacræ ſcripturæ præceptis per ſanctos Dei nobis explanatis, & in eorumdem ſanctorum exemplis, noſtra reprehenſibilia abluamus, & dignos nos fletibus & ſanctis operationibus, vt dignè illi miniſtrare poſſimus, exhibeamus. Hinc enim omnipotenti Domino per Pſalmiſtam dicitur, *In æternum non* Pſal. 118.
obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me. Iuſtificationes enim præcepta Dei dicuntur, in quibus nos corrigendo iuſtificat, de quibus idem Pſalmiſta apertiùs dicit, *In tuis iuſtificationibus medi-* Pſal. 18.
tabor, non obliuiſcar ſermones tuos. In eis itaque nos viuificat, quia per hæc nobis ſpiritalem vitam demonſtrat, eámque per afflationem ſpiritus noſtris mentibus infundit.

CAP. LIV. *Vt non ſe permittat decipi à flore iuuentutis & ſanitate corporis, & mundi inlecebris.*

TANDEM hortor te, frater ac fili, & moneo, vt non te permittas decipi à flore iuuentutis, & ſanitate corporis, & mundi inlecebris, habens ſemper ante mentis oculos quod hinc ſanctus Spiritus per beatum Iob dicit, *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, re-* Iob 14.
pletur multis miſeriis. quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Breues dies hominis ſunt, numerus menſium eius apud te eſt, conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Et per Pſalmiſtam, *Verumtamen in imagine pertranſit homo, ſed* Pſal. 38.
& fruſtrà conturbatur. Theſaurizat & ignorat cui congregauit ea. Habe ſemper ante mentis oculos, quàm terribilis iudex noſter ſit in conſiliis ſuper filios hominum, & quàm diſtrictus ad iudicandum veniet, cælis

& terris ardentibus, & vniuerſis cælorum virtutibus, atque omnibus creaturis in obſequium ſui terroris commotis. Quando ignis ante ipſum præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius. aduocans cælum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum. quando veniet nos iu-
Pſal. 94. dicaturus de cogitationibus, verbis, & actibus noſtris. quem præueniendum nobis eſt in confeſſione, & plorandum ante eum qui fecit nos. Attendendum eſt etiam, quæ nobis verecundia tunc erit in conſpectu totius humani generis, omniúmque virtutum cæleſtium confundi, & poſt confuſionem quæ nos pœna ſequetur, cùm animam immortaliter morientem reatus inuoluet, & indeficienter deficientem carnem gehenna conſumet, ſi radices cordis huic ſæculo perſeueranter infixas habuerimus: quia nemo poteſt, vt ſcriptum eſt, *hîc gaudere cum ſæculo, & illic regnare cum Domino.* Simus igitur, vt
2. Cor. 6. docet Apoſtolus, *quaſi morientes, & ecce viuimus: vt caſtigati, & non mortificati: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Momentis ſuis horæ fugiunt, & tempora dilabuntur. Satagamus ergo vt in
Pſal. 105. bonis & continuis operibus teneantur: quia ſcriptum eſt; *Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore.* Et deſcriptis vi-
Iob 1. ri ſancti continuis bonis operibus, ſcriptum eſt, *Sic faciebat Iob cunctis diebus.* Sicut ergo quotidianas & neceſſarias penſiones corpori reddimus, ita quotidianas atque continuas bonorum operum, ſcilicet continentiæ, lectionum, vigiliarum, & orationum, atque lacrymarum, & eleemoſynarum, atque ſacræ hoſtiæ oblationum, gemituum quoque ex præteritorum pœnitentia, & ſancto futurorum deſiderio, penſiones animabus noſtris effundentes eas in conſpectu Domini reddere ſtudeamus, & in his cum fide recta, ſpe firma, &
Geneſ. 37. caritate perfecta, perſeuerantiſſimè vigilemus, ſcientes quia Ioſeph ſolus inter fratres talari tunica indutus legitur, & cauda pecoris in ſacrificio Domino offerri præcipitur, quia qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Et obaudiamus quod Sapientia per Salomonem
Eccle. 19. nos ſingulos exhortans dicit, *Quodcumque poteſt manus tua facere inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos quò tu properas.*

CAP. LV. *Concluſio epiſtolæ verbis Heliæ,* Quod meum fuit feci tibi.

IN concluſione autem horum omnium tibi ſcribo quod beatus Helias Spiritu ſancto repletus ad Heliſeum eodem Spiritu ſancto
3. Reg. 19. replendum dixit, *Quod meum fuit feci tibi.* Credo enim quia etiamſi quod abſit me non obaudieris, labor meus non erit in te apud Deum inanis & vacuus. Etſi enim Æthiops niger in balneum intrat, & niger de balneo exit: non tamen balneator denarium, id eſt, pre-

pretium sui balnei perdit. Nos autem & sermones nostri in manu Dei sumus, qui dicit, *Pluam super vnam ciuitatem, & super alteram non pluam:* Amos. 4. & quibusdam loquitur per vocem, & exigente culpa, occulto atque iusto iudicio, non loquitur per vnctionem: quibusdam verò gratiæ loquitur vnctione, id est sancti Spiritus inspiratione cum voce. Det Dominus me, & velle, & scire, & dicere, & agere quæ iussit: & te audire, & exaudire quod expedit, & nobis ambobus ea velle & operari, & in his perseuerare quæ præcipit, vt mereamur dona percipere quæ promittit.

XXXIV.

AD HINCMARVM LAVDVNENSEM,

Accepto eius missatico per Heddonem Præpositum Ecclesiæ Laudunensis.

Ex veteri Codice Bibliothecæ Thuanæ.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS, dilecto fratri Hincmaro Ecclesiæ Laudunensis Episcopo salutem.



DECIMO-QVINTO Kalendas Augusti præsentis tertiæ Indictionis, iam vesperi venit ad me communis frater & comminister noster Heddo, Præpositus commissæ tibi Ecclesiæ, dicens mihi ex tua parte missaticum, sicut hîc habetur subnexum.

CAP. I. *Meus senior vobis mandat salutes, & fideles orationes.*

II. *Mandat vobis, quia vos sapitis quod illi nunc factum fuit in Attiniaco, propter quod inde ambulauit, sicut vobis per Teutlandum mandauit, & vos sapitis quo modo illi iam altera vice factum fuit, quando Rex illum detinuit.*

III. *Mandat vobis, quia res de sua Ecclesia illi tollutæ sunt, & Flotharius regis missus eas consignauit Nortmanni homini, & hoc meus senior iam sciebat, quando de Attiniaco ambulauit, quia sic deueniret, quia homo Nortmanni Herimundus hoc seniori meo dixit, quando Rex de Siluanectis reuenit.*

IV. *Et mandat vobis, quia & alias res de sua Ecclesia tenent sui homines per potestatem & per verbum Regis, & mandauit suos homines ad se venire præterita die Sabbati, & voluit considerare de seruitio Regis, & de illa opera ad suam Ecclesiam, & illi non venerunt, & Rex illi per Bertharium nunc mandauit, vt Eligio suum beneficium redderet, & Eligius inde Regis indiculum adportauit, vt suum beneficium illi redderet, & meus senior illi respondit, vt reueniret die Lunis, & inde consideraret cum suis fidelibus,*

& tunc illi responderet : ipse autem dixit, quòd hoc expectare non debuisset, quia Rex illi eum beneficium reddidit, & intrauit ibi, & tenet illum.

V. *Et quia vos estis suus auunculus, & suus Archiepiscopus, si vos illi potestis impetrare ad Regem, vt ille possit res de sua Ecclesia ordinare, & illi eas liceat sicut ei simulauerit disponere & gubernare. quia quod ille facit, alter disfacit: & quod ille disponit, alter peruertit. Tunc vult ille vobis obedire, & ad vos venire, & per vestrum consilium facere: quia quicquid de rebus suæ Ecclesiæ fecit & ordinauit, non per scaz, vel per aliquam propinquitatem aut amicitiam inde fecit, sed sicut meliùs ille intellexit, si inde fecit. Et si hoc vos non potestis ad Regem facere, tunc non potest ille Regi obedire, nec illi seruire, nec aliquod temporale obsequium facere, nec ad illum venire, & non potest dimittere, vt sic longè inde se non reclamet si plus altè potest, id est, ad sedem Apostolicam. Et non dimittet, vt inde suum ministerium non faciat. id est, excommunicabit illos sicut hîc habet quod illi Episcopi diffinierunt, quia non potest dimittere vt illos non excommunicet, quoniam altera vice, quando domno Apostolico mandauit de Nortmanno, hoc ei remandauit domnus Apostolicus, vt priùs inde fecisset suum ministerium, & tunc se reclamasset. Et hoc ideo vsque modò dimisit, donec vobis mandaret vt hoc vos sciretis, quia nunc inde suum ministerium faciet.*

VNDE frater vnà cum venerabilibus Episcopis & dilectis fratribus nostris qui adfuerunt, Remigio scilicet, & Harduico, & Francone, ac Hodone, atque Willeberto, ad domnum Karolum regem gloriosum petitoriam suggestionem referre curaui. Qui nobis respondit, se putasse tibi posse sufficere quod hinc iam coram Episcopis benigno animo & allocutione placida tibi in Attiniaco dixit. videlicet quoniam ad illum peruenit, te ampliùs præsumpsisse de rebus, de quibus nunc mandas quia Flotharius missus eius Nortmanno consignauerit, quàm Ecclesiæ tibi commissæ debeantur, & ampliùs quàm in præcepto habeatur, per quod tibi res à longo tempore ab Ecclesia Laudunensi subtractas restituit, vel gratis tuæ petitioni annuens dedit, sicut & manifestissimè claruit de his, quas contra rationem & iustitiam inlegaliter atque inregulariter vsurpasti, quæ in præcepto non continentur, & iustè atque rationabiliter secundùm legem homo suus reconquisiuit. Propterea illas res, videlicet villam Pauliacum, quæ à longo tempore ab Ecclesia Laudunensi subtractæ fuerant, præsentaliter reciperes, & illas alias de quibus ad eum reclamatio venit, interim non reciperes, sed tantùm inde expectares, donec illud præceptum adportares, & suus ac meus missus in ipsum pagum irent, & ex his rei veritatem inuestigarent: & quicquid inuentum fuerit, quod ex eisdem rebus iustè & rationabiliter ad Laudunensem Ecclesiam pertineret, non solùm non discuperet, verùm & libenter eas ipsi Ecclesiæ concedere vellet, & tu ex his nihil tunc contradixisti. De beneficiis autem hominum tuorum, de quibus mandasti, respondeo quia tui homines se ad eum reclama-

uerunt, quòd ab eis sua beneficia, quæ apud antecessores tuos, & apud te proseruierunt, iniustè & inrationabiliter abstulisses. Vnde secundùm sacros canones, & decreta sanctæ sedis Romanæ Pontificum ex eisdem sacris canonibus promulgata, electos iudices Episcopos apud me expetisti, & eorum atque aliorum Deum timentium iudicio de quibusdam decretum fuit, vt beneficia sua, quæ inrationabiliter perdiderant, recuperare deberent: quorumdam autem eorum causa vsque ad alium tractatum certis causis interuenientibus non diffinita, sed implacitata remansit, & tu ante diffinitionem, contra sacros canones, sine vlla necessitate vel ratione fuga lapsus, regularem diffinitionem expectare contempsisti, vnde quid sacri decernant canones sufficientissimè nosti. Nunc verò quia ipse iam in motu est, pergens obuiam fratri suo propter pacis caritatísque concordiam, & sanctæ Ecclesiæ ac Christiani populi obtinendam quietem, cùm fauente Domino inde reuersus fuerit, veni ad illum, & adporta illud præceptum, per quod præfatas res Ecclesiæ Laudunensi restituit, siue contulit, & sicut iustum de illis rebus quas requiris inuentum fuerit, agere procurabit. Homines autem tui, quorum causa, te inregulariter ac inlegaliter abscedente, adhuc non diffinita sed implacitata remansit, iustè & rationabiliter ventiletur, & secundùm sacras leges diffiniatur. Ceterùm, carissime frater, de scedula quasi Episcoporum diffinitionem continente, in Synodo quæ apud Tusiacum fuerat habita, valdè miratus sum vbi & quomodo hanc adinuenisti, quam antequam per Heddonem clericum tuum acceperim nunquam vidi, & nunquam vel nusquam audiui, sed nec qui modò adfuerunt Episcopi eam se vidisse vel audisse dixerunt. Illam quippe authenticam diffinitionem, quæ secundùm sacras leges in eadem Synodo decreta est, cui & mecum interfuisti, ego habeo, & diuinare non valeo, vnde adinuentio ista emerserit, quæ, sicut ex his euidenter potes cognoscere, quæ tibi contra præsumptiones tuas studui scribere, in quibusdam sacris regulis obuiat, & mendacem illam esse facillimè posses aduertere, si illos oculos habuisses in capite, de quibus scriptura dicit, *Oculi sapientis in capite eius.* Et miranda est tua Eccle.2.14.
prudentia, cur sibi placuit plus hanc mendacem, & in quibusdam, vt dixi, sacris regulis obuiantem compilationem habere, & mihi transmittere, quàm veram Synodi diffinitionem, & sacris regulis congruentem habere, & à me qualicumque primate tuo iuxta regulas sacras tenendam & sequendam accipere, cuius, secundùm decreta sanctæ sedis Romanæ Pontificum ex sacris canonibus promulgata, ordinationem semper debes in rebus expectare. Nam etsi scedula à te mihi directa quiddam rationis vel auctoritatis habere videtur, hoc tamen debes discernere, quia sicuti vbi reclamatio certa suscipitur, causa ventilatur, ratio postulatur, præsumptio vel vsurpationis temeritas non inuenitur, sed iustitia sequi-

tur, & æquitas conseruatur, censura districtionis canonicæ vacat, ita se ad vlciscendum contra deuios à ratione & auctoritate ac æquitate, & in contemptus pertinacia obduratos exaggerat. Sedis, inquit beatus Leo, Apostolicæ moderatio hanc temperantiam seruat, vt seueriùs agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis. Igitur quoniam, vt item Leo dicit, matura volumus sacerdotum esse consilia,
Prou.19. & sacra Scriptura dicit, *Qui festinus est, pedibus offendit*, hortor & moneo te, frater carissime, paterna & metropolitana secundùm sacras regulas auctoritate, vt non per hæc commenta, quæ mihi misisti, præceps sicut mihi mandasti sis ad proferendam sententiam, præsertim cùm sufficientissimè iam te hinc commonuerim, redarguerim, & etiam ex auctoritatibus diuinis instruxerim. Sed patienter interim tolera quæ videntur tuæ potestati contraria, qui dicere cum Psalmista
Psal.128. debes, *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniqui-*
Luc 21. *tatem suam. In patientia*, inquit Dominus, *possidebitis animas vestras*, &
Prou.19. item scriptum est, *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Quanto enim quis minùs est patiens, tanto conuincitur minus doctus. Et melior est patiens viro forte, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Quoniam qui vrbes subigit, extra se est quod vincit, qui autem patiens est, semetipsum sibimetipsi subiicit. Tolera igitur æquanimiter quos contrarios tibi deputas, & dilige ipsos quos toleras, & plus erga corrigendos agat tua beniuolentia quàm seueritas, plus cohortatio quàm commotio, plus caritas quàm potestas. à qua regula non exorbitabis, si non quæ tua sunt quæsieris, sed quæ Iesu Christi. Porrò si dominari magis quàm consulere subditis volueris, honor inflabit superbiam, & quod prouisum est in ordinatione tua ad concordiam, tendet ad noxam. Ergo age, frater carissime, quod Episcopalem condecet grauitatem, expectans donec ad prouincialem synodum, cuius iam tempus in proximo est, conueniamus, in qua fauente ac cooperante Domino, secundùm decreta beati Gregorij, & de incidentibus causis disceptatio, & sit salubris de Ecclesiastica obseruatione conlatio: quatenus dum per hoc & præterita corrigentur, & regulam futura suscipient, omnipotens vbique Dominus fratrum concordia conlaudetur, cuius nobis adesse præsentiam, si hæc obseruabimus, credere pro certo debemus, quia scriptum est,
Matth.18. *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Si ergo adesse dignabitur vbi duo vel tres fuerint, multo magis non deerit vbi plures conuenerint sacerdotes. Quod autem mihi mandasti, Quia non potes dimittere vt illos homines, qui res Ecclesiæ tuæ contra voluntatem tuam tenent, non excommunices, quoniam altera vice, quando domno Apostolico mandasti de Nortmanno, hoc tibi remandauit, vt priùs inde fecisses tuum ministerium, & tunc te reclamasses, non hoc in suis litteris inuenimus, vel audiuimus. Propterea, frater, vide ne cuiusquam verbo, fortè per adulationem ad gratiam

tuam tibi suaso, & non ex domni Apostolici auctoritate prolato pellectus, præproperè & tibi inconsultè ac præcipitanter sententiam excommunicationis sacris regulis obuiam proferas: sed expecta, vt prædixi, donec ad prouincialem Synodum Episcopi Remorum prouinciæ conueniamus, & si quid nobis obstiterit, vt secundùm sacras regulas iustè & rationabiliter ea quæ agenda sunt exequi quod absit nequiuerimus, quod nullo modo futurum fore putamus, tunc si necesse fuerit secundùm sacras regulas, tua reclamatio, si iusta inuenta fuerit, ad sedem Apostolicam nostris litteris prosecuta perueniat.



XXXV.

AD HINCMARVM LAVDVNENSEM.

De hoc Opusculo Flodoardus lib. III. cap. XXII. Scribit ad eum præterea multa. Nouissimè voluminis seriem, rememorans in eo, & ad mentis eius oculos reuocans, qualiter illum orphanum dulci dilectione sub religione nutrierit, litteris erudierit, per singulos gradus Ecclesiasticos vsque ad Episcopatus apicem prouexerit.

NVNC, *inquit*, retribuentem mihi mala pro bonis, & odio me habentem gratis, quoniam non faueo tuis infructuosis operibus, quandiu te patiar, multis à te afflictus iniuriis? Etenim ab ipsa die tuæ ordinationis, tam verbis quàm scriptis, & inordinatis actibus ac motibus tuis, frequentibus adeo sum grauatus lacerationibus atque contusionibus, vt tædeat me vitæ meæ: quia sic pro loci mei officio tuæ insolentiæ sum connexus, vt non solùm post primam & secundam correptionem, iuxta Apostolum, verùm nec post plurimas, priuatim & coram communibus familiaribus nostris, sed & coram rege, & Episcopis, ac plurimis aliis, verbis & scriptis commonitiones te valeam deuitare. Et licèt exoptem, vt darentur mihi pennæ sicut columbæ, & auolarem ac requiescerem à te elongatus in aliquam solitudinem, non possum quoquam effugere, vt aut tua pertinacia contumacis præsentiæ, aut missorum tuorum duriloquiis, aut scripturarum tuarum derogationibus & inutilibus næniis, quin potiùs tragœdiis, aut talibus quæ non conueniunt Episcopo, de te auditionibus non affligar. Et iam tandem putaui te pigere talia exequi, cùm ecce nunc Idib. Nouembris quartæ Indictionis prolixissimam rotulam, mendaciis & irrationabilitatibus ac improperiis contra veritatem & auctoritatem repletam, mihi misisti. Et miror cur sic exfrons factus, vt de Iudæa Dominus queritur, nescis erubescere, & tibi non est nausea talia & tanta scribere, nisi quo- Hier. 6. 15. & 8. 12.

niam iam vtilibus non es intentus, neque in necessariis occupatus. Et vt de aliis taceam, quæ si ex ordine voluero replicare, antea deficiet lux diurna, quàm legenda exinde deficiat pagina, replicabo tibi aliqua, quæ non valeo nec debeo silentio præterire. Videlicet quia statim vt à paternæ nido educationis factus Episcopus euolasti, & me & eos qui nutrierunt deseruisti, & sæculares amicitias atque familiaritates quæsisti, & acquisisti, & sic subinde alios & alios deserens & acquirens, non solùm de comparibus, sed etiam & de tibi commissis, ad hoc emersisti, vt contra sacras Antiochenas regulas, præcipientes vt præter me agere nihil debeas, secundùm antiquam patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantùm quæ ad tuam parochiam pertinent, possessionésque subiectas, sine mea vel Coepiscoporum nostrorum conscientia administrationem in palatio domni Regis obtinueris. quam administrationem tibi coram eodem domno Rege, & aliis qui affuerunt ex sacris regulis interdixi, & aliquandiu ab administratione cessasti. Postea autem per exteras, id est, sæculares potestates, contra Sardicenses canones, eandem administrationem cum Abbatia in tertia prouincia, vltra Remensem prouinciam, sine mea conscientia obtinuisti. Ad quam Abbatiam, sine mea licentia, quotiens tibi placuit perrexisti, & quandiu tibi placuit ibidem fuisti immoratus, contra Hilari Papæ decreta dicentis, Illud non potuimus præterire, quod sollicitudine diligentiore curandum est, ne præter Metropolitanorum suorum litteras aliqui Episcopi ad quamlibet prouinciam audeant proficisci. quod etiam in omni genere officij clericalis per singulas debet Ecclesias custodiri.] & sic antea Zosimus, & postea S. Gregorius decreuerunt. Præterea quoque, semel ac secundò litteris canonicis euocatus ad ordinationem Episcopi in Ecclesia Cameracensi Remensis prouinciæ pastore destituta, vnde Apostolica sedes me suggerente non modicè laborauit, nec ipse venisti, nec pro te vicariam personam, vel litteras tui consensus, vt regulæ sacræ præcipiunt, ad me direxisti. Vnde Symmachus Papa ad Æonium ex sacris regulis promulgauit, vt si quilibet Episcopus Metropolitano Pontifici iuxta canonicam diffinitionem vocatus obtemperare noluerit, nouerit succidendum se, quod non optamus, Ecclesiastica disciplina.] Sed & hinc à me conuentus, nullam satisfactionem, nec etiam humile responsum mihi ac Coepiscopis nostris exhibuisti. Post hæc, more tuæ instabilitatis ac inconstantiæ, contra domnum Regem in tantum te sine ratione contumaciter erexisti, vt & administrationem palatinam, & ipsam Abbatiam tibi auferret, & à te exaggeratus duriora ingerenda tibi proponeret. vnde & scriptis & verbis pro te satagens illum tibi reconciliaui. Indéque, sicut sciunt plurimi, contra illum te iterum erexisti, & mandata sua vt ad eum venires contemnens, adeo illum ad iracundiam prouocasti, sicut omnes in istis regionibus sciunt, vt coactus te per

Epist. VIII. ad Episc. Galliæ.

Epist. XI. ad Cæsarium.

fideles suos sicut infidelem appeteret. Tu autem ante inauditam excommunicationem in meos & multorum Archiepiscoporum & Episcoporum parochianos, sed & in ipsum Regem, sine mea conscientia contra sacras regulas iaculasti. Vnde multos scandalizasti, & maximum scandalum non solùm Ecclesiæ, sed & Regi ac regno intulisti, cùm lex prohibeat, vt per alienam messem transiens falcem non mittas, sed manu spicas conteras & manduces. Deut 23.25. Falcem, inquit beatus Gregorius, iudicij mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa, sed per effectum boni operis frumenta Dominica vitiorum suorum paleis excoria, & in Ecclesiæ corpus monendo & persuadendo quasi mandendo conuerte.] Post quam præsumptionem, adhibitis mecum confratribus nostris, te & cum eo pacificaui, & Episcopis, quorum parochianos excommunicasti, vt te in synodali sententia non inueherent persuasi: sed & eosdem à te excommunicatos, licèt non sine labore, adminiculante domno Rege, aduersum te conquiescere feci. Sed tu, addens peiora prioribus, sic domnum Regem, sicut mihi longum est enarrare & multi sciunt, iterum exaggerasti, vt causa tuæ castigationis te sine mea voluntate, sinéque meo consensu, aliquantulum detineri iuberet. Tu verò causa tuæ iniuriæ, me inconsulto, & sine consensu Coepiscoporum Remensis prouinciæ, sicut petitio à clericis Laudunensis Ecclesiæ mihi porrecta demonstrat, presbyteros & comministros Ecclesiæ ac parochiæ tibi commissæ excommunicasti, vt nemo in eadem parochia missarum officia celebraret, neminem paruulorum etiam in mortis vrgentis periculo constitutum baptizaret, nullum ad pœnitentiam quisquam susciperet, nec etiam obeunti communione viatica muneris subueniret, nulli defuncto in sepeliendo humanitatis obsequium exhiberet, donec aut tu ipse ad eos venires, aut à sede Apostolica inde relationem reciperent. Quod audiens, fateor, vehementer exhorrui. & proinde ad te metropolitana sollicitudine litteras misi, monens & hortans te, vt tam exitiabilem excommunicationem & impietatis colligationem, in tuum & multorũ periculum intentatam, quantociùs solueres. Sed & ad ministros Laudunensis Ecclesiæ, timens immane multorum exitium, certissimas & irrefragabiles diffinitiones Euangelicæ veritatis, & Apostolicæ auctoritatis, atque sacrorum canonum & Apostolicæ sedis direxi, quatinus secundùm easdem diffinitiones, quæ in nullo diuelli possunt, ex eadem periculosa & irregulari excommunicatione agerent & ipsi satis. Sed quia meæ admonitioni obedire non voluisti, misi ad te iterum exinde litteras, sed & clericos Laudunensis parochiæ, & nec sic te ad obediendum inuitare præualui. Post hæc, quærens adinuentiones vt te à Metropolitana subiectione posses exuere, libellum de patrum antiquorum scriptis, ante sacros Nicænæ Synodi & aliorum sanctorum canones editis, collegisti. In quibus sententias inter se dissonas, & contra Euangelicam & Apostolicam

atque canonicam & Apostolicæ sedis auctoritatem immiscuisti, & eidē libello, sine Metropolitani & Coepiscoporum Remensis prouinciæ conscientia ac cōsensu, subscripsisti, & à clericis Ecclesiæ tuæ & à parochianis presbyteris subscribi fecisti, volens te à subiectione tuæ Metropolis exutum ostentare, & priuilegium Metropolitanæ sedis adnullare. Quasi non possem impietatis tuæ colligationes canonica auctoritate, sine tuo consensu ac sine synodali cōuentu in parochia tua dissoluere. cùm de certis & manifestis causis, quæ in nullo nobis sunt dubia vel obscura, & de quibus finitiuas sententias, quæ nulla possunt ratione conuelli, à sanctis patribus promulgatas habemus, synodale consultum vel Coepiscoporum nostræ prouinciæ consilium vel consensum non debeam expectare, & à regulis præstitutis, vt sanctus Leo dicit, nulla aut negligentia aut præsumptione discedere, nec etiam sedem Apostolicam inde inquietare, sicut ipsius sanctæ sedis beati Pontifices, Innocentius, Zosimus, Cælestinus, Leo, Hilarus, Gelasius, Gregorius, & alij plures eiusdem sanctæ sedis rectores in decretis suis ostendunt, *& reliqua. Item datis auctoritatibus Gelasij Papæ.* Post præfati denique, *inquit*, monstruosi libelli, à te monstruosè collecti, tuam tuorúmque subscriptionem, litteris quarum exemplar habeo denuò te commonui, vt ea quæ in parochia tua contra rationem & auctoritatem egeras, studeres corrigere: sed admonitioni meæ non paruisti. Deinde ex præfatis epistolis Romanæ sedis Pontificum, ante Nicænam Synodum scriptis, libellum à te collectum, & versiculis in nomine domni regis Caroli titulatum, per venerabilem quondam Archiepiscopum Wanilonem in Gundulfi villa coram Episcopis qui affuerunt mihi direxisti. De quo tibi scripto respondi, cuius exemplar habeo, monens te vt sacris canonibus promulgatis fidem accommodares, & debitam obedientiam illis dependeres. Inde in Attiniaco Remensis parochiæ, tibi coram Episcopis dedi libellum in quinquaginta quinque capitulis, auctoritates Ecclesiasticas continentem, contra illa quæ in præfatis tuis duobus collegeras, monens vt à talibus & huiusmodi reprehensionibus te cohiberes, & te sacris regulis subdens, pacem & sanctimoniam secundùm Apostolum sequi studeres. Tu autem nullam inde meæ admonitioni satisfactionem exhibuisti. quin potiùs rotulam prolixissimam, contra veritatem & auctoritatem ac rationem contextam, in eadem Synodo obtulisti, & præfatum tuum monstruosum libellum à te & à tuis subscriptum in eadem Synodo protulisti, quem ibidem accipiens hactenus seruo. Et cùm me vidi post tot admonitiones nihil apud te posse proficere, schedulam porrexi in Synodo Episcoporum decem prouinciarum, ab eisdem venerandis Episcopis quærens consilium, quid contra tuam pertinacem contumaciam agere possem, & illa, quæ tibi ac parochiæ tuæ contra colligationes tuæ impietatis direxeram, coram illis relegi feci. Vnde & ab eisdem Episcopis prædictis

dictis sacri conuentus auctoritatibus, quoniam iniustè ac irregulariter tantas & tales excommunicationes agere præsumpsisti, & à domno Rege impetitus, quoniam iuramenta illi à te super sacra præstita non obseruasti, sed & quia res suæ proprietatis contra leges diuinas & humanas inuasisti, & à Nortmanno in Synodo accusatus, quoniam eum de rebus tua concessione atque consensione à domno Carolo sibi beneficiatis, sine auctoritate regia, armata militari manu, & turba vulgi collecta cum gladiis & fustibus, primùm quidem vxorem suam quæ ibi sine vllo erat, & postea illum ipsum cõtra leges & regulas repulisti, & omnia sua quæ ibi habuit abstulisti, sed & à tuis hominibus accusatus, quia cõtra leges diuinas & mundanas eis sua beneficia abstulisti, vt Synodalem censuram euaderes, dedisti Regi & mihi in eadem Synodo professionis tuæ libellum de regulari obedientia tua, quem habeo, & tu negare non potes, quoniam ipsius exemplar de manu mea in eadem Synodo accepisti, sicut in processu monstrabo. Sed vt vir duplex animo & inconstans in omnibus viis tuis, statim in crastina misisti mihi per Arduicum, venerabilem Vesontionensem Episcopum, ad profitendum & subscribendum tibi, breuiculum ita se habentem, Et ego Hincmarus Remorum Archiepiscopus tibi Hincmaro Laudunensi Episcopo tuum debitum sacris canonibus priuilegium conseruabo, & in quibuscumque Ecclesiasticis negotiis indigueris, secundùm sacras regulas debitum tibi iure adiutorium Archiepiscopali auctoritate adhibebo.] Quæ causa non solùm non de humili, verùm nec de sano sensu processit. Iniustum quippe ac irrationabile videtur, vt Archiepiscopus, à sacris canonibus non exorbitans, excedenti Episcopo suffraganeo à se ordinato professionis ac subscriptionis libello, sicut postulaueras, satisfaceret. Sicut enim secundùm scripturam minor à maiore benedicitur, ita prorsus minor à maiore & non maior à minore iudicatur, ligatur, vel soluitur, sicut & in decretis Gelasij demonstratur. Iustè igitur & rationabiliter tibi hinc respondetur ex Iacobo, Petisti & non accepisti, eo quòd malè petisti. Sed & in eo quòd tibi à me subscribi poposcisti, vt tuum debitum sacris præcipientibus canonibus priuilegium conseruarem, petisti quod voluisti, sed nescisti quod dixisti: quoniam, vt sanctus Hieronymus dicit, priuilegia singulorum communem legem facere non possunt. Et sacri canones prouincialibus Episcopis, & eorum Ecclesiis vel sedibus, priuilegia, scilicet priuatas leges vel iura priuata generaliter non dederunt, quia quod omnes generaliter habent, ius speciale & dignitatis lex priuata esse non valet. Sed Metropolitanis Episcopis ac Metropolitanis sedibus priuilegia tribuerunt, *& cetera de sacris canonibus & decretis Leonis Papæ subnexa. Post quæ subinfert.* Quapropter quando talia mihi ad profitendum & subscribendum misisti, scire debueras, quod in istis regionibus nemo penè ignorat, quia municipium Lauduni, in quo

Iac 4.3.

es ordinatus Episcopus, ab exordio sui, postquam à Marcobrio prætore, vt produnt historiæ, conditum fuit, nunquam inter sedes prouinciales Remorum prouinciæ, in paganismo vel in Christianismo, nomen vel locum habuit, donec sanctus Remigius decimus quintus Remorum Archiepiscopus, certis quibusdam accidentibus caussis, primus ibidem ordinauit Episcopum, & eidem municipio, de rebus Remensis Metropolis satis superque ditato, ipsum Comitatum, in quo consistit, partem scilicet ex Remensi parochia delegauit; sed semper fuit Remensis prouinciæ municipium, sicut hodieque alia municipia in Remensi parochia, quæ in subiectionis loco ac nomine permanent. Non igitur priuilegium, sed municipatum tibi debere seruari conuenerat petere, quia sicut patres nostri ac magistri Ecclesiæ tradunt, Paulus Apostolus non se ciuem, sed municipem
Act. 22. 3. appellat dicens, *Ego homo sum quidem Iudæus à Tarso Ciliciæ, non ignotæ ciuitatis municeps.* Natus quidem Apostolus in oppido Galileæ Giscali fuit, quo à Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigrauit. A quibus ob studium legis missus Hierosolymam, à Gamaliele viro doctissimo, sicut in subsequentibus ipse memorat, eruditus est. & ideo non se ciuem, sed municipem à municipio, id est, territorio eiusdem ciuitatis, in quo est nutritus, appellat. Dictum autem municipium, quòd tantùm munia, id est, tributa debita vel munera reddat. Nam liberales & famosissimæ causæ, & quæ ex principe proficiscuntur, ad dignitatem ciuitatum pertinent. Nec mirum, si se Tarsensem & non Giscalitem dicat, cùm Dominus ipse in Bethleem natus, non Bethleemites, sed Nazarenus à loco vbi nutritus erat cognominatus est. Et tu ergo in Diœcesi Remensi natus, & in Metropoli Remorum nutritus, & in municipio Lauduni ordinatus, non te ciuilem vel ciuicum, sed municipem, videlicet tributarium, seu munerarium, vtinam spiritalium donorum, Episcopum, & excepto quod à pluribus Episcopis es ordinatus, penè vicarium Episcopum, quem Græci Chorepiscopum vocant, debueras recognoscere, ac per hoc non priuilegium tibi adscribi, sed municipatum: nec contra priuilegium tuæ Metropolis te oportuerat rebellare. quod non ageres, si animo Paulus scilicet pusillus & humilis esses. Vnde timendum est, ne & in hoc perditionis filium imiteris, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: cui quantum ex te fuit tradidisti eos, quos irregulariter vt præmisi excommunicasti, non vt secundùm Apostolum spiritus eorum salui, sed quantum furor & indignatio tua præualere potuit, perditi essent in die Domini. Quas colligationes impietatis, vt sæpè dictum est, & semper dicendum est, quoniam regulariter contra votum tuum dissolui, te aduersum me erexisti. *Item post auctoritates super illicita excommunicatione.* De sacramentis autem à te Regi præstitis non est mihi necesse aliquid scribere, quoniam penè

omnes ſciunt, quid de periurio, ſi fortè illud admiſiſti, Dominus in lege & Prophetis, & in Euangelio, & per Apoſtolos ac Eccleſiæ doctores atque magiſtros dicat. Et quia, vt in decretis Apoſtolicæ ſedis dicitur, noluimus exaggerare quod geſtum eſt, ne cogamur iudicare quod eſt iuſtum, quoniam quod inde tibi in Synodo reputatum eſt, iudiciario ordine comprobatum non eſt, ſed regia benignitate intermiſſum eſt, omiſi hinc regulare iudicium ponere, vt te ad conſcientiam tuam remitterem. Peruaſio autem rerum proprietatis regiæ à te perpetrata manifeſtiſſimè claruit, quia nunquam res ipſæ iuris Eccleſiæ Laudunenſis fuiſſe legaliter probatæ ſunt, nec ſua vel cuiuſcumque alicuius alterius donatione vel conceſſione ab eadem Eccleſia poſſeſſas fuiſſe monſtratum eſt. Vnde ſuper hominem tuum Teduinum, cui eaſdem peruaſas beneficiaſti, legaliter conquiſitum eſt. Sed & proclamatio aduerſum te Nortmanni vera fuiſſe claruit, nec teſtibus indiguit, quoniam tam manifeſtiſſimè hoc quod inde contra leges & regulas egiſti, adeo omnibus in iſtis regionibus patuit, vt nulla tergiuerſatione factum tegi aut excuſari valeret. Nam conſtat multis eſſe notiſſimum, & tu in ſcriptis tuis domno Regi & mihi directis hoc confiteris, quoniam ad deprecationem Rodulfi & Conradi eaſdem res, poſtquam domnus Rex illas à longo tempore de Eccleſia Laudunenſi abſtractas eidem Eccleſiæ ſua pietate reſtituit, ipſi domno Regi illas, ſine meo ac Coepiſcoporum noſtrorum & comminiſtrorum tuorum conſcientia atque conſenſu beneficiaſti, quatinus eidem Nortmanno illas beneficiaret. *Item & poſt aliquas datas auctoritates.* Et hoc à te ita irrationabiliter factum irrationabiliùs diſſoluiſti: qui armata militari manu, & permixta vulgi multitudine cum armis & fuſtibus & tumultu maximo, ſicut dicunt qui factum illud viderunt & audierunt, eundem Nortmannum, qui ipſas res à te Regi conceſſas per Regis beneficium retinebat, violenter & ſine Regis auctoritate ac verbo vel litteris expuliſti, expulſo illo illas inuaſiſti, & in eas intraſti, ac poſſediſti, cùm ſint leges & regulæ, ſit etiam Rex portans gladium ad vindictam malefactorum, ſint Epiſcopi & canones ad iudicanda crimina ſacrilegorum, vt ſi ipſe Nortmannus peruaſor rerum Eccleſiaſticarum foret, gladio, id eſt, vindicta regia puniretur, ſi ſacrilegus comprobatus eſſet, Epiſcopali & canonico iudicio iudicaretur. Sunt etiam iudices, & ſunt leges, quorum & quarũ iudicio, ſi quid fortè tibi & Eccleſiæ tibi commiſſæ iniuſtè factum erat, legaliter & regulariter emendaretur. *Jtem poſt quædam, præcipuè B. Gregorij præceptionum decreta.* Denique ex eo quòd tui homines ſe ad regem reclamauerunt, quoniam ab eis ſua beneficia, quæ apud anteceſſores tuos præſeruierunt, iniuſtè & irrationabiliter abſtuliſſes, poſt datum Regi & mihi libellum in Synodo de regulari obedientia tua ſecundùm ſacros canones & decreta ſancta ſedis Romanæ Pontificum, ex eiſdem ſa-

cris canonibus promulgata, electos iudices Episcopos apud me expetisti, & tres secundùm Africanum Concilium, scilicet Actardum, Ragenelmum, atque Ioannem, à me tibi designatos suscepisti, & eorum atque aliorum Deum timentium iudicio, in domni Regis, sicut postulasti, præsentia de quibusdam decretum fuit, vt beneficia sua, quæ irrationabiliter perdiderant, recuperare deberent: quorumdam autem eorum causa vsque ad alium tractatum certis causis interuenientibus non diffinita, sed die alia diffinienda remansit, & tu ante diffinitionem contra sacros canones, & sine vlla necessitate vel ratione, fuga lapsus regularem diffinitionem expectare contempsisti. *Item, post aliqua de canonibus.* Et ab electorum iudicio, vt prædixi, incautè ac inhonestè fuga lapsus, abscedens pitaciolum irrationabiliter confectum, & manu tua subscriptum, ac præfatæ professioni tuæ vsquequaque contrarium, per Ermenoldum diaconum tuum VI. Nonas Iulias III. Indictionis mihi misisti, quod ita se habet.

Reuerentissimo Remorum Archiepiscopo Hincmaro, sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Hincmarus Deo miserante Episcopus debitam in Christo deuotionem.

VOS scitis, quia ab vniuersali sanctæ Romanæ Ecclesiæ Papa, patre quoque nostro & magistro Hadriano bis vocatus existo, & vos ipsi in quaternionibus, mihi à vobis in Attiniaco palatio coram Archiepiscopis & Episcopis qui affuerunt datis, quòd ad eandem sedem venire totidem vocatus detrectem, me reprehendistis, si vitio scriptoris pro detrectem, quod est dissimulem vel differam, detractem, quod valde tractem non ab re accipi potest, intercharaxatum non fuit. Vnde vos nunc pro amore Dei omnipotentis & reuerentia sancti Petri exposco, sicut in eadem Synodo in eodem Attiniaco à vobis conuocata, quod & impetrare non valui, expostulaui, ac iam etiam per integrum efflagitaui annum, & præcipuè in Synodo apud Vermeriam palatium olim ab orno habita obsecrando declamaui, nunc quoque & obsecro, & item declamo, vt & hactenus egi, quo vestra Archiepiscopali auctoritate apud domni gloriosissimi regis Caroli clementiam obtineatis, quatinus domni & vniuersalis Papæ Hadriani præceptis ac institutionibus Ecclesiasticis mihi, vt omnibus expedit, velut ei qui de omni Ecclesia fas habet iudicandi, liceat obedire. videlicet vt limina sanctorum Apostolorum Petri scilicet & Pauli merear, vt deuoui, & ab eodem insuper vocatus sum, penetrare. Alioquin me vobis ab hinc, vt Archiepiscopo Coepiscopus obtemperare debet, canonicè sciatis obsequi non posse, quia vt decernit B. Papa Gelasius, nesciunt quid loquuntur, qui decretis sanctæ Romanæ Ecclesiæ sedis Præsulum quasi canones opponunt, quibus contraire contra canones est ipsos se erigere] Iste Gelasius Papa venerabilis & sanctus omnes decretales epistolas venerabiliter sanxit suscipiendas, nec eas venerabiliter suscipit, licèt ad tomum caput inclinet, qui eis non obedit, sed potiùs porrò obuias manus inferens,

quod sine periculo agi non potest, respuit, vt pote qui de se iudicari non prospicit. Nam velimus nolimus, aut eis parebimus, aut eorum iudicio percellemur, quorum neminem aliqui quique reprobare valemus. De Archiepiscopis autem Remigio ac Arduico, quod mihi per Teutlandum diaconum mandastis, priuilegio sanctæ Romanæ Ecclesiæ non præiudicat, sed quod eis eadem sancta sedes de me voluit ac disposuit committere commisit. Vos verò quod vestrum est agite. In Domino Iesu Christo bene valete. Ego Hincmarus sanctæ Laudunensis Ecclesiæ Episcopus sponte subscripsi.] De quo pitatio tibi distuli respondere, putans te retractare, & à tua contumacia resipiscere, tu autem non quieuisti, sicut causa breuitatis omitto. Et post hæc per clericum tuum Bertharium domno Regi litteras tuas direxisti, excusans te, quoniam ad illum sicut tibi mandauerat venire non posses, quia febricitans vt te sol tangeret sufferre nequibas: sed tibi Romam eundi licentiam daret secundùm votum tuum quod vouisti, quando altera vice febrem habuisti, vt ad sanctorum Apostolorum limina sicut voueras veniens, ibidem ab eadem febre liberareris. Is autem domnus Rex, coram Episcopis & aliis suis fidelibus qui affuerunt, tibi per eundem clericum tuum remandauit, mirum & non verum esse quod diceres, quoniam ad illum venire non posses, & Romam adire valeres. Venires autem ad illum, & si ipse pro causa rationabili te illuc ire velle cognoscere posset, tibi licentiam non denegaret. Tu verò ad eum venire noluisti, donec circa Kalendas Septembris tertiæ Indictionis ad Siluacum de collocutione fratris sui Ludouici rediit. Quò obuiam illi veniens, nihil cum eo, sed nec mecum, per te vel missos tuos de licentia tua Romam eundi dixisti. Sed & quando missi domni Apostolici Remis fuerunt, quotidie per septem dies cum Rege & mecum locutus fuisti, & inde nihil dixisti. Quod dicis te in Synodo apud Vermeriam, indéque apud Attiniacum licentiam eundi Romam petisse, & impetrare non potuisse, omnes Episcopi, qui in eisdem Synodis fuerunt, liquidò sciunt, quoniam cùm de tuis insolentiis increpabaris, timens regulare iudicium, vel Regis castigationem, licentiam eundi Romam petebas. Cùm verò videbas, quia & Rex & Episcopi erant tibi placabiles, de ipsa licentia nihil dicebas, sicut nec modò facis, donec aliquam nouitatem, vt soles, quam semper timendo expecto, iterum facias, de qua cōpellatus solitam cantionem de licentia tua recantes. Petitio autem tua apud domnum Regem talis fuit, quando ad eum venisti, quia sicut plures & penè omnes in istis prouinciis scire dicuntur, & patet, addens grauibus grauiora, velut ipsa sacrorum canonum demonstrant iudicia, nescio quibus machinationibus exquisitis à te iussio est principalis elicita, vt de his de quibus electos iudices secundùm sacros canones expetisti, non solùm eorum querela, quorum causa vsque ad alium tractatum diffinienda remansit, verùm & quæ, vt dixi, in domni Regis præsen-

tia electorum iudicum ſententia diffinita fuerunt, ſine Metropolitani conſcientia, ſinéque canonico & Epiſcopali iudicio, per iudices ſæculares, Helmigarium ſcilicet mercati palatij Telonearium, & Flotharium ac Vrſionem villarum regiarum maiores, refricarentur contra canones, qui ab Eccleſiaſticis ad maioris auctoritatis Eccleſiaſticos iudices, & non à maioribus ad minores, nec ab Eccleſiaſticis ad ſæculares, neque à conſenſu partium electis prouocari permittunt. A quibus iudicibus ſæcularibus à te petitis, quædam ex diffinitis refricata & immutata, quædam verò ex diffiniendis ſunt diffinita, adinuentitia reputatione, ſicut ab ipſis qui in eodem placito fuerunt dicitur, de non neceſſariis & inconuenientibus iuramentis reperta, & à te coram prædictis iudicibus, ipſis tuis accuſatoribus, quos contra electos iudices ſicut expetieras ſuſcepiſti, propoſita. quatinus & is, de quo legaliter & regulariter diffinitum fuerat, vt beneficium ſuum haberet, quod contra rationem & æquitatem perdiderat, eadem adinuentione dimitteret: & illi, quibus iudicatum fuerat, vt quoniam tu poſt expetitum electorum iudicium idem iudicium ſubterfugiſti, beneficia ſua vſque ad legalem diffinitionem tenerent, beneficia ipſa deſererent, & tu quod incepiſti euindicares, cùm ſicut tibi nō licet de accuſatione, ſiue criminalis cauſæ, ſiue ciuilis, relicto Eccleſiaſtico, publico purgari iudicio, ita etiam non licet tibi, poſtpoſito vel contempto Eccleſiaſtico iudicio, ad ſæcularia iudicia conuolare, vel quemcumque, nec etiam laicam perſonam pertrahere, neque ad forum ſuum ſequi, ſi ipſa laica perſona conſeñſerit Eccleſiaſticum ſubire iudicium, ſicut lex Valentiniani, quam probat Eccleſia, demonſtrat. *Item poſt oſtenſas auctoritates.* Et non pertranſeat etiam tuam conſiderationem, cur domnus Rex tuæ petitioni annuerit, vt vnde in præſentia illius electos iudices Epiſcopos ſecundùm ſacros canones accepiſti, ſine conſcientia Metropolitani, ſinéque Eccleſiaſtico iudicio, cōſenſerit vt ſæculares iudices ad retractanda ea quæ diffinita fuerunt, vel ad diffinienda, de quibus iudices acceperas, demum acciperes. Scio enim & certus ſum hinc illum canonicum ſcire iudicium, & miror ac doleo cur tu hoc videre non voluiſti, aut Deo iudice arrogantia cæcatus non potuiſti. Inunge igitur ſecundùm conſilium
Apoc. 3. 18. Apocalypſis Ioannis collyrio oculos tuos, vt videas & albuginem arrogantiæ de oculo mentis, id eſt intellectu tuo abicere valeas: & penſa, ne fortè domnus Rex, quem totiens exacerbaſti, ſciens diuina iudicia atque eloquia, hinc in annuendo votis tuis cogitauerit contra ſe ſententias diuinas, de his qui duræ ceruicis & indomabiles
Apoc 22. 11 corde ſunt, Qui nocet noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt ſorde-
1. Theſſ 2. 16. ſcat adhuc, &, Vt impleant peccata ſua ſemper, &, Dimiſi eos ſecun-
Pſal 8. 13. dùm deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis, &,
Deut 32. 34. Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? mea eſt vltio & ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum iux-

ta eſt dies perditionis, & àdeſſe feſtinant tempora. Et cùm tantarum tranſgreſſionum inueniaris obnoxius, non ceſſas me prouocare, vt de promiſſo pitacio tuæ profeſſionis atque tuæ ſubſcriptionis, de quo tibi, vt prædixi, reſpondere hactenus diſtuli, ſed & de aliis tuis profeſſionibus atque ſubſcriptionibus vel laceſſitus reſcribam, quatinus profeſſionum & ſubſcriptionum tuarum hiſtorias plures legentes, ſi fortè ſunt qui adhuc eas ignorent, earum diligentiam, cautelam quoque & vtilitatem cognoſcant. Et primùm quidem reſpondebo tibi de præfato à te ſubſcripto pitacio, in quo ſcribis in adminiculo tuo te à me reprehenſum, & eſſe me oſtendis reprehenſibilem, ſed ego ſpreta reprehenſione tua, qua me, quaſi ſub quodam excuſationis velamine, de ſcriptoris vitio more tuo euidenter reprehendere ſatagis, qui aut differentiam verbi detractem, quod in meis ſcriptis tibi datis poſui, neſciam, aut ſcriptoris vitium in eis corrigere non ſapuerim, vel emendare neglexerim, & ex mea reprehenſione tuam oſtentare ſcientiam Cham Noe filius voluiſti, non ſolùm in verbi illius differentia, ſed & in alio verbo, quod ad oſtentationem tuî in tuis adinuentionibus iteratum inueni, & cùm hinc meam inſipientiam voluiſti oſtendere, tuam ſtuduiſti apud ſcholaſticos ſtultitiam propalare. Pro me nil curo dicere. mihi enim pro minimo eſt vt à te iudicer, aut ſine dilectione à tua ſcientia reprehendar. Sed ne apud illos, qui tecum rumuſculos captant, glorieris quaſi me mutum effeceris & elinguem, qui ſolus noſtris temporibus theſauros ſapientiæ & ſcientiæ penetrans introiſti, hîc cauſa compendij prætermittens, cùm mihi vacauerit oſtendam quid regularum Grammaticæ artis auctores, quid orthographiæ doctores, quid ſanctæ ſcripturæ tractatores inde ſentiant atque dicant. *Item poſt nonnulla.* Sed alia ſunt hinc ex ſacris canonibus & Apoſtolicæ ſedis decretis, quæ mihi hîc ponere longum fuit, & in opuſculo quinquaginta quinque capitulorum, quod ad tuam commonitionem & correctionem atque inſtructionem tibi dedi, potes relegere, præter epiſtolas præmiſſas, quas tibi direxi ad redarguendam tuam temeritatem, contra Euangelicam veritatem, & Apoſtolicam atque canonicam auctoritatem, contráque ſedis Apoſtolicæ decreta, in tuam & perniciem multorum præſumptam, ſicut in Synodo plurimorum Epiſcoporum eſt comprobatum. ſed & præter alias epiſtolas, ac alia ſcripta, quæ tibi direxi, vel dedi ad comprimendam tuam inſolentiam, & commonendam ac inſtruendam tuam dilectionem, vt ageres iuxta Domini dictum, Quid Deut.10.12.
quærit Dominus Deus tuus à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & facias voluntatem eius, obediáſque ipſius imperio? Quæ frater ſollicita cordis intentione reuolue, & recogita quid ſit quod dixiſti, Quia ex tunc quando mihi litteras illas miſiſti, vt Archiepiſcopo Coepiſcopus obtemperare debet canonicè, ſcirem obſequi

mihi te non posse, & reuoca ante oculos quod coram Episcopis decem prouinciarum professus es, & manu propria subscripsisti, scilicet quia priuilegio Metropolitani prouinciæ Remorum Ecclesiæ, secundùm sacros canones, & decreta sedis Apostolicæ sacris canonibus promulgata, pro scire & posse te obediturum profitereris, & subscripsisti. Dic frater, quando, & vbi, vel in quibus à te requisiui vel extorquere volui, vt mihi cõtra hæc in aliquo obedires? qui nunquã tua, sed iuxta Apostolum te quæsiui, & qui meas iniurias, scilicet meæ personæ, facilè Deo gratias possum dimittere, sicut & pro te quotidie omnipotentiam Domini deuotè exorans facio, iniurias ordinationis diuinæ, quæ à tua insolentia exquiruntur, vt Metropolitano priuilegio canonicè non subdaris, in eum redundantes, qui Spiritu sancto suo, à quo promulgati leguntur & creduntur canones, instituit, patienter ferre non possum, nec debeo, quin tantum inde non satagam quantum potero. Nam sicut sollicitudo & primatus totius Ecclesiæ catholicæ sanctæ sedis Romanæ Pontifici diuinitùs est collata, ita & vnicuique Metropolitano ac Primati prouinciæ sollicitudo sibi delegatæ prouinciæ per sacros canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos noscitur esse commissa. *& cetera. Sequuntur denique plura de professionibus & subscriptionibus eiusdem Hincmari, & correptionibus eius, vsque ad finem operis.*





HINCMARI LAVDVNENSIS

AD REMENSEM.

Respondet ad superiorem LV. capitum Hincmari epistolam, & ad alia quæ contra ipsum scripta vel acta.

Nunc primùm edita ex Codice Laudunensi.

REVERENTISSIMO REMORVM ARCHIEPISCOPO domino patri Hincmaro, Hincmarus Laudunensis Ecclesiæ minimus Episcoporum in Domino Iesu Christo totius felicitatis plenitudinem.

DE his quæ vobis per Hittonem Ecclesiæ mihi commissæ Præpositum verbis mandaui, & mihi litteris rescripsistis, Hermundum hominem Nortmanni mihi dixisse de rebus à me conferendis, non mihi dixit, sed hominibus quibusdam meis, nec incertis personis. Sed & quod scripsistis, eundem Hittonem dixisse vt mihi liceat res Ecclesiæ sicut mihi simulauerit disponere & gubernare, non eas aliter disponere vel gubernare volo, nec inde aliam habere potestatem, præter canonicæ institutionis sanctionem

nem. videlicet vti Antiochenum, quod satis abundéque recipitis, decernit Concilium inquiens, Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reuerentia & timore Dei.] Vnde item in eodem Concilio constituitur, Quæ sunt Ecclesiæ sub omni sollicitudine & conscientia bona, & fide quæ in Deum est, cùm cuncta considerat iudicátque, seruentur: quæ etiam dispensanda sunt iudicio & potestate Pontificis, cui commissus est populus & animæ quæ intra Ecclesiam congregantur. Et canones Apostolorum his statutis ita coniciunt, Præcipimus vt in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat.] Si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt creditæ, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita vt potestate eius indigentibus omnia dispensentur per presbyteros & diacones, & cum timore omníque sollicitudine ministrentur.] Sed & mandaui per præfatum vobis, quòd fortè oblitus fuit etiam ista, quoniam tempore illo quo domnus Rex à regno hoc recessit pro sua necessitate, mihi commendauit homines plures acceptare, quàm loci mei quantitas possit sustinere, spondens tunc se mihi daturum vnde eos in reliquum possem deportare. Nec modò habeo vnde eis sufficientia, immò nec subsistentia tribuam, & mihi ad seruitia sua peragenda necessaria præparem. & nisi mihi licuerit ordinare qualiter viuere possim, vnde itinera tam crebra peragere valeam, non possum illi temporale reddere seruitium, nec locum, cui indignus præsideo, vnde continere præualeam habeo. Quin & res, quæ & tam mihi & clericis meis stipendia conferebant, ac antecessori meo, à me auferuntur, & ei potestate regia dantur, qui nec vnum mansum ab antecessore meo de ipso Episcopatu obtinere potuit. Præterea & res quæ luminaria Ecclesiæ ministrabant ei dantur, quem neque per tres annos ad me vt veniret impetrare quiui, dimittens quæ etiam in constructione Ecclesiæ operari debuit, & easdem res quas tenet cum ipsa Ecclesia quæ in ipsis continebatur destruens. Alij quoque regia potestate dantur, qui ecce per vndecim annos huc illúcque pro suo libitu deambulans ad me nec semel venire dignatus est, sed & filio suo, qui pro illo seruire mihi debuit, nullam sustentationem fecit. vnde & ipse, quia non habebam vt ei aliud beneficium darem, à me recessit. Tales igitur nullam mihi aut Ecclesiæ meæ vtilitatem conferentes, sed potiùs detrimenta inferentes, monente Propheta euellens, destruens, disperdens & dissipans, ab extera potestate super Ecclesiastica dispositione ædificantur & plantantur. Quòd autem mihi rescripsistis de rebus à me ablatis respondisse vobis Regem, quòd putaret mihi posse sufficere quod hinc iam coram Episcopis benigno animo & allocutione placida mihi in Attiniaco palatio dixit, videlicet quoniam ad illum peruenit, me ampliùs præsumpsisse de rebus, de quibus nunc mandaui, quia Flotharius missus eius Nortmanno consignauerit, quàm Ecclesiæ mihi commissæ debeantur, & ampliùs quàm in præcepto habeantur, per quod mihi res à longo tempore ab Ecclesia Laudunensi subtractas restituit, vel gratis meæ petitioni annuens dedit, sicut & manifestissimè claruit de his quas contra rationem ad iustitiam illegaliter atque irregulariter vsurpaui, quæ in præcepto non continentur, & iustè atque rationabiliter secundùm legem homo suus reconquisiuit. Propterea illas res, videlicet villam Pauliacum, quæ à longo tempore ab Ecclesia Laudunensi subtractæ fuerant, præsentaliter reciperem, & illas alias, de quibus ad eum reclamatio venit, interim non reciperem, sed tantùm inde expectarem, donec illud præceptum apportarem, & suus ac vester missus in ipsum pagum irent, & ex his rei veritatem inuestigarent, & quicquid inuentum fuisset, quod ex eisdem rebus iustè & rationabiliter ad Laudunensem Ecclesiam pertineret, non solùm non discuteret, verùm & libenter eas ipsi Ecclesiæ concedere vellet. & ego ex his tunc nihil contradixi.] A fine respondere incipio. Ex istis nihil contradixi, quia nihil in hunc modum ex ipsis audiui. Dixit quidem Rex, dum de receptione eiusdem villæ ageretur, quod alia sicut Nortmannus dicebat superprendissem, quæ in meo non continebantur præcepto, & ego respondi, quòd nullatenus hoc fecissem, nisi quod ad eandem villam pertinebat, aut denominatum in meo continebatur præcepto. & si il-

Can.xxiv.

Can.xxiv.

Can.xli.

Hier.1. 10.

li placeret, ipsum præceptum posset videre. Et ipse respondit bonum esse vt ipsum præceptum videret. Et post hoc alia atque alia interposita fuerunt, vsque dum ad hoc peruentum est, vt diceret se mihi concedere eandem villam, & quicquid in meo continebatur præcepto, præter illa quinque mansa, quæ Ansgarius homo suus retinebat. de illis autem volebat, vt id ipsum verbum ponam, vt sic starent vsque dum per missos suos cum vestro & meo inde rei veritatẽ inquireret, & si etiam posset inuenire, quòd ad villam Pauliacum iustè pertinerent, mihi perredderet. Illud autem præceptum, quandiu postea in Attiniaco fui, à me non requisiuit, vsque dum Flotharius easdem res homini Nortmanni reconsignauit. Quod præceptum Berthario misso meo deferente per manus Harduici Archiepiscopi Rex vobis præsentibus postea in eodem Attiniaco vidit: & eadem loca distinctim posita in eodem præcepto aut vidistis, aut Ansigiso relegente audistis. quæ Flotharius, sicut prædixi, homini Nortmanni consignauit, & eidem Berthario, vt mihi renuntiauit, Rex dixit, quòd misdictum illi fuerat, & easdem res ab Ecclesia Laudunensi distrahere nolebat. qui suum deosculatus est pedem. Vobis autem paulisper cum Rege consiliantibus redditio dilata est. De eo autem quod ex vobis mihi scripsistis ita, sicut & manifestissimè claruit, de his quas contra rationem & iustitiam illegaliter ac irregulariter eas vsurpauerim, quia in eodem præcepto continetur, quòd villam Pauliacum in integro mihi regia restitueret auctoritas, & qualiter ipsa mansa ad eandem villam Pauliacum iustè & rationabiliter pertineant, & iam per sexaginta annos & eo ampliùs certitudinem rei habeo. & ideo legaliter & regulariter eas cum ceteris mansis ad Pauliacum pertinentibus per sex menses possedi, donec idem Ansgarius regia potestate ipsas obtinuit, non aduocato meo ad mallum, vt publicæ se habent leges, pro rebus ipsis mannito. Immo etiam, cùm in palatio ad causas pro ipsis bannus à meo quodam requireretur homine, qui inde nullum ministerium habebat, nisi quia tantummodò ad potestatem sanctæ Mariæ eas me iubente reuocauerat, vt ceteri mei homines ceteras, & pro eo quòd in illa mansa intrauerat, vt bannum reuuadiaret interpellaretur, adstitit meus pro his rebus aduocatus, qui legem sibi de his obseruari proclamauit. videlicet quia ad potestatem sanctæ Mariæ Laudunensis Ecclesiæ pertinerent, & ipse pro his rebus aduocatus erat, & inde secundùm legem rationem reddere vellet. Qui mox expulsus est, & cum omni violentia coegerunt illum meum alium hominem, ad quem inde nihil pertinebat, vt bannum pro his reuuadiaret. & reuuadiato banno minati sunt, quod ad mortem illum iudicarent pro infidelitate Regis, nisi præsentaliter talia vadimonia daret, ac pro vadimoniis tales fideiussores, qui die statuta easdem res Regis misso quasi reuestiendo reconsignaret, quod & eum facere compulerunt. Secundùm hanc legem conquisitæ sunt hæ res, si hæc constrictio conquisitio iure dici potest. Quod verò mihi rescripsistis sic, De beneficiis autem hominum tuorum de quibus mandasti, respondit quia tui homines se ad eum reclamauerunt, quod ab eis sua beneficia, quæ apud antecessores tuos, & apud te proseruierant, iniustè & irrationabiliter abstulisses. vnde secundùm sacros canones, & decreta sanctæ sedis Romanæ Pontificum ex eisdem sacris canonibus promulgata, electos iudices apud me expetisti, & eorum atque aliorum Deum timentium iudicio de quibusdam decretũ fuit, vt beneficia sua, quæ inrationabiliter perdiderant, recuperare deberent. Quorumdam autem eorum causa vsque ad alium tractatum certis causis interuenientibus non diffinita, sed implacitata remansit. & tu ante diffinitionem contra sacros canones sine vlla necessitate vel ratione fuga lapsus regularem diffinitionem expectare contempsisti. Respondeo quod inde se rei veritas habet. Rex quidem quodam die, cùm iam domum redire debueramus, à vobis quærere cœpit, qui in crastinum de Coepiscopis Remorum prouinciæ interessent ad causam audiendam de his hominibus. Ego tamen dixi quia non habebam mecum clericos nec laicos qui causæ interfuerant, & per quos inde rationem reddere possem. Nam præteritis ipsis diebus per bannum regium omnes mei homines in palatio retenti fuerant: ego autem solus ad mansiones Harduici cum vno suo clerico & tribus laicis hominibus perrexeram. Interrogauit quoque

Rex, quos ibi potuissem habere: & respondi Bertharium clericum, & vnum laicum, qui in quorumdam istorum causis interfuerant, & iussit vt eos haberem. & sic designastis Actardum, & Rainelmum, & Ioannem Episcopos, quos cognitores hoc vt prædixi modo suscepi, ne viderer velle causam dilatare, ac dilatione fallaciter tegere veritatem. Aduenimus in crastinum. Reclamauit primus qui dicitur Ragenardus. de quo talem ab exordio incipiens reddidi rationem, quoniam dum idem domnus Rex me Gothiam suo in missatico misisset, sine mea licentia reuersus est. Deinde quia iam tres anni erant peracti, ex quo eundem Ragenardum non vidi, & quæ operari de suo debuerat beneficio in Ecclesia Laudunensi ex plurima parte dimiserat, nec ad vlla placita de consideratione mearum necessitatum, ad quæ mei alij homines venerant, ipse venerat. iustitiam de suis qui de illo reclamabant hominibus villanis reddere vnquam noluerit. Et nunc in proximo, dum hostiliter omnes banniti fuissent in Regis seruitium, & ipse cum aliis meis venissem hominibus ad Mosomum, vnde non longè sua distabat mansio, neque ad me venerit, neque vllum suum missum suæ impossibilitatis aut alicuius excusationis transmiserit. Insuper filium suum, quem mihi commendauerat, cùm præcepissem ipsi cum aliis meis qui de eodem pago sunt meas tenere mansiones, ad tenendas mansiones Rothadi Episcopi miserat: & dum per ipsam pergerem villam, neque idem filius suus in præsentiam meam venire dignatus fuerit. Locutus cum quibusdam meis, à quibus & audiui hominem illum fuisse Rothadi Episcopi, vt talibus patet indiciis. Reuersus autem ex eadem expeditione, diúque expectans ad me non venit. Peruenit autem ad me clamor de eodem Ragenardo, quòd suum habuerat destructum beneficium. Transmittens autem rescire vtrum verum esset, inuenit missus meus, & mansum indominicatum, & ipsam Ecclesiam penitùs destructam, ac siluam venditam, & alia perplura. Ad quæ iudicauerunt adstantes laici, vt sacramento probaretur ex mea parte, quòd de Regis seruitio sine mea licentia veniret, & amitteret illud beneficium, anetum, mentam, & ciminum decimantes, & grauiora legis relinquentes, culicem liquantes, & camelum glutientes, cùm canones decernant vt per Episcopos iudices causa finiatur. & intra plenitudinem Capitulariorum gloriosissimorum Imperatorum domni Karoli & Hludouuici ita statutum sit, Quæcumque à singulis Regibus circa sacrosanctas Ecclesias sunt constituta, vel singuli quique Antistites pro singulis Ecclesiasticis impetrarunt, sub pœna sacrilegij iugi & solida æternitate seruentur. Clerici etiam non sæcularibus iudicibus, sed Episcopali audientiæ reseruentur. Fas enim non est vt diuini subdantur arbitrio sæculari.] Item in eisdem ex sacris regulis & istud assumptum est, De viris Deo dicatis, vel Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi nulla legitur laicis, quamuis religiosis, vnquam attributa facultas.] Itaque potioris erat iudicij sacratas Deo res destruere, & de sacratis Deo rebus Ecclesiæ cuius erant debita obsequia non reprehendere, quam temporale illud seruitium dimittas. sed animales homines non percipiunt ea quæ sunt spiritus Dei, spirituales autem omnia diiudicant, sicut spiritualis homo testatur Stephanus Papa & Martyr. Quicquid in sacratis Deo rebus & Episcopis iniustè agitur, pro sacrilegio reputabitur.] Post hunc reclamauit Griuo. & respondi nõ me habere ibidẽ illos homines, qui ea quæ dicturus eram vnà mecũ sciebant. Attamen iubente rege cœpi hæc enarrare. Scilicet quòd illum, & Beraldum qui aderat, sicut domnus Rex sciebat, Romam monueram esse mittendos, qui domno Apostolico de remoratione mea litteras deferrent. Quodam autem die veniente ad me eodem Griuone, missaticum verbotenus iniunxerim, & litteras ei dare volens, suam retraxerit manum, dixeritque vsquequo suus compar veniret, non se litteras accepturum. cui & dixerim vt tunc & ipse proxima sexta feria quæ imminebat in eadem hebdomada cum suo compare videlicet Beraldo adueniret. Qui his auditis se ad pedes meos prosternere voluit, quem susceperim ne faceret, & sic ipse intulerit quòd audierit me habere motum aduersus se animum, & illi necesse erat vt antequam tale inciperet iter, sacramento se

Epist. 11.

excusaret, & tunc quod iuberem voluntariè se facturum. Cui & respondi, quia non celabam quòd motus aliquid aduersus illum fuerim, eo quòd audieram à quibusdã illũ dixisse, quòd Romam ipsum non pro alia re ire rogabam, nisi vt inde Scats mihi daret, quod ego mirabar si diceret, cùm quicquid habebat beneficij gratis ei dedissem & sine vllo pretio. Nam vt scitis antecessorem meũ Pardulum dimisit, & vobis se cõmendauit. In tempore autem ordinationis meæ illum mihi commendastis, qui per aliquod mihi seruiens, mortuóque patre eius quod habuit beneficium illi dedi, insuper & alia XII. mansa. Hæc quæ præmisi me illi referante negauerit quòd nunquam illud diceret, nunquam cogitaret, & precatus fuerit vt liceret illi se inde sacramento purgare. Cui responderim quia nihil abhinc ex hoc illi discrederem, nec aliquid aduersus eum motionis abhinc haberem. & si ille Deo propitiante sanus abiret & rediret, suum seruitium illi promeriturus essem, & eum ab illis itineribus quantum possem requiescere permitterem. Post hæc prosecutus sum quòd audierim illum siluam quam suus nutrierat pater destruere, & interdixi omnimodis ei vt caueret ne illud, si factum erat, in reliquum fieret. respondítque mendacium quod audieram esse, sed dum Aquis palatij mecum foret, (nam ab illo loco domnus Rex mihi dixerat Ansigisum esse Romam suo missatico profecturum) quidam sui vicini aliquid ex ipsa silua deuastassent, sed ipse reuuadiare eos esset facturus, sicque recesserit. reuerti iussus à me, vt prædixi, in eadem hebdomada feria VI. Sed mox vt domum peruenerit, omnibus vicinis suis denuntiari fecerit, vt quicumque ex eadem silua accipere volebat, vsque in præfatum diem acciperet, quia ipse ampliùs non illud beneficium teneret. Veneríntque omnes tam ex ipso Comitatu, quàm & de reliquis circumcirca positis, depopulatique eandem fuerint siluam, ipso Griuone præsente, ac quibusdam villanis eam vendente, quibusdam perdonante, audierimque hæc, vt puta sicut de tam vulganda re, sustinuerimque vsque ad placitum quod ei designaueram. Qui dum non venerit, nec missum suæ excusationis ad me transmiserit, iam tandem miserim rescire si vera essent quæ dicebantur. inueneríntque missi mei eandem siluam sine numero villanos destruentes, ac quercus semjincisas in reliquum destruendas, pérque circum circa campos densiter quæ perduci ad domus destruentium non poterant iacentes, & sic iusserim, vt ex verbo meo omnibus prohiberet, ne ampliùs eam destruerent. miserimque missos meos, quod per campos remanserat recipere, venerítque ipse Griuo cum suis parentibus armatus, contenderítque hoc fieri. sed cùm plures ex meis venissent hominibus, quibus resistere non poterat, per vuadia emendauerit quod misfactum habebat. mandauerítque mihi se velle ad meam mercedem venire, & sustinere qualem illi commendassem harmiscaram, responderímque illis meis pro eo petentibus hominibus videlicet Gerardo, Hadoardo, ac Colsano, vt veniret in crastinum, & libenter si ita ipse vellet illud adquiescebam. Qui transmisit ad me quendam suum propinquum, qui vocatur Magenfridus, pro hac ipsa re, cui & similiter respondi. qui venerit quasi hoc acturus ad locum vbi eram, qui dicitur Montiniacus, & me hoc ipsum ei offerente discesserit, dicens non meam se habere velle terram, nec meum se esse futurum hominem, neque vnquam pro ipso beneficio non solùm non ad Romam, verùm nec tantum longitudinis, quantum ad suam restabat mansionem, perrecturum. Addidi quoque quòd ipsum beneficium penitùs destructum haberet, sicut & habet & apparet, familiámque multimodis contra legem vexatam. qui negauit coram Rege se non destruxisse illam siluam, nec suum esse destructum beneficium, nec ita à me discessisse, sed non potuisse coram me ad vllam venire reddendam rationem. Ego autem non habebam illos quos præscripsi, nec alios qui mecum tunc fuerunt, & hoc similiter sciunt quia illis diebus in Harduici Archiepiscopi mansionibus pro causa superiùs prætaxata solus moratus extiteram. Tunc domnus Rex dixit, quia si ille ipsam siluam vt dicebat nutrierat, quam pater suus nutrisse cœperat, & ex eo amicis suis non destruendo, sed eum manacta dedisset, aut si ad suam necessitatem ex

ea cum mensura accepisset, pro hoc non debuisset illud beneficium amittere. Quod nullus est qui negare possit si ille ita fecisset : sed ipse sicut dixi fecit, quod tamen vt præmisi coram Rege negauit. Dixit autem Rex, quòd illud quod dicebat, neque iudicando diceret, quod tamen iustè & rationabiliter, sicut dixi iste aliter non fecisset, dici & iudicari posset. Me autem tunc persistente, quòd satis habere possem de meis qui ea quæ dicebam veridicare valerent, domnus Rex videns ibi causam non posse finiri, distulit eam vsque dum à Siluanectis reuerteretur in sequenti hebdomada feria quarta. nam illa dies quo hæc acta sunt dies Dominicus erat. iussitque vt homines meos huius rei conscios mecum adducerem, & sic causa finiretur, quod & feci, diéque statuta adfui. sed nec Actardum, nec Rainelmum, nec Ioannem Episcopos, qui cognitores mihi à vobis dati fuerant, & nisi iudicio eorum contradicendum putarem, ad Synodúmque prouocarem iudices fore potuissent, sine quibus causa finiri non poterat, ibi inueni. Ergo quod dicitis me ante diffinitionem contra sacros canones sine vlla necessitate vel ratione fuga lapsum, & regularem diffinitionem expectare contempsisse, ecce patet quòd non contempsi, quoniam ita sicut præmõstraui causæ adfui. nec decere magnitudinem vestram intelligo, vt me tam sæpè contemptorem canonum describatis, quod nondum vel in vno aliquo euidenti documento probare potuistis. De eo verò quod dicitis, sine vlla necessitate vel ratione fuga lapsum, fateor nec ratio nec necessitas fore debuisset deuenienti in hos fines sæculorum id mihi facere, qui nusquam vel nunquam in aliquo contra quenquam quid egi, pro quo mihi fugere per rationem necessitas esset, aut diffugere rationem occasio incumberet. Et ideo fugere mihi contra rationem contráque omnes leges tam diuinas quàm humanas necesse esse non debuisset, si ratio & auctoritas ordinem & locum suum in me qualicumque Episcopo vindicassent. Sed sicut vobis in initio missatici mandaui, Siluaci memor fui vbi vos adfuistis, quod mihi nihil profuit sed obfuit, qui pro eo solummodò retentus fui, ne Romam domni Apostolici præceptis obediens irem, quod à sæculo non est de Episcopo ab Episcopis auditum. De fuga autem qua me reprehenditis, non ego qui nihil sum; sed cuncto orbi Papa venerandus & venerabilis respondeat Iulius, ita scribens ad Eusebium, Theognium, Theodorum; ac Berintum, reliquósque ad Orientales Episcopos. Igitur de fuga, super qua Athanasium reprehenditis, non rectè agitis, cùm ipse Dominus mandatum nobis hoc dederit, *Cùm persecuti vos fuerint in vnam ciuitatem fugite in aliam.* Et ipse Dominus per semetipsum exemplum demonstrans, quando Pharisæi consilium fecerunt aduersus eum vt occiderent, sciens autem Iesus discessit inde. & alibi, *Tulerunt lapides Iudæi vt mitterent super eum, Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo, & transiens per medium eorum abiit*, & ita discessit. Nam & discipuli propter metum Iudæorum recesserunt celantes semetipsos. & Paulus in Damasco à principe gentis quæsitus de muro in sporta depositus est, & manus quærentis effugit, & alij quamplurimi & innumerabiles sancti, tam in veteri quàm in nouo testamento, fugisse leguntur. Si ergo fugam improperatis fugientibus, erubescite potiùs persequi, & quiescite insidiari, quiescéntque continuò fugientes. Nam siue perimatis eos, mors contra vos semper exclamat, siue rursus exilia superponatis, vbique in vos mali memoriam destinare noscimini, & illi patiendo sibi proficiunt.] Indicia itaque necessitatis meæ, licet indebitè ac indignè etiamnunc mihi fugiendum fuisse, quia compellitis vulnus super dolorem addentes, explicabo. Vocastis me litteris vestræ auctoritatis Attiniacum ad Synodum, intimantes quia litteræ domni Apostolici domno regi Karolo, & regni ipsius Episcopis directæ fuerant, de quibus sine Synodali consultu responderi non poterat, quamuis eas litteras in Gundulfi villa suscepissetis, vbi & præsens adfui, quas mihi ibidem nullatenus ostendistis. Cùm autem Attiniacum veni, dedistis mihi quasi exemplar earumdem, legere me rogantes, & sic statim inde respondere, & vt perlegens id ipsum exemplar vobis protinus redderem præcepistis. sicut autem postea per

Epist. 11. ad Orientales

Matth. 10.

Matth. 12.

2. Cor. 11.

aliud didici exemplar, plura in indiculo vestro mihi ostenso defuerunt. Tractata sunt in eodem Attiniaco à domno Rege per aliquot dies quæ visa sunt. Cùm autem designaretur nobis dies certus, in quo Synodalia tantùm debuissent ventilari, qui futurus erat sexta feria, adueni, vos autem contigit non venisse. Omnes quòque homines mei ad causas banniti sunt, ita vt nec vnus dum redirem ab eodem palatio me sequi permissus sit. Nortmanno hoc agente pro villa Pauliaco, eo quòd illam concessione regia, & Apostolica etiam vt scitis auctoritate recipiens, me iidem homines in eandem villam secuti sunt: cùm tamen, si nec mihi concessione regia redderetur, quia in parochia mihi à Deo concessa eadem consistit villa, excusari debuerant, si me, cuius ministerium ipsam intrandi canonica sanctione erat, in illam sequerentur. Sed miro in modo noua lege actum est, vt ipse Nortmannus, raptor ac sacrarum rerum peruasor, vnde & sacrilegus, quin & nisi ex his rebus se exueret Apostolica auctoritate excommunicatus, pérque oris vestri officium, vt se authenticæ litteræ vobis missæ habent, repellendus, à me etiam qualicumque Episcopo pro specialibus in Ecclesia Laudunensi admissis ab Ecclesia sequestratus, non exegit talis taliter exsoluere quæ non rapuimus, nec rapinam arbitrati sumus tam digna æquitate vel serò quæ nostra erant recipiendo possidere, quæ ipse tam nefanda iniquitate non pertimuit per tot annos diripuisse. Nec profuerunt hæc quæ intra plenitudinem capitulariorum domni Karoli ac Hludouuici Imperatorum assumpta sunt sic, Quæcumque à singulis regibus circa sacrosanctas Ecclesias sunt constituta, vel singuli quique Antistites pro singulis Ecclesiasticis impetrarunt, sub pœna sacrilegij iugi & solida æternitate seruentur. Clerici etiam non sæcularibus iudicibus, sed Episcopali audientiæ reseruentur. Fas enim non est vt diuini subdantur arbitrio sæculari.] Item in eisdem, Synodali decreto sancitum est, ne laici vel sæculares de viris Deo dicatis Ecclesiæque facultatibus aliquid ad se putent vel præsumant præter reuerentiam pertinere, quorum quarúmque sacerdotibus disponendi indiscusè à Deo cura commissa docetur. Si quis contra hæc venire præsumpserit, anathemate feriatur.] Item in eisdem De viris Deo dicatis, vel Ecclesiasticis facultatibus, nulla legitur laicis, quamuis religiosis, vnquam attributa facultas. Ergo quibus non est facultas res Ecclesiasticas disponere, perniciosum est eas diripere.] Item in eisdem. Si quis in hoc genus sacrilegij proruperit, vt in Ecclesias earúmque res irruens, sacerdotibus & ministris vel ipsi cultui locóque aliquid quod non oportet iniuriæ inferat, diuini cultus iniuria conuictus siue confessus reus capitali sententia n ouerit vindicandum. Nec expectetur vt Episcopus iniuriæ vltionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam derelinquit, sicque cunctis non solùm liberum, sed & laudabile factas atroces sacerdotibus aut ministris iniurias veluti publicum crimen persequi, ac debitas reis vltiones mereri.] Nunc è contra liberum & laudabile est sacrilegis sacras res inuadere, & filij Ecclesiæ velut rei pœnas luunt, qui disponente Episcopo eas vel intrare præsumunt. Vos quoque in quaternionibus Pistis Regi datis hoc capitulum integrius ita posuistis ex eorum Augustorum libro, de quo hoc assumptum, & in Augustorum nostrorum libro ita vt præposui compendiosiùs est insertum. Si quis in hoc genus sacrilegij proruperit, vt in Ecclesias catholicas irruens, sacerdotibus & ministris, vel ipsi cultui locóque aliquid importet iniuriæ, quod geritur litteris ordinum, magistratuum & curatorum, & notariis apparitorum, quos stationarios appellant, deferatur ad notitiam potestatum, ita vt vocabula eorum qui agnosci potuerint declarentur. & si per multitudinem commissum dicetur, si non omnes, possunt tamen aliquanti cognosci, quorum confessione sociorum nomina publicentur. Atque ita prouinciæ Moderator sacerdotum & catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius & diuini cultus iniuriam capitali in conuictos siue confessos reos sententia nouerit vindicandum. Nec expectet vt Episcopus iniuriæ propriæ vltionem deposcat, cui sanctitas ignoscēdi soli gloriam derelinquit. sitque

Cod. Th. De Episc. Eccles. l. 31.

cunctis nõ ſolùm liberum, ſed etiam laudabile, factas atroces ſacerdotibus aut miniſtris iniurias veluti publicum crimen perſequi, ac debitam reis vltionem mereri. Quòd ſi multitudo violenta ciuilis apparitionis executione, & adminiculo ordinũ poſſeſſorúmve, nõ potuerit præſentari, quòd ſe armis ac locorum difficultate tueatur, iudices armatæ apparitionis præſidium, datis ad virum ſpectabilem Comitem litteris, prælato legis iſtius tenore depoſcant, vt rei talium criminum non euadant.] Item & iſtud poſuiſtis, Si Eccleſiæ venerabilis priuilegia cuiuſquam fuerint vel temeritate violata, vel diſſimulatione neglecta, commiſſum quinque librarum auri, ſicut etiam priùs conſtitutum eſt, condemnatione plectatur.] Ibid. 34. Numquidnam, domine pater, dignum fuerat, vt vocatus à vobis ad Synodum pro reſponſione domno Apoſtolico reddenda foris excluderer, & reſidentibus vobis vnà cum Archiepiſcopis ac Coepiſcopis meis, iſte Nortmannus talia agens talitérque Apoſtolica auctoritate excommunicatus, quíque per oris veſtri officium fuerat repellendus, in præſentiam veſtram me accuſaturus pro ipſis rebus receptis veniret, ac à vobis audiretur, à quo ſpecialiter ac omnimodis ſuper hac re, & ego & omnes mei non tantùm excuſari quantum omnino debueramus defendi? De his enim iſte Nortmannus vnus eſt, de quibus in quaternionibus veſtris, quando vobis placuit, pro me, próque Eccleſia mea ita ſcripſiſtis ad locum. Talium etiam, vt fertur, quarumdam perſonarum præiudicio iſtud cõmiſſum admiſſum eſt, quæ & in legibus & in ſacris canonibus infames perſonæ notantur. Et ſi vigor Eccleſiaſticus ſic vigeret, ſicut tempore anteceſſorum veſtrorum & noſtrorum prædeceſſorum viguit, inter criminoſos, quia videlicet vt à miniſtris dicitur criminoſi, à liminibus Eccleſiæ forent extorres. Nunc autem noſtra diſſolutione, vt quidam dicunt, in Eccleſiam ipſi inſiliunt, qui ab Eccleſia ſeparari debuerant. & hoc noſtris peccatis, in quos fines ſæculorum deuenerunt, meritò reputamus, qui ad noſtram contumeliam, non ad Eccleſiæ gloriam ſacerdotes dicimur, qui à talibus conculcamur, & ipſi de ſacerdotum capitibus iudicant, quorum iudicium vel compellationem liberi & ſani capitis laici in iudicio publico legaliter non reciperent, ſi reicere vellent. In quo facto, vt ſanctus Cæleſtinus ſcribit, non eſt agentium cauſa ſolorum, vniuerſalis Eccleſia quacumque nouitate pulſatur. Nouum eſt enim quod nunc factum eſt, quia non eſt de ſub iſto cælo auditum, vt Epiſcopus cum Eccleſia ſua proſcriptionis titulo ab vllo religioſo principe laicorum iudicio vſque modò fuerit confiſcatus.] Ecce quàm inſignibus armis prælia Domini tunc præliati fuiſtis. ſed dicam vobis quòd tacere nec debeo, nec audeo. Non putaui ad dehonorationem veſtrî pertinuiſſe, quòd Romam miſi, quòd Romam ire volui & volo, quòd à Roma auxilium expetiui, vnde omnis Epiſcopatus ſumpſit exordium, & retinet proceſſionis & ſucceſſionis incrementum. Nunquam hactenus caput pedibus nocuit, ſine quo pedes ire non conſueuerunt. Sperabam perficiorem ſanctitatis veſtræ fore romphæam, ſi ferro vicarij Apoſtolorum principis Petri acueretur, non obtunſiorem. Taceo interim, quòd enedreuticè mihi in eodem Attiniaco irrogaſtis appellanti ſanctam Romanam ſedem pro amore Dei omnipotentis, & eiuſdem Apoſtolorum principis Petri veneratione: qui etiam, ſicut ſcitis, ab eadem ſum ſede vocatus. quod neutrum mihi profuit, nec adhuc prodeſt. ſed debuiſſem inde à vobis aliquam inuenire excuſationem, non ſuſtinere oppugnationem. Pro quare tanta paſſus ſum & patior, quanta meis debentur peccatis, non autem reuerentiæ tantæ ſedis. Quod mihi ſcripſiſtis, vt cùm domnus Rex à fratre ſuo reuerſus fuerit, apportem illud præceptum, per quod præfatas res Eccleſiæ Laudunenſi reſtituit ſiue contulit, & ſicut iuſtum de illis rebus quas requiro, inuentum fuerit, agere procurabit: ad quod rurſus illud præceptum vt apportem neceſſarium eſſe non intelligo, cùm illud per manus Harduici Archiepiſcopi vobis præſentibus & audiuit & vidit, atque ipſum ſe firmaſſe, vt mihi Bertharius renuntiauit, recognouit. Sed hoc multis vt & mihi mirum eſt, quia quod regia liberalitate pluſquàm ſex menſes quietè retinui, dum Synodus per-

acta fuit, statim amisi. De hominibus meis quòd scribitis, quia causa eorum non diffinita sed implacitata remansit, satis vobis superiùs respondi. & ideo quòd non irregulariter ac illegaliter vt dicitis abscessi. Sed quomodo nunc iustè ac rationabiliter ventilanda eorum causa sit, ac secundùm sacras leges diffinienda antequam de eisdem rebus reuestiar potestate, non patet, quoniam iustè ac rationabiliter eos ab illis recepi, & illos ab ipsis prohibui. quod ei euidentibus documentis probare, vt præscripsi, paratus fui. Quod scripsistis, Ceterùm, carissime frater, de scedula, quasi Episcoporum diffinitionem continente in Synodo quæ apud Tusiacum fuerat habita, valdè miratus sum vbi & quomodo adinuenisti, quam antequam per Hettonem clericum tuum audierim, nunquam vidi vel nusquam audiui, sed nec qui modò adfuerunt Episcopi eam se vidisse vel audisse dixerunt.] Et ego illud non ab re admiror, si Harduicus Archiepiscopus qui adfuit, eam se non vidisse nec audisse dixit. Nam ab eo illam accepi, & relegens transcribi iussi. & transcripta est per manus duorum Ecclesiæ mihi commissæ diaconorum, quorum vnus Teutlandus, alter vocatur Hartgarius, qui scio quòd nesciunt Apostolicas aut Synodicas deprauare vel diminuere epistolas. quod à me nunquam didicerunt, quia Deo teste ego hoc nunquam agere præsumpsi. Quòd verò vos dicitis, nec audisse nec vidisse eam, & authenticam diffinitionem, quæ secundùm sacras leges in eadem Synodo decreta est, cui & vobiscum interfui, vos habere, multùm precor illam mihi ostendi, vt & ipse recognoscere valeam in ipsa manum meæ subscriptionis. Scio tamen quia interfui in ipsa Synodo, & reminiscor quorum specialiter admonitione huic diffinitioni succinctiùs collectæ subscriptum est. Quod adiicitis, quia diuinare non valetis vnde adinuentio ista emerserit, iam non est vobis necesse illud diuinare, quia per me qui humanus homo sum, hoc interea rescitis, & si authenticam mihi ostenderitis quæ aliter se habeat, diuinam esse demonstrabitis, quia nos humani hanc in eadem Synodo constitutam & confirmatam veraciter nouimus. Quod adiungitis, Quæ ~~sicut ex~~ his euidenter potes cognoscere, quæ tibi contra præsumptiones tuas studui scribere, in quibusdam sacris regulis obuiat, & mendacem illam facillimè posses aduertere, si illos oculos habuisses in capite, de quibus scriptu-
Eccle. 2. 14. ra dicit, *Oculi sapientis in capite eius.*] Quæ illa sint, quæ contra præsumptiones meas scripseritis, in quibus euidenter possem cognoscere, quia hæc diffinitio in quibusdam sacris regulis obuiaret, ignoro, nec ex scriptis vestris me non agendo præsumpsisse recognosco, quia me ex actibus conscientiæ meæ pro scire perpendo, non ex denotatione scripturarum vestrarum deiicio. Quod dicitis quia mendacem illam esse facillimè possem aduertere, si illos oculos habuissem in capite, de quibus scriptura dicit, *Oculi sapientis in capite eius.*] illos me habere oculos non iacto, sed vtinam adepturus desidero. Nec illos sapientium habere volo,
Hier. 4. 22. de quibus dicitur, *Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nesciunt.* Nec plus volo sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, memor mo-
Eccli. 3. 22. nentis, *Altiora te ne quæsieris.* Quæro tamen, vt vbi mendax est, & sacris obuiat regulis, mihi demonstretis. Fateor quia non video, & si tunc vidissem, non sub-
Ead. p. 280 scripsissem. Quod dicitis, Et miranda est tua prudentia, qualiter si placuit hanc mendacem, & in quibusdam, vt dixi, sacris regulis obuiantem compilationem habere, & mihi transmittere. quàm veram Synodi definitionem & sacris regulis congruentem habere, & à me qualicumque primate tuo iuxta regulas sacras tenendam & sequendam accipere.] Illam epistolam, quam vos in eadem Synodo à vobis Archiepiscopali administratione dictatam recitari fecistis, penes me habeo, & reminiscor quia ob prolixitatem ipsius, quibusdam satagentibus, huic compendiosiùs diffinitioni collectæ subscripsimus. Nam vestrum Tetrastichon domino Regi deuotiuum præmittentes ita incipitis, SANCTA SYNODVS congregata in villa Tusiaco Tullensis parochiæ. In hac autem quæ incipit, CVM IN NOMINE Dei omnipotentis, primum istud ita inchoat Capitulum. In primis igitur, propter pertinaciam multorum, qui cùm sint sacrilegi, templum Dei

Dei in femetipsis corrumpentes, sacras res ex oblatione & voto fidelium sacris locis contraditas inuadere non timent, statuimus secundùm regulam antiquam patrum nostrorum, vt si quis oblationes fructuum, & rerum omnium quæ ministris Ecclesiæ conferuntur, aut collectæ sunt, extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit præter conscientiam Episcopi, vel eius qui constitutus est ab eo ad dispensandum officio Ecclesiastico disposita, tam is qui dat, quàm is qui accipit, anathema sit iudicio omnipotentis Dei, nisi resipuerit, perpetuò damnatus, & reliqua.] Cui decreto & vos in epistola vestra ita concinere videmini, inter alia inquientes, Dicunt enim illi, qui in cælo regnant & in terra miraculis coruscant, qui & vsque hodie nobiscum viuunt, & cum successoribus nostris vsque in perpetuum viuent, quoniam apud Deum est merces eorum, Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit præter conscientiam Episcopi, vel eius cui huiusmodi officio commissa sunt, nec cum eius voluerit agere consilio, anathema sit. Anathema autem in Romana lingua alienatio interpretatur: quia omnis talia faciens, quandiu in illis manet, licèt nos Episcopi, qui in Apostolis, & cum Apostolis, non nostro merito, sed gratia diuina ligandi & soluendi potestatem accipimus, interdum tardi, interdum diuini sensus ignari, interdum quæ committuntur nescientes, aliquando etiam commissa vt expedit corrigere non valentes, quæ statuta sunt exequi dissimulemus, vel etiam negligamus, vt talem hominem ab Ecclesia & fidelium societate excommunicantes non segregemus, iam tamen à sacris canonibus excommunicatus & prædamnatus est, donec peccatum illud deserat, & per satisfactionem Ecclesiasticam, & sacerdotalem reconciliationem, Domini gratiam, & fidelium societatem recipiat: & quicumque in peccatis suis & talibus sceleribus implicatus, ante satisfactionem necessariam vitam istam finierit, communionem & societatem cum electis in regno Dei habere nullatenus poterit, nec de inferni pœnis & dæmonum societate vnquam liberari valebit. Sed sunt fortè tales, qui priuilegia de locis & rebus Deo dicatis sanctorum manibus confirmata paruipendentes, sibi quia volunt, non quia possunt, excommunicationes vsurpatoribus rerum & facultatum Ecclesiasticarum à sanctis Domini intentatas alleuiant, dicentes se pro hoc illata damnatione, id est anathematis vinculo non teneri. de quibus sanctus Gregorius in epistola ad Theoctistam patriciam dicit, Ipsi, inquiens, sibi testes sunt, quia Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ variis se existimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionem Ecclesiæ quam præstat fidelibus veram putant, si ligaturas eius valere non æstimant. Contra quos diutiùs disputandum non est, quia despiciendi per omnia & anathematizandi sunt, & vnde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur. Si qui sunt igitur, qui sub nomine Christiano hæc aut prædicare audent, aut tacita apud semetipsos tenere, eos & ego & omnes catholici Episcopi, atque vniuersalis Ecclesia, anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, & contraria loquuntur.] Hoc Apostolicæ auctoritatis decretum, etiam à vestra probitate sic assumendo probatum, si vt scripsistis mihi est sequendum ac tenendum, vtique & omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis, qui Christianitatis nomine potiri delegerunt, erit sequendum ac tenendum. Vnde non mihi videretur dignum excellentia vestra fuisse, vt diceretis Berthario quod mihi renuntiauit vos dixisse, Si hos præsignatos meos excommunicassem homines qui talia egerunt, & adhuc agunt, non eos excommunicatione teneri, videlicet anathematis vinculo non ligari. Sed non est mirum, si paruitatis meæ excommunicationem paruipenditis, ac fortè irrationabilem iudicatis, quando Apostolicæ sedis excommunicationem & pro nihilo ducitis, & pro nihilo ducendam vtpote absurdam prædicatis. Præadmiror tamen, dum talia dicitis, si vestram excommunicationem aut auctoritatem, quæ ex eius processit constitutione, expendet arbitrio, apud aliquem eorum qui hoc audiunt, si tamen vobis credunt, aliquid valere æstimatis. & qui etiam Deum timentes agnitionem veritatis retinentes vobis non his cre-

Lib. IX. epist. 39.

dunt, nec in sui cordis conscientia consentiunt, non tamen possunt de vestra sapientia ac sanctitate non remorderi: sed potiùs scrupulo tam nefandæ ac detestandæ præuaricationis offensi, sinceritatem vestræ præstabilitatis vilificatam aut condolent, aut derogant. Quòd ideo vobis pando, quia meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis, scribente sancto ad sanctum Augustino Hieronymum, Nescio vtrum Christianæ amicitiæ putandi sint, in quibus magis valet vulgare prouerbium, Obsequium amicos veritas odium parit, quàm Ecclesiasticum, *Fideliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici.* Et Paulus Apostolus admonet sic, *Filij, obedite parentibus vestris in Domino.* In Domino autem obedire est, vt ipse docet Dominus, *Qui amat patrem plùs me, non est me dignus.* vnde & item, *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum abs te.* Quod ita planè S. exponit Augustinus, Hîc verò magna opus est fortitudine ad membra præcidenda. Quicquid enim est quod significat oculus, sine dubio tale est quod vehementer diligitur. Solet enim & ab eis qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam ita dici, Diligo eum vt oculum meum, aut etiam vt oculos meos. Quanquam enim ad videndum isti oculi corporis communiter attendantur, & si ambo similiter intendantur, æqualiter possint, ampliùs tamen formidant homines dextrũ amittere. vt iste sit sensus, Quicquid illud est quod ita diligis, vt pro dextro oculo habeas, si scandalizat te, id est, si tibi impedimento est ad veram beatitudinem, erue illum & proiice abs te. expedit enim tibi vt pereat vnum horum quæ diligis, vt pote tanquam membra tibi inhæreant, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. Cogit quærere diligentiùs quid dixerit oculum. in qua quæstione nihil mihi occurrit congruentius, quàm dilectissimum amicum. Nam hoc est vtique quod membrum rectè possumus appellare, quod vehementer diligimus, & hunc consiliarium, quia oculus est tamquam demonstrans iter, & in rebus diuinis, quia dexter est. Vt sinister sit dilectus, id est consiliarius, sed in rebus terrenis ad necessitatem corporis pertinentibus, de quo scandalizante superfluum erat dicere, quandoquidem nec dextro parcendum sit. In rebus autem diuinis consiliarius scandalizans est, si aliquam perniciosam hæresem nomine religionis atque doctrinæ conatur inducere. Itaque quod nihil post Deum carius vobis esse debeat ignoro. sed vobis perniciosum est, vt contra religionem atque Apostolicæ sedis doctrinam obuias manus inferatis, & mihi periculosum, immò inutile est, vestro tantùm obnubilari amore, vt tacendo vobis videar consentire: quia etsi tacuero, & vos clamaueritis, nec pro taciturnitate mea, nec pro clamore vestro, illud vnquam perficere poteritis. Videlicet omnes decretales Apostolicæ sedis epistolæ recipiendæ erunt, & non solùm recipiendæ, immò decernente Gelasio venerabiliter erunt recipiendæ. Sed & quid prosit, quòd in quaternionibus vestris dicitis, vt eas venerabiliter tantùm legam, si eis venerabiliter obedire non debeam, & earum sanctiones venerabiliter sequi non satagam, ignoro. Appellationes Episcoporum ad Apostolicæ sedis summum Antistitem non comprimetis. nec illud Africanum Concilium contra innumerabilia Apostolicorum decreta vobiscum valebit, quo ait ad locum, Nam vt aliqui tanquam à tuæ sanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus patrum Synodo constitutum: quia illud quod pridem per eundem Coepiscopum nostrum Faustinum tamquam ex parte Nicæni Concilij exinde transmisistis, in Conciliis verioribus quæ accipiuntur Nicæni, à sancto Cyrillo Coepiscopo nostro Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venerabili Attico Constantinopolitano Antistite, ex authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum & Marcellum subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo decessori vestro à nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire.] Si isti non potuerunt, quia fortè noluerunt, potuit Marcus Apostolicæ sedis Antistes, qui ita rescripsit Athanasio, & vniuersis Ægyptiorum Episcopis, inquiens, De Capitulorum namque veritate & numero Nicæni Concilij, cui vos interfuisse litteris vestræ fraternitatis

Prou.27.6. Ephes.6.1. Matt.10.37 Matth.5.29 In epistola ad Cælestinum. Epistola vnica.

significastis, à nostris qui vobiscum vnà interfuerunt diligentioribus requisiuimus collocutionibus, qui ita vt vestræ testatæ sunt litteræ omnem nobis ordinem exposuerunt, & vestram epistolam per omnia veram esse testificati sunt. non vt nos aliquid sinistrum vestra ex parte arbitraremur: sed vt nos & vos illósque, absque vlla in postmodum titubatione, vnum sentire optaremus, & sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino prouidente, & beato Apostolo Petro opem ferente, in futuro manebit, sine vlla hæreticorum insultatione firma & immobilis omni tempore persistat. His itaque peractis, diligenter requirentes in sanctæ nostræ Apostolicæ sedis scrinio, eadem quæ sanctæ recordationis prædecessori meo Siluestro sunt directa, septuaginta sicut significastis capitula illæsa inuenimus. Ipsa enim vobis, propter auctoritatem & subscriptionem tantorum patrum, & eius magni Concilij, minimè misimus: sed per eadē, coram apocrisiariis vestris, alia similia, eundem numerū, eadémque verba, & ipsam subscriptionem continentia, vobis scribere, & sub certa stipulatione & confirmatione mittere curauimus. Et quis est qui fratribus talia negare audeat? Nam non negligēda nobis hæc per S. Spiritus gratiam Dominus docuit, sed fideliter exercenda, & fratribus contradenda & docenda distribuit. Hæc Apostolorum viua traditio, hæc est vera caritas, quæ prædicanda est, & præcipuè diligenda ac fouenda, atque fiducialiter ab omnibus tenenda. Hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesiæ, quæ per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit, sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus manet, secundū ipsius Domini saluatoris diuinam pollicitationē, qui suorū discipulorum principi in suis fatus est Euangeliis, Luc. 22. 32
Petre, inquiens, *ecce Satan expetiuit vt cribraret vos sicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*] Et ideo Apostolicorum decreta, nec modò vt vmbra accipienda sunt, nec Matth. 16. & 17.
fuerunt post confessionem eiusdem Apostolorum principis Petri, qui ait, *Tu es Christus filius Dei viui.* quoniam respondit ei Dominus, *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis.* Ex tunc transierunt vetera, & facta sunt noua. Nec decretales epistolæ, diuersis temporibus pro diuersis causis vt oportebat constitutæ, in vllo sibi inueniuntur aduersæ: quia aliud est, diuersis temporibus secundùm diuersitatem morborum diuersas, hoc est multiplices & varias impendi medicinas. vt enim noua morborum genera noua medicamentorum indigent experimenta, sic multa morborum genera multa requirunt medicinarum fomenta. aliud est etiam, in vno tempore multas veritati contrarias inferre doctrinas, quod in his epistolis nec potest inueniri, nec ab vllo hominum debet dici. Quòd autem vos mihi in quaternionibus vestris specialiter de epistolis Iulij & Felicis, quasi de capitulis Synodi Nicænæ confectis, dicitis respondere, non videtur vt mihi respondeatis, sed potiùs vt ipsos mendacij arguere conemini. Dinoscitur quo tempore Nicæna Synodus congregata est ex excerptis quibusdam synodalibus gestis sancti Siluestri Papæ, in quibus capitulo primo ita continetur, Temporibus Siluestri Papæ & Constantini piissimi Augusti, factum est magnum Concilium in Nicæa Bithyniæ, & congregati sunt regulariter eiusdem Siluestri Papæ vocatione in idipsum trecenti decem & octo Episcopi catholici, & reliqua.] post quæ & subditur, Eodem quoque tempore, decimo tertio Kalendarum Iuliarum die, quando memoratum magnum Concilium in Nicæa congregatum est, canonica iam fatus Papa euocatione in vrbem Romam congregauit & ipse, cum consilio præfati Constantini Augusti, CCLXVII. Episcopos, & cetera. Cuius successor præfatus Papa Marcus extitit, qui de capitulis in Nicæna Synodo octoginta effectis, & in septuaginta postea redactis, sicut superiùs perscripsi, huic Iulio successori protestatur. Sed vos scribitis in iisdem quaternionibus ita, Ceterùm quod in epistola ex nomine Athanasij & Episcoporum Ægyptiorum ad Marcum successorem Silue-

ſtri habetur, LXXX. fuiſſe capitula, XL. ſcilicet à Græcis Græca edita lingua, & ſimiliter XL. à Latinis Latina edita lingua, & ab Epiſcopis CCCXVIII. in LXX. redacta fuiſſe capitula; ſi numerentur illa quæ in epiſtola Iulij deſignantur, & illa quæ deſignata prætermittuntur, ſed & illa quæ in epiſtola Felicis legimus, plura quàm LXXX. & inter ſe diuerſa inuenientur, & in eiſdem epiſtolis non inueniuntur memorari, minimè autem connumerari, illa capitula quæ ex Nicæno Concilio ſumpta ſeruauit antiquitas, & hactenus tenet ac veneratur Eccleſia. Illorum quæ in epiſtola Iulij deſignantur capitulorum numerus iſte reperitur, XVIII. XIX. XXI. XXIII. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXXIII. XLI. & V. VIII. & IX. ac L. LII. LIII. LIV. LV. & LVII. LIX. LX. LXI. LXII. LXIII. LXVI. In plenitudine enim LXX. capitulorum deſignantur hæc quæ ſequuntur à beato Iulio poſita, ſecundùm huius numeri ſignificantiam interpoſita, & ideo hîc non ampliùs ab eo quàm XXIV. annumerantur. quibus ſi illa XX. capitula quæ habemus adſciſcantur, fiunt XLIV. & non explent LXX. quanto minùs LXXX. & non probatur iſte hic in excedendo numerum falſus. Quod tamen addidiſtis, Sed & illa quæ in epiſtola Felicis leguntur, videlicet vt ſi iſtis adiungantur, plura quàm LXXX. inter ſe diuerſa inuenientur, non attinet ad rem. quoniam Felix ante ſuorum digeſtionem capitulorum ita præmiſit, Incipiamus igitur adiuuante Deo & ſancto Petro Apoſtolo, per quem & Apoſtolatus & Epiſcopatus in Chriſto cœpit exordium, quoniam plures ſæpè emerſerunt cauſæ, quæ in quibuſdam non erant cauſæ ſed crimina, quia magis vt comperimus iniquitate quàm caritate fratribus ſunt impoſitæ. Et vt de cetero ſollicitudo ſit ne talia proueniant, capitula quædam à ſanctis patribus, quæ tam in Nicæna Synodo, quàm & in hac ſancta ſede conſtituta ſunt ponamus, quibus fratres & Coepiſcopi noſtri fulti inſidias inimicorum Domino auxiliante valeant euadere. & provt Dominus poſſe dederit, paucioribus verbis tantorum malorum imitemur compendium, & ſtrictim quæ in volumine litterarum veſtrarum comperimus retractemus, & alia nonnulla inſtantis temporis neceſſaria provt petitis ponamus. Et ſic perſequitur, Eſt namque Synodalibus decretum inſtitutis, & cetera.] Non ergo dixit omnia illa quæ poſuit ex Nicæno Concilio aſſumpta, vt ex hoc tam ipſum quàm Iulium refellere poſſitis: ſed dixit, quædam tam ex Nicæno Concilio, quàm ex his quæ in ſancta Romana ſede conſtituta ſunt, ponere ſe, quæ non minoris ferè iudicauit auctoritatis. Inſuper & addidit, & alia nonnulla inſtantis temporis neceſſaria provt petebantur ponenda. Hoc etenim & prædeceſſores & ſucceſſores ſui ab initio fecerunt, & vſque in finem facturi ſunt, vt pro inſtanti temporum neceſſitate, & conſtituta renouent, & conſtituenda conſtituant. Hac enim ratione omnes decretales epiſtolæ pro diuerſis neceſſitatibus diuerſis ſunt conſtitutæ temporibus. Vnde venerabiliter ſecundùm beatum Gelaſium ſunt recipiendæ, & ſi recipiendæ, vtique amplectendæ, ac ab omnibus etiam venerabiliter obediendæ. Quod etiam dixiſtis, quia inter ſe diuerſa inueniuntur, ſcilicet ea quæ Iulius Papa poſuit, & ea quæ Felix, ſi diuerſa pro diuerſis, vt pote provt in vniuſcuiuſque tempore res accidit, intelligi vultis, bene ſe habet. Sin aliter, quaſi aduerſari ſibi inuicem contraria ſtatuendo videantur, niſi vos illud pandatis, fateor quia ego in nullo percipere valeo. Et quod dixiſtis, quia in ipſorum epiſtolis non inueniuntur memorari, minimè autem connumerari illa capitula, quæ ex Nicæno Concilio ſumpta ſeruauit antiquitas, & hactenus tenet ac veneratur Eccleſia, vtrique oſtendunt cauſam, in qua poteſt cognoſci cur hæc poſuerunt & de illis tacent. Videlicet ea Felix iſte Papa dicit ſe ponere, quibus fratres & Coepiſcopi fulti, inſidias inimicorum Domino auxiliante valeant euadere, & etiam ea inſuper ſe ſtatuere, quæ ab eo ab eis petebantur pro inſtantis temporis neceſſitate. Si verò de his ageretur, de quibus illa XX. capitula Nicæni Concilij decernant, quæ paſſim habentur, nihilominus & ipſa eum luce lucidiùs lucet aſſumpturum. Sed & Iulius cauſam ſimiliter & ſimilem, cur ipſa viginti quatuor poſuerit capitula, non minus euidenter propalat. Quod liquet in eo vbi numeri

Epiſt. I.

tramitem non custodit, sed ea tantùm quæ de re quæ agebatur conueniebant, sicuti omnium est agere annexuit. Præmisit enim hæc, Tales enim insidiatores spiritu præuidentes sancti patres in Nicæa congregati, leges statuerunt, quas nos canones appellamus, ne facilè probi ab improbis damnarentur. ex quibus nonnullas sententias hîc inseri iudicauimus, vt tantorum patrum auctoritate nostra roboraretur epistola, atque omnes Orientales siue reliquarum partium Episcopi, hæc audientes in tantam foueam non incidant, ne damnationem à patribus decretam percipiant.] Et sic sequuntur illa ex præscripto Concilio Nicæno capitula de LXX. capitulis deflorata. Et ecce quia de insidiatoribus agebatur, quod contra insidiatores pertinuit descripsit. Vtrique isti vt prudentes egerunt medici. Vnaquæque enim infirmitas propriam requirit medicinam. Quod namque dixistis, minimè in istorum epistolis capitula Nicæni Concilij ea quæ habemus connumerari, nescio quid sibi vult dictum. Nam Iulius Papa, vt prælibaui, designatiuè XXIV. tantùm posuit, Felix verò quod ex Nicæno Concilio, posuerit non apparet, quia ipse non discernit, dum tam ex Nicæno Concilio, quàm ex his quæ in sancta Romana sede constituta fuerant, & etiam nonnulla quæ ipse, provt ipsi petebant qui pro instantis temporis necessitate indigebant, statuit, se posuisse non tacuit. Nec conici potest, quoniam plenitudinem LXX. capitulorum non habemus, si duo vel tria seu quatuor aut decem ex Nicæno Concilio posuerit capitula, vel eo ampliùs, quia poterat XXVI. ponere secundùm fidem numeri, & remanerent nobis nostra quæ habemus penes nos XX. capitula. Igitur quod etiam & vos in eisdem quaternionibus ex eiusdem Papæ Iulij epistola posuistis, qualiter sibi cohæreat intuendum est. Aitis enim, De hoc autem quod reuerentissimus Iulius in epistola sua dicit, plura de his scilicet capitulis Nicænæ Synodi ideo hîc non inseruimus, ne vacuare vilémve facere prædictam Synodum videremur, aut fastidium legentibus audientibúsque faceret epistola, siquis autem de his ampliora atque abundantiora scire voluerit, in sacro nostræ sedis Ecclesiæ scrinio, & ea quæ prædiximus inuenire poterit, verum me dicere testis est ipsa diuinitas, à nullo est contradicendum quia nisi ipsa quæ misit haberet, mittere nullomodo poterat, & quia plura habebat esse vtique verum constat, quia & illa quæ sacrum Concilium Nicænum constituit certum est in Romano scrinio conseruari. Dicit itaque in Romano scrinio & ampliora & abundantiora haberi, & nihilominus testatur ea quæ prædixit in eodem posse inueniri, & vos fatemini à nullo hoc esse contradicendum, quia nisi ipsa quæ misit haberet, mittere nullomodo poterat. Et quomodo in eisdem postea quaternionibus scribitis, quòd manifestum est non nisi tantùm viginti quæ habemus capitula fuisse in Nicæno Concilio constituta? Verùm & longissimarum ætatum ex antiqua consuetudine prolixa tempora, per quæ ipsius Concilij hæc tantùm XX. capitula fuere suscepta, verbis historiographi Rufini, quæ indubitabilem faciunt fidem. Vtrumque non procedit, quia si tantum XX. capitula suscepta fuisse ex verbis historiographi indubitabili fide credantur, contradicendum erit Iulio, qui asserit de his ampliora atque abundantiora. quin quoque & ea quæ prædixit in Romano scrinio posse inueniri, quæ idem in epistola sua se testatur non assumpsisse, ne vacuare vilémve facere prædictam Synodum scilicet Nicænam videretur. Rectum est ergo, vt illi potiùs credatur, cui testis est ipsa diuinitas, quæ spopondit, *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo ibi ego in medio eorum sum.* Et item, *Si duo ex vobis consenserint, ex omni re quamcumque petieritis fiet vobis à patre meo.* Et item ipsa diuinitas ac veritas, *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Ecce tres idonei testes, & non modò testes, verùm & testificantium corroboratores, Marcus, Iulius, ac Felix, plura quàm viginti ex Nicæno Concilio adscita per prolixa tempora longissimarum ætatum in Romano scrinio reseruata demonstrant, nec Antiocheno Concilio numerum ipsorum aggregant, sed in Nicæno Concilio statuta depromunt. & LXX. vel eo ampliùs, non XLV. aut tantùm viginti capitula connume-

Epist. 12. Matth. 18. 20. Ibid. 19. Ibid. 16.

rant. Vnde quia non oportet à capite differere, necesse est nobis ea quæ tradiderunt custodire, & potiùs quæ nondum habemus perquirere, quàm ea quæ adepti sumus reprobare. Quod verò in eisdem quaternionibus scribitis, Anno verò circiter vigesimo tertio post Nicænam Synodum Antiochena Synodus habita est, & eadem epistola Iulij per idem tempus facta esse dinoscitur, in qua plura capitula modo diuerso collecta tenentur, quæ si de vna Synodo fuissent assumpta, non taliter dissonarent: inde magis apparet, quia dum eo tempore suam Iulius fecit epistolam, quo Antiochenum Concilium actum est, non eum latuisse quæ in eodem Concilio statuta sunt, quod eius necesse erat auctoritate roborari, ac per hoc non confudisse Nicæni ac Antiocheni regulas Concilij. Sed quid dicitis, quæ si de vna Synodo fuissent assumpta, non taliter dissonarent? Ergo si ea dissonant, quæ de Synodis assumuntur, & Synodi inter se contrariæ feruntur, quid sibi iam consonabit, quod in Ecclesia Dei solidum firmúmque inueniatur ædificium, cùm & decretales Apostolicæ sedis epistolas similiter dissonare non tacetis? Certè non dissonant quæ diuerso modo pro diuersis necessitatibus assumuntur, si ab æquitate rationis & tramite veritatis non discrepant. Sed Iulius & ea quæ sibi tunc competentia visa sunt ex Nicæna assumpsit Synodo, velut ipse ait, vt tantorum patrum auctoritate sua roboraretur epistola, & illa quæ pro instantis temporis necessitate addenda erant, sicut & suus successor Felix, ceterique prædecessores ac successores fecerunt, Apostolica auctoritate constituendo apposuit. Quod autem subditis, Et si de appellatione, sicut in Sardicensi Concilio constitutum est, in Nicæno Concilio fuisset anteà statutum, nulla perforet necessitas, vt iterum in hoc Concilio inde constitueretur: sed sicut in aliis Conciliis legitur scriberetur, videlicet vt ea quæ sunt in Nicæno Concilio constituta ab omnibus conseruentur.] Apparet quia nullatenus creditis tribus præfatis testibus, quòd de appellatione Episcoporum ad Romanæ sedis Antistitem in Nicæna Synodo constitutum sit. non tamen obsistit rationi vel fidei, illud ideo in Nicæna Synodo non fuisse decretum, eo quòd in Sardicensi Concilio hoc quoque constitutum sit, vbi dicitur, Osius Episcopus dixit. Placuit autem, vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo eum deiecerint, si appellauerit qui deiectus est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se audiri, si iustum putauerit, vt renouetur iudicium vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis diffiniant. Quòd si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum, vt è latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi quid velit, & quid æstimet. & si decreuerit mittendos esse qui præsentes cum Episcopis iudicēt, habentes eius auctoritatem à quo destinantur, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio iudicauerit.] In superiori capitulo eiusdem Cōcilij positum est, Si hoc omnibus placet. Synodus respondit, placet: in isto dictum est, Placuit autem. Iure igitur placuit Osius dixit, si id priùs nouerat constitutum in Nicæna Synodo, aut ad eundem verborum tenorem, aut ad istius tenoris, velut in decretalibus inuenitur, proportionem. Nec quoque mirum, aut absurdum est hoc, Sardicensis Concilij sanctos patres eadem Spiritus sancti gratia visitatos fuisse. Quocirca, etsi non ea priùs à Nicæa didicerant, eadem sensisse, & ad sancti Petri Apostoli memoriam honorandam hæc ipsa statuisse. Puto tamen, si solummodo hoc Sardicense diceret Concilium, vt ea quæ sunt in Nicæno Concilio constituta ab omnibus conseruentur, non de appellatione quicquam, quia in his viginti capitulis non continetur, conseruari intellegi voluissetis. Nunc verò, quia de ipsa appellatione tam expresè quod seruandum est salua Apostolica institutione, id etiam ex Nicæna Synodo promulgante ostenditur, salua Apostolica auctoritate dico, quia Nicæna Synodus, vt Papa Bonifacius Episcopis per Thessaliam con-

Can. VII.

ſtitutis ſcripſit, non aliquid ſuper Romanam ſedem auſa fuit conſtituere, cui videret nil ſupra meritum ſuum poſſe conferri. omnia denique huic nouerat Domini ſermone conceſſa, vel ex eo ac pro eo quid iſtud Concilium quod recipitis illud ſeruandum conſtituit, ſeruari permittite, etiamſi de hoc in Nicæna Synodo nihil ſtatutum credatis. Et ſicut ab omnibus illa viginti capitula tenentur, ac obſeruanda cenſentur, quæ nec ſola ad omnes Eccleſiaſtici ordinis ſufficiunt vtilitates, ac temporum neceſſitates: ſic & à vobis vel iſtud teneri ac obſeruari non prohibeatur capitulum, quod nulli obeſt, & omnibus prodeſt. quoniam poſtquam Africanum Concilium ad Papam Cæleſtinum ſcripſit ſua in epiſtola ad locum, Nam vt aliqui tanquam à tuæ ſanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus patrum Synodo conſtitutum, quia illud quod pridem per eundem Coepiſcopum noſtrum Fauſtinum, tanquam ex parte Nicæni Concilij exinde tranſmiſiſtis, in Conciliis verioribus quæ accipiuntur Nicæni, à ſancto Cyrillo Coepiſcopo noſtro Alexandrinæ Eccleſiæ, & à venerabili Attico Conſtantinopolitano Antiſtite, ex authentico miſſis, quæ etiam ante hoc per Innocentium preſbyterum & Marcellum ſubdiaconem, per quos ad nos ab eis directa ſunt, venerabilis memoriæ Bonifacio Epiſcopo deceſſori veſtro à nobis tranſmiſſa ſunt. in quibus tale aliquid non potuimus reperire.] Et iſtud à Papa Innocentio, quem memoranter recipitis, Epiſcopis per Macedoniam conſtitutis probabili ore ſcriptum eſt, Graue non potuit videri piiſſimis mentibus veſtris, cuiuſcumque retractari iudicium, quia veritas exagitata ſæpiùs magis ſplendeſcit in lucem, & pernicies reuocata ad iudicium grauiùs & ſine pœnitentia condemnatur. Nam fructus diuinus eſt, iuſtitiam ſæpiùs recenſeri, fratres cariſſimi.] Præterea dico quia quod illud Africanum intentat Concilium ita, Nam vt aliqui tanquam à tuæ ſanctitatis latere mittantur, nulla inuenimus patrum Synodo conſtitutum, mendacium eſt, quia in hoc Sardicenſi Concilio illud conſtitutum eſt ſic, Quòd ſi is qui rogat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo preſbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi quid velit & quid æſtimet. Quod etiam Sardicenſe Concilium ad Papam Iulium inter reliqua ſcripſit, Optimum & valdè congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, id eſt, ad Petri Apoſtoli ſedem, de ſingulis prouinciis Domini referant ſacerdotes.] Vbi liquet, quod Iulius de appellatione ex Nicæna ſcripſit Synodo, hoc Concilium non latuiſſe. & idcirco Oſius propriè dixit, Placuit quod in ipſa Synodo, ſcilicet Nicæna, placitum fuiſſe prædidicit, cui & ipſe interfuit. Aut quis ſanum ſapiens ducat fide dignum, ea quæ Papa Cæleſtinus per Fauſtinum Epiſcopum ipſis Africanis Epiſcopis ex Nicæno Concilio tranſmiſit capitula, non inueniri in authenticis? & non potiùs ab Alexandrino vel Conſtantinopolitano Epiſcopis poſſe prætermitti. vt autem non pleniter mitterentur, aut ſi miſſa ſunt, ab aliquibus, vt de multis legimus, minuerentur aut deprauarentur, vel ab ipſis Africanis qui ſua nolebant retractari iudicia vitiarentur, vt ſicut mentiti ſunt nulla hoc patrum Synodo conſtitutum, quod occultari non poteſt, ſic & fortè mentirentur, non ab Alexandrino vel Conſtantinopolitano Epiſcopis id ſibi miſſum quod abſcondi poſſe crediderant, quod tamen à Papa Cæleſtino ſibi tranſmiſſum, quia ad eumdem res agebatur, negare nequiuerant. Et ne de hac appellatione ſolummodò ſibi Apoſtolicæ ſedis Antiſtites teſtentur, etiam Epiſcoporum ipſius Africanæ prouinciæ teſtimonium adhibeatur. Scripſit enim Stephanus Archiepiſcopus cum tribus Conciliis ſic, DOMINO beatiſſimo ac Apoſtolico culmine ſublimato, ſancto patri patrum Damaſo Papæ, & ſummo omnium Præſulum Pontifici, Stephanus Archiepiſcopus Concilij Mauritaniæ, & vniuerſi Epiſcopi de tribus Conciliis Africanæ prouinciæ. Notum veſtræ facimus beatitudini, quòd quidam fratres in confinio nobis poſiti, quoſdam fratres noſtros, venerabiles videlicet Epiſcopos, vobis inconſultis à proprio deicere moliuntur gradu, cùm veſtræ ſedi Epiſcoporum iudicia, & ſummorum finem Eccleſiaſticorum negotiorum, in honore beatiſſimi Petri, patrum decreta omnium cunctam reſeruare ſen-

Epiſt. poſt finẽ Synodi.

Epiſt. VII.

Can. VII.

In princip. epiſt.

Inter epiſt. Damaſi.

tentiam inquirendi reuerentia de Dei rebus, quas omni cura & sollicitudine obseruare debemus. Maximè verò iustè debent ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quàm releuare laudanda. Antiquis enim regulis censitum est, vt quicquid horum quamuis in remotis vel in longinquo positis ageretur prouinciis, non priùs tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, vt eius auctoritate iuxta quod fuisset pronuntiatum firmaretur, & reliqua multotiens talia, & his similia, quæ super his cōstituta sunt. Quibus, si illicitè factum est, vt semper vestræ sedi consuetudo fuit festinanter occurrite, & pro his viriliter vt pater pro filiis certantes state, sicut bene ad Iesum filium Sirac dictum est, Vsque ad mortem certa pro veritate, & semper Dominus Deus tuus pugnabit pro te.] Ecce domine pater, quoniam isti Africanæ prouinciæ Episcopi testantur, quia antiquis regulis censitum est, quod illi alij se non inuenisse in vlla Synodo constitutū dixerunt. Maius enim est, nō priùs tractandū vel accipiendum de summis quiddam Ecclesiasticis negotiis, quamuis agantur in remotis vel in longinquo positis prouinciis, nisi ad notitiam almæ sedis Romanæ priùs deducatur, vt eius auctoritate quod pronuntiatur firmetur, quàm de iudiciis Episcoporum ab appellante Episcopo contradictis retractare Apostolicam, cui sollicitudo omnium Ecclesiarum commissa est, prosecutionem. Nec iste Archiepiscopus, nec hæc Concilia ad sui honoris detrimentum putarunt, sed immò ad salutis augmentum prospexerunt hoc potiri priuilegio Romanæ sedis Antistitem. Quorum fateor vnanimitati participem vestram perambio fieri paternitatem. Quibus & idem Damasus Papa ex sua ita ad locum rescripsit epistola, Scitis, fratres carissimi, firmamentum à Deo fixum & immobile, atque titulum lucidissimum suorum sacerdotum, id est, omnium Episcoporum, Apostolicam sedem esse constitutam, & verticem Ecclesiarum. Tu es enim, sicut diuinum pronuntiat verbum veraciter, Petrus, & super firmamentum tuum Ecclesiæ columnæ, quæ Episcopi intelliguntur, confirmatæ sunt. &, Tibi claues regni cælorum commisi, atque ligare & soluere potestatem, quæ in cælis sunt, & quæ in terris promulgaui. Tu profanatorum hominum, & membrorum meorum, maximéque meorum discipulorum existis vt princeps & doctor orthodoxæ & immaculatæ fidei, cuius vice hodie gratia Dei legatione pro Christo fungimur, & omnes huius sanctæ sedis Præsules vicem gesserunt, gerunt, & gerent. Ideò omnia quæ innotuistis non licere mandarem, nisi vos tam pleniter instructos esse scirem, quòd cuncta super quibus consulitis, illicita esse non dubitetis. Discutere namque Episcopos, & summorum Ecclesiasticorum causas negotiorum Metropolitano vnà cum omnibus suis comprouincialibus, ita vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negotiis, licet. Sed diffinire eorum, atque Ecclesiasticarū summas querelas causarum, vel damnare Episcopos, absque huius sedis auctoritate minimè licet, quam omnes appellare si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam vt nostis Synodum sine eius auctoritate fieri non est catholicum: nec Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, diffinitè damnari potest: neque vlla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate.] Hîc animaduerto quòd in quaternionibus vestris scripsistis ita, Epistola verò Felicis ex epistola Iulij pendet. Hic enim est mos Apostolicæ sedis Pontificibus, vt verba decessorum suorum quasi propria in suis ponant epistolis, sicut qui legit intelligit.] Omninò verissimum est, quia ille mos est Apostolcæ sedis Pontificibus, vt verba decessorum suorū, quasi propria in suis ponāt epistolis. Et idcirco magis & penitùs consonæ sibi, & minùs ac nihil dissonæ inueniuntur Apostolicæ sedis epistolæ, nec constitutiones eorum in aliquo in sese aduersæ, scribente ex hoc eadem Symmacho Papa ad Æonium Episcopum, Quanta enim vicariis beatissimi Petri Apostoli iudicabitur esse reuerentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, eisdem transeuntibus dissoluantur: quia ad ipsam sacrosanctam religionem credimus pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa perpetua sint quæ semel à Domini sacerdotibus sta-

Eccli. 4.

Epist. 1 v. in principio.

Epist. 1.

ſtatuuntur. quod ita contingere poterit, ſi ſucceſſoris actibus non tribuerit firmitatem & roborando quæ geſta ſunt faciat rata eſſe quæ geſſerit.] Et ideo domine pater, quia immobile eſt iſtorum fundamentum, ac inconcuſſum inconcutiendúmque, indiſcutiendum quoque permanet ædificium, in quibus eſt ſpiritus vnus, & vna fides, cor vnum & anima vna. Nolite attentare, quia non poteritis ſtabilire, vt ea quæ iſti ſuis ſanxerunt decretis, veſtris moliamini reſiſtere repagulis. Ordinata eſt enim caritas, potimini in ea & per eam auctoritate Archiepiſcopali, ſicut Apoſtolicæ ſedis decreta, & canones eorum adſtipulatione roborati præfigunt, vt veſtris apta Coepiſcopis forma ſimpliciter ſitis. Epiſcopalis dignitas in diebus veſtris veſtra ſapientia non vileſcat, ſingularis & vniuerſalis Apoſtolicæ ſedis poteſtas nulli comparetur. nec moleſtè ferat quiſquam ſibi eam eſſe prælatam, qui à ſuis obedientiam ſubditis requirit: ſed patientiam, quam à ſuis expectat, eam ſingularem à Domino non ab alio prælato quiſquam expendat, à nullo detrahatur, de cuius munere venit vt quiſque quod habet acceperit. à nullo de ſuis iudiciis iudicetur, quæ de omni Eccleſia fas habet iudicandi, & cuius iudicium à nullo mortalium licet retractari. Vnus eſt omnipotens, qui eam ſpeciali ſuo reſeruauit iudicio. Itaque, domine pater, dignemini ſinceriter animaduertere cur talia vobis dico. Primò quia minatur Dominus, *Qui amat patrem pluſquàm me, non eſt me dignus.* Ergo vnum corpus ſumus in Chriſto, alter alterius membra. Sed & caput noſtrum Chriſtus eſt, & pater noſter Chriſtus eſt, & magiſter noſter idem & vnus eſt Chriſtus, qui ordinat caritatem, & ipſe ordinauit eam in beato Petro dicens ei, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, vt ædificationis noſtræ inſtitutor ipſe in ipſo noſtrum eſſet fundamentum & caput, à quo non oportet diffidere. & quodcumque membrum aliquem contra hoc caput ſenſerit inſilire, non poteſt, nec debet, tam pro ſe quàm pro confeſſione paterna non condolere. Secundò cogor obnoxius viſceralis filiolitati affectionis, cum debita fidelitate, paternitatis veſtræ deuotioni, quod timeo vobis accidere poſſe, etiam mutus blatterare. Verum vobis dico, necdum cœpi quaterniones veſtros in Attiniaco mihi à vobis datos per ſingula percurrere, in aliis mihi admodum neceſſariis præoccupatus. Sed aliqua proſpiciens inueni de his quæ præmiſi contra Apoſtolicæ auctoritatis autonomiam vos diſputaſſe: ſed & contra ea quæ vobis & nobis à venerabili Papa Nicolaó ſcripta ſunt, mordaciter perplura protuliſſe, & quæ nobis, videlicet omnibus Gallicanis Epiſcopis inculcauit retinenda, refragabiliter refutaſſe, de quibus in rotula quam vobis Attiniaco dedi ſummatim ſcripſi. Cùm tamen memorandus idem Papa Nicolaus nil de ſuo quaſi noua ſtatuens, ſed ex beati Leonis Papæ auctoritate, ac Gelaſij inſtitutione, quorum & vos decreta inter veſtra ſæpe ponitis ſcripta, quæque explicuit proſecutus ſit. Ponam igitur hîc ipſam eius epiſtolam nobis directam, & ad hoc pertinentem negotium, quam cunctis ſicut ipſe conſtituit tenendam ac obſeruandam non cunctor, licèt dicatis eum inueniſſe quid diceret. Inuenit enim & ritè dignum dictu, inuenit quid diceret, & quod dixit ab omnibus cuſtodiri debet. Et quoniam nobis Gallicanis omnibus generaliter tranſmiſſa eſt Epiſcopis, increpans nos ac de increpatis inſtruens, & ego illam per vos nec audire nec accipere merui, velut nec vllam ex authentico in has partes deſtinatam, ſicut eam ab aliis obtinui, vobis occaſione pro re non ab re accepta, hîc ex integro deſcripſi, quatinus cognoſcatis me ipſius probitatem penitùs debita deuotione aſſecutam amplecti, ac etſi eam aliter habetis efflagito, vel pax illud nunc mihi à vobis patefieri. Textus enim ipſius iſte habetur indefatigabiliter tenendus.

Matt. 10. 37

Matt. 16. 18

Epiſtola generalis ad omnes Archiepiſcopos & Epiſcopos Galliarum directa.

NICOLAVS ſeruus ſeruorum Dei reuerentiſſimis & ſanctiſſimis confratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis per Gallias conſtitutis. Quam-

uis singularum Ecclesiarum, quæ propter diuersitatem terrarum multæ esse dicuntur, cùm vna sit & vnica sponso suo, sicut ipse in Canticis canticorum
Cant.6.8. dicit, *Vna est columba mea*, & per Psalmistam, *erui de manu canis* quærit *vni-*
Psal 21.21. *cam suam*, pastor & Episcopus ac pontifex Dominus noster Iesus Christus, qui hanc creauit & redemit, existat: ita vt ille veraciter ac principaliter ista sit
1.Pet. 2.25. omnia quod fidelibus per primum Apostolum dicitur, *Conuersi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* & iuxta quod egregius prædicator de
Heb.7.26. eo loquens, *Talis*, inquit, *decebat vt nobis esset Pontifex.* Subiturus tamen ad cælos hanc Apostolis commendauit, ac per eos tanquam hereditario iure successoribus eorum, scilicet quos pastores & Episcopos ac pontifices super ipsam constituit, omnis eius prouidentia curam indulsit: quatinus ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursus quidam in maioribus vrbibus constituti, sollicitudinem eius susciperent ampliorem, per quæ ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vsquam à suo capite dissideret. Quod nisi quidam ex vobis nullo interiori comprehendissent obtutu, nunquam Rothadum Episcopum Suessionicæ vrbis sine consensu nostro deponerent, deprædarent, & in exilium pulsum monasteriali custodiæ manciparent. Nam quomodo non omnes vobis omnia vindicatis, qui iudicia Episcoporum, quæ meritò inter maiora numerantur negotia, vestræ deliberationi tribuitis? An modicum vobis esse videtur, fratres & Coepiscopos vestros præter Apostolicæ sedis consensum depositioni subiicere? Quod si damnationes Episcoporum non inter maiora negotia dinumeratis, quorum putas iam causas inter maiora computatis negotia? Quid rogo de presbyteris, de inferioris gradus clericis agitur, quorum apud nos causa à Chalcedonensis Concilij regulis, cùm ratio exigit, audiri iubetur, si Episcopos tanta facilitate deponitis? Quomodo rogo per vos, quorum vel singulis prouinciis habetur prima sententia, vel qui in maioribus vrbibus constituti sollicitudinem suscipitis ampliorem, ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluit, vt de minoribus sileam, de deponendis Episcopis nil ad notitiam nostram deferre curatis? An Episcopi de vniuersali Ecclesia non sunt, vt de illis damnandis per vos aliquid ad vnam sedem Petri non deferri curetur? Vel quomodo nil vsquam à suo capite dissidet, cùm de adiudicandis præcipuis membris Ecclesiæ, id est Episcopis, à capite, id est à sede Apostolica dissentitis? An sedes Apostolica caput non est? Frustra ergo, vt multa prætercam,
In principio epist. Concilium Sardicense ad Iulium Papam scribens, inter cetera dixit, Optimum & valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque prouinciis Domini referantur sacerdotes. Ecce sedem Petri caput appellatam, ecce ad quam de singulis prouinciis referre debent Domini sacerdotes. At contra vos adeo hanc despicitis, vt ad eam nil de maioribus Ecclesiæ negotiis referatis, atque Episcopum inconsulta & contempta illa deponere præsumatis, & præcipuè sedem Apostolicam appellantem. Nimis namque absurdum est quod dicitis, Rothadum, postquam ad iudicium sedis Apostolicæ prouocauit, iterum mutata voce vestra iudicia postulasse. quod etiam si ita fuisset, à vestra fuerat fraternitate corrigendus, & ne à maioris ad minoris auctoritatis prouocasset iudicium emendandus. Licèt certis non pateat vllis indiciis, à nostra illum ad vestra cucurrisse iudicia, quem constat in ipso articulo contra se proferendæ sententiæ sedem Apostolicam appellasse, & qui se ab illa iudicari poposcerat coram omnibus exclamasse, æquum non foret si ad vestra se iudicia conuertisset. quamuis, etsi sedem Apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen & tanta vos decretalia efferri statuta, & Episcopum inconsultis nobis deponere nullòmodo debuistis. quod tamen vos, vt seruata vobiscum medullitùs caritate dicam, postposuisse dolemus, & diuersorum sedis Apostolicæ Præsulum decreta in hoc vos contempsisse negotio non immeritò reprehendimus. Absit enim vt cuiuscumque

ipſorum, qui vſque ad vltimum vitæ ſuæ diem in fide catholica perſeuerauit, vel decretalia conſtituta, vel de Eccleſiaſtica diſciplina quælibet expoſita, debito cultu & cum ſumma diſcretione non amplectamur opuſcula, quæ duntaxat & antiquitùs ſancta Eccleſia Romana conſeruans, vobis quoque cuſtodienda mandauit, & penes ſe in ſuis archiuis & vetuſtis ritè monumentis recondita veneratur. Abſit, inquam, vt ſcripta eorum quoquomodo paruipendenda ducamus, quorum videmus, Deo auctore, ſanctam Eccleſiam aut roſeo cruore floridam, aut rorifluis ſudoribus & ſalubribus eloquiis adornatam. Si enim ipſorum decreto ceterorum opuſcula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita vt quod ſedes Apoſtolica probauit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit hactenus inefficax habeatur, quanto potiùs quæ ipſa pro catholica fide, pro ſanis dogmatibus, pro variis & multifariis Eccleſiæ neceſſitatibus, & fidelium moribus, diuerſo tempore ſcripſit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorſus in quibuſlibet opportunitatibus diſcretione vel diſpenſatione magiſtra reuerenter aſſumi? Quanquam quidam veſtrûm ſcripſerint, haud illa decretalia priſcorum Pontificum in toto canonum codicis corpore deſcripta, cùm ipſi, vbi ſuæ intentioni hæc ſuffragari conſpiciunt, illis indifferenter vtantur, & ſolùm nunc ad diminutionem ſedis Apoſtolicæ poteſtatis, & ad ſuorum augmentum priuilegiorum, minùs accepta eſſe perhibeant. Nam nonnulla eorum ſcripta penes nos habentur, quæ non ſolùm quorumcumque Romanorum Pontificum, verùm etiam priorum decreta in ſuis cauſis præferre noſcuntur. At nunc, vbi ſuis animis reſultare, & priuilegia Romanæ ſedis ab his defendi conſpiciunt, repudiare illa feſtinant. Quæ videlicet priuilegia, tanto nos vt in ſui ſtatus incolumitate perſiſtant elaborare non ceſſamus, quanto vniuerſæ Eccleſiæ profuiſſe, prodeſſe, ac profutura ſemper eſſe probantur. Dignum ergo eſt, vt vbi vniuerſæ fabricæ moles innititur, ibi firmum validúmque habeatur in omnibus fundamentum. Porrò ſi ideo non eſſe decretales epiſtolas priſcorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur adſcriptæ, ergo nec Gregorij ſancti, nec vllius alterius qui ante ipſum vel poſt ipſum fuit, eſt aliquod inſtitutum vel ſcriptum recipiendum, eo quòd in codice canonum non habeatur adſcriptum. Ergo doctrinam eorum & ſanctiones, quæ ab omni lingua venerantur, quia in codice canonum non habentur adſcriptæ, de codicibus ſuis eradant. vt quid vel membranas occupant poſtquam non habentur acceptæ? Sed quare multum immoremur, cùm nec ipſas diuinas ſcripturas noui & veteris teſtamenti iam recipiemus, ſi iſtos duxerimus non audiendos. Etenim neutrũ horum Eccleſiaſticorum canonum habetur inſertum. Sed reſponſuri ſunt iſti, qui non ad obediendum potiùs quàm ad reſiſtendum ſemper parati ſunt, aientes quòd inter canones inueniatur capitulum ſancti Papæ Innocentij, cuius auctoritate doceatur à nobis vtrumque teſtamentum eſſe recipiendum, quanquam in ipſis canonibus nullum eorum ex toto contineatur inſertum. Quibus ad hæc aſſerendum eſt, quoniam ſi vetus nouúmque teſtamentum recipienda ſunt, non quo codici canonum ex toto habeantur annexa, ſed quo de his recipiendis ſancti Papæ Innocentij prolata videatur eſſe ſententia, reſtat nimirum decretales epiſtolæ Romanorum Pontificum ſint recipiendæ, & ſi non ſunt canonum codici compaginatæ, quoniam inter ipſos canones vnum beati Leonis capitulum conſtat eſſe permixtum, quo ita omnia decretalia conſtituta ſedis Apoſtolicæ cuſtodiri mandantur, vt ſi quis in illa commiſerit, nouerit ſibi veniam denegari. Ait enim capitulo quinto ſuorum decretalium, Ne quid verò ſit, quod prætermiſſum à nobis fortè credatur, omnia decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium deceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita à veſtra dilectione cuſtodiri mandamus, vt ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari.] Dicendo verò omnia decretalia conſtituta, nullum de decretalibus conſtitutis prætermiſit quod non mandauerit eſſe cuſtodiendum:

Epiſt. v. ad Epiſc. per Campaniã.

& rursus asserendo omnium decessorum nostrorum, nullum Pontificum Romanorum qui ante se fuerunt excepit, cuius ita non præceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari. Itaque nihil interest, vtrum sint omnia nunc decretalia sedis Apostolicæ constituta inter canones Conciliorum immixta, cùm omnia in vno corpore compaginari non possint, & illa eis intersint, quæ firmitatem his quæ desunt, & vigorem suum assignent. præsertim cùm synodalia gesta, inter quæ ipsi canones secuti sunt, in codice canonum non habeantur, sed à nobis omni cultu debito venerentur. Consonat autem huic beatissimo Papæ Leoni sanctus ac facundissimus in decretis suis Papa Gelasius, item inquiens decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Roma pro diuersorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas.] In quo notandum, quia non dixit decretales epistolas quæ inter canones habentur, nec tantùm quas moderni Pontifices ediderunt, sed quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Roma dederunt. Dictis autem diuersis temporibus, & illa tempora vir sanctus comprehendit, quæ crebrescentibus paganorum persecutionibus, ad sedem Apostolicam deferri causas Episcoporum difficillimè permittebant. His ita diuina faciente gratia prælibatis, ostendimus nullam differentiam esse inter ea decreta, quæ in codice canonum habentur sedis Apostolicæ Præsulum, & ea quæ pro multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur, cùm omnia & omnium decessorum suorum decretalia constituta, atque decretales epistolas, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab vrbe Roma dederunt, venerabiliter fore suscipiendas & custodiendas eximios Præsules, Leonem scilicet & Gelasium, mandasse probauimus. Quamuis & hoc quod sæpè commemoratus beatus Leo Apostolicæ sedis Antistes ad Anastasium Thessalonicensem arguens eum scribit, quorumdam vestrorum præsumptionem potentissimè feriat, & quòd talia negotia nobis inconsultis diffinire minimè debeatis manifestè denuntiat. Ait enim, Nam cùm maiora negotia & difficiliores causarum exitus liberum tibi esset sub nostræ sententiæ expectatione suspendere, nec ratio tibi, nec necessitas fuit, in id quod mensuram tuam excederet deuiandi.] & item de Attico, Præsertim, inquit, cùm etiamsi tale aliquid mereretur, expectandum tibi fuerat quid ad tua consulta rescriberem.] & paulo pòst, Sed etiamsi quid graue intolerandúmque committeret, nostra erat expectanda censura, vt nihil ipse priùs decerneres, quàm quid nobis placeret agnosceres.] Quod nos quoque de Rothado vobis non irrationabiliùs dicere possimus, quia dum octo ferè annis negotium illud ventilaueritis, nec ratio vobis nec necessitas fuit in id quod mensuram vestram excederet deuiandi, sed etiam si quid graue intolerandúmque committeret, nostra erat expectanda censura, vt nihil priùs ipsis decerneretis, quàm quid nobis placeret agnosceretis. Sed dicitis iudicia Episcoporum non esse maiora negotia, nec difficiliores causarum exitus. At nos horum meritò iudicia maiora negotia dicimus, & difficiliores causarum exitus iudicamus, qui quanto gradu sunt præcipui, & in Ecclesia Christi sublimiores, tanto cùm de horum statu vel casu agitur, maiora negotia & difficiliores causarum exitus agitari vel haberi creduntur. Ipsi quippe primi sunt in Ecclesia, ipsi arundinem tenentes metiuntur sanctam Hierusalem, ipsi fabricæ Dei præsunt, ipsi speculatores ciuitatis Dei sunt, ipsi arietes, ipsi pastores gregis dominici, ipsi columnæ domus summi regis existunt. An maiora negotia causas inferiorum clericorum esse conicitis, vt horum causas nobis, & Episcoporum vobis negotia tribuatis? Quamuis & inferioris gradus clericorum causas apud nos, cùm tempus vel res exegerit, esse finiendas è diuerso proculdubio colligamus, sicut beatus Papa dicit Innocentius, Si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis, quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, & secundùm Nicænam Synodum, congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium terminetur. nec alicui liceat, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cuius in om-

In Synodo Romana de script. canon.

Epist. 88. in principio.

Ibid. post alia.

Epist. 2. ad Victricium

nibus caufis debet reuerentia cuftodiri, relictis his facerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Ecclefiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias.] An maiora negotia Metropolitanorum tantùm effe fatemini? Sed audite rurfus quid de Epifcopis fanctis affeueret Leo, Quibus, inquiens, etfi dignitas communis non eft, ordo tamen generalis eft.] Et reuera vnus de feptem Ecclefiæ gradibus eft, Metropolitanorum fcilicet & reliquorum Epifcoporum ordo. & quod dicit Apoftolus, *Oportet Epifcopum irreprehenfibilem effe*, non video minùs Metropolitis quàm ceteris Epifcopis conuenire: nifi fortè Epifcopatu fe priuet quifquis Metropolitanorum ad fe hoc Apoftoli dictum non æftimat pertinere. Vnde nos non minoris, nec alterius famæ accufatores, teftes, vel iudices in negotiis quærimus Epifcoporum, quàm exigimus in caufis Metropolitanorum. Vnde tam illorum quàm iftorum negotiorum nobis exitus referuari meritò volumus, & iure decernimus. Totius enim Ecclefiæ, Deo auctore, generaliter gerimus follicitudinem, & omnium vtique qui Ecclefiæ filij funt, cura conftringimur, atque omnes, quorum nos maximè cura expectat, noftrum præcipuè debent mereri iudicium, ficut Innocentius ad Maximum fcribens Antiochenum, Quorum enim, inquit, te maximè expectat cura, præcipuè tuum debent mereri iudicium.] non fcilicet folùm Metropolitanorum, fed & omnium omninò facerdotum, quinimmò vniuerforum qui fe de ouibus principaliter diuinitùs Petro commendatis effe non nefciunt. id eft, non folùm cunctorum qui de illorum numero funt, de quibus Dominus principi Apoftolorum dixit, *Tu aliquando conuerfus confirma fratres tuos*, fed etiam qui de his pifcibus funt, qui intra rete, quod ab ipfo ad litus trahi fpecialiter iuffum effe recognofcunt. Adhuc tamen percontari propter contentiofos libet quænam iudicia vel quorum effe maiora negotia prædicatis, fi Epifcoporum caufam nō inter præcipua computatis negotia? An laicorum & vulgarium populorum iudicia inter maiora negotia ponitis, quos penè quotidie cum veftris & fine veftris epiftolis ad difcutiendos fufcipimus, & difcuffos, vel iudicatos, vel abfolutos dimittimus? Denique aut fæcularium iudicia inter maiora, & Epifcoporum inter minora negotia collocabitis, & vobis Epifcoporum, nobifque laicorum iudicia referuabitis, aut certè fi Epifcoporum iudicia funt maiora negotia, iuxta beatum Leonem, liberum vobis effe debuit hæc fub noftræ fententiæ expectatione fufpendere, ac fi perfona iudicandi tale aliquid mereretur, expectandum vobis fuerat quid ad veftra confulta refcriberemus. Abfurdum eft enim, vt laicos quofque, & minimos qui funt in Ecclefiis veftris, noftro iudicandos addatis quotidiano labori, & Epifcopos, qui præcipua Ecclefiæ membra funt, veftræ fubdatis deliberationis arbitrio. His verò tandem omiffis, Deo duce, fcitote nos quòd temeritate magiftra perperam à vobis commiffum eft, & quod inconfultis nobis in Rothado fratre & Coepifcopo noftro perproperè perpetraftis, etiamfi nunquam fedem Apoftolicam appellaffet, Dei auctoritate, & beatiffimorum Petri & Pauli principum Apoftolorum, feu omnium deceſſorum meorum, necnon & fanctorum trecentorum decem & octo Patrum, qui apud Nicæam fub Conftantino pio principe conuenerunt, penitus euacuantes, & in irritum ducentes, præfatum Rothadum priftino gradui, priftinæ dignitati, priftino reddidiffe prorfus honori. ita vt diuina myfteria conficiendi priorem facultatem adeptus, omnique facerdotali reftitutus officio, fine cuiuflibet contradictione propriæ receptæ liberè præfit Ecclefiæ, à qua inconfultis nobis expulfus eft. Denique cùm per biennium fcriptis & verbis inftanter egiffemus, vt idem Rothadus aut propriæ redderetur Ecclefiæ, aut certè Romam cum vicariis veftris & ipfius accufatoribus à nobis examinandus & iudicandus deftinaretur, & nihil apud vos impetrare potuiffemus, dummodò hoc modo illud ad excufandas excufationes in peccatis obiiceritis, tandem aliquando Deo infpirante, Nicænæ nobis Synodi decreto fuffragante, quo inter cetera præcipitur, vt fuis priuilegia feruentur Ecclefiis, ratum duximus, iam fatum Rothadum, memores fcilicet priuilegiorum Apoftolicæ fedis, à vinculis quibus illum, ne pro-

1.Tim.3.2.
Epift.xx.
Luc.22.31

prio vteretur officio, nec suæ præesset Ecclesiæ, colligastis, quia nos non consensimus absoluendum. Neque enim tam stolidus, támve poterit à rationis tramite deuius inueniri, qui ceteris Ecclesiis priuilegia seruari, & soli Romanæ Ecclesiæ adimi debere perhibeat, quæ omnium Ecclesiarum magistra, mater, & caput est. Si quis autem tacita fortè, quia non audet aperta musitatione fateri Romanæ huiuscemodi Ecclesiæ priuilegia non fuisse, quibus sedes Apostolica aliorum ligata Præsulum facultatem habuerit dissoluendi, præter quod prisca rerum probatione, & nonnullarum recitatione scripturarum conuincitur, testis est beatus Gelasius, quem idcirco ad testimonium super his perhibendum producimus, quia hunc non solùm vita & doctrina plurimùm commendat, verùm etiam rem de qua agitur in paucis adstruit & ostendit, nobis videlicet breui sermone propinans quod de multorum voluminum fontibus hausit. Scribens enim Episcopis per Dardaniam constitutis inter cetera, Nec planè ait tacemus quod cuncta per mundum nouit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vt pote quæ de omni Ecclesia fas habeat iudicandi.] Item idem ad Episcopos Orientales, Post quingentos, inquit, annos constituta Christi eos velle subuertere, cùm triginta annorum lex hominum non possit abrumpi. Sanctum Athanasium ideo non fuisse damnatum à Synodo Orientis, quia sedes ista non consenserit, sanctum Ioannem Constantinopolitanum, sanctum Flauianum. Si ergo ea non consentiente sola, qui damnati sunt à Synodo Orientis non poterunt esse damnati, consequens est etiam sine Synodo, qui eadem sola damnante damnatus fuerit, damnatus sit.] In quo inter cetera notandum est, quia si hos, qui post quingentos annos statuta Christi tentabant subuertere, tanta vir sanctus increpatione redarguit, cùm triginta lex hominum non possit annorum abrumpi, quanto magis hi exprobrandi sunt, qui etiam post octingentos & eo ampliùs annos nituntur euellere? Quæ verò statuta Christi dixerit, inferiùs explanauit, cùm sola sede Apostolica non consentiente neminem posse damnari, & sola ea consentiente qui damnatus fuerit, damnatus habeatur exposuit. Statuta itaque Christi dixit eos post quingentos annos velle subuertere, quia iam quinquies centeni circiter anni prætererant, quando hæc venerabilis Papa dicens, sedem Apostolicam statuta Christi promeruisse fatetur. Priuilegia enim sua à Christo Ecclesia Romana per Petrum consecuta est, & ipsa sunt statuta Christi, quæ quidam tunc post quingentos, nunc post octingentos annos exinanire conantur. Ecclesiæ inquam Romanæ adeo sunt antiqua & vetera priuilegia, vt Nicæna Synodus, sicut Bonifacius Præsul Apostolicus Episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait, non aliquid super eam ausa sit constituere, cùm videret nihil supra meritum suum posse conferri, omnia denique huic nouerat Domini sermone concessa. Si omnia, ergo & Episcoporum iudicia. Perhibente autem beato Bonifacio, quòd Nicæna Synodus super eam, haud dubium quin Romanam Ecclesiam, non ausa sit aliquid constituere, cùm videret nihil supra meritum suum posse conferri, omnia denique huic nouerat Domini sermone concessa, & obiurgante sancto Gelasio eos qui constituta Christi volebant subuertere, cùm priuilegia Romanæ sedis moliebantur infringere, manifestè datur intelligi, eadem constituta Christi esse, quæ sunt omnia illa quæ huic Ecclesiæ Synodus Nicæna nouerat Domini sermone concessa. A tempore quippe quo Synodus Nicæna fuerat consummata, nondum quingenti vsque ad Gelasium anni transierant, vt de Nicænæ Synodi statutis tantus vir dixisse videatur eos post quingentos annos statuta Christi velle subuertere. Restat ergo vt illius temporis mentionem fecerit, à quo quingentorum circiter annorum circula vsque ad se deuoluta poterant comprehendi. Christus enim priuilegia constituta in Petro disposita vel firmata Romanæ contulit Ecclesiæ, super quam nihil Synodus quælibet ausa est meritò constituere, cùm sciat omnia Domini sermone concessa. Dispensationem quippe redemptionis humani generis ante tempora sæcularia Deus omnipotens penes se ordi-

natam custodiens, tempore carnis ostendens, ascensurus ad cælos in Apostoli Petri, per quem & Apostolatus & Episcopatus sumpsit exordium, confessione curáque præcipuè collocauit. Qui tunc per se, deinceps per suæ sollicitudinis heredes, circa humanum genus quæ sibi Dominus commendauit non destitit exhibere. Hæc enim ille, hæc successores eius ex tunc agere non omittunt, modò verbis, modò decretorum suorum epistolis, ab vrbe Roma diuersis temporibus datis, commissarum sibi ouium prouidentiam principaliter exercentes. Itaque Rothadum Episcopum, de quo hactenus nostris contempsistis obedire mandatis, tandem à nobis, immò à Deo pristino gradui restitutum benignè suscipite: quia ille Euangelicus filius rediens, non solùm suscipi meruit, sed & dignus paternis complexibus inuenitur, & anulum fidei recipit, & stola circumdatur, per quam quid aliud quàm sacerdotij declarantur insignia? Nec probabilis extitit apud patrem senior filius quòd inuidit recepto, nec tantùm meriti habuit penes patrem perseuerando, quantum notæ contraxit non recipiendo germanum. Ergo suscipite illum vt fratrem, suscipite, inquam, illum vt mea viscera. Sollicitos autem vos pro salute libenter audio, contra caput etiamsi faciendum est, non libenter admitto. Cui manus porrigenda est vobiscum porrigo, cui porrigo mecum porrigite. Et rursus, *Si cui autem aliquid donastis & ego. Nam & ego si quid donaui propter vos in persona Christi*, vt non possideantur à Satana. Non enim ignoramus versutias eius, id est, qui semper dissensione lætatur. Apostoli verò declaratæ benignitatis verba sunt hæc, sicut ea viri beatissimi sedis Apostolicæ Præsules Innocentius & Bonifacius explicauerunt. Porrò quisquis contra hoc nostri Apostolatus decretum post notitiam eius se efferens, sæpefato Rothado Episcopo ad recipiendam & regendam Suessonicæ vrbis Ecclesiam aliquod palàm vel occultè præparauerit offendiculum, vel si personæ ipsius quoquomodo insidiatus extiterit, quin immò si quis vestrûm ad Ecclesiam suam recipiendam illi tanquam frater fratri adiutorium non præstiterit, vt pote qui videt fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, & veluti is in quo caritas Dei non manet, ab ipsa caritate quæ Deus est, & à corpore ac sanguine Christi, & à nobis qui membra illius sumus, habeatur omnimodis alienus. Porrò ne iustitiam tegere nostræ tantùm videamur voluntatis arbitrio, ac per hoc æstimemur canonicis legibus contraire, sancimus atque decernimus, quatinus sæpè fatus Rothadus venerabilis Episcopus paratus sit omni regulariter poscenti de se, quia nulli Deo propitio parti fauere volumus contra iustitiam, coram sedis Apostolicæ Præsule reddere rationem. Ita duntaxat, vt iuxta maiorum diffinitiones, antè omnia quæ priùs possederat integro iure recipiat. Adeo vt talis in omnibus habeatur, qualis ante sententiam contra se prolatam fuisse dinoscitur. Sicque demùm Ecclesia recepta, & Episcopatu libera securitate possesso, proximis & amicis, rebus & ipsis resumptis viribus, vestitus quoque & spiritualibus armis tectus, accusatoribus respondeat suis, & vnde impetitur plenissima studeat hos qui foris atque intus sunt satisfactione certificare.]

1. Cor. 2. 10

Porrò sicut scripsistis mos est Apostolicæ sedis pontificibus, vt verba decessorum suorum quasi propria in suis ponant epistolis, quatinus, sicut Symmachus Papa ait, roborando quæ gesta sunt faciant rata esse quæ gesserunt. Quocirca firmiter teneo, si quaterniones vestri ad Apostolicæ sedis peruenerint notitiam, qui contra Apostolicorum decreta obloquuntur, nullius momenti subsistent, quia quæ domnus venerabilis Papa Nicolaus, suorum exempla prædecessorum imitans, prosequendo constituit, domnus æquè venerandus Papa successor ipsa Hadrianus quæ ab eo gesta sunt roborabit, vt faciat restare quæ gesserit, & sicut scripsistis, iuxta morem Apostolicæ sedis Pontificum, etiam verba huius prædecessoris sui quasi propria in suis ponet epistolis, contra omnes quos senserit aduersus illa quæ ab eo promulgata sunt anniti. Etenim Apostolicæ sedi obuias manus inferre periculosum est, quod nullus vnquam fecit, sicut meliùs nostis, qui de se voluit iudicari. Enimuerò quia in eisdem quaternionibus vestris multa vtilia habentur, ex multo-

rum auctorum sententiis, tanquam ex latissimis pratis viuis fontibus irrigatis deflorata, videtur mihi vt ex illis botrus carperetur, & spina caueretur. At de his quæ de me in ipsis scripta adhuc relegi, perfacilis quidem patet responsio, sed verbositatis ac loquacitatis absque salis lepore perplurima indiget prolixitate. Quocirca valde vereor, quia talis à calice mihi taliter propinato deriuabitur rescriptio, sicut de quodam scribitur, qualem & vos & me pudeat legere, & graues viros tædeat etiam audire. Quapropter si possem, & vobis etiam placeret, oppidò eam deuitare optarem. Nam de causis generalibus ibidem positis, decretalia Romanæ sedis satis abundéque respondent, contra quæ nullas propositionum ambages, nullas nouas adinuentiones, aut tergiuersales interpretationes quisquam quiddam sani sapiens suscipiet. Quoniam hæc est via directa, in qua nec stultus errabit, & qua tam intentatiuè in Attiniaco de excommunicatione à me in parochia mea facta interrogatus sum. Tantummodò hoc interea pando, eo quòd vos inauditam illam, ac contra Apostolicam doctrinam, & contra Ecclesiasticam veritatem fuisse asseueratis factam, non aliam illam, quàm à vestra viuæ vocis doctrina faciendam didici, & vos ea quæ iure destruxistis ab re reædificare non debetis, immò & quam in Romana sede Apostolica auctoritate cognoui præinditam, & de qua eandem mihi sedem reclamo fore auctricem, cuius interest & de illa à me facta excommunicatione iudicare, & de vestra resolutione decernere, cùm ob eam mihi rescribitis sic, Quòd ergo de tua parochia, quasi ego ad aliquid in ea diffiniendum illam adire non possim, ex verbis Callisti, & aliis tuis compilationibus tecum non facientibus affirmare conaris, prauè intelligis. Sed his & aliis regularum constitutionibus inuenies hoc obseruare vnumquemque Metropolitanum in prouincia alterius Metropolitani, quod tu tibi peruersè arrogas de tua parochia Metropolitanæ sedi Remorum subiecta. Forsan fuerunt aliqui Metropolitanorum, qui iam hæc huiusmodi attentauerint. Vnde & idem fatus Callistus Papa ad omnes Galliarum vrbium Episcopos rescripsit, in qua rescriptione penitùs intelligentiæ amphibologiam præcauit. Nam inquit, Nullus primas vel Metropolitanus diœcesiani Ecclesiam vel parochianum vel aliquid eius parochiæ præsumat excommunicare, vel iudicare, aliquidve agere, absque eius consilio vel iudicio. Sed hoc obseruent, quod ab Apostolis ac patribus & prædecessoribus nostris est statutum, & à nobis confirmatum. id est, Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam, sine consilio & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habeatur & vacuum. Sed quicquid de prouincialium Coepiscoporum causis, eorúmque Ecclesiarum & clericorum atque sæcularium necessitatibus, agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprouincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima & concordi administratione, sicut Dominus ait, *Non veni ministrari sed ministrare.* Et alibi, *Qui maior est vestrûm, erit minister vester,* & reliqua.] Nempe ponens, nullus primas, nullus Metropolitanus, diœcesiani Ecclesiam vel parochiam, vel aliquid eius parochiæ præsumat excommunicare, aliquidve agere, absque eius consilio vel iudicio, non videtur hîc primatibus de comprimatibus, vel Metropolitanis de commetropolitanis id inculcasse, cùm expunxit diœcesiani Ecclesiam vel parochianum, vel aliquid eius parochiæ: sed ibi absque ambiguitate intelligendum est, quòd non licet agere primati, multominus etiam Metropolitano, vt diœcesiani Ecclesiam vel parochianum, vel aliquid eius parochiæ præsumat excommunicare vel iudicare. Nec minùs ibi patet, quia non licet Metropolitano in parochia sui Metropolitani hoc vsurpare, quod neque in diœcesiani sibi conceditur attentare. Sed ostenditur in eodem capitulo quid illi liceat ac expediat, vbi annectitur sic, Sed quicquid de prouincialium Episcoporum causis, eorúmque Ecclesiarum & clericorum atque sæcularium necessitatibus agere aut

Epist. 1. ad Episcopos Galliæ.

Matth. 20. Marc. 10.

aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprouincialium agatur Pontificum. Nec tacuit etiam actionis modum dicens, Non aliquo dominationis fastu, sed humillima & concordi administratione, sicut Dominus ait, *Non veni ministrari sed ministrare*, & alibi, *Qui maior est vestrûm, erit minister vester*. Matth.20. Vbi non aliquis dominationis fastus intelligi poterat, qui se soli inter se aut vicissim iudicarent, aut vicissim spernerent, essetque ordo confusus. Et quod in eodem continetur Capitulo intueamur. Sed hoc obseruent quod ab Apostolis ac patribus ex prædecessoribus nostris est statutum, & à nobis confirmatum. id est, Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodò propriam pertinet parochiam, sine consilio & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum, extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habeatur & vacuum. Si hoc Metropolitanis obseruandum cum commetropolitanis, non cum diœcesianis esset statutum, non præfigeretur, Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodò propriam pertinet parochiam: sed consequenter connecteretur, nisi quod ad suam solummodò propriam pertinet parochiam & diœcesim. Et quod sequitur, sine consilio & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum extra aliquid agere tentauerit, si Archiepiscopi hoc de Archiepiscopis obseruandum tenuerint, illud canon cadet quod accepto fertis, perfectum Concilium est, vbi Metropolitanus cum suis suffraganeis fuerit: quia nullus Archiepiscopus de Coepiscoporum causis sine consilio & voluntate omnium cõprouincialium, vt secundùm vos loquar, Coarchiepiscoporum tractare vel diffinire potuerit: quia si extra aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habebitur & vacuum. Ecce magis hîc perdit vestra Archiepiscopalis dignitas quàm adquirit; quoniã istud minus est, si nihil nisi quod solummodò ad vestram propriã pertinet parochiam agere possitis sine consilio ac voluntate omnium comprouincialium Archiepiscoporum, & illud multo maioris est potestatis, sicut à sanctis Patribus institutum est, vt cum consilio vestrorum comprouincialium Coepiscoporum quicquid ex ipsorum causis, eorúmque Ecclesiarum & clericorum atque sæcularium necessitatibus, agere aut disponere necesse fuerit, si nihil contradictionis emerserit, vnde appelletur, tractetis ac perfectè diffiniatis, & de his tantùm quæ ratio & necessitas exposcit consensum comprouincialium Coarchiepiscoporum requiratis. Scripsit etiam præfatus Papa Calistus in alio capitulo de hac eadem re ad locum sic, Nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullúsque reliquorum Episcoporum, alterius adeat ciuitatem, aut ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius Episcopi est parochiæ, super cuiusquam dispositione, nisi vocatus ab eo cuius iuris esse dinoscitur, vt quiddam ibi disponat, vel ordinet aut iudicet, si sui gradus honore potiri voluerit. Sin aliter præsumpserit, damnabitur, & non solùm ille, sed cooperantes atque consentientes: quia sicut ordinatio, ita eis iudicatio & aliarum rerum dispositio prohibetur. Nam qui ordinare non poterit qualiter iudicabit? nullatenus proculdubio iudicabit, aut iudicare poterit. Quoniam sicut alterius vxor nec adulterari ab aliquo vel iudicari aut disponi, nisi à proprio viro eo viuente permittitur: sic nec vxor Episcopi, quæ eius Ecclesia vel parochia indubitanter intelligitur, eo viuente absque eius iudicio & voluntate alteri iudicare aut disponere, aut eius concubitu frui, id est, ordinatione vllatenus conceditur. Vnde ait Apostolus, *Alligata est vxor legi quandiu vir eius viuit. eo verò defuncto, soluta est à lege viri.* Similiter & spõsa Episcopi, quia sponsa vxórque eius dicitur Ecclesia, illo viuente ei est alligata, eo verò defuncto soluta est, cui voluerit nubat, tantùm in Domino, id est regulariter. Si enim eo viuente alteri nupserit, adultera iudicabitur. Similiter & ille si alteram spontè duxerit, adulter æstimabitur, & communione priuabitur.] Quòd si solummodò inter Primates & inter Metropolitanos, nisi adderetur nullúsque reliquorum Episcoporum, diceretis fore obseruandum in parochiis Coepiscoporum vestrorum auctoritate Archiepiscopali presbyteros ac diacones ordinare eos, ac de eis eorúmque causis, sine voluntate ipsorum, solus præ-

Ep.11. post superiora.

Rom.7.

ter Synodum iudicia terminaretis, ac aliarum rerum diſpoſitiones vobis vindicaretis. quod nulla inuenimus Patrum Synodo conſtitutum. nec ad Epiſcopum, ſi Archiepiſcopus non ſit, pertinere poterit quod in hoc capitulo habetur, quoniam ſicut alterius vxor nec adulterari ab aliquo, vel iudicari, aut diſponi, niſi à proprio viro eo viuente permittitur: ſic nec vxor Epiſcopi, quæ eius Eccleſia vel parochia indubitanter intelligitur, eo viuente abſque eius iudicio & voluntate, alteri iudicare, vel diſponere, aut eius concubitu frui, id eſt ordinatione, nullatenus conceditur. Lucius quoque Papa, quem vos recepiſſe cognoui, hæc eadem ſic promulgat, Si quis Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodò propriam pertinet parochiam, ſine conſilio & voluntate omnium comprouincialium Epiſcoporum, extra aliquid agere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit, & quod egerit irritum habeatur & vacuum. Similiter autem auctoritate fulti Apoſtolica præcipimus, vt nullus Metropolitanus, abſque ceterorum omnium comprouincialium Epiſcoporum inſtantia, aliquorum audiat cauſas, quia irritæ erunt, & ipſe cauſam pro facto dabit.] Ecce quia iſte Archiepiſcopos etiam audire cauſas queritantium ſine præſentia comprouincialium prohibuit. Et quia in capitulo veſtro quod præpoſui, habetur ſic, Sed his ſcilicet verbis Calliſti, & aliis regularum conſtitutionibus, inuenies hoc obſeruare debere vnumquemque Metropolitanum in prouincia alterius Metropolitani.] Accedat prædeceſſor iſtorum, Romanæ ſedis æquè Antiſtes Anicius, & ſi hæc non ſufficiunt, omnem amphibologiam huius intelligentiæ omnimodis procul remoueat. Inquit enim ſic, Ipſe autem Archiepiſcopus nihil de Coepiſcoporum cauſis, aut aliis communibus, iuxta ſtatuta Apoſtolorum, abſque cunctorum illorum agat conſilio, nec illi niſi quantum ad proprias parochias pertinet ſine ſuo: quoniam tali gaudet ex concordia altiſſimus, & gloriatur in membris ſuis. Reliqui verò qui alias Metropolitanas ſedes adepti ſunt, non Primates, ſed Metropolitani nominentur. Si autem aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, & ſine omnium comprouincialium præſentiali conſilio Epiſcoporum, aut eorum aut alias cauſas, niſi eas tantùm quæ ad propriam ſuam pertinent parochiam, agere aut eos grauare voluerit, ab omnibus diſtrictè corrigatur, ne talia deinceps præſumere audeat. Si verò incorrigibilis eiſque inobediens apparuerit, ad hanc Apoſtolicam ſedem, cui omnia Epiſcoporum iudicia terminari præcepta ſunt, eius contumacia referatur, vt vindicta de eo fiat, & ceteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris aſperitatem, graue ad hanc ſedem eius cauſam deferre fuerit, tunc ad eius Primatem cauſa deferatur, & penes ipſum huius ſanctæ ſedis auctoritate iudicetur. Similiter, ſi aliquis Epiſcoporum proprium Metropolitanum ſuſpectum habuerit, apud Primatem diœceſeos, aut apud hanc Apoſtolicam ſedem audiatur. *Qui maior eſt veſtrûm*, ſecundùm iuſſionem *ſit veſter miniſter*. &, *quanto maior es, in omnibus humilia teipſum*. Cariſſimi, nolite inter vos contendere, nec quærat aliquis maior eſſe, ſed iuxta Apoſtolum diligite vos inuicem, quoniam caritas ex Deo eſt, & omnis qui diligit ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus caritas eſt.] Enimuerò dicens, Ipſe verò autem Archiepiſcopus nihil de Coepiſcoporum cauſis, aut aliis communibus, iuxta ſtatuta Apoſtolorum, abſque cunctorum illorum agat conſilio, diſtinguendo nihil de Coepiſcoporum cauſis, non de Coarchiepiſcoporum permittit interpretari. Subdendo quoque, abſque cunctorum illorum agat conſilio, illorum, quod eſt pronomen relatiuum ac demonſtratiuum, ad perſonas reſpicit Coepiſcoporum, nec ſinit ſubaudiri Coarchiepiſcoporum. Trium iſtorum ſic poſuiſſe ſufficiat teſtimonia, quibus reliqui Apoſtolicæ ſedis Pontifices adſtipulando atteſtantur. Et clarere credo, quia ea quæ de Calliſti Papæ ceterorúmque ſuorum prædeceſſorum ac ſucceſſorum conſtitutionibus collegi, non prauè ſed planè intellexi. Decernit enim Antiochenum ita Concilium, Per ſingulas regiones Epiſcopos conuenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius prouinciæ gerere. pro-

Margin notes: Epiſt. vnica ſub initiũ. — Poſt pauca. — Anicetus epiſt. vnica. — Matth. 20. 26. — Eccli. 3. 20. — Can. IX.

pter quod & ad Metropolim omnes vndique qui negotia videntur habere concurrant. Vnde placuit eum honore præcellere, & nihil ampliùs præter eum ceteros Episcopos agere, secundùm antiquam à patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantùm quæ ad suam diœcesim pertinent, possessionésque subiectas. Vnusquisque enim Episcopus habet suæ parochiæ potestatem, vt regat iuxta reuerentiam singulis competentem, & prouidentiam gerat omnis possessionis quæ sub eius est potestate. Ita vt presbyteros & diacones ordinet, & singula suo iudicio comprehendat. ampliùs autem nihil agere tentet præter Antistitem Metropolitanum, nec Metropolitanus sine ceterorum gerat consilio sacerdotum.] Ecce ostenditur quia sollicitudinem gerere debet totius prouinciæ Metropolitanus, & quòd ad Metropolim eos qui negotia habere videntur, concurrere oporteat. Quid tamen inde exequendum Metropolitani sit sollicitudini, non in hoc capitulo euidenter exprimitur, quia hîc omnia comprehendi non potuerunt præter hoc quod dicitur, nec Metropolitanus sine ceterorum gerat consilio sacerdotum. Sed inde apertiùs Africanum decernit Concilium, Item placuit vt presbyteri, diaconi, vel ceteri clerici inferiores, in causis quas habuerint, si de iudiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, & inter eos diffiniant adhibiti ab eis Episcopi. Quòd si & ab eis prouocandum putauerint, prouocent ad primates suarum prouinciarum, sicut & de Episcopis constitutum est.] Et in Sardicensi ita adhuc latiùs habetur Concilio. Osius Episcopus dixit, Hoc quoque omnibus placet, vt si diaconus, siue presbyter, siue quis clericorum, ab Episcopo suo communione fuerit priuatus, & ad alterum perrexerit Episcopum, & sciens ad quem confugerit, eum ab Episcopo suo fuisse abiectũ, non oportet vt ei communionem indulgeat. Quòd si fecerit, sciat se conuocatis Episcopis causas esse dicturum. Vniuersi dixerunt, Hoc statutum & pacem seruabit, & concordiam custodiet.] Et ne dici possit hoc Archiepiscopis non præiudicare capitulum, in eo quod inquit, vt siue diaconus, siue presbyter, siue quis clericorum, ab Episcopo suo communione fuerit priuatus, & ad alterum perrexerit Episcopum, quia non admisit, aut ad Archiepiscopum, sequens de hac eadem re diligentiùs eiusdem Concilij perscrutatur capitulum. Osius Episcopus dixit, Quod me adhuc mouet reticere non debeo. Si Episcopus quis fortè iracundus, quod esse non debet, citò & asperè commouetur aduersus presbyterum siue diaconum suum, & exterminare eum voluerit de Ecclesia, prouidendum est ne innocens damnetur, aut perdat communionem. & ideo habeat potestatem is qui abiectus est, vt Episcopos finitimos interpellet, & causa eius audiatur, ac diligentiùs tractetur, quia non oportet ei negari audientiam roganti. Et ille Episcopus, qui iustè aut iniustè eum abiecit, patienter accipiat vt negotium discutiatur, vt vel probetur sententia eius à plurimis, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere vt eum communioni societ. Hi verò qui conueniunt ad audiendum, si viderint clericorum esse fastidium & superbiam, quia iam non decet vt Episcopus iniuriam vel contumeliam patiatur, seuerioribus eos verbis castigent, vt obediant honesta præcipienti Episcopo: quia sicut ille clericis sincerum exhibere debet amorem caritatis, ita quoque vicissim ministri infucata debent Episcopo suo exhibere obsequia.] Quòd dicitur hîc, habeat potestatem is qui abiectus est vt Episcopos finitimos interpellet, & causa eius audiatur ac diligentiùs tractetur, quia non oportet ei negari audientiam roganti, patet quia dum ad Metropolim vti Antiochenum dicit Concilium concurrerit, ac audientiam ab Episcopo rogauerit qui sollicitudinem prouinciæ gerit, ille qui abiectus est potestatem habens, finitimos Episcopos ad hoc debere congregari, qui negotium discutientes, aut probabunt sententiam Episcopi aut emendabunt. quæ à plurimis est mutanda, non solius Archiepiscopi deliberatione destruenda, quia quod subditur, Tamen priusquam omnia diligenter

Can. XVI. Can. XVII.

& fideliter examinentur; eum qui fuerat à communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere vt eum communioni societ, non excepit Archiepiscopum. quia vbi dicitur nullus, non supersedet vllus. Nicænum quoque quid ex hoc decernat Concilium attendamus, quo ait, De his qui communione priuantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, ab Episcopis per vnamquamque prouinciam, sententia regularis obtineat, vt hi qui abiiciuntur ab aliis non recipiantur, requiratur autem ne pusillanimitate aut contentione vel aliquolibet Episcopi vitio videatur à congregatione seclusus. Vt hoc ergo decentiùs inquiratur, bene placuit annis singulis per vnamquamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus simul Episcopis congregatis prouinciæ, discutiantur huiusmodi quæstiones, & sic qui suo peccauerunt euidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, vsquequo vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam.] Ergo communiter omnibus simul Episcopis congregatis prouinciæ hæ quæstiones discuti iubentur, ac excõmunicatos ab omnibus rationabiliter æstimari, vsquequo vel in communi vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Nulli Archiepiscoporum potestas datur, vt sua sola auctoritate Coepiscopi sententia euacuetur. Soli debetur hoc priuilegium Romanæ sedis Pontifici, vt pote qui de omni Ecclesia fas habet iudicandi. Docet quidem Papa Alexander in fine suæ Epistolæ, quòd non tantùm attendenda sunt quæ fiunt, quantum quo animo fiunt.] Nempe cùm hoc examussim, tam in vobis quàm in me fuerit perscrutatum, patebit illico inde æquitatis emolumentum. Dicam tamen pro multis quæ suo loco exequenda erunt paucula. Domino dicente primo parenti nostro, in quocumque die ex ligno sibi vetito comederet, quòd morte moreretur, non ideo dixit vt ipse comederet & morte moreretur, scilicet corpore & anima: sed ideo illud intulit, ne comederet, & non morte moreretur, sed vita viueret. Suadente autem diabolo, vt si ex ligno vetito comederent sicut dij essent futuri, scilicet parentes nostri, non ideo persuasit vt fierent quod prætendebat, sed vt amitterent esse quod fiendi erant si non comedissent. Ecce quia interdictio Domini ad hoc præcedebat, vt mors euaderetur, resolutio diaboli ad hoc inducta, vt vita euacuaretur. Et quia secundùm illud Papæ Alexandri statutum, non tantùm attendenda sunt quæ fiunt quantùm quo animo fiunt, cùm ex ordine suo loco & tempore cuius est meam audierit interdictionem, iudicabit quo animo qua intentione eam fecerim, vtrum quo ex ea aliquod malum subsequeretur, aut alicuius periculum procederet, aut locus violandi Apostolicæ sedis decreta aperiretur, aut, vt ita dicam, delinquendi contra omnes leges tam diuinas quàm humanas facultas daretur. nam lex propter transgressores posita est. an vt hæc ne fierent satagere maluerim nihilominus ponderabit. Reuoluentur ab initio Apostolicæ sedis decreta, & considerabitur in ipsis cur excommunicatio facienda sit, & quibus ac à quibus', quin & à quibus exeundum ac separandum sit, cum quibus nec cibum sumi, quanto minùs nec Missam oporteat celebrari. Certè si qui non corrigit resecanda committit, ac qui in talibus tacet consequenter & cohibetur, & væ propheticum illi tacenti imminet, multo magis qui ea docet, per quæ hæc fieri quoquomodo à quibusque præsumantur, non in hominem tantùm fratrem, sed in Deum Dominum, ac per hoc in ipsam sacrosanctam religionem præuaricari conuincitur. Quod non me pro me dicere reamini, quasi propria instigatum iniuria: quia Deo teste pro cauendo potiùs Ecclesiastici ordinis detrimento vobis scribo, vti scriptùm est, *Nolite locum dare Diabolo.* Nec vnum, scitote, apicem ab ore meo dictatum apparere optarem vel opto, qui vestræ paternitati displiceret, vel decentiæ vestræ non congrueret. Sed non possum de his quibus gratis impetor, pro scire me vel tandem coactus non expedire. Fortè in hyperbaton modum excessi, ad superiora suspiciam. De hoc quod scripsistis, Nam etsi scedula à te mihi dire-

Can. v.

Epist. 1. ante medium.

Ephes. 4. 27

cta quiddam rationis vel auctoritatis habere videretur, hoc tamen debes discernere, quia sicuti vbi reclamatio certa suscipitur, causa ventilatur, ratio postulatur, præsumptio vel vsurpationis temeritas non inuenitur, sed iustitia requiritur, & æquitas conseruatur, censura districtionis canonicæ vacat.] Si scedula quiddam rationis vel auctoritatis habet, quam superiùs mendacem descripsistis, bonum est vt illud obseruetur. Quòd autem de susceptione reclamationis certæ dicitis, qualiter suscepta sit eorum, de quibus dicitis, reclamatio superiùs descripsi, & quomodo ventilata fuerit demonstraui, & ratio ipsorum cuius iuris sit quam habent satis liquet, si tamen absque præsumptione ac temeritate iustitia secuta est, & æquitas mihi conseruata. qui sicut superiùs explicaui, causa rationis reddendæ vsque dum prænominati cognitores, sine quibus diffinitio fieri non poterat, defuerunt adfui, vt de canonum statutis sileam, ex ipsis pro re huiusmodi scriptis vestræ auctoritatis, & Regi Pistis vt præmisi datis, animaduerti valebit. in quibus ad locum ita decernitis inferentes, Vnde constat, quia si carere debet eo quod per mendacium impetrauit, cautius est vt inuestigetur rei veritas antequam per mendacium quiddam nisi inquisitionem impetret, dicente sancto & cauto rege, *Causam quam nesciebam diligentißimè inuestigabam.* Iob 29.16.
Et ideo facilè discerni potest, quia in istis non censura districtionis canonicæ vacat, sed potiùs exaggeranda in eos esset ad vlciscendum qui sunt deuij à ratione & auctoritate ac æquitate, & in contemptus pertinacia obdurati. Quòd mihi scripsistis, Hortor & moneo te, frater carissime, paterna & Metropolitana secundùm sacras regulas auctoritate, vt non per hæc commenta quæ mihi misisti, præceps, sicut mihi mandasti, sis ad proferendam sententiam,] vt secundùm vos loquar, de his commentis quæ modò falsitatis, modò aliquid rationis auctoritatisve habere dicitis, quia superiùs respondi, nunc plura omittens, ex vestra Synodali in eadem Synodo epistola generaliter prolata, super hac præcipitatione considerandum vt mihi videtur fas est. Posuistis enim in ipsa sancti Lucij Papæ institutum quo ait, Rerum Ecclesiasticarum & facultatum raptores à liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizatos Apostolica auctoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus, & non solùm eos, sed & omnes consentientes eis, quia non solùm qui faciunt rei iudicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna & agentes & consentientes comprehendit.] Epist. vnica sub finem.
Et sic tanti Papæ prosecutores attestando additis, A qua pœna consensus liberi esse non possunt illi quorum ministerium est, & qui talia possunt prohibere, comprimere & emendare, & ea non student corrigere.] Ergo non est præceps tam nefandos rerum Ecclesiasticarum deuastatores ac direptores à sacrilegio prohibere & comprimere, ac cum obduratis iuxta Apostolica decreta seueriùs agere. Etenim quoque in quaternionibus vestris, Domino regi Pistis pro huiusmodi re datis, sic scripsistis ad locum, Qui ergo stipendia Ecclesiæ, cuiuscumque sint ordinis, loci, vel dignitatis accipiunt, si pro illius salute ac quietis honore atque defensione sollicitè ac pro viribus non laborant, indignè quin & ad iudicium illa sibi vsurpant.] Ergo si ad iudicium desides & non proficientes illa sibi vsurpant, numquidnam iudicari non debent, qui res Ecclesiasticas vt sacrilegi deuastant, & in eas direptores insiliunt? Quod dicitis, Præsertim cùm sufficientissimè iam te hinc commonuerim, redarguerim, & etiam ex auctoritatibus diuinis instruxerim.] Ecce quomodo hinc me tunc instruxistis. Quòd autem vlli meorum contra rationem vnquam fecerim, nulla à vobis redargutione sum adhuc comprobatus, sed tunc vobis libuit dicere quod licuit. Annectitis etiam, Sed patienter interim tolera quæ videntur tuæ potestati contraria, qui dicere cum Psalmista debes, *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam.* *In patientia*, inquit Dominus, *poßidebitis animas vestras*, & reliqua perplura de patientia dogmatizantes.] Certè gemens respondeo, quia postquam Romam directum paruitatis meæ legatum recepi Deo propitio reuersum, vobisque pro certo me vt deuoueram, ac illac mandaueram, iturum Psal. 128.3. Luc. 21 19.

velle non abſcondi. nullam ex meis meæque Eccleſiæ neceſſitatibus aliam potui in vobis inuenire conſolationem. pro qua tamen re potiorem in vobis dignum erat vt ſenſiſſem veluti de patre pietatis ac dilectionis dulcedinem, atque Archiepiſcopalem auctoritatis veſtræ ſuffragationem. De fabricatione verò ſupra dorſum meum fateor non condignam poſſe meis peccatis eam impleri, nec illius me eſſe gratiæ, vt eam dignè etiam modicam merear ſuſtinere. Illud tamen Comicus fortè ludens verum inquit, Facilè cùm valemus ægris conſilia damus. Vbi & reminiſcor beati Iob ad ſuos dicentis amicos, *Onerosi conſolatores omnes vos*. Sed ſanctus pius ac humilis accedat Auguſtinus, qui ſe inclinare dignetur, ac me iacentem manu ſuæ benignitatis erigere.

Iob 16.2.

Ex libro quarto Quæſtionum de Trinitate, capitulo LXXXIV. de eo quod dicit Apoſtolus, *Inuicem onera veſtra portate.*

Gal. 6.2.

QVIA veteris Teſtamenti cuſtodia timorem habebat, non potuit apertiùs ſignificari noui Teſtamenti donum eſſe caritatem, quàm hoc loco vbi Apoſtolus ait, *Inuicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Hanc enim legem Chriſti dicere intelligitur, quia ipſe Dominus præcepit vt nos inuicem diligamus, tantum in ea ſententia præcepti pondus conſtituens, vt diceret, *In hoc cognoſcitur quoniam diſcipuli mei eſtis, ſi vos inuicem diligatis*. Huius autem dilectionis officium eſt, inuicem onera noſtra portare. Sed hoc officium non eſt ſempiternum. perducet ſanè ad beatitudinem ſempiternam, in qua nulla erunt onera noſtra quæ inuicem portare iubeamur. Nunc verò cùm in hac vita, id eſt, in hac via ſumus, onera noſtra portemus, vt ad eam vitam quæ caret omni onere perueniamus. Sicut enim de ceruis nonnulli talium cognitionum ſtudioſi ſcripſerunt, cùm fretum ad Inſulas tranſeunt paſcuorum gratia, ſic ſe ordinant, vt onera capitum ſuorũ, quæ geſtant in cornibus, ſuper inuicem portent, ita vt poſterior ſuper anteriorem ceruice proiecta caput collocet. Et quia neceſſe eſt vnum eſſe, qui ceteros præcedens non ante ſe habeat cui caput inclinet, vicibus dicuntur id agere, vt laſſatus ſui capitis onere ille qui præcedit poſt omnes redeat, & ei ſuccedat cuius ferebat caput, cùm ipſe præiret. Ita inuicem onera ſua portantes fretum tranſeunt, donec veniant ad terræ ſtabilitatem. Iſtam ceruorum naturam fortaſſe intenderit Salomon cùm ait, *Ceruus amicitiæ & pullus gratiarum tuarum colloquatur tecum*. Nihil enim ſic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio. Nec tamen inuicem portaremus onera noſtra, ſi vnum tempus eſſet infirmitatis amborum qui onera ſua ſuſtinent, aut vnum infirmitatis genus, ſed diuerſa tempora, diuerſa genera infirmitatis, faciunt vt onera noſtra inuicem portare valeamus. Verbi gratia, iram fratris tunc portabis, cùm tu aduerſus eum non iraſceris, vt rurſum eo tempore quo te ira præoccupauerit, ille te lenitate & tranquillitate ſupportet. Hoc exemplum ad id pertinet, cùm diuerſa ſunt opera portantium onera ſua, quamuis ipſa diuerſa non ſit infirmitas. in ambobus enim ad inuicem ira portatur. Ad diuerſum autem infirmitatis genus aliud exemplum videndum eſt. Veluti ſi quis in ſe loquacitatem vicerit, & pertinaciam nondum vicerit, alius verò adhuc loquax, ſed iam pertinax non ſit, debet ille huius loquacitatem, & iſte illius pertinaciam, donec illud in illo, & hoc in iſto ſanetur, caritate portare. Par quippe infirmitas in duobus ſi vno accidat tempore, tolerare ſe inuicem non valent, cùm aduerſum ſe intenditur. Nam aduerſus aliquem tertium & duo irati ſibi conueniunt, & ſe tolerant. quanquam nec tolerare, ſed inuicem conſolari, ſicut & triſtes de re vna magis ſe portant, & quaſi incumbunt ſibi, quàm ſi vnus triſtis eſſet, alius & gauderet. Si autem aduerſum ſe triſtes ſunt, prorſus ſe tolerare non poſſunt. Et ideo in huiuſmodi affectionibus ſuſcipienda eſt aliquantulum ipſa ægritudo, de qua vis per te alium liberari, & ſic

Gal 6.2. — Ioan. 13.35. — Prou. 5.19.

ſuſcipienda, vt ad auxilium, non ad æqualitatem miſeriæ valeat, quemadmodum ſe inclinat, qui manum iacenti porrigit. Non enim ſe proicit, vt ambo iaceant, ſed incuruat tamen, vt iacentem erigat. Neque vlla res officioſum iſtum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, niſi cùm cogitamus quanta pro nobis tulerit Dominus. Hinc enim admonens ait Apoſtolus, *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu. Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Philip.2.5. Superiùs autem dixerat, *Non quæ ſua ſunt vnuſquiſque intendens, ſed quæ aliorum.* Huic ſententiæ connexuit quod dictum eſt. verſ.4. Nam ita ſequitur, *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu.* ad hoc duntaxat, vt quemadmodum ille in eo quòd Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis, & ſine peccato cùm eſſet peccata noſtra ſuſcepit, non attendit ſua, ſed noſtra: ita & nos libenter ad eius imitationem inuicem onera noſtra portemus. Huic cogitationi accedit etiam illa cogitatio, quia ille ſuſcepit hominem, nos autem homines ſumus, & conſiderare, quòd ægritudinem ſiue animi, ſiue corporis, quam in homine alio videmus, etiam nos habere potuimus aut poſſumus. Hoc ergo exhibeamus ei, cuius infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, ſi fortè nos in ea eſſemus, & ipſe non eſſet. Ad hoc pertinet quod ipſe Apoſtolus ait, *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem.* 1.Cor.9.22 Cogitando ſcilicet, in eo vitio etiam ſe eſſe potuiſſe, vnde cupiebat alium liberari. Compatiendo enim potiùs id agebat, non mentiendo, ſicut quidam ſuſpicantur, & hi maximè, qui mendaciis defendendis quæ negare non poſſunt, alicuius magni exempli patrocinium requirunt. Deinde etiam illud cogitandum, nullum eſſe hominem, qui non poſſit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etſi lateat, in quo ſine dubio poſſit eſſe ſuperior. Quæ cogitatio ad contundendam & edomandam ſuperbiam valet, ne arbitreris, quoniam tua quædam bona eminent & apparent, ideo alterum nulla habere quæ lateant, & fortaſsè maioris ponderis bona, quibus te ſuperat neſcientem. Non enim falli nos, aut adulatione potiùs vti Apoſtolus iubet cùm dicit, *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate mentis, alter alterum exiſtimantes ſuperiorem ſibi.* Philip.2.3. Non hoc ita debemus exiſtimare, vt non exiſtimemus, ſed nos exiſtimare fingamus, ſed verè exiſtimemus poſſe eſſe aliquid occultum in alio, quo ſit nobis ſuperior, etiamſi bonum noſtrum, quo illo videmur ſuperiores eſſe, non ſit occultum. Iſtæ cogitationes, deprimentes ſuperbiam, & augentes caritatem, faciunt onera fraterna inuicem non ſolùm æquo animo, ſed etiam libentiſſimè ſuſtineri. Nullo modo autem de quoquam homine incognito ferenda ſententia eſt, & nemo niſi per amicitiam cognoſcitur. Et ideo amicorum mala firmiùs ſuſtinemus, quia bona eorum nos delectant & tenent. Nullius itaque repudianda eſt amicitia ſeſe ingerentis ad amicitiam copulandam, non vt ſtatim recipiatur, ſed vt recipiendus optetur, atque ita tractetur vt recipi poſſit. Illum enim receptum in amicitiam poſſumus dicere, cui omnia noſtra conſilia refundere audemus. & ſi quiſquam eſt, qui ſe non audet ingerere ad amicitiam faciendam, niſi cum aliquo noſtro temporali honore aut dignitate reuocetur, deſcendendum eſt ad eum, & offerendum illi quadam comitate & ſummiſſione animi, quod per ſe ipſe non audet. Sanè quamuis rariùs, tamen aliquotiens accidit, vt eius quem volumus in amicitiam recipere, priùs nobis innoteſcant mala quàm bona. quibus offenſi, & quodammodo repercuſſi, relinquimus eum, & ad bonorum eius quæ fortè occultiora ſunt indagationem non peruenimus. Admonet itaque Dominus Ieſus Chriſtus, qui nos vult effici imitatores ſuos, vt eius infirma toleremus, vt ad quædam ſana, in quorum delectatione adquieſcamus, per caritatis tolerantiam perducamur. Ait enim, *Non eſt opus ſanis medicus, ſed ægrotantibus.* Matth.9.12 Ideóque ſi propter Chriſti caritatem, etiam eum qui omni ex parte fortaſſis ægrotat repellere ab animo non debemus, quoniam ſanari poteſt per verbum Dei, quanto minùs eum, qui pro-

pter nos videri potest totus ægrotus, quia quædam eius saucia in primo ingressu amicitiæ non potuimus sustinere: & quod est grauius, cum offensione animi de toto homine ausi sumus temerariam præiudicij ferre sententiam? non timentes quod dictum est, *Nolite iudicare, ne iudicemini.* &, *qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis.* Sæpè autem illa quæ bona sunt priùs apparent, in quibus etiam temerarium beniuolentiæ iudicium cauendum est, ne cùm totum bonum putaueris, ea quæ postea mala apparuerint, securum & imparatum inueniant, & grauiùs offendant, vt eum quem temerè dilexeras acerbiùs oderis, quod nefas est: quia etiamsi nulla eius bona præcederent, & hæc quæ pòst apparuerunt mala priùs eminerent, toleranda tamen erant, donec omnia cum illo ageres, quibus talia sanari solent, quanto magis cùm ea bona præcesserunt, quæ tanquam pignera nos debent ad posteriora toleranda constringere? Ipsa est ergo lex Christi, vt inuicem onera nostra portemus. Christum autem diligendo, facilè sustinemus infirmitatem alterius, etiam quem nondum propter sua bona diligimus. Cogitamus enim, quia ille quem diligimus, Dominus propter eum mortuus est. Quam caritatem nobis Apostolus Paulus ingessit cùm diceret, *Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est.* Vt si illum infirmum propter vitium quo infirmus est minus diligimus, illum in eo consideremus qui mortuus est propter ipsum. Christum autem non diligere, non infirmitas, sed mors est. Quapropter ingenti cura, & implorata Dei misericordia cogitandum est ne Christum negligamus propter infirmum, cùm infirmum debeamus diligere propter Christum.] Itaque, domine pater, habet hîc maxima paternitas vestra virtutum copiis perfecta, quid perfectè comedat: inuenit & hîc paruitas mea, nullis fulta probitatum præsidiis, quid imperfecta sugat. Hæc est enim apposita forma, cui magnus & paruus iure imprimi possint: nec est inuidiosa huius viri persona, quam pro me agendam mediatricem introduxi qualiscumque frater. Filius enim indignus sum nominari, ne vestra peream scientia. Fateor enim quia ea quæ taliter scribitis, non ex radice caritatis intelligo prodire, nec à fonte genuinæ pietatis manare. Non debet pro mea stultitia vestra fucari sapientia, quia stultitia mea illa est, cui non est necesse responderi. secundùm senem efficiatur respondens ei similis, quoniam sicut intelligo sic loquor. Nunquam certè ad hoc de Apostolicæ sedis priuilegio efferendo scripsi, vel locutus fui, vt vestra in hoc minoraretur quantitas, sed immò vt vestra erga nos cresceret auctoritas. quod illud Papæ Leonis enucleanter demonstrat, vbi ait, Ordinationem sibi singuli Metropolitani suarum prouinciarum cum his qui ceteros sacerdotij antiquitate præueniunt, restituto sibi per nos iure defendant. Alienum ius alter sibi non audeat vindicare, suis limitibus, suis terminis sit vnusquisque contentus. Nam omnium Ecclesiarum statum, & concordiam custodiri cupimus sacerdotum, ad vnitatem vos vinculo caritatis hortantes, vt ea quæ à nobis, Deo inspirante & beatissimo Petro Apostolo, discussis probatisque nunc omnibus causis decreta sunt, pro vestra pace & dignitate seruetis. Certè non tam nostro quàm vestro honori proficere vos talia constituisse cognoscimus. Non enim nobis ordinationes vestrarum prouinciarum defendimus, sed vobis per vestram sollicitudinem vindicamus, ne quid vlteriùs liceat nouitati, nec præsumptori locus vltra iam pateat priuilegia vestra cassandi. Nostræ enim gratulationi hoc solum crescere profitemur, si & Apostolicæ sedis reuerentia apud vos illibata seruetur, & per sacerdotalis disciplinæ custodiam honori vestro perire quod suum est improbis vsurpationibus non sinamus.] Ecce quia magis honori Metropolitanorum proficiunt ea quæ hoc modo statuit sedes Apostolica, quàm sibi conferant. Vnde & omnem cor carneum habentem illud tangere debet, quod eodem eiusdem Papæ tomo disseritur de quocumque qui eius potestatem tentat infringere. Ait enim, Diuinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omnésque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Iesus Christus, humani generis

Matth. 1.2. — 1.Cor.11. — Epist. xcııı ad Episcop. prouinciæ Viennensis — Ibid. in principio.

neris Saluator, ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, & ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua vellet in corpus omne manare, vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à petræ ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat voluit nominari dicendo, *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,* Matth. 16. vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei, in Petri ſoliditate conſiſteret. Verùm hanc petræ iſtius ſacratiſſimam firmitatem, Deo vt diximus ædificante conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus ſuis, & id quod accepit à veteribus non ſequendo, cùm nulli ſubditum legi, nullis inſtitutionis Dominicæ credit regulis contineri, à veſtro noſtróque per nouæ vſurpationis ambitum more deſciſcens, præſumendo illicita, & quæ cuſtodire debuit negligendo. Verùm hæc nos, Deo vt credimus adſpirante, ſeruata circa vos noſtræ caritatis gratia, quam ſanctitati veſtræ Apoſtolica ſemper ſedes vt meminiſtis impendit, nitimur conſilio maturiore corrigere, & veſtrarum Eccleſiarum ſtatum communicato vobiſcum labore componere: non noua inſtituentes, ſed vetera renouantes, vt in ſtatus conſuetudine, quæ nobis à noſtris patribus eſt tradita, perduremus, & Deo noſtro per boni operis miniſterium, remotis perturbationum ſcandalis placeamus.] Et in ſtatus conſuetudine quæ à patribus eſt tradita perdurantes, tam iſte quàm omnes ſui prædeceſſores ac ſucceſſores placere delegerunt, qui Archiepiſcopalem præſtabilitatem debito honore munerati ſunt, & Epiſcopalem dignitatem apta ædificatione compoſuerunt, & in ſtructura domus Domini tanta altitudine collocarunt, ne ab improborum hominum iaculis viribus vllis poſſint collidi. *Omne regnum in ſeipſum diuiſum*, ait Dominus, *deſolabitur.* Non Matth. 12. 25. iſtud regnum debet diuidi, in quibus eſt cor vnum & anima vna in vno ſpiritu. Sed numquidnam non aperiam domino meo quod mea adhuc voluitur mente? Quanto maior apud ſæculares prædicatur Apoſtolica poteſtas, tanto magis apud ipſos poſt illam præualebat Archiepiſcopalis auctoritas. Honor enim ſubditi poteſtas eſt prælati. quoniam ſi humiliatur prælatus, quicumque ei ſubduntur, ex ipſius diminoratione conſequenter attenuantur. Sic & Epiſcopalis vileſcit dignitas, ſi Archiepiſcopalis non roboretur præſtabilitas. Et dicam adhuc, domine dicam, Numquidnam alicui Archiepiſcoporum erit dicendum non valere ſui Coepiſcopi excommunicationem? Vnde plura ſuperiùs explicui, ſed vnum adiiciam. Numquidnon Coepiſcopi eundem ordinant Archiepiſcopum? Numquid aliorum verborum benedictio Archiepiſcopalis quàm Epiſcopalis componitur? Numquidnon benedictionis ſumma Epiſcopo munere diuino largitur? An valet Epiſcopus ab Archiepiſcopo ſolo ordinari, vt ab eo ſolo meritò debeat de ſuis iudiciis iudicari? Nam Symmachus Papa teſtatur, ad Trinitatis inſtar, cuius vna eſt atque indiuidua poteſtas, vnum eſſe per diuerſos Antiſtites ſacerdotium.] nec ſanctius in iuſto, nec minus in peccatore. Epiſt 1 ad Æonium. Sanè tamen prouiſum eſt ne omnes omnia ſibi vindicarent. & ideo adſunt in ſingulis prouinciis, quorum inter fratres habeatur prima ſententia, quibus ſi dignitas communis non eſt, ordo tamen eiuſdem generis eſt. vnde & generalis eſt. At vos, domine pater, cuſtos eſtis poſiti in vineis. Vineam veſtram nolite non cuſtodire, quærentes quæ veſtra ſunt, ſed quæ Coepiſcoporum veſtrorum, memores optantis fieri anathema pro fratrum ſalute. Cur igitur, cùm ſim puluis & cinis, vobis templo Dei viui hæc mutire præſumo? Certè pro debita deuotione, non pro digna ad magnitudinem veſtrã dictione, imperitus ſcientia, ſed de inſcientia præfatus mellifluo ore me cõfortat Auguſtinus vbi ait, Si ergo non vacat omnes paginas ſanctas perſcrutari, omnia volumina ſermonum euoluere, omnia ſcripturarum ſecreta penetrare, tene caritatem vbi pendent omnia, ita tenebis quod ibi didiciſti.] & item idem, Caritas ergo eſt vinculum perfectionis, caritas ſupereminentiorem habet viã, ſupereminet ſcientiam, & ſuper omnia præcepta eſt.] & item, Dilectio ſanctos diſ-

cerni à mundo facit, & vnanimes habitare in domo.] & item, Præposuit enim Apostolus caritatem linguis hominum & Angelorum, præposuit miraculis fidei, præposuit scientiæ & prophetiæ, præposuit etiam illam magno operi misericordiæ, quo sua quæ possidet distribuit quisque pauperibus, & ad extremum præposuit etiam corporis passionibus omnibus. Tam magnis rebus præposuit caritatem. ipsam habeto, & cuncta habebis, quia sine illa nihil proderit si quid habere poteris.] & item, Quale bonum est caritas ista, fratres? quid pretiosius? quid luminosius? quid firmius? quid vtilius? quid securius? Multa sunt Dei dona, quæ tamen habent & multi qui dicturi sunt, Domine, in nomine tuo prophetauimus, in nomine tuo dæmonia eiecimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus. Non respondet ille, non fecistis. Non enim in conspectu tanti iudicis mentiri audebunt, aut iactare quæ non fecerunt. Sed quia caritatem non habuerunt, respondet omnibus illis, *Non noui vos*. Quomodo autem habet vel exiguam caritatem, qui etiam conuictus non amat caritatem?] & item, Oportet itaque nobis qui caritatem integram custodire cupimus, vt ipsi caritati quæ Deus est in nobis nullam iniuriam faciamus, timentes illud quod scriptum est, *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*.] & item, Quam cùm habere homo cœperit, Spiritum sanctum habebit: quam si non habuerit, sine Spiritu sancto erit. Et quomodo corpus tuum, sine spiritu quidem si fuerit, mortuum est, sic anima tua sine Spiritu sancto, id est, sine caritate si fuerit, mortua deputabitur.] & item, Istius ergo caritatis magnitudinem, quia nimirum diuinitùs per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, qui cum patre & cum Dei adiutorio voluerit habere, sicut iam dictum est, nullum in eo vitium poterit dominari. Et reuera, cùm ipsa caritas Deus sit, quod malum præualere contra hominem poterit, in quo caritas Deus habitauerit?] & item, Ipsa est virtus nostra, quia si in illa non fuerimus, nihil prodest quicquid aliud habuerimus.] & item, Excellentia namque caritatis ita est ex Deo, vt ipsa sit Deus. Nullum est isto Dei dono excellentius. Solum est quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum munera, sed sine caritate pro nihilo sunt. Nisi ergo tantum impertiatur cuique Spiritus sanctus, vt eum Dei & proximi faciat amatorem, à sinistra non transit ad dexteram, nec Spiritus propriè dicitur donum, nisi propter dilectionem, quam qui non habuerit, si linguis hominum loquatur & Angelorum, sonus æramenti est, & cymbalum tinniens. Et si habuerit prophetiam, & scierit omnia sacramenta, & omnem scientiam & habuerit omnem fidem, ita vt montes transferat, nihil est. Et si distribuerit omnem substantiam suam, & si tradiderit corpus suum vt ardeat, nihil ei prodest. Quantum ergo bonum est sine quo ad æternam vitam neminem tanta bona perducunt? & cetera.] Multi auctorum ex hac multa loquuntur. sed istius vnius deflorationem mihi odorari suffecit. Cuius tantæ probitatis viri emolumenta non ostentando flagrantiæ vestræ apposui, sed mediatoris officio paternæ affectionis ac filialis æquè deuotionis assumpsi. Vnde & eiusdem verba ad sanctum prolata Hieronymum, quæ vos non spernere confido, pro me vobis suadentia pono, inquientis, Cur itaque conor contra fluminis tractum, ac non potiùs veniam peto? Obsecro ergo te per mansuetudinem Christi, vt si læsi te, dimittas mihi, nec me vicissim lædendo malum pro malo reddas. Lædes autem me, si mihi tacueris errorem meum, quem fortè inueneris in factis vel dictis meis. Nam si ea in me reprehenderis quæ reprehendenda non sunt, te lædis magis quàm me. quod absit à moribus & sancto proposito tuo, vt hoc facias voluntate lædendi, culpans in me aliquid dente maledico, quod mente veridica scis non esse culpandum. Ac per hoc aut beniuolo corde arguas, etiamsi caret delicto quod arguendum putas: aut paterno affectu mulceas quem abicere nequeas. Potest enim fieri, vt tibi aliud videatur quàm veritas habet, dum tamen abs te aliud non fiat, quàm caritas habet. Nam & ego amicissimam reprehensionem gratissimè accipiam, etiamsi reprehendi non meruit quod rectè defendi potest, aut agnoscam simul & beniuolentiam tuam & culpam

Matt. 7. 22. Sap. 1. 5. Epist. xv.

meam. & quantum Dominus donat, in alio gratus, in alio emendatus inueniar. Quid ergo fortaſsè dura, ſed certè ſalubria verba tua tanquam cæſtus Entelli pertimeſcam? Cædebatur ille, non curabatur: & ideo vincebatur, non ſanabatur. Ego autem, ſi medicinalem correptionem tuam tranquillus accepero, non dolebo. Si autem infirmitas velut humana, vel mea, etiam cùm veraciter arguor, non poteſt niſi aliquantulum contriſtari, meliùs tumor capitis dolet dum curatur, quàm dum ei parcitur, nec ſanatur. Hoc eſt enim quod acutè vidit qui dixit, Vtiliores eſſe plerumque inimicos iurgantes, quàm amicos obiurgare metuentes. Illi enim dum rixantur dicunt aliquando vera quæ corrigamus: iſti autem minorem quàm oportet exhibent iuſtitiæ libertatem, dum amicitiæ timent exaſperare dulcedinem. Quapropter etſi bos vt tibi videris laſſus, ſenectute fortè corporis, non vigore animi, tamen in area dominica fructuoſo labore deſudans, ecce ſum, ſi quid perperam dixi, fortiùs fige pedem: non mihi eſſe debet moleſtum pondus ætatis tuæ, dummodò conterantur paleæ culpæ meæ.] & ſic addit, Proinde illud quod in extremo epiſtolæ tuæ poſuiſti, cum magni deſiderij ſuſpirio vel lego vel recolo. Vtinam, inquis, mereremur complexus tuos, & collatione mutua vel doceremus aliqua, vel diſceremus. Et ego dico, Vtinam merear iam iámque paternitatis veſtræ optatos magis vita complexus, & collatione mutua dulcedine paternitatis delibuta perfrui. Et vtinam merear à vobis mihi expedibilia diſcere, quem ſcio poſſe mihi omnia quæque neceſſaria exerere. Nam ſcio nunquam me ad comparationem veſtrî ſcientia ſcripturarum poſſe erudiri, etiamſi omnes dies vitæ meæ ad hoc ſtudium vacaſſet adſciſci. Vnde * * * * * * * * optarem ſcribi, quæ ad legendum forent paruitati meæ vtilia, ad recolendum deſiderabilia, & aliis ad demonſtrandum, vt veſtram decet grauitatem, laudabilia. quia melius eſt bonum nomen, quàm diuitiæ multæ, ne de veſtra magnitudine ac modicitate mea ab aliquo in poſtmodum ſcriberetur. Quod iſte ſanctus mediator Auguſtinus in eadem ſic ſcribit epiſtola, Quis denique amicus non formidetur quaſi futurus inimicus, ſi potuit inter Hieronymum & Rufinum hoc quod plangimus exoriri? O miſera & miſeranda conditio! ô infida in voluntatibus amicorum ſcientia præſentium, vbi nulla eſt præſcientia futurorum. Sed quid hoc alteri de altero gemendum putem, quando ipſe quidem ſibi homo eſt ignotus in poſterum. Nouit enim vtcumque nunc fortè vix qualis ſit, qualis autem poſtea futurus ſit ignorat.] Et quod in fine eiuſdem ponit ita epiſtolæ, Verumtamen illum habuerim aliquo modo minorem, quàm te iſto modo armatiorem. Veſtra armata dignetur audire paternitas, quia mea mitis huic præcepto parere parata eſt paruitas, ne fiat quod addit ſic, Hoc magnum & triſte miraculum eſt, ex amicitiis talibus ad has inimicitias perueniſſe, ſed potiùs proſequatur protinus quod promit, Lætum erit & multo maius ex inimicitiis talibus ad priſtinam concordiam reuertiſſe.] Quod continuò conſequetur, ſi ſcientia ſurripiens ceſſet, & caritas conhibens non ceſſet. Ad quod Dominus dirigat corda noſtra in caritate Dei, & patientia Chriſti, & Deus pacis & dilectionis, qui eſt Trinitas & vnitas, ſit ſemper vobiſcum.





HINCMARI LAVDVNENSIS AD REMENSEM.

De consensu in excommunicationem ab eo factam, quem requirebat.

Nunc primùm edita ex eodem Codice Laudunensi.

VENERABILI REMORVM ARCHIEPISCOPO Hincmaro Episcoporum minimus Laudunensis Ecclesiæ HINCMARVS *salutis Christicolæ munificentiam.*



VIA adeo litteras mei consensus in excommunicatione à vobis facta requiritis, remandate litteris mihi quoque vestris, si ea in eadem addidistis etiam, quæ tantillitati meæ videri rationi ac auctoritati congruere per Heddonem, paruitatis meæ legatum, ac comministrum mihi, Ecclesiæ quinetiam cui indignus præsideo Præpositum, non ab re vt vtique reor, vobis intimaui. Et equidem ipse demum de meo consensu, prout res deposcit, coopto tempore suscepto, quod omni sub sole adiacet rei locóque prospecto nihilominus regulariter congruo, funditus & dispectiuè non detrectatiuè tractandam pertractans, litteris dante Deo canonicis rescribendo respondere, voto compote & vita comite, cùm actutum tum accuratim procurabo. Alioquin reminiscor & in hoc negotio illius sapientis, cuius crebrò agitis mentionem dicentis, Qui iubet impossibile, ipse se facit contemptibilem.



XXXVI.

AD HINCMARVM LAVDVNENSEM.

Ex Flodoardo lib. III. cap. XXII.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS Hincmaro Laudunensi Episcopo.



VIR diuersis flagellis à diuersis attritus dicit, Qui me comedunt non dormiunt. ac si diceret, non quiescunt. Et tu, frater, me tuæ linguæ flagellis atterere, & venenosis scriptis tuis ad iracundiam prouocando inficere non quiescis. Sed ille qui seruum suum custodiuit à murmurationibus, me peccatorem & fragilem in se confidentem potest custodire à rancore & malitia contra tuas falsas criminationes. Post alia multa super dolorem vulnerum meorum addens dicis, Sicut in scriptis tuis peruersis inuenio, quia A-

postolicæ sedis potestati derogo. Vnde nemo sanum sapiens tibi vnquam credidit vel credet. quoniam & ipsa scripta quæ ad Apostolicam sedem sæpissimè misi, & illa quæ tibi resultanti sæpe transmisi, te reuincent, & in isto sæculo & in futuro iudicio. Non enim de me verum esse valebis vnquam vel vsquam probare quod dicis, ab his, inquiens, à quibus pro Apostolicæ sedis priuilegiis, quæ Christi sunt, vsque ad mortem fas erat decertari, prædicatur & docetur, in his quæ eadem sedes statuit, vel vt respuendum probari. Sed tu probaris eius priuilegio resultare, qui secundùm sacrosanctorum Conciliorum canones suprà positos, ab ipsa prima sede, atque ab omni Ecclesia catholica comprobatos, vt re vera spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, & iuxta decreta ipsius sanctæ sedis ex eisdem sacris canonibus promulgata, metropolitano priuilegio semel & secundò ac tertiò commonitus obedire detrectasti, vt colligationes impietatis, quas contra Euangelicam veritatem, & Apostolicam atque propheticam auctoritatem, contráque sanctorum canonum, & decreta ipsius venerandæ sedis, exitiabiliter in tuum & multorum periculum colligasti, dissolueres. Insuper contra sacras regulas aduersus metropolitanum priuilegium libello perniciosè subscripsisti, & subscribi fecisti. Vnde in Synodo conuentus ab Episcopis decem prouinciarum, libellum professionis de futura tua obedientia, subscriptum manu propria, quod habeo, porrexisti. contra quem iterum resubscripsisti. Nam ego decretales epistolas sedis Apostolicæ, diuersis temporibus pro diuersorum patrum consolatione vel consultatione ab eiusdem sedis pontificibus datas, & venerabiliter suscipio, & venerabiliter suscipiendas dico, & scribo, & sacrosanctorum Conciliorum canones, cum decretis Apostolicæ sedis ex eisdem sacris canonibus promulgatis & recipiendos & custodiendos & seruandos, sicut suprà ostendi, profiteor. Et quod te dicis audire obloqui de iudicio domni Papæ Nicolai, si de me dicis, mendacium dicis. Nam quod ille de Rothado, siue de Wlfado iudicauit, non contradixi, sed sicut ipse præcepit obedire curaui. De eo quod dicis de Rothado, quia in eius depositione non consensisti, subscriptiones tuæ manus propriæ te reuincunt. Nihil enim inde egi quod mecum non egeris, nihil subscripsi quod non subscripseris. Habeo enim illas ipsas manus tuæ subscriptiones. *Et circa huius operis finem.* De aliis verò, quæ in scripto apud Attiniacum dato mihi improperando mendaciter dicis, tibi respondere non curo. Sed scias quia non sum oblitus quod scriptum est in Isaia propheta, quoniam sanctus Ezechias artatus angustia, blasphemas epistolas sibi directas in templo coram Domino expandit, & ad eum clamauit, & exauditus est. Expandam autem manus meas ad Dominum cum blasphemis & superbissimis scriptis tuis mihi à te directis, orans, vt quando scit, & quando

vult, & ſicut ſcit, & ſicut vult, te conuertat ad veræ pacis & dilectionis atque debitæ obedientiæ dilectionem, & me liberet à labiis iniquis, & à lingua doloſa. Et dominæ meæ beatæ & glorioſæ Dei genitricis Mariæ meritis, ac precibus ſancti Remigij, cuius priuilegio derogas, exaudiet me adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Et quia beatus Hieronymus de his, quorum aduerſum me gratis ſuſcepiſti officium, dicit, Audiant canes mei, tu qui de filio in fratrem, indéque creuiſti in Coepiſcopum, & pòſt adeo profeciſti vt in canem meum excreueris, accipe hanc peruerſi contumaciæ tuæ pitacioli exigente cauſa prolixam reſponſionem. Cùm autem mihi vacauerit, ſuccinctiùs de aliis peruerſis & incompoſitis ſcriptis tuis, in quibus quædam mendaciter, quædam reprehenſibiliter me reprehendendo, quædam fictè humiliter & verè ſuperbè ſcripſiſti, reſcribam, & in illo ſcripto, quia lego dixiſſe Dominum, Iam non iraſcar tibi ampliùs, quantum mihi adhuc paret, de huiuſmodi altercationibus tibi ſcribendi finem imponam. De hoc quod dicis, quia dicunt de me homines, Qualis eſt ille auunculus, qui talia ſuo nepoti ſcribit, dicant & de te ipſi homines, Qualis eſt ille nepos, ab auunculo ſuo talis vt tunc erat aſſumptus, & talis ſicut nunc eſt in ſpiritali ac temporali honore effectus, qui talia ſibi exigit ab inuito auunculo. ne talis ab aliis, ſicut à nepote ſuo depingitur, æſtimatus, per eum blaſphemetur nomen Domini, & vituperetur miniſterium eius. ſecutus Apoſtolum ſcribentem ad Corinthios contra ſe blaſphemantes, & vilipendi ab aliis laborantes. Egit quippe doctor egregius, vt dum ipſe qualis eſſet agnoſcitur, & vita & lingua malè prædicantium eius prędicatione vileſceret. Illos videlicet commendaret, ſi ſe abſconderet. cúmque ſe non oſtenderet, errori locum dediſſet. Dicunt etiam ipſi homines de te, Qualis eſt ille nepos, qui talia contra ſuum auunculum & nutritorem atque ordinatorem machinatur, & quantum poteſt mali agit, & pluſquam poteſt agere cupit? ſicut tu in die magni iudicij manifeſtè videbis, ſi te antea inde non recognoueris, & dignis pœnitentiæ fructibus non emendaueris. Multùm me fatigas, & meritò, non imputetur tibi. Sed fatigationem meam conſolatur, quod ſicut tibi ſcripſi dicit Gregorius, Et ſi Æthiops niger balneum intrat, & niger de balneo exit, tamen balneator denarium balnei ſui non perdit. Timeo de te meo Alexandro, quod de ſuo dicebat Paulus, Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit, reddet illi Dominus.



DIVERSIS DE REBVS SINGVLÆ AD DIVERSOS.



XXXVII.

AD RODVLFVM ET FROTARIVM ARCHIEPISCOPOS.

De nuptiis Stephani & filiæ Regimundi Comitis.

Ex Tomo III. Conciliorum Galliæ.

HINCMARVS NOMINE, NON MERITO, Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, reuerentissimo Bituricensium Archiepiscopo & carissimo fratri Rodulfo, & Frotario fratri & honorabili Burdegalensium Archiepiscopo, cum omnibus prouinciarum vestrarum Episcopis venerabilibus, plurimam optat in Saluatore salutem.



NVPER Synodo Episcoporum quatuordecim prouinciarum, Lugdunensium videlicet, Rotomagensium, Turonensium, Senonum, Viennensium, Arelatensium, Vesontionensium, Moguntinensium, Agrippinensium, Treuirorum, Remorum, Bituricensium, Burdegalensium, Narbonensium, apud Tusiacum villam Tullensis parochiæ, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLX. Indictione nona mense Nouembrio habita, delatæ sunt litteræ querelam Regimundi Comitis aduersus Stephanum depromentes, quia videlicet isdem Regimundus filiam suam præfato Stephano legaliter ad coniugij copulam dederit, sed ipse non illa vtatur vt coniuge, eo quòd, vt fatetur, cum aliqua eiusdem puellæ propinqua quondam carnali commercio se miscuerit, sed cum qua, vel quàm proxima adfinitate coniuncta, indicare non velit. Hic litterarum sensus, si ritè remetior, quarum verba non teneo, constitit in Synodo recitatus. Vnde licèt talis accusatio non mereretur synodaliter obtinere responsum, quia nemo quemquam per scripturam absens potest regulariter accusare, & si legaliter filiam suam alteri nuptum tradidit, eam à sua potestate emisit, pro qua ex hoc negotio, quod fortè vtrum ita an non sit latere poterat, aut aliter quàm sit dictum interpretari, illum cui eam tradidit canonicè accusare non potest. Qua de re accusationem, siue interpellationem aduersus maritum suum vti

necessitas postulat, vxor debet concurrere, consilium autem pater debet pro illa exinde quærere, vel correctionem viri eius, suadendo, vel suggerendo modis quibus potuerit, agere & ipse satis. Sed quoniam hæc ratio per tres circiter annos à plurimis ventilatur, & ambo viri nobiles & illustres, & iuxta sæculi dignitatem potentes, si inter se hinc diutiùs diffident, maximum scandalum in Ecclesia, & detrimentum in regno ob hoc accidere poterit; & quia isdem Stephanus ibidem in domni Regis erat obsequio, visum est Synodo, vt eum accerseret, & quid de his diceret, per ipsum rescire curaret. Vocato autem vt hæc relata fuere, post quædam suæ responsionis obloquia, petiit vt tantummodo cum Episcopis sibi loqui liceret. Et recedentibus aliis, quæ sibi visa fuerunt Episcopis intimauit. Cui inter cetera dixerunt Episcopi, quia de talibus ex quibus Regimundi locutæ sunt litteræ, & quæ per omnium pene ora in regnis plurimis ventilantur, ei non secretum dare consilium, neque priuatum decernere possent iudicium. Quapropter & ipse, quod hinc apud se erat, in omnium dixit velle venire notitiam, & necessarium obtinere consilium, & salubre sibi decerni iudicium. Vellet tamen priùs, vt Synodus patienter eius audiret sententiam, & tunc demum sibi donaret consilium, & promulgaret iudicium. Et vt personam illius inducamus loquentem, Vt adsolet, inquiens Stephanus, in fragili iuuentutis ætate cum quadam femina iuuene mihi conuenit. Sed & quando tempus mihi aduenit, vt more prædecessorum meorum legitimum coniugium peterem, vnà cum consensu parentum & amicorum meorum, ipsius Regimundi, vt nobilis viri, filiam meis natalibus competentem apud eum in coniugem legaliter petij, & obtentam legaliter desponsaui. In me autem reuersus, & sciens quid fecerim, ad confessorem meum perrexi, & consilium eius quæsiui, vt quoniam iuuenis femina, cum qua carnali commercio mixtus fueram, propinqua istius puellæ extitit, & audieram quòd à quarto genu & in reliquum pertinentes sibi copulari non valerent, vtrum cum hac desponsata mihi puella, sub pœnitentia occultè manens, sine mea & ipsius æterna damnatione in connubio illam mihi potuissem coniungere. Qui ostendit mihi librum, quem vt spero, canones appellauit, & legit coram me, quoniam quamdiu potest adfinitatis propinquitas computari, mihi, nec cuiquam Christiano, cum cognata sua, vel quam cognatus habuit, vel cum duabus cognatis salubriter liceret coniungi, & quamdiu in tali incestu maneremus, nec ego, nec illa, fructuosam pœnitentiam agere possemus, neque talis incestus, nisi separatione nostra ab inuicem sanari valeret. Interea accidit discordia inter domnum Regem seniorem meum, & meam iuuentutem, in tantùm vt in illo regno solidè non possem subsistere. Propterea ex vtraque parte constrictus, nec frangere desponsalia potui, nec eandem sponsam meam in coniugem ducere ausus fui, ne cum dis-

cor-

cordia ſenioris mei, etiam ipſius Regimundi, & nobilium parentum eius, accumularetur diſcordia: & ſic aut de regno funditus pellerer, aut ſi in regno manere vellem, occumberem. Et idcirco per duo placita ſubterfugi, ne ſponſam meam in coniugem ducerem. Tandem autem neceſſitate compulſus, quia cauſa mihi de vita inſtabat, dotaui eam, & publicis nuptiis honoratam accepi. Sed ne illam, quæ ſana adhuc erat, mecum perderem, & mihi cumulatiùs perditionem adquirerem, intactam hactenus conſeruare diſpoſui. Et quoniam ita ſe rationis veritas per omnia habeat, & non dolo, neque odio, ſiue deſpectu alicuius, aut amore feminæ alterius, niſi ſicut vobis modò Deo teſte narraui, hoc egerim, qualicumque modo vobis placet, per meipſum, & per parentes, atque amicos, ſeu fideles meos, hoc vobis verum eſſe ſacramento, vel alio quolibet conueniente modo demonſtro: & ſi vultis ac quæritis, quantoſcumque ſeruos meos decernitis inde in iudicium mitto. & quale conſilium mihi inde ſecundùm Deum ad meam ſalutem, & ſecundùm ſæculum ad competentem honorem, & ad pacificationem Regimundi, & ad ſaluamentum & honorem ipſius puellæ dederitis, paratus ſum in omnibus, quibus valuero, obedire.] Auditum autem eum Synodus iuſſit ſecedere, & dicentibus ſingulis, provt cuique viſum fuit, decretum eſt, vt vos comprouinciales Archiepiſcopi, cum Coepiſcopis veſtris, in regni illius conuenienti loco & tempore Synodum condicatis, & placitum fiat, vbi princeps cum primoribus terræ interſit: ne quod abſit ex vtraque parte, cum parentum & amicorum auxilio, illuſtres iſti viri conuenientes, operante diabolo, ſeditioſus valeat exoriri tumultus. Et hanc cauſam rex cum viris nobilibus inter viros nobiles pacificare procuret: vos autem Epiſcopali auctoritate, & canonica diffinitione eam dirimere, & ad debitum atque ſalubrem terminum ſtudeatis perducere. Reuocato autem Stephano, conditio iſta illi propoſita, & ab eo eſt gratiſſimè accepta. Huius autem rei modum, & ordinem diffinitionis, quoniam puſillitas intelligentiunculæ meæ, quid exinde ſentiret, iuſſa Synodo ſuggerere ſtuduit, communi conſenſu ſanctæ vnanimitati complacuit, vt ea litteris commendaret, & ſapientiæ veſtræ, ſicut tunc fuerunt in Concilio acceptata, tranſmitteret. Et idcirco non quaſi neſcientibus hæc quæ ſequuntur vobis neceſſaria, nec vt arrogans mihi auctoritatem ſpecialis ſcientiæ, vel iactans diffinitionis audaciam, ſed vt Eccleſiæ ac veſter omnium videlicet ſeruorum Domini ſeruus, & plebis dominicæ famulus, quamquam non vt debui, tamen vt potui, deuotionis obedientia colligere, & collecta vobis tranſmittere procuraui. In quibus nihil de ciuili iudicio, cuius cognitores non debemus eſſe Epiſcopi, ponere, ſed quæ Eccleſiaſticæ definitioni noſcuntur competere, quantum occurrit memoriæ, breuiter ſtudui adnotare.

CAP. I. Ordinem iudicij de nondum ſponte confeſſis, vel aper-

tè conuictis, quoniam aliter nemo, vt Leo Papa decernit, potest regulariter iudicari, sanctus Gregorius in commonitorio ad Ioannem defensorem demonstrat dicens, Primùm vt iudicium ordinabiliter fiat, quatenus sint alij accusatores, & alij testes: deinde vt causarum qualitas, si digna exilio vel condemnatione sit, exploretur: & præsente eo qui accusatur, sub iureiurando contra eum testimonium proferatur, & scriptis actuum inseratur: & accusatus licentiam respondendi & defendendi se habeat. Sed & de personis accusantium & testificantium subtiliter est quærendum, cuius conditionis, cuiúsve opinionis, aut ne inopes sint, aut ne fortè aliquas contra accusatum inimicitias habeant: & vtrum testimonium ex auditu dixerint, aut certè specialiter se scire testati sint: & vt scriptis iudicata partibus præsentibus sententia recitetur, & sic omnia solemniter roborentur.] De manifesta autem & nota plurimis causa, vel quæ ita confitetur vt ista, si tamen ita & puella dixerit vt Stephanus profitetur, (quia sæpè inter masculos audimus & feminas, quia quod alter dicit, alter sæpenumerò denegat,) non sunt quærendi testes, vt sanctus Ambrosius in epistola ad Corinthios dicit de fornicatore, exponens sententiam Apostoli, Iudicis, inquit, non est sine accusatore damnare: quia & Dominus Iudam, cùm fur esset, quia non est accusatus minimè abiecit, cognito opere isto pellendum illum fuisse de cœtu fraternitatis. omnes enim crimen eius sciebant, & non arguebant. Publicè enim nouercam suam loco vxoris habebat. in qua re neque testibus opus erat, neque tergiuersatione aliqua poterat tegi crimen.] & paulo pòst, Absens facie, præsens autem auctoritate spiritus, qui nusquam abest, iam iudicaui vt præsens eum qui hoc admisit.

Lib. xi. post epist. XLIX.

II. Quapropter necesse est, vt Stephanus puellam adducat ad Synodum, & pater ipsius puellæ veniat, & interrogetur puella, si verum est quod Stephanus dicit, se illam hactenus seruasse intactam. Et quoniam de altera femina audiuimus, quia volens liberari à coniuge, persuasa super se aliqua quæ non erant, vt fertur, iam dixerit: debita ei libertas tribuatur, & periculum indicetur, ne persuasa pro veritate mendacium fateatur. Et si dixerit ita vt Stephanus, tunc si necesse fuerit, credulitas rationi & auctoritati conueniens sacramento exinde suscipiatur, vel per conuenientem personam satisfactio, si ita necessitas exigit, iudicio expetatur, quia non pro dolo, neque pro alia qualibet causa, Stephanus se à carnali copula puellæ huius subtraxerit, nisi pro ea quam ipse Synodo indicauit: videlicet quia cum puellæ sibi desponsatæ consanguinea, & carnis cognatione propinqua, carnaliter concubuerit. Hoc enim sanctus Leo Papa, & beatus Gregorius in re dubia à presbytero, vel à quolibet tam viro quàm femina, nobili vel ignobili, per sacramentum fieri manifestè decernunt, sicut qui legere voluerit inuenire valebit. Inter cetera

dicente beato iuniore Gregorio in epiſtola per Denualdum preſbyterum directa ad Bonifacium Moguntinum Epiſcopum, In cauſa, Epiſt.IV. inquiens, in qua certi non fuerint teſtes, qui criminis inlati approbent veritatem, iuſiurandum erit in medio, & illum teſtem proferat accuſatus de innocentiæ ſuæ puritate, cui nuda & aperta ſunt omnia, habeátque conſcientiæ ſuæ teſtem, quem habebit & iudicem.] Quæ ſacramenti purgatio, & in Eccleſiaſticis, & in exteris legibus vſitatiſſima, & de fidei veritate etiam à primis ſæculis eſſe conſtat exorta. Iudicium autem, non niſi pro pacis caritatíſque concordia, inter coæquales fieri ſolet: fit autem à ſubiectis ad ſatisfactionem maiorum. quod in hac cauſa niſi ex placito fiat, non poteſt ex auctoritate requiri.

III. Hinc autem cognita veritate, quoniam dictum eſt nobis, requiri à Stephano, vt feminam deſignet ex nomine, & certam propinquitatis adfinitatem demonſtret, pro cuius concubitu huic puellæ ſe non valet ſalubriter carnali copula commiſcere: quia contra rationem & auctoritatem Eccleſiaſticam, & Chriſtianæ deuotionis morem, ab eo quæritur, ſi fortè ab aliquo quæritur, quæ ex hoc Apoſtolica decreuit auctoritas, & catholica tenet Eccleſia, hîc ponere dignum duximus. Leo vniuerſis Epiſcopis per Campaniam, Samnium, & Picenum, atque vniuerſas prouincias ſalutem. Magna indignatione commoueor, & do- Ep.XXCVI. lore multo contriſtor, quòd quóſdam ex vobis comperi, Apoſtolicæ traditionis oblitos, & ſtudio ſui erroris intentos.] & poſt aliquanta, De pœnitentia ſcilicet, quæ à fidelibus poſtulatur, ne de ſingulorum peccatorum genere libello ſcripta profeſſio publicetur, cùm reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen quia non omnium huiuſmodi ſunt peccata, vt ea qui pœnitentiam poſcunt non timeant publicare, remoueatur improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta referari, quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia pœnitentis.]

IV. Et quoniam qualiter debeat iniri coniugium, & vetus & noua lex edocet, Domino per Moyſem præcipiente, & Euangelio demonſtrante, *Cùm eſſet*, inquit, *deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam con-* Matth.I.18 *uenirent*, id eſt, antequàm nuptiali celebratione conuenirent, ſicut in nuptiis celebratis idem oſtendit, quas ſua præſentia ſanctificare, & miraculo ibidem patrato inluſtrare dignatus eſt. Sed & ſanctus Euariſtus, quartus à beato Petro Romanæ ſedis Epiſcopus, & ſan-

ctus Siricius, & beatus Leo, atque ceteri quique doctores ostendunt. quæ omnia hîc ponere propter pluralitatem & longitudinem deuitamus. Tantùm dicere necessarium duximus, quia inter ingenuos, & inter æquales legitima fiunt coniugia, cùm à parentibus, quorum interest, petita, & legaliter desponsata, & dotata, & publicis nuptiis honorata femina coniugij copulæ sociatur, & ex duobus vnum corpus vnáque caro efficitur, sicut scriptum est, *Erunt duo in carne vna.* iam non duo, sed vna sunt caro. &, *quod Deus iunxit, homo non separet.* De qua coniunctione magnus Leo Papa ad Narbonensem scribit Episcopum, Non omnis, inquiens, mulier iuncta viro vxor est viri, quia nec omnis filius heres est patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales.] & paulo pòst, Vnde cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem, haberet in se Christi & Ecclesiæ sacramentum, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.] Et nos è regione hinc etiam ostendere possumus, quia non omnes nuptiæ coniugalem copulam faciunt, quas non sequitur commixtio sexuum: sicut nec semper illius est filius omnis & heres, cuius esse noscitur heres. Nec habent nuptiæ in se Christi & Ecclesiæ sacramentum, sicut beatus Augustinus dicit, si se nuptialiter non vtuntur, id est, si eas non subsequitur commixtio sexuum. Nec pertinere poterit illa mulier ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexuum: sicut dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium. Quod ita esse præfatus Leo demonstrat dicens, Vnde cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ sacramentum.] & item idem, Igitur, inquiens, qui filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi eam coniugato dederit: nisi fortè illa mulier & ingenua facta, & legitimè dotata, & publicis nuptiis honestata videatur. Paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa, si mulieres, quæ à viris habebantur, in matrimonio non fuerunt.] Quibus sententiis euidenter ostendit, quia tunc est vera legitimi coniugij copula, quando inter ingenuos & inter æquales fit, & paterno arbitrio viro mulier iuncta, legitimè dotata, & publicis nuptiis honestata, sexuum commixtione coniungitur. Et tunc habent nuptiæ in se Christi & Ecclesiæ sacramentum, & tunc pertinere noscitur mulier illa ad matrimonium, in qua & sexuum commixtio, & nuptiale docetur fuisse mysterium. De quo mysterio Paulus Apostolus ad Ephesios dicit, *Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vmquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam. quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo pa-*

Genes. 2. 24 | Matth. 19. 6. | Ad Rusticũ epist. xciv. | Ephes. 5. 28. &c.

trem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Hinc sanctus Ambrosius mysterij sacramentum grande in vnitate viri ac feminæ esse significat. Nec hoc tantùm prodit, sed aliam causam, quæ non discordet à memorato mysterio, flagitat, quam scit ad profectum humani generis pertinere, hoc est Ecclesiæ & Saluatoris. vt sicut relictis parentibus homo vxori suæ adhæret, ita & relicto omni errore Ecclesia adhæreat & subiiciatur capiti suo, quod est Christus. Quoniam vna natura in viro & femina est, idcirco vir quasi seipsum ita mulierem diligere commonetur. Naturali ratione mulier portio corporis viri est: ac per hoc vir in muliere seipsum diligit. quomodo si fornicetur in seipsum peccat, quia duo in carne vna sunt. Non ergo personæ substantiam diuidunt, vt per personas numerus fiat naturæ, sed sunt in vnitate naturæ.] Et S. Augustinus in primo libro de nuptiis & concupiscentia dicit, Sanè non tantùm fœcunditas, cuius fructus in prole est, nec tantùm pudicitia, cuius vinculum est fides, verùm etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apostolus, *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam.* Ephes.5.25 Huius proculdubiò sacramenti res est, vt mas & femina connubio copulati, quamdiu viuunt, inseparabiliter coniuncti perseuerent, nec liceat, excepta causa fornicationis, à coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & in Ecclesia, vt viuens cum viuente in æternum nullo diuortio separetur in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, hoc est in Ecclesia catholica.] Et sanctus Gregorius in epistola Lib.IX. epist.30. ad Theoctistam patriciam dicit, Per se enim veritas dicit, *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Matt.19.4. quæ etiam ait, *Non licet dimittere vxorem excepta causa fornicationis.* Scimus enim quia scriptum est, *Erunt duo in carne vna.* Gen.2.24. Si igitur vir & vxor vna caro sunt, & religionis causa vir dimittit vxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel fortasse ad inlicita migrantem, quæ est ista conuersio, in qua vna eadémque caro ex parte transit ad continentiam, & ex parte manet in pollutione. Si verò vtrisque conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare, quando certum est, quia omnipotens Dominus, qui minora concessit, maiora non prohibuit?] *& post aliquanta*, Si verò continentiam, quam vir appetit, vxor non sequitur, aut quam vxor appetit, vir recusat, diuidi coniugium non licet, quia scriptum est, *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.* 1.Cor.6.7. Et in epistola ad Hadrianum Panormitanum, Nam, inquit, excepta fornicationis causa, virum vxorem relinquere diuina lex nulla ratione concedit: quia postquam copulatione coniugij viri atque mulieris vnum corpus efficitur, non potest ex parte conuerti, & ex parte in sæculo remanere.] Et sanctus Augustinus in libro de bono coniugij, Ad hoc Cap.V.

enim nuptiæ ſunt, vt illa concupiſcentia, redacta ad legitimum vinculum, non deformis & diſſoluta fluitaret, habens de ſeipſa inrefrænabilem carnis infirmitatem, de nuptiis autem indiſſolubilem fidei ſocietatem, de ſeipſa progreſſum immoderatè coeundi, de nuptiis modum caſtè procreandi. Debent ergo ſibi coniugati, non ſolùm
Cap.VI. ipſius ſexus ſui commiſcendi fidem, liberorum procreandorum cauſa, quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas: verùm etiam infirmitatis inuicem excipiendæ, ad inlicitos concubitus euitandos, mutuam quodammodo ſeruitutem, vt ſi & alteri eorum perpetua continentia placeat, niſi ex alterius conſenſu, continere non poſſit. Ad hoc enim vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir. ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier, vt & quod non filiorum procreandorum, ſed infirmitatis & incontinentiæ cauſa expetit, vel ille de matrimonio, vel illa de marito, non ſibi alterutrum negent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante Satana, propter incontinentiam, vel am-
Cap XXIV. borum, vel cuiuſquam eorum.] Et item in eodem libro. Generatio-
1.Tim.5.4. nis itaque cauſa fieri nuptias Apoſtolus ita teſtis eſt, *Volo*, inquit, *iuniores nubere*, & quaſi ei diceretur, Vt quid? continuò ſubiecit, *filios procreare*, *matres familias eſſe.* Ad fidem autem caſtitatis illud perti-
1.Cor.6.7. net, *Vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier.* Ad ſacramenti ſanctitatem
1.Cor.7.10 illud, *Vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam aut viro ſuo reconciliari*, &, *vir vxorem ne dimittat.* Hæc omnia bona ſunt, propter quæ nuptiæ bonæ ſunt, proles, fides, ſacramentum.]
Cap.XVII. Et in libro De nuptiis & de concupiſcentia, In nuptiis tamen bona nuptialia diligantur, proles, fides, ſacramentum. ſed proles, non vt naſcantur tantùm, verùm etiam vt renaſcantur. naſcitur namque ad pœnam, niſi renaſcatur ad vitam. Fides autem, non qualem habent inter ſe etiam infideles zelantes carnem. Quis enim vir, quamlibet impius, vult adulteram vxorem, aut quæ mulier, quamlibet impia, vult adulterum virum? Hoc enim in connubio bonum naturale eſt quidem, carnale tamen. Sed membrum Chriſtiani coniugis adultero coniugi debet timere, non ſibi, & à Chriſto ſperare fidei præmium quam exhibet coniugi. Sacramentum verò, quod nec ſeparati & adulterati amittunt coniuges, concorditer caſtéque cuſtodiunt. Solum eſt enim, quo etiam ſterile coniugium tenet iura pietatis, iam ſpe fœcunditatis amiſſa, propter quam fuerat copulatum. Hæc bona nuptialia laudet in nuptiis, qui laudare vult nuptias.] Et in Geneſi ad litteram. Quod bonum habent nuptiæ, & quod bonæ ſunt nuptiæ, peccatum eſſe nunquam poteſt. Hoc autem tripertitum eſt, fides, proles, ſacramentum. In fide adtenditur, ne præter vinculum coniugale cum altera vel altero concumbatur: in prole, vt amanter ſuſcipiatur, benignè nutriatur, religioſè educetur: in ſacramento, vt con-

iugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, nec causa prolis alteri coniungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur prauitas. Nunc cum his quæ sancti doctores dicunt de nuptiis, conferamus Stephani nuptias: non habentes amorem prolis, sed necessitatem vitandi exilij, siue mortis: non habentes seruandæ coniugalis castitatis fidem, sed incurrendi incestus mortiferi non parui pendendum timorem: non habentes incorporationis vnitate Christi & Ecclesiæ sacramentum, sed superducentes turpitudini velamentum: totúmque quod in eis est actum, figmentum simulationis fuit, non veritas. Quæ nuptiæ, licèt inter ingenuos & inter æquales, paterno arbitrio desponsatione atque dotatione præcedente, fuerunt celebratæ, etiamsi iam sexuum commixtio eas subsequeretur, legitimam coniugij copulam obtinere non possent, nec ratum coniugium stabilire valerent. quin potiùs irrita omnia fierent, quoniam non sine separatione, propter incestus crimen, quod habere non potest Christi & Ecclesiæ sacramentum, vulnera quæ concumbentes inflicta susciperent, medicamento pœnitentiæ in eis sanari non valerent, sicut subsequentes orthodoxorum & Ecclesiæ magistrorum sententiæ demonstrabunt. Quapropter tales non mysticæ, neque legales in oculis Dei sunt nuptiæ. Quia si per Stephani & puellæ, non ante Deum legaliter ductæ, sed magis abductæ, coitum carnalis commixtionis ex his duobus vnum corpus efficeretur, non secundùm nuptiale bonum, sed secundùm incestale malum, propter incestum Stephani, vnum corpus efficerent, sicut scriptum est, *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur.* Et sic puella ab incestu sana, per coitum iuncta Stephano, incestuosi caro fieret: & Stephanus illi iunctus, sicut antea fornicator, ita & post coniunctionem illius, quoniam cum propinqua eius concubuit, quod nondum erat, incestuosus existeret. Et propterea saniore consilio, & puellæ sanitati, quæ necdum infirmata erat, intactam eam seruans prouidit, & se, ne grauiùs offenderet, cautiùs secundùm Deum iuxta quod res coniacuit custodiuit. Quia sicut sacri canones dicunt, tale connubium, vel potiùs adulterium, sine separatione sanari non poterat, si carnaliter miscerentur. Vnde ibidem scriptum est, De incestis coniunctionibus nihil prorsus veniæ reseruamus, nisi cùm adulterium separatione sanauerint. Incestuosos verò nullo coniugij nomine censemus deputandos, quos etiam designare funestum est.] Et sanctus Gregorius in epistola ad Felicem Siciliensem Episcopum, quem audierat peruersè interpretari, quod beatus Gregorius Augustino Anglorum Episcopo consilium secundùm indulgentiam de paganis à quarto genu, & in reliquum, ne à fide refugerent, dederat, quódque ipsi venerando Papæ suggesserat, ad eundem Felicem rescribens dicit, Progeniem, inquiens, suam vnumquemque, de his qui fideliter edocti, & iam firma radice plan-

1. Cor. 6. 16.

Concil. Epaon. can. 30.

Lib. XII. epist. 32.

tati ſtant inconuulſi, vſque ad ſeptimam obſeruare decernimus generationem, & quandiu ſe agnoſcunt adfinitate propinquos, ad huiuſmodi copulæ non accedere ſocietatem: nec eam, quam aliquis ex propria conſanguinitate coniugem habuit, vel aliqua inlicita pollutione maculauit, in coniugium ducere vlli profectò Chriſtianorum licet vel licebit, quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis Domino, & cunctis fidelibus: inceſtuoſos verò nullo coniugij nomine deputandos à ſanctis patribus dudum legimus conſtitutum. Nec hoc quoque in hac ſollicitudinis parte relinquimus, quòd homines inceſtuoſi à liminibus ſanctæ Eccleſiæ ſunt ſeparandi, vſquequo per ſatisfactionem precibus ſacerdotum eidem ſanctæ Eccleſiæ catholicæ reconcilientur. Et in edicto canonico ante corpus beati Petri prolato, Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema ſit. Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit. Et non dubium eſt huic anathematiſmo nuptias Stephani ſubiacere debuiſſe, ſi cum iſta concumberet, qui ſe cum cognata eius concubuiſſe fatetur. Et item in canonibus ſcriptum

Cõc. Ilerd. can. 4. eſt, De his qui ſe inceſti pollutione commaculant, placuit, vt quouſque in ipſo deteſtando, & inlicito carnis contubernio perſeuerant, vſque ad Miſſam tantùm catechumenorum in Eccleſia admittantur: cum quibus etiam, nec cibum ſumere vllum Chriſtianorum, ſicùt Apoſtolus iuſſit, oportet.] Et hinc plura ex canonibus potuiſſemus congerere, ſi inceſtu intercedente quod Stephanus deuitauit, ſe & vxorem ſuam propter hoc neceſſe fuiſſet diſiungere.

V. Nunc autem, ne nuptiali ſimulationi ſuperaddatur inceſtus, quoniam oportet eos, & coram diuinis, & coram humanis oculis legaliter ac rationabiliter diſiungi, qui non legaliter in diuina iuſtitia viſi fuere coniuncti, talia ſanctorum patrum donemus teſtimonia, quæ ad agendam cauſam ſint manifeſtiſſimè pertinentia. Sanctus Ambroſius in epiſtola ad Corinthios dicit, Non eſt enim frater aut ſoror ſeruituti ſubiectus in eiuſmodi: hoc eſt, non debet reuerentiam coniugij, ei qui horruit auctorem coniugij. Non enim ratum eſt matrimonium, quod ſine Dei deuotione eſt.] Et ſanctus Hieronymus in tertio libro Commenti epiſtolæ Pauli ad Epheſios, Quomodo itaque Chriſto ſubiecta eſt Eccleſia, ſic ſubiecta ſit vxor viro ſuo. Quem enim habet principatum & ſubiectionem Chriſtus & Eccleſia, huic eidem ordini maritus & vxor adſtringitur. Sed videndum, vt quomodo in Chriſto & in Eccleſia ſancta coniunctio eſt, ita & in viro & in muliere ſancta ſit copula. Sicut autem non omnis congregatio hæreticorum Chriſti Eccleſia dici poteſt, nec caput eorum Chriſtus eſt: ſic non omne matrimonium, quod non viro ſuo ſecundùm Chriſti præcepta coniungitur, ritè coniugium appellari poteſt, ſed magis adulterium.] De quibus ita ſacri definiunt canones, Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habe-

In epiſt. 1. cap. 7.

In cap. v.

Concil. Epaon. can. 30.

habebunt ineundi melioris coniugij libertatem.] Et in Synodo apud Liptinas habita, cui sub Karlomanno principe Georgius Episcopus, & Ioannes Sacellarius, ac sanctus Bonifacius, ex præcepto Zachariæ Papæ præsederunt, legitur, vt si vir mulieri desponsatæ, dotatæ, ac publicis nuptiis ductæ, secundùm Apostolum debitum coniugale non potuerit reddere, & hoc aut amborum confessione, aut certa qualibet adprobatione fuerit manifestum, vt separentur, & mulier, si continere nequiuerit, alteri viro legaliter nubat.] Videlicet, quia secundùm diffinitionem sancti Leonis Papæ, & traditionem doctorum superiùs demonstratam, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua coniunctione sexuum non docetur Christi & Ecclesiæ sacramentum, hoc est, nuptiale fuisse mysterium. Multo magis autem huiusmodi, de quo agitur, separato coniugio, aliam legaliter adire licebit copulam, cui concubitum non contradixit impotentia carnis, sed reuerentia mentis. In copula verò coniugali, in qua desponsatione, dotatione, & nuptiarum sacramento, corporis scilicet vnitate, Christi & Ecclesiæ docetur fuisse mysterium, nisi morte corporis intercedente, coniugij non poterit solutio fieri, sicut Euangelica & Apostolica testatur auctoritas, & omnium catholicorum doctorum chorus. Et beatus Augustinus in libro De adulterinis coniugiis dicit, quoniam vel si pro intolerabili ac diuturna infirmitate concubitum vir exercere, aut femina sustinere nequiuerit, nec etiam pro sterilitate, seu religionis continentia, aut pro aliqua qualibet excepta fornicationis causa, vir & vxor legaliter & carnali commixtione coniuncti separari valebunt. Quapropter hanc legem à Domino audientes discipuli dixerunt, *Si hæc causa ita cum vxore habetur, non expedit nubere.* non tamen pro hoc Dominus suam mutauit sententiam. Vnde & Leo ad Nicetam Aquileiensem Episcopum scripsit, vt si per bellicam cladem, & grauissimos hostilitatis incursus, ita quædam fuerint diuisa coniugia, vt abductis in captiuitatem viris, feminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios, aut interemptos putauerint, aut nunquam à dominatione hostium crediderint liberandos, & in aliorum coniugum amplexus solitudine cogente transierint, quia scriptum est, *quòd à Deo iungitur mulier viro, &, quod Deus iunxit, homo non separet,* si reuersi, vel captæ reuersæ fuerint coniuges, legitima fœdera nuptiarum redintegranda perdocuit. Nec tamen tanquam peruasorem quemquam iudicari, qui personam eius mariti vel vxoris, qui vel quæ iam non æstimabatur, adsumpsit: sed inculpabile iudicandum quod necessitas intulit, & restituendum quod fides poposcit. Mulieres autem, vel viros, posteriorum virorum vel vxorum delectatione captos, & ad priorum coniugum amorem redire nolentes, communione priuari decreuit.

[Marginal notes: Lib. II. cap. 10. — Matt. 19. 10. — Ep. xxcv. — Matt. 19. 6.]

VI. Et quia Ecclesiasticæ regulæ de his etiam definitionis sen-

tentiam proferunt, qui ſponſaliorum fidem infringunt, videtur nobis, non ſecundùm auctoritatem promendo, ſed conſilium, ſi fortè vobis ita viſum fuerit, dando, vt quia Stephanus, ſi ſponſaliorum fidem fregiſſet, ſecundùm legem ciuilem multam eorumdem ſponſaliorum iudicaretur componere, & ipſa puella, poſt deſponſalia dotem acceptam, quam de ſeipſa, ſi carnaliter iungeretur, mercari debuerat, vt eandem dotem habere non debeat, non ipſa, ſed Stephanus, vt videtur, commiſit, habeat loco multæ ſponſaliorum dotem à Stephano ſibi datam, & cum eadem dote patri reſtituatur, & nubat parentum conſilio cui vult, tantùm in Domino, ſítque pax inter parentes eius & Stephanum.

VII. Et ne quis argutè his quæ poſuimus volens reſiſtere dicat, Si dos manebit, & deſponſalia, atque celebratæ nuptiæ non negantur, quomodo eſſe poterit, vt & Stephanus maritus & illa vxor non maneant? aut quomodo ille alteri feminæ, & illa alteri viro ſe ſine adulterio coniungere poterunt? Præſertim cùm idem S. Auguſti-
Cap.xxiv. nus in præfato libro De bono coniugij dicat, Si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis ſacramentum ordinationis: & ſi aliqua culpa quiſquam ab officio ſuo remoueatur, ſacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamuis ad iudicium permanente.] Sic & in iſtis, deſponſatione, dotatione, & nuptiis permanentibus, coniugale vinculum permanebit, & alteri nemo eorum, niſi cuiuſlibet ex eis morte intercedente, ſine adulterio ſe poterit iungere. Audiat, ſi quis hæc fuerit conatus opponere, quia de dotalitio puellæ habendo, non niſi propter pacificationem parentum eius & Stephani, loco multæ ſponſaliorum diximus: quam multam ſi diſſoluto dotalitio puellæ parentes exigere maluerint, aut vtraque indulgere, vel vtraque repoſcere, ipſi viderint, & legibus ciuilibus eorúmque pacificationi exinde conueniat. Nos autem, quod ad nos pertinet, aſtutè fortè quærenti reſpondemus, quoniam hanc comparationem de ordinandis poſitam beatus Auguſtinus, non de imaginaria viri & vxoris coniunctione, ſed de incorporata per ſexuum commixtionem copulatione poſuit, ſicut in proximè præcedenti-
Cap.xxiii. bus infit, Sequantur, inquiens, agnum pueri cantantes canticum
Apoc.14.4. nouum, ſicut in Apocalypſi ſcriptum eſt, qui cum mulieribus ſe non contaminauerunt, nec ob aliud, niſi quia virgines permanſerunt. Nec ideo ſe arbitrentur meliores eſſe primis patribus ſanctis, qui nuptiis, vt ita dicam, nuptialiter vſi ſunt. Earum quippe vſus ſe ita habet, vt ſi quid in eis per carnis commixtionem fiat, quod excedit generandi neceſſitatem, quamuis venialiter factum, contaminatio
Cap.xxiv. ſit.] *& poſt paululum*, Bonum igitur nuptiarum, per omnes gentes atque homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis. quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate ſacramenti, per

quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum coniunx eius viuit, nec saltem ipsa causa pariendi, quæ cùm sola sit qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente, propter quam fiunt, soluitur vinculum nuptiale, nisi coniugis morte.] Et statim de ordinatione cleri ad plebem supposuit. Sub quo sensu in libro De nuptiis & concupiscentia dicit, Ita manet etiam inter viuentes quoddam vinculum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis. sicut apostata anima, quæ de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis acceperat. Redderetur enim proculdubiò redeunti, si amisisset abscedens.] Et in præcedentibus ipsius libri dicit de sacramento nuptiarum, Propterea, inquiens, sacramentum nuptiarum temporis nostri, sic ad vnum virum & vnam vxorem redactum est, vt Ecclesiæ dispensatorem non liceat ordinari, nisi vnius vxoris virum. Quod acutiùs intellexerunt, qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in baptismo peccata omnia dimittuntur. Sed qui dixit, Si acceperis vxorem non peccasti, & si nupserit virgo non peccat, & quod vult faciat, non peccat si nubat, satis declarauit nuptias nullum esse peccatum. Propter sacramenti autem sanctitatem, sicut femina, etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post baptismum in Dei virginem consecrari, ita non absurdè visum est, eum qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam amisisse sacram, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.] Et hinc dicat, si quis ad hæc quæ prædiximus opponere attentauerit, si nunc Stephanus morte præuentus fuerit, & illa intacta, sicut hactenus manet, permanserit, & nubere non voluerit, quia catechumena vitiata post baptismum in Dei virginem consecrari non poterit, vtrum hæc in sacram virginem ab Episcopo consecrari valebit, qui non nisi virginem in virginitatis professione, vel in legitima coniugij copula, sacrare debet, sicut nec Episcopus fieri, qui præter virginem & vnam duxit vxorem. Dicat etiam, si post mortem Stephani virgo permaneat, & se continere non poterit, & nubere magis quàm continere elegerit, vtrum fratri eiusdem Stephani copulari valebit. Quibus cùm contradicere non valebit, aut in quæstione sua deficiat, aut ei nostra solutio satisfaciat. Et hæc in vita Stephani, de consecratione si delegerit, vel de maritatione si maluerit puella, fieri posse ratione & auctoritate monstrante cognoscat, sciátque, vt traditione maiorum docuimus, propter talem desponsationem, dotationem, atque pro talibus nuptiis, sicut istæ fuerunt, non esse coniugium, quibus defuit coniunctio sexuum, ac cum prolis spe fidei sacramentum, quæ vt plurimum in

Cap. 2. Lib. 1.

De bono coniug. cap. 18.

1. Cor. 7. 28

omni salutari actione, tum etiam in hoc negotio, in quo per nuptiale mysterium vir & vxor vna caro efficiuntur, sed & in baptismate operosiùs operatur, quo per fidei sacramentum, non solùm generaliter omnis Ecclesia corpus Christi, vt dicit Apostolus, & plenitudo fit eius, verùm singillatim singulus quisque fidelis Christo incorporatus membrum eius efficitur. Vnde sanctus Beda in homilia

Epist. xxcv. ad Nicetã. Euangelij dicit, Nam videtur, inquiens, qui baptizatur in fontem descendere, videtur aquis intingui, videtur de aquis ascendere: sola autem fidelium pietas nouit, quia peccator in fontem descendit, sed purificatus ascendit. Ceterùm oculis insipientium videtur talis exire de fonte, qualis intrauit, totúmque ludus esse quod agitur.] Et in hac desponsatione, dotatione, atque in his nuptiis, totum simulatio fuit, non veritas. Propterea sicut Sanctus Leo, de his qui formam tantùm baptismi sine sanctificationis virtute susceperunt, decernit vt Episcopali confirmatione firmentur, ita hæc non coniugij fides, sed copulationis imago, Ecclesiastica sanctione soluatur, & in eo qui indiget Ecclesiastica medicina sanetur.

VIII. Ceterùm si hæc quæ posuimus studiosis vel curiosis nequaquam sufficiunt, apponere adhuc etiam alia procuramus. Ait enim

Cap xxi. Lib. i. beatus Augustinus in libro de nuptiis & concupiscentia, Relinquet homo, inquiens, patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Quod magnum sacramentum dicit Apostolus in Christo & in Ecclesia. Quod ergo est in Christo & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris atque vxoribus minimum, sed tamen cõiunctionis inseparabilis sacramentum.] Quapropter legaliter & nuptialiter copulati, excepta causa fornicationis, separari non possunt, & causa fornicationis separati, aut permanere innupti, aut mutuò debent reconciliari, sicut Euangelica & Apostolica docet au-

Cap. lxix. ctoritas, & Africana Synodus definiuit, Placuit, inquiens, vt secundùm Euangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quòd si contempserint, ad pœnitentiam redigantur.] Et quia vxor à marito, vel maritus ab vxore, nisi causa fornicationis, non valet neque debet discedere, ex hac Euangelica & Apostolica doctrina beatus Augustinus in libro primo de adulte-

Cap. 3. rinis coniugiis ad Pollentium dicit, Quis est qui dicat, si discesserit mulier à viro non fornicante, innupta permaneat, cùm ei nisi à

Cap. 5. viro fornicante discedere omnino non liceat?] Et item, Hanc solam causam fornicationis Dominus magister excepit, cùm de dimittenda loqueretur vxore, deditque intelligi talem formam etiam in viro esse seruandam, quoniam non solùm mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir, sed similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.] Et propterea, nisi ex communi consensu, non valent etiam propter continentiam separari. adeo vt si

vir contra voluntatem mulieris conuersus tondeatur, aut mulier sine voluntate viri conuersa veletur, mulieri vir, vel viro mulier, à S. Gregorio in epistola ad Secundum Taurominitanum Episcopum, Lib.VIII. Epist.32.
& in epistola ad Hadrianum Panormitanum, iubeatur restitui. Si autem ex communi consensu se mutare permiserint, & quilibet eorum se inde retraxerit, ad conuersionem suum sequi parem præcipitur. Causa autem fornicationis vir aut mulier ab inuicem discedentes, propter sacramentum nuptialis coniunctionis, aut innupti quousque alter eorum moriatur manebunt, aut sibi reconciliari studebunt. Reconciliatio autem, post pœnitentiam & reconciliationem sacerdotalem eius qui peccauit, fieri debet, vt priùs restituatur Ecclesiæ sacramento, & postea nuptiali mysterio. Et hinc sanctus Augustinus in secundo libro de adulterinis coniugiis dicit, Licitè itaque Cap.IV.
dimittitur coniux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterij qui dimissam duxerit etiam ob hanc causam fornicationis. Sicut enim in se manente sacramento regenerationis excommunicatus cuiusquam criminis reus, nec illo Cap.V.
sacramento caret, etiamsi nunquam reconcilietur Domino, ita si manente in se vinculo fœderis coniugalis, vxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro: carebit autem, si mortuus fuerit vir eius. reus verò excommunicatus ideo nunquam carebit regenerationis sacramento, etiam non reconciliatus, quoniam nunquam moritur Deus. Remanet itaque, vt si sapere secundùm Apostolum volumus, non dicamus virum adulterum pro mortuo deputandum, & ideo licere vxori eius alteri nubere. Quamuis enim sit mors adulterium, non corporis, sed quod peius est animæ, non tamen de ista morte loquebatur Apostolus, cùm dicebat, *Quòd si mortuus fuerit vir eius, cui vult nubat*, sed de illa sola qua de corpore exitur.] Et item in eodem, 1.Cor.7.39
Hæc namque alligatio quandoquidem non soluitur, etiamsi Cap.XIII.
per repudium coniux à casta coniuge separetur, multo minùs soluitur, si non separata mœchetur. Ac per hoc non eam soluit nisi mors coniugis, non in adulterium corruentis, sed de corpore exeuntis. Quapropter si recesserit mulier ab adultero viro, & ei reconciliari non vult, maneat innupta, & si dimiserit vir adulteram mulierem, & eam non vult recipere, nec post pœnitentiam, custodiat continentiam, & si non voluntate eligendi potioris boni, certè ex necessitate vitandi perniciosi mali.] Et hinc latiùs in præfatis libris doctor facundissimus disputat, sicut qui intelligenter legerit nescire non poterit. Sed & in primo libro de nuptiis & concupiscentia dicit, quia lauacro regenerationis, & verbo sanctificationis, omnia prorsus ma- Cap.XXXIII.
la hominum regeneratorum mundantur, atque sanantur, non solùm peccata, quæ omnia tunc remittuntur in baptismo, sed etiam quæ posteriùs humana ignorantia, vel infirmitate contrahun-

tur, non vt baptiſma, quoties peccatur, toties repetatur, ſed quia ipſo, quod ſemel datur, fit vt non ſolùm anteà, verùm etiam poſteà, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodeſt vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur, vel poſteà, niſi præcederet?] Et in epiſtola ad Bonifacium ſcribit, Non aliquid remanet in baptiſmo, quod non dimittatur, præteritorum omnium peccatorum, ſi tamen ipſe baptiſmus non fruſtra foris habeatur, ſed aut intus detur, aut ſi foris datur, non foris cum illo remaneatur. Et quicquid ab eis, qui poſt acceptum baptiſmum hîc viuunt, humana infirmitate contrahitur quarumcumque culparum, propter ipſum lauacrum dimittitur.] Hinc liquidò demonſtratur, quia ſicut ſemel acceptum baptiſmi ſacramentum, quo quiſque fidelis in vnitate catholicæ Eccleſiæ Chriſto incorporatur, poſteà nulla interueniente cauſa amittitur: ſic & vinculum coniugale, legaliter & nuptialiter celebratum, indiſſolubiliter manet connexum, licèt fornicationis cauſa, vel quacumque de cauſa videatur ſeparatum. Cauſa verò fornicationis ſeparatum, ſi poſt pœnitentiam fuerit reunitum, non tamen ideo erit reiteratum, quia permanet vnum. Sed ſi in continentia pœnitentiali, quod magis pœnitentibus conuenit, manere coniuges non valebunt, reconciliatione medicinali ex conſenſu mutuo, poſt Eccleſiaſticam reconciliationem, indulgentia computabitur eſſe ſanatum: ſicut nec baptiſmum, quoties peccatur, toties reiteratur, ſed pœnitentiæ medicamento per reconciliationem Eccleſiaſticam, non iteratum creditur, ſed diuina gratia reparatur. Reparari autem de non amiſſo eo modo dicitur, ſicut mens & corpus Euchariſtiæ perceptione reparari, & ſatisfactione congrua renouari mentis noſtræ ſpiritus legitur. Et ſicut quæ ante baptiſmum vel poſt baptiſmum humana ignorantia vel infirmitate peccantur, baptiſmatis munere eſt vt dignis pœnitentiæ fructibus remittantur: ita nuptiarum bono defenditur, ne crimina habeantur, quæ ab Apoſtolo ſecundùm indulgentiam conceduntur: illa videlicet, quæ concupiſcentia impellente non niſi coniugibus conceduntur. tantùm vt cum legaliter nuptis naturaliter concumbatur. Naturaliter autem dicimus, quia de Ona legitur, quòd cum vxore naturaliter non concumbens interiit percuſſus à Domino. Vnde B. Auguſtinus in libro De bono coniugij, & de nuptiis & concupiſcentia, & in aliis ſuis libris, ſufficientiſſimè diſputat. Sed & ibidem inter alia dicit, Quod ergo præcipiunt coniugatis Apoſtoli, hoc eſt nuptiarum, (ſcilicet, vxori vir debitum reddat, & vxor viro, & filios procreare, matres familias eſſe,) quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit ad orandum, non cogunt nuptiæ, ſed ferunt.] Et ſicut opera bona ad ſalutem æternam non proſunt ſine baptiſmatis ſacramento, & non eſt baptiſmum verum, quia non eſt ſecundùm ſcripturam vnum, id eſt, in vnitate catholicæ fidei vnicum, ſi catholicè non fuerit celebratum: ſic & legitimum & ve-

Epiſt. 1. verſus finē.

Gen. 38. 10.

De bono coniugij cap. 13.

rum non poteſt eſſe coniugium, in quo docetur nuptiale non eſſe myſterium, vel quod non docetur nuptialiter copulatum. Vnde & Dominus de nuptiis Ioannem volentem nubere, vt tradunt hiſtoriæ, non poſt celebratas nuptias, ſed de nuptiis, & ante carnis copulationem, vocando retraxit, qui legem non ſoluere, ſed adimplere venit. De cuius ſcilicet Ioannis futura vxore, niſi eum Dominus, non ſolùm ante carnis vnionem, verùm & ante nuptiarum percelebrationem vocaret, ſicut de beati Petri vxore, quæ continentiſſimè perſeuerauit, non legitur vtrum in continentia manſerit, an ſecundùm legem veterem, vt ſemen in Iſraël relinqueret, alij nubere fortè delegerit: in cuius hoc arbitrio non maneret, ſi poſt legales nuptias fuiſſent nuptialiter copulati, nec Ioanni eſſet licitum, ſecundùm Euangelij documentum, ſi deſponſatam, dotatam, & publicis nuptiis honoratam duxiſſet, etiam ante vnionem carnis relinquere, ſi non delegiſſet ex conſenſu in continentia permanere, ſed aliam ducere. Sicut non liceret Stephano iſtam, quam deſponſauit, dotauit, & publicis nuptiis honorauit, licèt ei non ſit mixtus, relinquere, & aliam cum pœnitentia vel ſine pœnitentia ducere, niſi in iſtius concubitu inceſtale malum potuiſſet interuenire: ſed aut ex conſenſu cum ipſa in continentia Stephanus permaneret, aut ſi ſe continere non poſſet, cum ea nuptialiter copulatus maneret. Si autem ſine inceſtu cum hoc debito ordine commixti forent, niſi ex mutuo conſenſu propter continentiam ſeparari non poſſent, aut propter fornicationem ſeparati, vel innupti permanere, vel ſibimet reconciliari deberent, & ſi cum inceſtu fuiſſent coniuncti, ſeparatione eorum ac pœnitentia adulterium ſecundùm auctoritatem canonicam ſanari deberet.]

IX. Et hæc ſibimet ita concinere ſacra demonſtrat auctoritas, dicens de Maria & Ioſeph, *Antequam*, inquit, *conuenirent*, id eſt antequam nuptiarum ſolemnia rite celebrarent. Verbo enim conueniendi, non ipſum concubitum, ſed nuptias quæ præcedere ſolent concumbendi tempus inſinuat, quando ea quæ priùs deſponſata fuerat, eſſe coniux incepit. Et paulo poſt, *Voluit occultè dimittere eam.* Videns Ioſeph ſponſam concepiſſe ſuam, quam bene nouerat à nullo viro fuiſſe adtactam, cùm eſſet iuſtus, & iuſtè omnia vellet agere, optimum duxit, vt neque hoc aliis proderet, neque eam ipſe acciperet vxorem, ſed mutato occultè nuptiarũ propoſito, in conditione eam ſponſæ manere pateretur vt erat. Sed ſi eam occultè dimitteret, neque acciperet coniugem, & illa ſponſa pareret, nimirum perpauci eſſent, qui eam virginem & non potiùs autumarent eſſe meretricem, & quaſi adultera lapidaretur à Iudæis. Vnde & ſacri canones in Capitulo, in quo de parentibus, qui fidem ſponſaliorum frangunt, decernentes prouidentiſſimè ſtatuerunt adiungere, Si tamen, inquiunt, ſponſus vel ſponſa in graui crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes. quia quod

Matth. 1. 18
Matth. 1. 19
Concil. Elib. c. 54.

parentes fidei fractæ debuissent punitionis sustinere iudicium, ad eos iam qui meruerant pertinebit. Et vt ad superioris exempli ordinem redeamus, propterea consilium Ioseph repente consilio meliore mutatur, vt videlicet ad conseruandam Mariæ famam, ipse eam celebrato nuptiarum coniugio coniugem acciperet, sed castus castam

Matt 1.20. perpetuò custodiret, vt sequitur, *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei dicens, Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* De cuius coniugij genere Siricius ad Hi-

Cap.4. merium Tarraconensem Episcopum scripsit, dicens, De coniugij violatione requisisti, si desponsatam alij puellam alter in matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegij instar est si vlla transgressione violetur.] Et in Con-

Concil. Ancyr.c.10 cilio Ancyrano, Desponsatas puellas, & pòst ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus antè fuerant desponsatæ, etiamsi eis à raptoribus vis inlata constiterit.] Quæ suprataxato ordine non modò sponsæ, verùm etiam quasi coniuges factæ, etiam violenter corruptæ, ita sponsis reddendæ sunt, sicut etiam separati sine fornicationis causa, & absque mutuo consensu disiuncti coniuges reiungendi sunt: fornicationis autem causa separati, aut innupti manebunt, aut ex consensu sibimet mutuo reconciliabunt. De nuptiatis autem, sed innuptis, id est, de nuptiarum celebratione, in quibus arræ sponsaliorum, & benedictio sacerdotalis, & dotationis confirmatio, & Christi atque Ecclesiæ mysterium ad completionis perfectionem dirigitur, sed non carnis vnione completur, sed consilium bonum, vt de Ioseph diximus, consilio meliore mutatur, vt in continentia perpetuò maneatur,

Matt.1.24. ibidem iterum scriptum est, *Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut ei præceperat Angelus Domini, & accepit coniugem suam, & non cognoscebat eam.* Accepit autem ad nomen coniugis, ob causas necessarias quæ tunc imminebant, & non cognoscebat eam ad opus coniugale, sed vterque in continentia permanebant. Quod & Paulus licenter fieri posse in epistola prima ad Corinthios, & Augustinus in libro pri-

Cap.xi. mo de nuptiis & concupiscentia demonstrat dicens, Quibus verò placuerit ex consensu ab vsu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit vt vinculum inter illos coniugale rumpatur, immo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quæ cariùs concordiúsque seruanda sunt, non voluntariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum. Neque enim fallaciter ab An-

Matth.1.20 gelo dictum est ad Ioseph, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, & reliqua, quæ latiùs ibidem prosequitur.] Qua de re his edocti testimoniis sacræ auctoritatis, quicumque desponsatas, dotatas, publicis nuptiis honoratas, vxores ingenuas, vel ob hoc factas ingenuas duxerint, aut in perpetua continentia maneant, aut nisi hoc crimen incestuale, vel aliud quodlibet prohibue-

buerit, quod in se vel secum non recipit Christi & Ecclesiæ sacramentum, nuptialiter nubant, si se ex consensu continere non poterunt, & non nisi fornicationis causa disiungantur: qui disiuncti, aut innupti permaneant, aut si continere non possunt, sibi post pœnitentiam reconcilientur. Vbi autem, vt in Stephani nuptiis, periculum cum periculo vitandum emerserit, minus periculum ad maius deuitandum periculum, vt sanctus Gregorius in libris docet Moralium, eligatur: sed & ipsum quod eligitur periculum non negligatur, verùm dignis pœnitentiæ fructibus, videlicet piis operibus, & profusis lacrymis, ne æternaliter periculum maneat, sed salutari remedio temperetur, aut penitùs euadatur, apud omnipotentis Domini misericordiam obtineri modis omnibus satagatur.

X. Nos autem hæc his idcirco interponere necessarium duximus, quia quosdam, etiam qui se doctores esse dicebant, audiuimus pertinaci contentione intendere, quasi ex verbis B. Ambrosij & S. Augustini, quæ parum diligenter intenderant, virum non fornicantem, & à fornicatore muliere discedentem, aliam illa viuente ducere posse, & quæ causa fornicationis à viro recesserit, non posse reconciliari, illam autem quæ non causa fornicationis, sed alia qualibet recesserit, aut reconciliari, aut innuptam debere remanere. Non aduertentes, quia sic adulterino sensu interpretabantur verba Apostoli, sicut & illi, contra quos olim beatus Augustinus istos libros descripserat, & Africana Synodus quæ præmisimus definiuit, quando & Cælestianos euiscerauit, & ipsas etiam Pelagianorum medullas excussit. Nec mirum. sic enim prauo erant infecti dogmate, sicut & moderni Prædestinatiani, qui veterum Prædestinatianorum hæresim, quasi de sancti Augustini verbis compilatam instaurare laborant. Quorum capita confregit, & verticem capillorum perambulantium in delictis suis conquassauit atque contriuit beatus Cælestinus Papa in epistola decretali ad Venerium & ceteros Gallicanos Episcopos, & isdem beatus Augustinus in libro De correptione & gratia, & De prædestinatione sanctorum, ac bono perseuerantiæ. Sed & sanctus Prosper, ex delegatione sedis Apostolicæ, in absolutionibus obiectionum Gallorum, Vincentianorum, atque Massiliensium, in libris etiam De vocatione gentium, catholico sensu, & perfecta euidentissimæ rationis facundáque doctrina eorum argumenta dissoluit. Verba autem eorumdem auctorum, vnde imperiti magistri talia insulsa captarunt, hîc poneremus, si non pro solutione nodum componere vitaremus. Epist. viii.

XI. Addendum etiam necessarium duximus, vt his sanctorum sententiis cognoscamus, nuptias, quas concubitus pro quibusdam causis non sequitur, solui posse, & propter incontinentiam feminas ad alias conuolare valere. Sed subtilis inuestigatio, & rationabilis discretio in his priùs est adhibenda, vtrum quasi naturalis in viris sit

huiusmodi commixtionis impossibilitas, (quia & sunt eunuchi, sicut scriptum est, qui de matris vtero sic nati sunt,) an hoc impedimentum operatione diaboli, sicut fieri adsolet, illis accidit. Quòd si per sortiarias, atque maleficas, occulto, sed numquam vel nusquam iniusto, Domini iudicio permittente, & diabolo operante accidit, hortandi sunt quibus ista eueniunt, vt corde contrito, & spiritu humiliato, Deo & sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrymis, ac largioribus eleemosynis, & orationibus atque ieiuniis, Domino satisfaciant, cuius iudicio, pro suo merito, & ab illa benedictione priuari inuiti meruerunt, quam Dominus primis parentibus ante peccatum in paradiso donauit, qua etiam post peccatum genus humanum in totum priuari non voluit: & per exorcismos, atque cetera medicinæ Ecclesiasticæ munia, ministri Ecclesiæ tales, quantum annuerit Dominus, qui Abimelech ac domum eius Abrahæ orationibus sanauit, sanare procurent. Qui fortè si sanari non poterunt, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viuentibus, quibus iunctæ fuerint, prioribus quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.] Incestuosas autem nuptias, propter incestus crimen, quod habere non potest, vt priùs diximus, & iterum dicimus, Christi & Ecclesiæ sacramentum, non debere manere, sed crimen separatione & pœnitentia debere sanari noscamus. Stephani verò nuptias, de quibus agitur, ne incestus admittatur, debere dissolui modis omnibus cognoscamus: & nuptias quæ nuptiale habent mysterium, non quacumque alia, nisi sola fornicationis causa, posse dissolui, docente veritatis auctoritate teneamus. Quoniam etsi communi consensu continentiam vouerint coniuges, tanto obnixiùs, quanto spiritaliùs in Domino iuncti manebunt: quorum coniunctioni, ac indiuisæ separationi nulla simulatio in oculis eius interuenire valebit, qui cordium ac renium scrutator esse dinoscitur.

xxxi. q. iii. Si per sortiarias.

Gen. 20.

XII. Vnde Stephanus pro fornicatione, de qua, nisi coactus necessitate eam publicaret, secreta confessione pœnitentiam agere poterat, & quia sacro nuptiarum mysterio, licèt necessitate compulsus, simulationis culpam superinduxit, sicut ille qui zizaniam tritico superseminare non metuit: & quoniam post tale connubium, antequam legaliter dissolueretur, quod quasi legaliter visum fuit initum, alios prauo exemplo destruens, concubina vsus fuisse dicitur, iuxta modum culpæ, cum pietatis modestia, quia reuerentiam Deo exhibuit, ne incestum fornicationi adiungeret, à proprio Episcopo secundùm eius arbitrium, quia canones sic decernunt, pœnitentiam regularem suscipiat, & cum dignis pœnitentiæ fructibus peragat, vt qui suo neglectu Ecclesiam, & multos Ecclesiæ filios scandalizare præsumpsit, Ecclesiæ & eius rectoribus atque filiis satisfaciat, & post satisfactionem, si se continere non poterit, iuxta sententiam ma-

gni Leonis Papæ ad Rusticum Narbonensem Episcopum, & secundùm decreta sancti Toletani Concilij, copulam vxoris legitimæ expetat, ne iterum fornicationis crimen incurrat. In quo tamen, cum eodem patre loquentes sanctissimo, non regulam constituimus, sed quid sit tolerabilius æstimamus. Nam secundùm veram cognitionem nihil magis ei congruit qui pœnitentiam agit, quàm castitas perseuerans, & mentis, & corporis. Cui ne laqueum iniiciamus, remedij manum porrigimus, non imperium actionis imponimus. Epist xcv. Conc. Tolet. vi. c. 8.

XIII. Quia etiam sanctus Siricius de benedictione sponsarum in decretis suis quædam ponere studuit. De quibus, quod notum est, sacri canones decernunt, & nos exinde aliqua diximus, & plura alia diceremus, si his nuptiis, de quibus loquimur, benedictionem sacerdotalem datam fuisse ex more Ecclesiastico audiremus. Sed quibus debita fides defuit, locum benedictio sacerdotalis non habuit. præsertim cùm scriptum sit, *In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite pax huic domui. Si fuerit in ea filius pacis, requiescet super illam pax vestra: sin autem, pax vestra ad vos reuertetur.* & Petrus de Domino & fidelibus dicit, *Fide purificans corda eorum.* & item scriptum est, *Omnia opera eius ex fide.* & iterum, *Quod non est ex fide, peccatum est.* Et vbi peccatum manet, ante congruam satisfactionem benedictio locum non habet. Nihil enim, vt beatus dicit Gregorius, prodest oratio, vbi iniqua est actio. Matt. 10. 12. Act. 15. 9. Rom. 14. 23


XIV. Post hæc omnia, si Regimundus filiam suam recipere non voluerit, aut illam in sua libertate manere decreuerit, indicandum est eis, quoniam si ipsa stuprum quodcumque consenserit, ad illum, vel ad illam, non autem ad Stephanum, quod perpetratum fuerit pertinebit.

XV. Debetis etiam vos, sancti antistites, & Regimundo & Stephano, atque illorum parentibus & amicis, ex diuino mandato suggerere, intimare, atque præcipere, vt pacem inter se, quam Dominus præcepit, & sine qua eum nisi ad iudicium videre non poterunt, habeant, & terræ principes cum primoribus debent satagere, ne pro hac causa in Ecclesia, & in regno, scandala & seditiones fiant. Quod qui eorum obedire contempserit, iuxta Euangelicum præceptum, sicut ethnicus & publicanus efficiatur, & secundùm Apostolum, qui non obedit verbo notetur, vt nemo ei commisceatur, & qui hanc pacis doctrinam non receperit, nullus ei aue dicat, vt non communicet peccatis eius, & sicut canones decernunt, oblatio eius nec in sacrario recipiatur, & qui ad pacem redire noluerit, tam diu excommunicatus maneat, quamdiu ad pacem redire contempserit, & ad caritatem, quæ operit multitudinem peccatorum, quantociùs redire festinet. Et item in canonibus scriptum est, vt de Concilio bini vel terni iudices ad quæque

diffinienda eligantur atque mittantur, quæ Ecclesiastico debent examinari ac definiri iudicio, & alibi rationabiliùs atque conuenientiùs, quàm in eodem Concilio, poterunt definiri. & quisquis probatus fuerit pro contumacia nolle obtemperare iudicibus, cùm hoc primæ sedis Episcopo fuerit probatum, det litteras vt nullus ei communicet donec obtemperet. Qua de re sancta Synodus vos, qui primarum sedium regni Aquitanici estis, ad hanc causam diffiniendam, cum Coepiscopis vestris, & principibus, ac terræ illius primoribus, eligere studuit, quorum diffinitioni sine suo periculo, & excommunicationis inuectione, quisquis vobis obtemperare distulerit, euadere non valebit.

XVI. Hæc de Euangelica veritate, & Apostolica atque canonica auctoritate, seu catholicorum doctrina & traditione, sicut Synodus sancta iussit, pro mediocritate ingenioli mei colligere studui. De quibus, sicut audiui quoniam quidam faciunt, nemo contra me debet irasci, quia non meo sensu mea verba composui, neque quod meum non est mihi arrogare præsumpsi, neque statuendo vel imperando in hac causa, quod non est meum, quiddam scribere procuraui, nullius præiudicans sanæ sententiæ, nec dehonorans auctoritatem, aut ad obsequendi quemquam cogere volens necessitatem. Sed cum beato Leone scribente ad Rusticum Narbonensem Episcopum, dilectissimam atque reuerentissimam fraternitatem vestram commoneo, quia sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione conuelli, ita multa sunt, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione seruata, vt in his quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id nouerimus sequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum inueniatur aduersum.

Epist. xcv.



XXXVIII.

CONVENTVI EPISCOPORVM,

Ad interrogationem Guntharij Archiepiscopi Coloniensis, de vxore Bosonis quæ virum suum reliquerat.

Ex veteri Codice Biblioth. Thuanæ.

HINCMARVS NOMINE NON MERITO Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus sacro Conuentui.



QVIDAM beato Ambrosio quædam proposuit, ad quorum solutionem in crastina illum ad Ecclesiam inuitauit, vnde sermonem adoriens, Ad soluendum, inquit, debitum creditori meo adueni.] Sed & ego de mihi proposita heri quæstione, cuius solutionem nunc adfero, tunc domno Gunthario pro tribus causis respondere non potui: videlicet, quia ad reuertendum iam iámque commouebamur, & quoniam plures viri sapientes in conuentu consistunt, quorum quidam certant proponere, quidam autem absoluere, interdum necessitate compulsus tanta velocitate cogor verba confundere potiùs quàm proferre, antequàm alius mihi sententiam ab ipsis labiis rapiat, vt nec bucca efferre sufficiat quod vel conuulsa memoria subministrat. Sed & sicut scriptum est, *Qui fortiter premit vbera, exprimit butyrum: & qui vehementer emulget, elicit sanguinem*, timui ne si inconsultè ac præproperè responderem, in carnalem intellectum deciderem, quia occupatum ad alia cor meum me dereliquerat, & lumen intelligentiunculæ serenum mihi vel mecum non erat. Quapropter distuli, donec si fortè secundùm Prophetam mitteretur manus, quæ me cibaret intellectus volumine. quæ videlicet totiens mittitur, quotiens quæ antè nesciebamus diuina nobis gratia reuelantur. Qua de re propositionem domni Gunthárij præferamus, & solutionem ex largitione diuinæ gratiæ pro captu nostræ intelligentiæ referamus.

De Incarn. Domini. Prou. 30. Ezech. 3.

Si, inquit, *femina Bosonis ad nos venerit, & publicè confessa fuerit, dicens, Mea culpa, virum meum adulteraui. quapropter timore mortis perterrita ad vos confugi, qui Dei estis vicarius, vt me & Deo saluetis, & à morte corporali, quæ mihi imminet ex parte mariti mei, me liberetis: vtrum debeam illi publicam pœnitentiam imponere, quam aut in parochia mea, in quam confugit, seiuncta à viro suo peragat, aut eam eidem viro suo sub tali conditione reddere debeam, vt nullo modo eam interficiat, sed post pœnitentiam illam in coniugio habeat. quam si interfecerit, sciat se Ecclesiastica dam-*

natione plectendum : quoniam nefas est quemquam in publica pœnitentia positum à quocumque interfici.

Respondemus, Feminam illam in tua vel alterius cuiusque parochia natam, baptizatam, nutritam, adultam, facultatum hereditate ditatam, Boso ex alia non modò parochia, verùm ex alia prouincia natus, & per omnia incrementa in perfectum virum perductus, sub alterius Episcopi cura degens, secundùm legem diuinam & humanam, apud eos, quorum intererat, obtinuit, desponsauit, dotauit, publicis nuptiis honorauit, & sibi in coniugij copula sociauit, & vnum corpus vnámque carnem secum effecit, sicut scriptum est, *Erunt duo in carne vna : iam non sunt duo sed vna caro.* &, *Quod Deus iunxit, homo non separet.* nisi fortè perpetuò, ex consensu propter continentiam, vnde tantò coniuncti sunt ampliùs quantò & spiritualiùs, aut ad tempus, vt vacent orationi, & reuertantur iterum in idipsum, ne tententur à satana propter incontinentiam : aut causa fornicationis, qua separati, aut sic, id est innupti & separati maneant, aut mutuò reconcilientur. Quomodo poteris inferiorem partem corporis hominis illius, qui sub alterius prouidentia degit, separare, & tenere sub pœnitentia, quæ nec orationi continenter sine consensu partis superioris vacare potest? Mulier enim non habet potestatem corporis sui, sed vir : & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Vxori vir debitum reddere debet, & vxor viro, vt non tententur à satana propter incontinentiam. Quod qui eorum non fecerit, nisi ex consensu propter Deum dimiserit, parem suum, immò partem corporis sui mœchari facit. Si tu huic feminæ pœnitentiam posueris, quæ pars est corporis viri diœcesis alterius, sine consensu rectoris & viri, contra regulas Ecclesiasticas facis, & docente Leone Papa, honoris communione priuaris. Et item, Si huic feminæ lege pœnitentiæ manum imponis, & illa membrum caput suum, (caput enim mulieris vir,) in alteram prouinciam secuta fuerit, sub prouidentia alterius præsulis quis curam de eius accipiet pœnitentia? Quis vt reconcilietur secundùm canones, ad eius adtendet lacrymas & confessionem, quam non audiuit? Quis ei manum ad reconciliationem imponet, sacris regulis decernentibus, vt nemo Episcoporum sub manu positum alterius sacerdotis ad reconciliationem suscipiat, neque reconciliatum sine litteris vel consensu reconciliatoris recipiat? Et quomodo partem corporis, immo hominem alterius Episcopi & parochiæ iudicabis, quin pœnitentiali iudicio condemnabis? cùm scriptum sit, quod sanctus Gregorius hinc in suis decretis exposuit, *Si transieris per messem amici tui, fricans confricabis spicas manibus tuis, & manducabis, falcem autem non mittas*, siue falce non metas, id est homines parochiæ alterius verbo prædicationis & exemplo operis (ita tamen vt non conculces simpliciorem fratrem tuum, ne incidas in ruinam & laqueum, vanam scilicet gloriam diaboli) in corpus Christi,

Genes. 2. Matth. 19. 1. Cor. 7. Deut 23. 25.

quæ est Ecclesia, festina traiicere; falcem autem iudicij non permitteris mittere, vel falce iudicij metere, id est, incidere siue abscidere.] Et quoniam, sicut ipse Boso dicit, eidem mulieri, quæ caro sua est; nullum crimen impingit, sed non modicam negligentiam, quia ab eius se subtraxit seruitio, & quantum ex ipsa est, illum mœchari fecit, contra auctoritatem atque iustitiam eum dimittens, & in aliis regnis circiter per triennium immorans, contumax mandatis illius adeò extitit, vt nec compellata per tanta temporum spatia ad eum redierit, pro domni Apostolici est iussione illi paratus indulgere: restat vt Rex, in cuius regno degit, secundùm conscriptionem chirographi Regum nostrorum, eam ad viri sui præsentiam adduci faciat, & tu Episcopus, in cuius parochia immoratur, quia hoc non est Regis, sicut sanctus Gregorius de his qui ad Ecclesiam confugiunt præcipit, si exposcit necessitas, securitatem de æquitate sibi seruanda apud virum eius expetas & obtineas, & post hoc missus reipublicæ viro vxorem fuga lapsam restituat. Qui vir, si sacramentum fregerit, & Apostolicis monitis inobediens extiterit, Episcopus, ad cuius curam pertinet, canonicum iudicium in illum proinde exerat. Si autem mulier confessa, vel legaliter de adulterio conuicta, incolumis euaserit, lege Ecclesiastica pœnitentiæ illam isdem Episcopus subigat, quia & mundanis legibus cautum atque vsitatum esse dinoscitur, vt mala quæ perpetrantur in illis locis emendentur, in quibus perpetrata fuisse legaliter comprobantur. Præter hæc nihil mihi videtur agendum, nisi aut domni Apostolici monita exequamur, aut iudicium incurramus. De sacramento autem, quoniam quasi ad pietatem confugit Ecclesiasticam, quia tuum, id est Episcopale poposcit auxilium, quod ex impunitate, in membrorum vel vitæ, si ita qualitas facti exegerit, legali priuatione requiris, super id quod sanctus decreuit Gregorius pro eis etiam qui ad sacraria sacra confugerint requirendum, videlicet de æquitate seruanda, subtiliter debes perpendere, ne videaris vel dicaris non solùm Ecclesiæ, verùm & totius mundi statum & ordinem atque vigorem velle confundere, atque destruere, & Apostolicæ atque Apostolicorum virorum doctrinæ obsistere, qui non solùm leges à Christianis regibus promulgatas obseruauerunt, & obseruantes tradiderunt, verùm etiam promulgandas expetierunt, sicut in Carthaginensis atque Africani Concilij, ceterorúmque Conciliorum canonibus, & in decretis Apostolicæ sedis multoties reperitur. Vnde & S. Gregorius commonitoria ad Ioannem Defensorem, & ad alios etiam ex integro de legalibus edictis condiderat, & S. Gelasius ad Imperatorem Anastasium scripsit: Si enim, inquiens, quantum ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi superna dispositione conlatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obuiare sententiæ, quo, oro, te de- Epist. x. sub initium.

cet affectu eis & conuenit obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis.] Et S. Leo ad Turibium Asturicensem Episcopum scribens, Meritò, inquit, patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit, per totum mundum instanter egerunt, vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur. quando etiam mundi principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt auctorem eius, cum plerisque discipulis, legum publicarum ense prosterneret. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem coniugiorum copulam dissociari, simúlque diuinum ius humanúmque subuerti, si huiusmodi hominibus vsquam viuere cum tali professione licuisset. Profuit diu ista districtio Ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi sacerdotali cōtenta iudicio cruentas refugit vltiones, seueris tamen Christianorum principum constitutionibus adiuuatur, dum ad spiritale nonnumquam recurrunt remedium qui timent corporale iudicium. Ex quo autem multas prouincias hostilis occupauit irruptio, & executionem legum tempestates interclusêre bellorum, ex quo inter sacerdotes Dei difficiles commeatus, & rari cœperunt esse conuentus, inuenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem, & ad multarum mentium subuersionem his malis est incitata, quibus debuit esse correcta.] Lege librum XVI. legis Romanæ, lege decreta Damasi, percurre Leonis Epistolas, & ceterorum Pontificum de diuersis Conciliis ad Imperatores transmissas: reuolue Augustorum edicta de hæreticis ad petitionem Pontificum promulgata, scrutare Cæsarum nostrorum capitula, & inuenies quantum profuerit atque prosit legum seueritas, non solùm Ecclesiasticæ lenitati, verùm totius Christianitatis optandæ paci & colendæ tranquillitati. Sapientia namque, videlicet Christus Dei virtus & Dei sapientia dicit, *Per me Reges regnant, & cōditores legum iusta decernunt.* & Apostolus, *Lex quidem est sancta, & mandatum sanctum, & iustum & bonum.* Vnde Ambrosius, Mandatum legem intelligi Euangelicus sermo testatur. Ait enim, *Si vis ad vitam venire serua mandata.*] & item Apostolus, *Lex propter transgressiones posita est.* &, *Lex non est posita iustis, sed iniustis & non subditis, impiis & peccatoribus, sceleratis, contaminatis, patricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur.* & item, *Nam qui principantur non sunt timori bonis operibus, sed malis.* Vnde Ambrosius, Principes hos reges dicit, qui propter corrigendam vitam & prohibenda aduersa creantur, Dei habentes imaginem, vt sub vno sint ceteri.] Et item Apostolus, *Vis autē non timere potestatem? bonum facito, & habebis laudem ex illa.* Hinc idem doctor, Laus ex potestate tunc surgit, cùm quis innocens inuenitur. Dei enim minister est tibi in bono. Manifestum est ideo rectores datos, ne malum fiat. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat: hoc est, ideo comminatur, vt si fuerit contemptus, vindicet. Dei enim minister est, vindex in ira in eum qui malè agit.

Epist. IV. sub initiū. Prou. 8. Rom. 7. 12. Matth. 19. Gal. 3. 19. 1. Tim. 1. 9. Rom. 13. 3. Ibid.

Quo-

Quoniam futurum iudicium Deus ſtatuit, & nullum perire vult, huic ſæculo rectores ordinauit, terrore interpoſito hominibus, velut pædagogi ſint, erudientes illos quid ſeruent, ne in pœnam incidant futuri iudicij. Ideóque ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, id eſt, vltionem præſentem, ſed etiam propter conſcientiam. Rectè dicit ſubiectos debere eſſe, non ſolùm propter iram, id eſt vltionem præſentem, parit enim vindictam, ſed propter futurum iudicium, quia ſi hîc euaſerint, illic eos pœna expectat, vbi accuſante ipſa conſcientia punientur.] Et ſanctus Cyprianus in nono abuſionis gradu dicit, Quia regem non iniquum, ſed correctorem iniquorum eſſe oportet.] Et item ibi inter cetera, Debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas & periurantes non ſinere viuere, filios ſuos non ſinere impiè agere.] Et beatus Ioannes Chryſoſtomus in homilia decima ſexta Matthæi Euangeliſtæ, Audiſtis, inquit Dominus, quia dictum eſt antiquis, *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Matth. 5. Non enim vt nobis viciſſim effoderemus oculos ſanxit hanc legem, ſed vt metu quo ab alio iſtud timemus pati, ipſi quoque tale quippiam caueremus admittere, vt & qui ipſo voluntatis bono nollent à crudelitate deſinere, ſaltem metu cogerentur oculis parcere proximorum: ſi verò illud crudele dicitur, & homicidam & adulterum coerceri crudele dicatur. Sed inſipientium omnino iſta verba ſunt, & extremo furore dementium. Ego enim adeò metuo dicere hæc eſſe crudelia, vt his contraria etiam iniqua perdoceam, quod certè communis quoque ratio deprehendit. Tu enim dicis, quia oculum pro oculo iuſſit auferri, idcirco crudelis: ego autem refero, quia niſi præcepiſſet iſtud, tunc verè apud plurimos talis fuiſſet, qualem tu eum falsò eſſe conquereris. Denique ſermone fingamus omnem legem eſſe diſſolutam, nec quemquam pro huiuſcemodi factis formidare ſupplicium, ſed cunctis prorſus malignis licere vti moribus ſuis, & adulteris, & homicidis, & furibus, & periuris, & parricidis, nonne ſub hac licentia omnia pariter vna confuſio iniquitatis inuolueret? Nonne mille ſceleribus & cædibus vrbes, fora, domus, maria, totúſque omninò mundus fuiſſet impletus? Nam ſi legibus certè dominantibus, & vigente comminatione atque terrore, vix tamen voluntates cohibentur malignæ, ſi etiam hoc præſidium defuiſſet, quanam poſſet malitia ratione frænari? aut quæ non in vitam hominum peſtis irrueret? Nec tamen ſolum iſtud crudele eſt, permittere ſcilicet malis agere quæ velint: ſed aliud quoque iſto certè nihil minùs, id eſt, læſum & immeritò adflictum negligere atque deſpicere? Dic enim mihi, ſi quis feros homines ac ſemper malignos in vnum colligens, gladiis armaret, totámque circumire ciuitatem iuberet, atque obuios ſibi quoſque confodere, quid tandem hoc eſſet immanius? At ſi alius eos quidem, qui ab illo armati eſſent, ligaret, violentérque conſtringeret,

eos verò qui interimendi erant ab iniquis illis manibus liberaret, quid è regione isto inueniretur humanius? Hæc igitur etiam ad legum transfer exempla. Quæ enim oculum pro oculo effodere præcepit, timorem quasi carnificum peccatoribus immittens, illius similis inuenitur, qui illos quos dixi cohibuit armatos. Qui verò nullam omninò pœnam decreuit nocenti, sed armasse tibi iniquitatem videtur, eúmque imitatum fuisse qui sceleratos illos gladiis instruxit, híncque totius ciuitatis immisit exitium, vidésne quemadmodum non solùm nullius crudelitatis, verùm etiam maximæ pietatis sunt illa præcepta?] Et in epistolis beati Gregorij idem competenti vltione plectendis maleficis & iniquis sæpenumerò qui legere voluerit, inuenire valebit. Vnde, frater carissime, collige, quia contra hæc agere aut exigere, non solùm est pietatis iura confundere, verùm & sacerdotali innocentiæ ac puritati detractionis molestias importare, & derogationis blasphemias inrogare. Dicent enim maliloqui, Paulus dicit, *Non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte*, iste iniquos coerceri non sinit. Vnde & Dominus per Psalmistam tali sicut iste est sacerdoti, *Quare*, inquit, *tu enarras iustitias meas, & adsumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, currebas cum fure, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Non enim foueret malos, si bonum diligeret: sed diligens Dominum, & odiens vitium, quod suum ageret, & quod à Deo per conditores legum iusta decernentes decretum est non oppugnaret. Et iniquæ mulieres ac peruersi homines inquient, Faciamus quod volumus, & adeamus Ecclesiam, vel Episcopum, & erimus impuniti. Hinc namque vituperabitur ministerium nostrum, & erimus contemptibiles, vt videlicet legalem iustitiam iniustis à Domino positam contemnentes, quia vnaquæque lex iusta crimen non habet, ne sit iniusta, & tamen criminosum punit, vt verè sit iusta. Et è regione quidam iactabunt, Scriptura dicit, *Ne sis multùm iustus. Beati quoque misericordes.* &, *Iudicium illi sine misericordia, qui non facit misericordiam.* &, *Superexaltet iudicium misericordia.* & Dominus adulteræ, *Nec ego te condemnabo: vade, & ampliùs noli peccare.* Et tu sacerdos, cui misericordiam nisi misero debes impendere, & illi claudis non miserendo misericordiæ viscera, qui in eum liber es à punitione? Quam vtriusque partis derogationem erga sacris mysteriis seruientes prouidè atque discretè cauens beatus Gregorius ad Leontium Exconsulem scribit, Debet, inquiens, gloria vestra meminisse, quia nunquam meas epistolas pro commendatione alicuius accepit, nisi vt protectionem vestram faciente iustitia præstaretis, quia turpe est defendere quod priùs non constiterit iustum esse. Ego quidem homines propter iustitiam diligo, non autem iustitiam propter homines postpono.] Et ad Romanum Defensorem, Patrocinia Ecclesiastica, siue mea suscipiatis scripta, siue etiam minimè fuerint directa, sub

Rom. 1. Psal. 49. Ecclef. 7. Matth. 5. Iacob. 2. Ioan. 8. Lib. VII. Epist. 24. Indict. 2.

tanto moderamine debeatis impendere, quatenus hi qui in furtis publicis implicati ſunt, à nobis non videantur iniuſtè defendi, ne opinionem malè agentium ex indiſcretæ defenſionis auſu in nos vllo modo transferamus: ſed quantum decet Eccleſiam, admonendo, & verbum interceſſionis adhibendo, quibus valetis ſuccurrite, vt & illis opem feratis, & opinionem ſanctæ Eccleſiæ non inquinetis.] Sed & de his qui ad ſepta Eccleſiæ, & etiam ad ipſa ſacraria confugerint ſanctuarij, ad Ioannem Epiſcopum Caralitanæ ciuitatis ſcribit, Si, inquiens, de quibus eſt quæſtio, ad Eccleſiam fortaſſe refugerint, ita debet cauſa diſponi, vt nec ipſi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppreſſi, damna ſuſtineant. Curæ ergo veſtræ ſit, vt eis ſacramento ab his, quorum intereſt, de ſeruanda lege & iuſtitia promittant, & per omnia commoneantur exire, atque ſuorum actuum reddere rationem.] Hæc, domini & fratres, rogatus, vobis audientibus, à ſupraſcripto venerabili conſacerdote noſtro, ſapientiæ veſtræ depoſui: quæ ſi illi ad interrogationem ſuam non videntur ſufficere, plura hinc poterit in ſanctorum paginis legere, & à noſtra mediocritate in ſolutionibus quæſtionum, de quibus ab aliis interrogatus ſum, viceſimæ ſecundæ, & viceſimæ octauæ latiùs inuenire.

QVONIAM quidem ſuprà chirographi regum noſtrorum memoriam feci, quæ de his ibidem conſtituta ſunt hîc ſubnectere procuraui. Et quia per vagos, & tyrannica conſuetudine inreuerentes homines pax & quies regni perturbari ſolet, volumus vt ad quemcumque noſtrûm talis venerit, vt de his quæ egit rationem & iuſtitiam ſubterfugere non poſſit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat vel retineat, niſi vt ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur: & ſi rationem rectam ſubterfugerit, omnes in commune, in cuius regnum venerit, illum perſequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno deleatur. Similiter & de eo agendum eſt, qui pro aliquo capitali & publico crimine à quolibet Epiſcopo corripitur, vel excommunicatur, aut ante excommunicationem crimen faciens, regnum & regis regimen mutat, ne debitam pœnitentiam ſuſcipiat, aut ſuſceptam legitimè peragat: interdum etiam inceſtam propinquam ſuam, aut ſanctimonialem, vel raptam, ſiue adulteram, quam illic ei non licebat habere, fugiens ſecum ducit. Hic talis, cùm Epiſcopus, ad cuius curam pertinebit, nobis notum fecerit, diligenter perquiratur, ne morandi vel latendi locum in regno alicuius noſtrûm inueniat, & Dei ac noſtros fideles ſuo morbo inficiat, ſed à nobis, vel per miniſtros reipublicæ conſtringatur, & vt ſimul cum diabolica præda, quam ſecum duxit, ad Epiſcopum ſuum redeat, & de quocumque crimine publico debitam pœnitentiam ſuſcipiat, aut ſuſceptam legitimè peragere compellatur.]

Capitul. Caroli Calui tit. 8. c. IV

Cap. V.



XXXIX.

AD HILDEGARIVM EPISCOPVM MELDENSEM.

De iudicio aquæ frigidæ.

Nunc primùm ex Codice S. Remigij Remensis.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS, ac plebis Dei famulus, dilecto fratri ac venerabili Episcopo Hildegario salutem.



VM confabularemur, & inter nos de quibusdam quæreremus, sermo habitus est de iudicio aquæ frigidæ, de quo Hrabanum venerabilem Archiepiscopum Mogontinæ ciuitatis quædam scripsisse dixisti, ex cuius scriptis quid mihi videretur sciscitari curasti. Vnde inter alia & me scripsisse ad interrogationem fratrum ac coepiscoporum nostrorum de regno quondam iunioris Hlotarij tibi respondi, quæ ex scriptis nostris excipi, & tibi transmitti magnopere postulasti. Et quia scriptum est, *Omni petenti te da, & volenti mutuari à te ne auertaris*, quæ petisti de responsionibus exiguitatis nostræ ad interrogationes prædictorum fratrum nostrorum excerpta tuæ dilectioni transmitto, quæque vtrum probabilia, aut per auctoritatem & rationem improbanda sint, catholici lectoris iudicio derelinquo. Loquens Dominus de iudicio, quod in secundo aduentu suo est futurum per ignem, commemorauit illud quod primùm per aquam factum est, *Sicut*, inquiens, *factum est in diebus Noe, ita erit & in die filij hominis.* & referens quòd per ignem Sodomam iudicauerit, similiter, inquit, *sicut factum est in diebus Loth.* Sollertia Christianitatis, inter acta & agenda iudicia consistentis, ex antiquo sanxit & frequentauit iudicium quod fit per aquam, quódque sub Noe factum fuerat in arca fidei, liberans innocentes & condemnans noxios. In ignita autem aqua, sicut factum est sub Loth in igne, & fiendum in aduentu filij hominis, Petro attestante, qui dicit, *quòd cæli erant priùs & terra, de aqua, & per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cæli autem qui nunc sunt & terra, eodem verbo, repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij & perditionis impiorum hominum.* apertè docens quia non alij cæli sunt igne perituri, quàm qui aqua perditi, hoc est inania hæc & nubilosa ventosi aëris spatia. Neque enim aqua diluuij, quæ quindecim tantùm cubitis montium cacumina transiit, vltra aëris ætherisque confinia peruenisse credenda est. Quocumque autem peruenire potuit, eò nimirum, iuxta præfatam

Matth. 5. 42

Matt. 24. 37

Luc. 17. 28.

2. Pet. 3. 5.

beati Petri ſententiam, & ignis iudicij perueniet. Sed quia ſcriptum eſt, *Cælum & terra tranſibunt.* & iterum, *Terra verò in æternum ſtat,* ſciendum eſt quia cælum & terra per eam quam nunc habent imaginem tranſeunt, attamen per eſſentiam ſine fine ſubſiſtunt. Præterit enim figura huius mundi, *& erunt,* inquit, *cælum nouum & terra noua.* quæ quidem non alia condenda ſunt, ſed hæc ipſa renouabuntur. Tranſient & permanebunt, quoniam ab ea ſpecie quam nunc habent tergentur, & in ſua ſemper natura ſeruabuntur. Vnde ſcriptum eſt, *Mutabis ea, & mutabuntur.* Quapropter fieri aquam ignitam, ad hæc duo copulata in vnum indaganda iudicia, illud videlicet quod iam per aquam factum eſt, & illud quod per ignem fiendum eſt, licèt ſint pro temporum varietate diſparia, ſed vnum ſunt operationis myſterio, in quibus ſancti liberantur inlæſi, & reprobi puniuntur addicti, Eccleſiæ, quam deſignauit arca diluuij, creditur tradidiſſe auctoritas, quæ etiam inde ſanxit, vt aquæ baptiſmatis halitu ſacerdotali ſanctus inſuffletur Spiritus, qui inter ipſa mundi primordia ferebatur ſuper aquas. Vt iam tunc virtutem ſanctificationis aquarum natura conciperet, & quo rubigo omnium excoquitur peccatorum, cerei lumine ſanctificato accenſi à loco teneantur immiſſi, donec eiuſdem fontis conſecratio compleatur, per eum qui nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis ſpeciem in ipſa diluuij effuſione ſignauit, vt vnius eiuſdémque elementi myſterio, & finis eſſet vitiis, & origo virtutibus, quique venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. Quia in eodem baptiſmate, in quo ſignanter Moyſes Propheta lignum velut in myrrhato fonte miſerat, & dulcoratus eſt, prædicata per Domini ſacerdotem ſanguinis Chriſti cruce, tres vnum ſunt, non natura, ſed operationis myſterio, id eſt, ſanguis redemptionis, ſpiritus ſanctificationis, & aqua lauacri. vbi exſufflatus & exorcizatus immundus ſpiritus exit ab homine, fitque mundi iudicium, & princeps mundi foras eiicitur, & qui in veritate non ſtetit, mendax & pater mendacij à veritate naturæ ſecernitur, quæ ad imaginem Dei condita, & ex aqua & Spiritu ſancto renata, ad ſuum reformatur principium, ac fide interiùs exteriúſque purgatur, & ab omni figmento mendacij totiúſque malitiæ innocens comprobatur. Sed & ſi quis frigida tantùm aqua, vel igniti cuiuſcumque elementi iudicio, in auctorem & gubernatorem elementorum, quem omnia fideliter inuocatum ſentiunt elementa, ſicut in Moyſi virga & aquæ in ſanguinem verſæ, & iterum ſanguis in aquas, & petra quæ dedit aquam, & ſub Heliſæo ſal vel lignum aquæ immiſſum, indubitanti fide, quæ eſt argumentum non apparentium, credens fieri ſatis ſibi decreuerit, nihil differt. Aqua enim frigida, ſicut & in baptiſmate ſacratur, in diluuio innoxij cum arca ſunt ad cælum leuati, & noxij perditi, ignéque ſunt Sodomitæ puniti. & in

Matt. 24. 35
Eccl. 1. 4.
Pſal. 101. 27
Exod. 15. 25
Exod. 7. 20
Exod 17. 6.
4. Reg. 2. 21

Num.5.27. libro Numeri aqua frigida, in quam Dominus imprecationes iussit elui, hausta à muliere adultera computrescendum femur ipsius legitur. Et Ioannes Apostolus de olei feruentis dolio euasit inlæsus. Et qui aquam ignitam delegerit, intelligat quoniam venientem ad futurum iudicium terribilem Iudicem tempestas ignísque comitabuntur, sicut scriptum est, *Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida*, vt tempestas examinet quos ignis exuret. Et ignis ille futurus sanctis erit peruius, qui rapientur nubibus obuiam in aëra Domino, & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Psal.49.3.

Quoniam quidem de purgationis iudicio per aquam feruentem vel frigidam se ratio intulit, dicamus quod quidam sagacis ingenij vigilanter adiiciunt. Constat nimirum, vt inquiunt, quia in aqua ignita coquuntur culpabiles, & innoxij liberantur incocti. Quia de igne Sodomitico Loth iustus euasit inustus. Et futurus ignis, qui præibit terribilem Iudicem, sanctis erit innocuus, & scelestos aduret: vt olim Babylonica fornax, quæ pueros omnino non contigit, neque contristauit, vel quicquam molestiæ intulit, sed vincula eorum comburens, incendit quos reperit de Chaldæis ministros Regis, qui eam succendebant. Sed in aquæ frigidæ iudicio quibusdam non constare videtur quòd innoxij submerguntur, & aquam culpabiles supernatant, cùm in cataclysmi iudicio innocentes cum arca leuantur, & noxij submersione perierint. Et Ægyptij insequentes Hebræos per mare rubrum, respiciente Domino in vigilia matutina per columnam ignis & nubis, submersi sint quasi plumbum in aquis vehementibus, & ne vnus quidem superfuit ex eis. Et filij Israel super litus stantes viderunt Ægyptios mortuos. Et infideles ac peccatores terra sustinere non potuit, quando aperta est & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiron. Et Petrum fide fidentem aquæ instabilitas se calcantem sustinuit, in fide verò dubitantem iam pene dimersum obsorbuit, quando eum Christi dextera alleuauit. & ipsius epistolæ sententiam de figura baptismatis in arca diluuij exponentes Patres catholici, dicunt quia non aliis, sed ipsis aquis hæretici & mali Christiani ad inferna merguntur, quibus orthodoxi & iusti quique ad cælestia regna subleuantur. Sed sciendum nobis est, vt beatus dicit Gregorius, quòd diuina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Et cùm Paulus Apostolus dicat, *Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, profectò liquet quia fides illarum rerum argumentum est, quæ apparere non possunt. Quæ enim apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem.] Sed hæc ipsa Redemptoris nostri opera, quæ ex semetipsis comprehendi nequaquam possunt, ex alia eius operatione pensanda sunt, vt rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora. Et idcirco Dominus quædam de scripturis per semetipsum dignatus est expo-

Dan 3.50. Ibid.48. Exod.14.24. Num.16.32 Matt.14.29 1.Pet.3.20. Hom.xxvi in Euang. Heb.11.1.

nere, vt sciamus rerum significationes quærere, in his etiam quæ per semetipsum noluit explanare. Vnde in responsum accipiant, qui in diuinis iudiciis atque miraculorum signis experimentum humanæ postulant rationis, quoniam & iustos continens arca, qua fidelium est designata Ecclesia, fides sanctæ Trinitatis, quæ per incarnationem Iesu Christi ædificata, & omnes de quibus dixit Dominus, *Finis venit vniuersæ carnis coram me, repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra*, superfluente aqua operti, & non omnes submersi sunt, sed innoxij liberati, & puniti sunt noxij, sicut scriptum est, *Ingressus est Noe, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquam diluuij*. & post paululum, *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus*. & item, *Et multiplicatæ sunt aquæ, & leuauerunt arcam in sublime à terra*. & post pauca, *Consumptáque est omnis caro quæ mouebatur super terram. Remansit autem solus Noe & qui cum eo erant, in arca*. & item post pauca, *Et clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cæli*. Et nubes vna, tenebrosa facta est Ægyptiis, & luminosa Hebræis, vt iterum scriptum est, *Tollénsque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis priora dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel. Et erat nubes tenebrosa, & inluminans noctem, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent*. Et vna eadémque virga extenta super aquas, quæ erant quasi pro muro à dextris & à sinistris, *filios Israel transduxit*, sicut scriptum est, *per aquam nimiam*, & inuoluit Ægyptios in mediis fluctibus, vt ne vnus quidem superfuerit ex eis, quos viderunt Israelitæ mortuos super litus maris, quos respexerat Dominus in vigilia matutina, vt diximus, in columna ignis & nubis, *Et expandit nubem in protectionem suorum, & ignem vt luceret eis per noctem*. videlicet Christum, qui est columna lucis, tenebras infidelitatis depellens, & lucem veritatis ac gratiæ spiritalis affectibus humanis infundens, & per columnam nubis, qui est Spiritus sanctus. In quo baptismate typus baptismatis iam sicut & in diluuio monstrabatur. Adhuc addamus, quia inuocauit Helias nomen Domini Dei sui, & descendit de cælo ignis: inuocauit & Helisæus nomen Domini, & de aqua ferrum securis leuatum est ad manubrium ligneum, & supernatauit aquis. Grauior enim est ferri species, quàm aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris esse gratiam quàm naturam. De his omnibus beati Ambrosij sufficiat explanatio, vt colligi possit adsimilatio, cur in frigidæ aquæ iudicio vnius fiat mersio, alterius subleuatio. Ait enim in libro de Sacramentis siue mysteriis, Verumtamen ne in hoc sæculo diaboli fraus vel insidiæ præualerent, inuentum est baptisma. De quo baptismate, audi quid dicat scriptura, immò filius Dei, Quia *Pharisæi*, qui noluerunt baptizari baptismo Ioannis, *consilium Dei spreuerunt*. Ergo

Gen.6.13. Gen.7.7. Ibid.11. Ibid.17. Ibid.21. Ibid.23. Gen.8.2. Exod.14.19 Sap.10.18. Exod.14. 28. Psal.104.39 4 Reg.1.10 4.Reg.6.7 Lib.1. de sacram.c 6. Luc.7.30.

baptiſmum conſilium Dei eſt.] & poſt paululum, Quod mergis,
Gen.3.19. ſoluitur ſententia illa, *Terra es, & in terram ibis.* Impleta ſententia, locus eſt beneficio remedióque cæleſti. Ergo aqua de terra, poſſibilitas autem vitæ noſtræ non admittebat, vt terra operiremur, & de terra reſurgeremus. Deinde non terra lauat, ſed aqua lauat. Ideo fons quaſi ſepultura eſt.] Ceterùm, vt dicit Apoſtolus,
2.Tim.3.16 *Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Et ſicut in Patrum catholicorum dictis legimus, margaritum eſt ſermo diuinus, quod ex omni parte forari poteſt: & qui ad inſtructionem fidelium ſcripturarum teſtimonia profert, etiamſi aliter illa expoſuerit, quàm ea intellexerint per quos fuere prolata, non eſt fabricator mendacij, ſaluo maiorum intellectu, hinc dicam quòd ex eorum verbis pro exiguitate ingenioli mei
1.Cor.10. exculpere coniiciendo poſſe ſuſpicor. Sanctus Apoſtolus docet rubrum mare, quod ſub duce Moyſe patres noſtri tranſierunt, baptiſmum Chriſti ſanguine rubricatum, & ipſe Moyſes ducem Chriſtum, qui nos per baptiſmum eduxit de Ægyptia ſeruitute ad terram repromiſſionis, videlicet de peccati ſeruitute, & mortis dominatione, in libertatem gloriæ filiorum Dei, & in regnum æternæ vitæ, præfigurauit, ſicut & petra per deſertum cōſequens populum, qui nos in eremo iſtius ſæculi myſteriis ſuis conſequitur. Vnde item dicit de baptiſmate
Rom.6.3. idem Apoſtolus, *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in morte.* Quid
Homil.x.in epiſtolam ad Roman. eſt, inquit Ioannes Chryſoſtomus, in morte ipſius baptizati ſumus? vt & ipſi moriamur ſicut & ille. Crux enim eſt baptiſma. Quod ergo crux Chriſti & ſepulcrum, hoc nobis baptiſma factum eſt, ta-
Rom.6.5. metſi non eiſdem ipſis. Quapropter non dixit, *Complantati morti, ſed ſimilitudini mortis.* Ipſe namque carne & mortuus & ſepultus: nos autem peccato in vtroque.] Quibus dictis colligi poſſe videtur, vt conſepultus Chriſto per baptiſmum in morte, & liberatus per idem baptiſmum à morte, & per peccatum ad eandem ſeruitutem & mor-
Ezech.18.4. tem reuerſus, *Anima*, inquit, *quæ peccauerit, ipſa morietur*, complantetur ſimilitudini mortis in aqua, vt aut noxius comprobatus, velit nolit, quia ſæpè bona inuitis præſtantur, confiteatur, & per emendationis ac correctionis confeſſionem liberetur iterum à morte commiſſi peccati: aut innoxius Dei iudicio demonſtratus, inter peccati reos non tenetur à nobis, complantatus ſimilitudini mortis in aqua. Mare quippe, ſicut ſuprà oſtenſum eſt, baptiſma deſignans, nihil in
Exod 14.31 ſe mortuum retinet: quod, vt ſcriptum eſt, *mortuos Ægyptios eiecit ſuper litus.* Ergo Ægyptius mortuus, id eſt peccato obnoxius, quamdiu negando in peccati ſui morte manet, ab aqua inuocatione veritatis, quæ Chriſtus eſt, ſanctificata non recipitur, non tenetur. Veniat autem ligatus inſtitis iniquitatum ſuarum foras de latebris ma-

læ

læ conſcientiæ confitendo, & per confeſſionem veritatis conſepelietur in aqua, quaſi quodammodo complantatus ſimilitudini mortis veriſſimæ veritatis, liberatus ab eadem veritate. Colligatur autem fune qui examinandus in aquam dimittitur, quia, vt ſcriptum eſt, *Funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.* Prou.5.22. Qui ob duas cauſas conligari videtur: ſcilicet ne aut aliquam poſſit fraudem in iudicio facere, aut ſi aqua illum velut innoxium receperit, ne in aqua periclitetur ad tempus valeat retrahi. Nam & Lazarus quatriduanus Ioan.11.39. mortuus, per quem deſignatur quiſque criminum mole ſepultus, ligatus inſtitis ſepultus, & eiſdem conligatus inſtitis à ſepulcro Domino vocante legitur egreſſus, & ipſius iuſſu à diſcipulis diſligatus. Et hoc examinandus iudicio conligatus in aquam dimittitur, & conligatus retrahitur, & aut purgatus ſtatim iudicio arbitrorum abſoluitur, aut vſque ad purgationem conligatus iudicio examinatur. Et item in ſacra hiſtoria legimus, quia venit Helias ad Iordanem cum diſci- 4.Reg.2.8. pulo Heliſæo, & inuoluto pallio ſuo percuſſit aquas, quæ diuiſæ ſunt, & tranſierunt ambo. Poſtea leuauit Heliſæus pallium Heliæ quod ceciderat ei, & veniens ad Iordanem percuſſit aquas, atque inuocato Deo Heliæ diuiſit ac tranſiit. Rectè enim per Iordanem fluxus noſtræ mortalitatis exprimitur, quia & Iordanis Latinè dicitur deſcenſus eorum, ſcilicet Chriſtianorum. Quia, inquit Gregorius, in Ior- Greg.Mor. dane flumine ipſe auctor redemptionis noſtræ baptizari dignatus lib.33.c.6. eſt, rectè Iordanis nomine eorum multitudo exprimitur, qui inter ſacramentum baptiſmatis tenentur. Vnde ſcriptum eſt in Iob de antiquo hoſte humani generis, *Et habet fiduciam quòd influat Iordanis in* Iob 40.18. *os eius.* quia poſtquam infideles quoſque à mundi origine rapuit, adhuc ſe poſſe ſuſcipere etiam fideles præſumit. Nam ore peſtiferæ perſuaſionis eos quotidie deuorat, in quibus à confeſſione fidei reproba vita diſcordat. Vnde ac ſi pallio Heliæ inuoluto aqua percutitur & diuiditur, & per eam tranſitus præparatur, quando tales, vt præmiſimus ex verbis ſancti Gregorij, conligantur & in aquam dimittuntur: & quaſi aqua diuiditur, cùm aut quoſdam aqua recipit, & innoxios oſtendit, aut quoſdam reiicit, & noxios eſſe demonſtrat: & tranſitus præparatur, cùm aut quidam à reputatis criminibus ad innoxios transferendi iudicantur, aut à negatione ſua rei inter criminum noxios declarato iudicio deputantur. Nam & quando qui putatur & qui eſt noxius, in aquam examinandus dimittitur, à dimittentibus, ſecundùm quendam modum formæ baptiſmatis, Dominus inuocatur, quatenus veritas vnde requiritur demonſtretur, & tenebras ignorantiæ noſtræ inluminare dignetur, ne aut innocens iniuſtè à nobis damnetur, aut nocens ſua negatione, aut diabolica fraude aliquo modo impunitus euadat. Sed & ipſe, qui examinandus in aquam dimittitur, inuocationem inuocantium ſua reſponſione & denotatione confirmat, iuxta formam quodammodo ante ba-

ptisma, quando aut ore patroni, qui alieno, id est, originali peccato perditus, aliena fide saluatur: aut adultus peccata siue contracta, siue admissa confitetur, abrenuntians diabolo, & omnibus operibus ac pompis eius, & ad interrogationem sacerdotis, vt in quo iam non est immunditia eius per negationem abscondita, sed per confessionem publicata, illum recipiat aqua, & consepeliatur Christo, & demergantur peccata eius, iuxta scripturam in profundum maris, ad instar Ægyptios in mare rubrum, de fidei suæ confessione respondet, sicut S. Ambrosius in libro De sacramentis dicit, Interrogatus es, Credis in Deum patrem omnipotentem? Dixisti, Credo, & mersisti, hoc est, consepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius? Dixisti, Credo, & mersisti. Ideo & Christo es consepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertiò interrogatus es, Credis & in Spiritum sanctum? Dixisti, Credo, tertiò mersisti, vt multiplicem lapsum superioris ætatis absolueret trina confessio. Denique, vt vobis afferamus exemplum, sanctus Apostolus Petrus, posteaquàm in passione Domini lapsus videtur infirmitate conditionis humanæ, qui antea negauerat, postea vt illum lapsum aboleret & solueret, tertiò interrogatus à Christo si Christum amaret, tum ille dicit, *Tu nosti Domine, quia amo te.* Tertiò dixit, vt tertiò absolueretur.] Sic & inuentus in iudicio noxius, si fuerit fortè super plura suspectus, iterato est iudicio examinandus, quousque inueniatur emendationis confessione probatus. Et ad hoc adsumamus sancti Ambrosij verba dicentis, Denique vt vobis adferamus exemplum, sanctus Apostolus Petrus posteaquàm in passione Domini lapsus videtur infirmitate conditionis humanæ, qui antè negauerat, postea vt illum lapsum aboleret & solueret, tertiò interrogatur à Christo si Christum amaret, tum ille dicit, *Tu nosti Domine, quia amo te.* Tertiò dixit, vt tertiò absolueretur. Et quoniam, sicut suprà ostendimus, diuina auctoritate baptismum esse iudicium, vnde & Iordanis baptisma designans interpretatur riuus iudicij, quo princeps mundi mendax, & pater eius foras eiicitur, & baptismum consilium Dei est, consilium diuini viri ad ignota inuestiganda inuenerunt iudicium aquæ frigidæ. In quo aquæ frigidæ iudicio, ad inuocationem veritatis quæ Deus est, qui veritatem suo mendacio cupit obtegere, in aquis, super quas vox Domini maiestatis intonuit, non potest mergi, quia pura natura aquæ naturam humanam, per aquam baptismatis ab omni mendacij figmento purgatam, iterum mendacio infectam non recognoscit puram, & ideo eam non recipit, sed reiicit vt alienam. Et vt in baptismate ab homine spiritus immundus, id est princeps huius mundi eiicitur, ita & qui à diabolo, principe videlicet mundi huius, per peccatum reoccupatus, sicut scriptum est, quia cùm exierit ab homine reuertitur ad eum à

Lib. 2. c. 7.

Ioan. 21. 15.

Matt. 12. 45

bonis operibus vacantem, immo vacuum, cùm aliis septem spiritibus nequioribus se ab aqua inuocatione diuini nominis sacrata reiicitur. Quem hominem non naturalem, sicut ex aqua & spiritu renatus est, purgatum, non carnis depositione sordium, sed interrogatione & confessione conscientiæ bonæ in Deum, verùm potiùs talem de quo in Leuitico scriptum est sentit, *Omnis*, inquit, *homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Non dicit, In quo fuit immunditia. Immunditia quippe eius in ipso est, qui mendacio contegit veritatem. & idcirco de stirpe sacerdotali, *Vos*, inquit, *genus electum, regale sacerdotium.* & in Apocalypsi, *Fecisti nos regnum Deo & sacerdotes*, ad ea quæ consecrata sunt Domino accedens, quamdiu immunditia eius in ipso est, non poterit aquis inuocatione Dei sanctificatis immergi, vt innoxius pareat, sed pereundus monstrabitur. *Expurgate*, inquit Apostolus, *vetus fermentum, vt sitis noua consparsio, sicut estis azymi.* Ac si patenter dicat, Reputatum de crimine, atque negantem, quem idoneis testibus iudiciario ordine comprobare nequitis, aut sacramento, aut Dei iudicio expurgate, ne in medio vestrî manens anathema, dicatur vobis, *Anathema in medio tuî Israel, non poteris stare coram inimicis tuis.* Et item dicit Apostolus, *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Vnde Augustinus, Nolite communicare, hoc est, nolite consentire. Et quia parum erat non consentire si sequeretur negligentia disciplinæ, *magis*, inquit, *& redarguite.* Duobus modis non te maculat malus, si non consentias, & si redarguas.] Igitur arguendus est peccator, & si negauerit, & ordine iudiciario comprobari non poterit, examinetur, vt probatus manifestus fiat, & reprobatus latere non possit. Deprehensus autem confiteatur & pœniteat, & non tenebitur fune peccatorum suorum, quo est inligatus, vt non mergatur, & lauetur aqua salutari perfusa lacrymis, & dimergatur vt Ægyptij, & qui corrupti erant carnali corruptione coram Domino, sicut plumbum in aquis vehementibus, & secundùm Prophetam, *proiiciantur iniquitates eius in profundum maris*, quia antea cum mendacio suo mergi vt ablueretur non poterat, donec confessione à se illud in profundum proiceret, & ablutus emergeret, qui ante confessionem sicut ferrum Helisæi premebatur aqua, vsquedum ad confessionem diuini nominis ad lignum rediit: ita nihilominus negans peccati pondere premitur anxia conscientia, vsque dum pronuncians impietatem peccati sui Domino, in cuius ligno crucis omnium hominum, vt dicit Ambrosius, leuatur infirmitas. Et hoc est diluuium, quod & baptisma, quo peccata omnia diluuntur, sola iusti mens & gratia resuscitatur, pridem quippe mortui negatione peccati. Legat deuotus librum Dialogorum beati Gregorij, & inueniet Sanctimoniales non correctas, & pro incorrectione sua à sancto Benedicto excommunicatas, post mortem tempore commu-

Leuit. 22.3. | 1. Pet. 2. 9. | Apoc. 5. 10. | 1. Cor. 5. 7. | Iosue 7. 13. | Ephes. 5. 11. | De verbis Domini serm. 18. | Mich. 7. 19. | 4. Reg. 6. 7. | Lib. 2. Dial. cap. 23.

Lib.2.c.24. nionis de sepulcris ab Ecclesia, quia non communicabant, exisse, post reconciliationem autem, se in suis sepulcris continuisse. & Lib.2.c.3. pueri monachi corpus à terra teneri non potuisse, quia Benedicti Lib.2.c.28. gratiam non habebat. & vas vitreum signo crucis per Benedictum Lib.2.c.7. edito disruptum: & iterum vas vitreum in ingens præcipitium, saxorum molibus aspersum, eius iussione propter inobedientiam pro-Lib.2.c.6. iectum, atque incolume reseruatum. & discipulum eius Maurum super vndas laci deambulasse: ferrum autem de profundo laci, Helisæi more, per ipsum in manubrium reuocatum fuisse. Et sicuti scriptum 2. Mac.1.20 diuinis paginis continetur, sacer ignis absconsus, post multa annorum curricula in crassam aquam versus reperitur, eadem aqua super oblatum sacrificium versa, diuina potentia est igne consumpta. Sed Iud.6.19. & Gedeonis sacrificium cum superfuso iure, cuius abundantia solet ignis extingui, per Angelicum ministerium, igne etiam lambente petram consumptum est. & in vnius eiusdémque elementi mysterio & finis est vitiis, & origo virtutibus, operante Spiritu sancto, in aqua sacri baptismatis. Hæc diligens lector legat, & non mirabitur in iudicio aquæ frigidæ innocentes ab aqua recipi, nocentes autem non recipi: sicut & in aqua calida coquuntur noxij, innoxij verò reseruantur incocti. Quia & Christus, cęlestis medicina patris, verus humanæ medicus salutis, inuocatus à suis fidelibus, vt & medici carnis ipso inspirante solent, contraria contrariis, calida frigidis, frigida calidis curat. Et in veteri Ecclesia, quæ vocatur vsitatiùs Synagoga, de vnius eiusdém-Num 16.30 & 35. que seditionis hominibus, quosdam terra absorptos operuit, quosdam verò super terram edax flamma consumpsit. Dúmque caro innoxia Saluatoris aquis frigentibus tinguitur, opposita quondam noxiis romphæa ignea paradisi restinguitur. Sed & dispositione ipsius elementorum conditoris atque rectoris, vno eodémque sole lutum stringitur, cera liquatur. Hæc dicta sint, quia elementum instabile in mergendo, pro fide credentium, quosdam recipit, quosdam autem non recipit: sed & feruore elementi eiusdem quidam coquuntur, & quidam euadunt incocti. Nec prætereundum quia legimus in capitu-Addit IV. cap. xxc. lis Augustorum fuisse vetitum frigidæ aquæ iudicium: sed non in illis Synodalibus, quæ de certis accepimus Synodis. Quod, vt quidam insulsè dicunt, propterea fuerat vetitum, quoniam quasi rebaptizatur, qui in nomine Domini aquis immergitur. Sed hoc ibidem scriptum nequaquam reperimus. Nec nos etiam ignoramus, quia beatus Ambrosius plura dicit baptismata, id est. plura baptismatis adnotat præconia. Et sacri canones rebaptizationes omnibus vt vitandæ sunt prohibent. nemo tamen est penè fidelium, qui se sine crucis signo, vel inuocatione diuini nominis aquis etiam ad lauandum im-1.Cor.10.31 mittat, iubente Apostolo, *Omnia agendum in nomine Domini*, & non se illo baptizari putat baptismate, quo renatus est ex aqua & spiritu. Sermo enim, & opus Dei, cunctáque sacramenta diuina, manna sunt,

quod ſicut ſcriptum eſt, *habuit omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatem*, quódque ſicut pro deſiderio ſuſcipientium quondam factum eſt in ſaporem guſtantium, ita & hæc pro deuotione credentium fiunt cauſa oſtenſionum. Velut incarnatio Domini in ruinam & reſurrectionem multorum eſt, & crux eius, pereuntibus quidem ſtultitia eſt, credentibus verò in ſalutem virtus Dei eſt, & prædicatio ipſius aliis eſt odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam. & baptiſmatis ſacramentum, quod verbis ſollemnibus conſecratur, vt catholici doctores produnt, infidelibus eſt ludificatio, fidelibus autem redemptio. Si autem extra Domini inſtitutionem & Apoſtolicam fit traditionem, lauacrum eſt corporalium ſordium, non ablutio peccatorum. Veluti & ſanctus Auguſtinus de conſecratione corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti in libro contra Fauſtum dicit, Panis & calix non qualibet ſed certa conſecratione mixtus fit nobis, non naſcitur. Proinde quod non ita fit, quamuis ſit panis & calix, alimentum eſt refectionis, non ſacramentum religionis.] Et ipſa ſacramenta altaris deuotè ad ſe accedentibus vita, indeuotis iudicium, ſicut & panis vitam fortium roborat, paruulorum necat, & lenis ſibilus equos mitigat, catulos inſtigat, & ſol qui ceram liquat, lutum ſtringit, ſanis oculis lumen eſt, & lippientibus tenebræ. vtque venenum mors eſt homini, & vita ſerpenti, ſic & iſtud iudicium, firmiter & ritè credentibus oſtenſio veritatis, hæſitantibus autem & dubiis error inuoluens eſſe dinoſcitur. Quoniam ſicut Paulus dicit, *Eſt enim fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*, profecto liquet quia, exponente beato Gregorio, fides illarum rerum argumentum eſt, quæ apparere non poſſunt. Quæ etenim apparent, iam fidem non habent, ſed agnitionem. Sic in hoc diuino iudicio his, de quibus antea dubitabamus, diuina oſtenſione monſtratis, quæ corporalibus oculis videre non poſſumus, oculis fidei contemplantes credulitatem accommodare debemus. Sicut Thomas anteà dubitans, dum Dominum palpauit, aliud vidit, & aliud credidit. à mortali quippe homine diuinitas videri non potuit. Hominem igitur vidit, & Deum confeſſus eſt, dicens, *Dominus meus, & Deus meus*. Videndo ergo credidit, quem conſiderando verum hominem, hunc Deum quem videre non poterat exclamauit. Ita & veritatem rei, de qua dubitamus, quia corporalibus oculis videre nequibamus, diuinæ oſtenſioni credentes, veritatem quæ Deus eſt exclamando laudare debemus: cùm impleri viderimus quod dicit Apoſtolus, *Nolite iudicare ante tempus, quoaduſque veniat Dominus, qui & inluminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*. Venit quidem nunc Dominus ad inluminationem noſtrarum tenebrarum, vt cognoſcamus veritatem per manifeſtationem ipſius iudicij, qui venturus eſt ad manifeſtanda conſilia cordium in futuro iudicio. Hæc autem dicimus, non quo quemquam reprehendamus, quia nec ibi ſcriptum eſt, cur hoc

Sap.16.2. Lib.xx. cap.xiii. Heb.11.1. Hom.xxvi. Ioan.20.28 1.Cor.4.5.

iudicium non debeat fieri, sed tantummodò dictum ne fieret, aut nostra, quasi sapientiùs prolata, quàm alij inuenire ex sanctorum documentis præualuerint, siue præualeant, defendere satagamus. Vnusquisque enim in suo sensu abundat. Tantùm quilibet hoc cautè prouideat, vt à fide catholica & traditione Apostolicæ sedis non discrepet. Sed quæ sentimus humiliter proferentes, parati sumus, si quis conuenientiùs nobis ostenderit, sine contentione sano intellectui cedere, & libentissimè non modò consentire, quin etiam discere.



XL.

Ad Hildeboldum Episcopum Suessionensem infirmitate detentum. Quem iuxta petitionem litterarum confessionis illius absentem reconciliando absoluit.

Nunc primùm ex Codice S. Remigij Remensis.

HINCMARVS NOMINE NON MERITO Remorum Episcopus, ac plebis Dei famulus, carissimo filio & venerabili fratri nostro Hildeboldo mentis & corporis salutem tribui à Deo deposco.



VANDO confratres & coepiscopi nostri, Hodo & Rainelmus, Willebertus quoque, & Adalbernus atque Geroldus, & nouiter ordinatus Hadebertus, mecum Remi fuerunt, humilis ac sinceræ mentis tuæ confessionem relegi, & pro tua animæ & corporis salute per omnem nostram parochiam Domini misericordiam implorari poposci. Et quoniam fratrem nostrum Hodonem ad te iturum cognoueram, non putaui necesse fore vt tibi litteras mitterem, quia ipse & vnanimitate nostra, & ministerio Episcopali, ea quæ agenda sunt erga infirmum fratrem per se agere poterat. Sed quoniam presbyterum tuum ad me mittens eundem breuiculum confessionis tuæ mihi remisisti, petens vt absolutorias litteras tibi transmittam, quam deuotionem tuam gratanter suscepi. scio enim quia non in me bona merita quæ nulla sunt, sed virtutem ministerij immerito mihi commissi attendis. Et ideo per verba sancti Leonis executionem ministerij indignitatis meæ, & fidem tuam, ad Pontificem confessionis nostræ Iesum mitto. Ait enim idem sanctus Leo, quia aliter in Ecclesia Dei, quæ corpus Christi est, nec rata sunt sacerdotia, nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet. Qui licèt sit in patris dextera constitutus, in eadem tamen carne, quam sumpsit ex

virgine, ſacramentum propitiationis exequitur, dicente Apoſtolo, *Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt pro nobis, immo qui & reſurrexit, qui eſt in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, cuius miſericordiæ nec modum poſſumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confeſſio, dicente Dei ſpiritu per Prophetam, *Cùm conuerſus ingemueris ſaluus eris*, & alibi, *Dic iniquitates tuas prior, vt iuſtificeris*, & item, *Quia apud Dominum miſericordia & copioſa apud eum redemptio*, & ſanctus dicit Ambroſius, Beatus qui vel ſub ictu mortis auertit à vitiis. Beati enim quorum tecta ſunt peccata, quia ſcriptum eſt, *Deſine à malo & fac bonum, & inhabita in ſæculum ſæculi.* Quicumque ergo deſierit à peccatis, & fuerit ad meliora conuerſus, habebit ſuperiorum indulgentiam peccatorum, quæ fuerit vel pœnitendi confeſſus affectu, vel corrigendi auerſus ingenio. Quapropter ſicut principali ſententia conſtat, quia in multis offendimus omnes, vnde ingemiſcimus, ita principali ſententia conſolamur. quia ſi confiteamur peccata noſtra fidelis eſt & iuſtus, quin Ieſus Chriſtus, conditor & redemptor ac ſaluator noſter, quem habemus aduocatum iuſtum apud patrem, & eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & interpellat pro nobis, fideliter confitentibus nobis dimittit nobis peccata noſtra, & emundat nos ab omni iniquitate. Quibus animati diuinis ſententiis, frater & conſacerdos noſter Hildebolde, confitenti tibi peccata tua, per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ auctoritatis poteſtatem, quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus tradidit diſcipulis & Apoſtolis ſuis dicens, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*, & per eoſdem Apoſtolos ſuos ipſorum ſucceſſoribus, quorum vices licèt indigni tenemus, etſi non merito, tamen nomine atque officij ſuſceptione, eandem poteſtatem donauit, & in ſe credenti fideliter dixit, *Fiat tibi ſecundùm fidem tuam*, gratia & omnipotentia ſua, virtute ſancti Spiritus, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conſeruet in omni bono, & perducat te ad vitam æternam, & ad ſanctorum ſacerdotum conſortium Amen. Et quia, dulciſſime frater, tali infirmitate, ſicut ipſe noſti, detentus corpore ad te ire non poſſum, ſpiritu & deuotione ad te vado, & quod ipſe corporaliter erga te gererem, ſpiritu ago, & per comminiſtros ac compreſbyteros noſtros in te agi corporaliter poſco. mittens manu mea, ſecutus maiorum exempla, in manu iſtius preſbyteri oleum ſanctificatum, vt etiam obſequio meo per eius mentionem, Spiritus ſancti gratia, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, indulgentiam percipias omnium delictorum, & conſortium ſanctorum Epiſcoporum. Velut ex ſuperfluo denique, quoniam hæc te egiſſe non dubito, bonam deuotionem tuam commoneo, vt præter iſtam generalem confeſſionem, quæque ab ineunte ætate, vſque ad hanc in qua nunc degis, te commiſiſſe cognoſcis, ſpecialiter ac ſingillatim Deo

Rom. 8. 34.
Ioan. 20. 21.
Matth. 8. 13 & 9. 23.

& ſacerdoti ſatage confiteri. & dum vnumquodque erroris tui inquinamentum ſingillatim confiteris & defles, ſimul te de omnibus
Pſal.118. 136. actorum lacrymis mundes. Vnde dicitur per Prophetam, *Diuiſiones aquarum deduxit oculus meus.* Diuiſam quippe ex oculis aquam deducimus, quando peccatis ſingulis diſpertitas lacrymas confitendo exhibemus. Quæ ſingillatim de ſingulis ſemel ſacerdoti ſufficit confeſſio facta, ſi poſt hanc confeſſionem, & per ſacerdotale conſilium emendationem, non fuerint iterata peccata. Quotidie tamen de ſingulis ſingillatim cum gemitu vel lacrymis in oratione Deo eſt facienda confeſſio, vt ita confitens Domino cum Pſalmiſta dicere
Pſal.50.3. poſſit, *Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Si autem quiddam ſubreptum fuerit de his quæ per dignos pœnitentiæ fructus deleta ſunt, recurrendum eſt ad diuinum per
Apoc.2.5. beatum Ioannem conſilium, *Memor eſto vnde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Sed ſciendum eſt, quia tunc bona opera nos à culpis mundant & liberant, cùm perpetrata mala plangimus & abdicamus. Nam qui ſemper peccare vult, & quaſi ſemper bona agere, ſcire debet quia commixta prauis actibus opera bona animam
Pſal.50.19. non redimunt, quam à vitiis non compeſcunt. *Cor,* inquit, *contritum & humiliatum Deus non deſpicit.* Quiſquis enim peccata plangit, nec tamen deſerit, cor quidem conterit, ſed humiliare contemnit. quiſquis verò peccata ſua iam deſerit, nec tamen plangit, iam quidem humiliat, ſed conterere cor recuſat. Quotidiana autem leuiáque
Iac.5.16. peccata, ſecundùm Iacobi Apoſtoli hortamentum, alterutrum coæqualibus quotidie confitenda ſunt. Quæ quotidiana eorum oratione cum quotidianis piis actibus credenda ſunt mundari, ſi cum be-
Luc.11.4. nignitate mentis in Oratione dominica veraciter dicitur, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Frater cariſſime, de quotidiana communione corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti noli te ſecurare vt quotidie te illa non munias: quatenus per hanc communionem ſacramentorum eius vnum effectus cum eo, in quo princeps mundi veniens nihil ſuum inuenit, & fidelis in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis di-
Ioan.6.35. xit, *Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo,* ab omni hoſte munitus, ſecurus ad conditoris & redemptoris ac ſaluatoris tui præſentiam venias.



XLI.

AD HADRIANVM PAPAM.

Reſpondet ad ea quæ Pontifex de regno Lotharij, & de Hincmari nepotis cauſa mandarat.

Ex editione Pariſienſi.

DOMINO SANCTISSIMO ET REVERENTISSIMO patrum patri Hadriano, primariæ ſedis Apoſtolicæ & vniuerſalis Eccleſiæ Papæ, Hincmarus nomine non merito Remorum Epiſcopus, ac plebis Dei famulus.



EXCELLENTIÆ veſtræ auctoritas nuper XIV. Kalend. Nouembris IV. indict. mihi per legatos ſuos multis & magnis increpationibus repletam, ſicut ſibi placuit, miſit epiſtolam. De quibus, vt viri flagellis eruditi verbis vtar, quantum ad humanum ſpectat iudicium, *Non viro qui ſimilis mei eſt reſpondebo, nec* Iob 9.31. *qui mecum in iudicio poſſit audiri: nec eſt qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum ſuam in ambobus.* &, *Si locutus fuero, non quieſcet dolor meus,* Iob 16.7. *& ſi tacuero non recedet à me.* Propterea non ex æquo ad omnia, ſed ad quædam de his quæ ſcripſiſtis, de quibus tacere non audeo, breui & humili ſermone mihi eſt reſpondendum. Quia ſcripſiſtis me reminiſci debere, ſi vnquam epiſtolis non reſcriptum ſit, & conuenientibus reſponſis de negotiis, de quibus agebatur, Apoſtolicæ ſedi remiſſum, ſicut me pro veſtro contemptu feciſſe penitùs conſtat, quando nuper per viros miſſos in Galliarum partes epiſtolas tam mihi quàm aliis deſtinaſtis, & nullum inde reſponſum recepiſtis. Humiliter ſuggero, quia nunquam per contemptum à ſedis Apoſtolicæ præceptionibus deuiaui, & in veſtra epiſtola per commemoratos Miſſos veſtros, Paulum ſcilicet & Leonem venerabiles Epiſcopos, puſillitati meæ directa ſcripſiſtis quid inde agerem, ſed non ſcripſiſtis vt inde vobis reſcriberem. Verumtamen eiſdem Miſſis veſtris verbis reſpondi, pro viribus me iuſſionem veſtram executurum. Egi autem exinde quantum valui, & quantum mihi agendum eſſe videre potui, & quod me agere non poſſe vidi, ad poteſtatis veſtræ auctoritatem tractatione mea referre curaui, ſicut & vobis innoteſcendum cuius rei exitum & effectus certitudinem ſciui, quando præfatas increpatorias litteras mihi miſiſtis, parabam ſcilicet, quomodo ipſa die, quando epiſtolas veſtræ auctoritatis mihi Paulus & Leo venerabiles Epiſcopi dederunt, Regi & Epiſcopis, & regnorum pri-

moribus, qui tam de regno quod antea domnus Carolus habuit, quàm & de regno quod olim rex Lotharius habuit adfuerunt, relegi, & eis vt ita seruarent denuntiare curaui. His autem quidem Episcopis regni quod antea domnus Carolus habuit, detulerunt epistolam ad eos generaliter directam transmisi. Indéque Episcopis tam ex regno suo quondam Lotharij, qui in Attiniaco iussu ipsius domni Caroli regis conuenerunt, eandem epistolam relegi, & præfato domno regi Carolo, sed & Episcopis regni ipsius, & Episcopis regni dudum Lotharij, & Episcopis regni Ludouici, sed & ipsi Ludouico regi Germaniæ hanc schedulam quæ subsequitur, post iuramenta inter reges sine me facta, dedi. In qua sic auctoritatis vestræ præceptionem indixi, vt periculis imminentibus commemoratis, quomodo eis obuiare, & illa omnia penitùs & insimul commouere non poteram, relatione ad auctoritatem vestram, & si non resistentibus, vel mihi consulerem. Ipsa autem schedula, & regibus, & Episcopis, ac regnorum primoribus à me recitata & data, ita se habet, *Domnus Apostolicus Hadrianus, sicut multis est cognitum, & litteris suis, quas præ manibus habeo, exiguitati meæ dignatus est intimare, regibus & præsulibus ac regnorum primoribus in his Galliarum partium regionibus, & inter cetera auctoritate ministerij sui mandauit, vt regnum quondam ac regis Lotharij, quod domno Imperatori Ludouico spirituali filio eius hereditario iure debetur, & quod ad eum post mortem ipsius Lotharij rediet, vel homines in eo degentes, mortalium nullus inuadat, nullus commoueat, nullus ad se conetur inflectere. Quòd si quis præsumpserit, non solùm per suæ auctoritatis ministerium infirmabitur, verùm etiam vinclis anathematis obligatus, nomine Christianitatis priuatus, cum diabolo omninò locabitur. & si quis nostrûm de Episcopis tam nefariæ temeritatis auctorem vel tacendo fugerit, vel non resistendo consenserit, non iam pastoris, sed mercenarij nomine se nouerit censendum, & quia iam non pertinebit ad eum de ouibus, non pertinebit consequenter de pastoralibus dignitatibus. Quæ autem in epistolis ad Episcopos & regnorum primores regni quondam Lotharij directis contineantur, meliùs ipsi scitis, qui eas legistis. Audiui etiam quòd similes epistolæ, sicut domno nostro Carolo, & Episcopis ac primoribus regni ipsius directæ sunt, domno nihilominùs Ludouico regi glorioso, & Episcopis ac regni eius primoribus missæ sunt, quod vos qui de regno eius estis certiùs scitis. Mihi quoque exiguo Remorum Episcopo auctoritate sua domnus Apostolicus specialiter commendauit, vt vice sua tam reges, quàm ceteros Dei ac mundi ministros admonendo, suadendo, ac prohibendo à cupiditatis vel auaritiæ vitio, & vt aliena non suscipiant, atque regnum quondam Lotharij & homines in eo degentes non inuadant, comprimant & compescant. Sed & per multos & à multis audio, diuulgatum inter principes nostros, dominos scilicet ac reges gloriosos, mutuis sacramentis firmatum, vt inter eos, qui se dicunt ipsius regni heredes esse, æqua diuisio ipsius regni fiat. quæ firmitas si facta non fuisset, vt multi affirmant, iam seditio inter populos illis subiectos exorta fuisset. Et si ipsa firmitas executa*

non fuerit, prælia & seditiones, sicut iam fuerint post obitum domni Ludouici Imperatoris, inter eos exurgent, & maxima strages populi ac perditio animarum inde proueniet, quod postea emendari non poterit. Quapropter inter tanta & talia pericula, scilicet domni Apostolici præceptum negligere, & pactum iuramentis in nomine Domini & sanctorum eius inter reges nostros firmatum, dissoluendum iudicare, & seditiones populorum ac prælia paruipendere, & vt Ecclesiarum rectores ac viri nobiles, de multis partibus à paganis impetiti, & sine rege ac principe, nisi quem ipsi post mortem Lotharij pro sua quisque conuenientia elegerint, sicut fatentur, existentes, non debeant, vel sicut habent necessitatem, non habeant libertatem rectorem eligere, qui sanctam Ecclesiam, & eos atque Christianitatem in illo regno consistentem defendat & gubernet, dicere anxians sine generali vnanimitate Episcoporum regni domni Caroli, quibus domnus Apostolicus de causa regni Lotharij suam misit epistolam, quam eis, sicut mihi est præceptum, direxi, de his quæ præmisi, quantum ex me est, nulli definitioni audeo consentire, reseruato per omnia priuilegio sententiæ domni Papæ, cuius auctoritas, si aliquid de actis corrigendum fuerit, admonitione paterna corriget, & quæ stabilienda sunt poterit roborare. De hoc verò, quod mihi scripsistis, dicentes, *Quis meliùs te nouit, quòd filij quondam Ludouici Imperatoris, in vnum conuenientes, regnum inter se diuiserunt, iuréque iurando sibi inuicem promiserunt, vt nullus eorum regnum alterius fratris sibi vsurparet, aut omnino peruaderet, & tunc Carolus rex, iuramentis contemptis, illud regnum, quod Lothario Imperatore defuncto domino serenissimo Imperatori filio eius debetur, inuasit, & fidem debitam violauit?* Reuerentiæ vestræ debita humilitate respondebo, quoniam etsi ita esse, vt scribitis, scirem, cùm ipse rex Carolus ita esse non confiteatur, nec vel legali vel regulari iudicio inde conuictus appareat, & multis attestantibus fateatur hanc regni partem sibi à patre Ludouico Augusto, consensu tam Episcoporum, quàm ceterorum procerum totius Imperij traditam, & à fratre Lothario sacramento publicè confirmatam, sequendum tamen mihi arbitrarer quod præmisso iudicio dicit Africanum Concilium, Vt magis caueat Episcopus, Can. 100.
ne dicat in quenquam, quod aliis documentis conuincere non potest.] Vnde sanctus Augustinus, qui eidem Concilio interfuisse legitur, à Sede Apostolica, beato Cælestino docente, pro vita sua, atque meritis ac magna scientia inter magistros optimus habitus, in libro de Pœnitentia dicit, Plerique boni Christiani propterea tacent, & Homil. 50.
sufferunt aliena peccata quæ nouerunt, quia documentis sæpe de- cap. 3.
seruntur, & ea quæ ipsi sciunt indicibus Ecclesiasticis probare non possunt. Quamuis enim vera sint quædam, non tamen iudici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò à communione quemquam prohibere non possumus, quamuis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut aliquo siue seculari, siue Ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum. Quis enim sibi vtrumque audet assumere, vt cuiquam

ipse sit accusator & iudex? Cuiusmodi regulam etiam Paulus Apostolus in Epistola ad Corinthios breuiter insinuasse intelligitur, cùm quibusdam talibus commemoratis criminibus, Ecclesiastici iudicij
1.Cor.5.9. formam ad omnia similia ex quibusdam daret, ait, *Scripsi vobis in Epistola, non commisceri fornicariis*, & reliqua. & aliquanto pòst, *Si quis frater nominetur aut fornicator, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum quidem simul sumite. Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? nonne de his quæ sunt inter vos iudicatis? de his autem, qui foris sunt, Dominus iudicabit. Auferte malum à vobis ipsis.* Quibus verbis satis ostendit, non temerè aut quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione: & si per iudicium auferri non possunt, tolerentur potiùs, ne peruersè malos euitando, quisque ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam. Et item, *Si quis frater nominatur fornicator, aut raptor*, & reliqua. Eam, inquit, nominationem intelligi Apostolus voluit, quæ fit in quenquam, cùm sententia ordine iudiciario atque integritate profertur. Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpe falsò in quenquam crimen nominatur. Noluit enim hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potiùs ex lege Dei, secundùm ordinem Ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatum, atque conuictum.] Sunt enim leges, & canones, ac decreta Sedis Apostolicæ ex eisdem canonibus promulgata, quæ manifestant qualiter, & à quibus, vel vbi quis debeat accusari vel iudicari. de quibus sanctus
Cap.31. Augustinus in libro de vera Religione dicit, In istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent cùm eas instituunt, tamen cùm fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundùm ipsas.] Et sanctus Gelasius in decretis suis ad Orientales Episcopos, Ideo, inquit, vocatur ad iudicium certa quæcumque persona, vt aut fateatur obiecta, aut vincatur obiectis.]
2.Reg.12. Et iterum, Nathan Propheta palàm publicéque in facie regis Dauid & commissum pronunciauit errorem, & ipsum commissum non tacuit, & confessione correctum consequenter absoluit.] Et sanctus Bonifacius longè antè decreuit, Et accusatus præsens, si confidit, ad obiecta respondeat.] Non insurgendum ergo mihi est visum ad iudicandum illum, qui non confessus, aut in aliquo, siue sæculari, siue Ecclesiastico iudicio nominatus est atque conuictus: nec vtrumque fui ausus assumere, vt eius ipse forem & accusator & iudex. De eo quod sanctitas vestra exiguitati meæ scripsit, quia filui, & contra tale facinus saltem leuiter non insurrexi, non solùm consors, sed etiam quod est deterius, huius tyrannidis auctor ipse videor, cum venia & pace vestræ sublimitatis dico, quia ille qui fortè hac opinione, sed non cognitione, ad iniuriam & increpationem meam vobis suggessit, scire debuerat, vestræ auctoritatis grauitatem suffi-

cienter recolere quod ſcriptum eſt, *Cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inueſtigabam.* Et vt beatus dicit Gregorius, cùm omnia nuda & aperta ſint oculis Domini, tamen mala Sodomæ noluit audita iudicare, qui ait, *Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.* Omnipotens itaque Dominus & omnia ſciens, cur ante probationem quaſi dubitat, niſi vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum antè præſumamus credere quàm probare?] Nam vt veſtræ dignationi veraciter fatear, nec auctor, nec conſors, nec conſenſor vllius tyrannidis vnquam, vel vſque ab ipſis cunabulis hactenus extiti. Hæc qui vobis talia nuntiauit, adiuuante Domino, de me probare non valebit. Et quia non ſilui, & in annuntiando vel exequendo ea quæ mihi à veſtra auctoritate præcepta ſunt, pro ſcire & poſſe meo, deſes vel ſegnis non extiti, ſicut & antè ſcriptis oſtendi, & coram Miſſis veſtris viua voce monſtraui. De hoc quod dicitis, quia honore & dignitate ceteris Caroli regis regni Epiſcopis ſum ſublimior, ſuggero quia ſcientia & meritis inferiorem, & non dignitate ac honore loci priorem ceteris Metropolitanis me eſſe cognoſco. Quia ſicut Innocentius & Bonifacius, ac ceteri ſacræ Sedis Romanæ Pontifices in Decretis ſuis ex ſacris canonibus promulgatis dicunt, vnaquæque prouincia ſuo Metropolitano debet eſſe contenta. De hoc quod ſcripſiſtis, Vt ſi ipſe rex Carolus in obſtinationis ſuæ perfidia poſt meam conuentionem perſiſtere maluerit, quàm iuxta veſtra monita reſipiſcere, ab illius me communione atque conſortio ſequeſtrem, & ſecundùm Apoſtolum, *ne aue ei dicam*, ſi veſtræ communionis volo eſſe particeps, præſentiam eius modis omnibus deuitem, cum magno cordis dolore ac gemitu dico, quoniam & Eccleſiaſtici & ſæcularis ordinis viri, qui diuerſis de regnis Remis ciuitatem plurimi conuenerint, quos mandatum veſtrum ibidem mihi delatum, quia non debuit, latere non potuit, exiguitati meæ, qui quantum ſciui & potui ſemper Apoſtolicæ ſedis priuilegium extuli, improperando dixerunt & dicunt, Nunquam huiuſmodi præceptionem ab illa ſede vlli deceſſorum meorum miſſam fuiſſe, cùm inter reges ſacramentis etiam confœderatos, ſed inter patrem & filios, ac inter fratres prælia & ſeditiones eorum temporibus fuiſſe noſcantur. Et aliis peccatis meis reputo, me hac intentionis veſtræ comminatione ſingulariter ab auctoritate veſtra impetitum, cùm ceteros Epiſcopos regni ſui, confratres ſcilicet & conſacerdotes meos, tantùm monueritis, increpueritis, redargueritis & inſtruxeritis, non tamen, ſicut me, illos de participatione communionis veſtræ intentando comminari voluiſtis, nec etiam eos, qui, vt quidam dicunt, Regem noſtrum in regnum quondam Lotharij pro ſua neceſſitate inuitauerunt, & honores ex eodem regno obtinuerunt; neque illos, qui regibus & regnorum primoribus, ſicut

Iob 29. Moral. xix. cap. 14. Gen. 18. 2. Ioan.

ego, vestram præceptionem & de ipso regno interdictionem non intimauerunt, & ex aduerso ascendentes non restiterunt, vt ego, qui secundùm quod potui iussionem vestram perficere procuraui, & nihil emolumenti, & quantum passus est pedis in rebus, cùm plures ex Ecclesia mihi commissa diuturnis temporibus abstractæ in eodem regno habeantur, nec aliud quodcumque commodum, nisi impedimenta & dispendia sim adeptus. Sed & domno nostro regi Carolo ad exaggerationem dicitur à quibusdam, quòd nec pro Lothario, sicut multorum certa notitia, & infantes inde geniti protestati sunt, publico adulterio denotato, & apud sedem Apostolicam accusato, in cuius parte regni non solùm pars diœcesis, verùm & pars parochiæ meæ coniacuit, talem præceptionem & comminationem ab antecessore vestro nullus Episcoporum in isto regno acceperit, nec etiam ab hæreticorum, vel schismaticorum, siue tyrannicorum Imperatorum ac regum, quales fuerunt Constantius Arrianus, ac apostata Iulianus, & Maximus tyrannus, præsentia & salutatione siue collocutione, sedis Apostolicæ Pontifices, vel alij magnæ auctoritatis atque sanctitatis Episcopi, cùm locus & ratio ac causa exigit, se subtraxisse leguntur. Et si, aliis Episcopis Regi nostro communicantibus, ego me ab illius communione vel præsentia subtraxero, di-
Can.100. cunt secundùm Concilium Africanum, quamdiu illi non communicauero, vt mihi ab illis non communicetur Episcopis. Præsertim cùm ipse Rex se periurum esse deneget, se inuasorem alterius & non ad se pertinentis regni diffiteatur, se tyrannum non esse confirmet, se hæreticum vel schismaticum, quibus Apostolus nec aue à quoquam dici præcepit, non esse confiteatur: sed confessione rectæ fidei, & amplexione Ecclesiasticæ pacis, se catholicum & in pace Ecclesiastica manere & permanere velle demonstret: & secundùm leges ac canones, præsens in iudicio, aut ad obiecta respondere, aut obiectis conuinci, se non refugere dicat. Et, vt de regia persona, inquiunt, reticeamus, nec sicut quemlibet plebeïum vel liberi capitis virum, in istis regionibus, secundùm Ecclesiasticas regulas, & secundùm leges publicas, illum accusatum, vel sponte confessum, aut legaliter ac regulariter apertè conuictum audiuimus. Sed in libris illa satis notissima ad legendum oculis ingerunt. qualiter proauus suus Pipinus à Stephano ipsius auxilium petente, & pro liberatione Romanæ Ecclesiæ in Galliam veniente, in regem sit vnctus, cùm adhuc degeret Romana Ecclesia sub nomine & non auxilio defensionis Græcorum Imperatoris, & idem Pipinus non excommunicatione Apostolica, sed virtute hostili, Haistulfum qualemcumque regem Christianum oppressit, & Italiam domuit, atque iustitias sancti Petri obtinuit. Similiter & quæ auus eius Carolus temporibus Hadriani & Desiderij regis Longobardorum egerit, & quomodo patriciatum Romanum suscepit, quomodo etiam temporibus Leo-

nis Papæ nomen Imperatoris adeptus fuit, & quæ in Italia, & quanta erga Romanam Ecclesiam fecerit. & quomodo Stephanus in Belgicam veniens, & Remi patrem suum Imperatorem coronans sacrauerit, & quomodo Gregorius subreptus cum Lothario patre suo repugnante in Franciam venit, & pax posteà in Francia vt anteà non fuit, & ipse Papa cum tali honore sicut decuerat, & sui antecessores fecerunt, Romam non rediit. Et computant quanta iste ab Episcopis & populo, qui regem non habebant, & à paganis & seditiosis impetebantur, in regnum quod Lotharius habuit inuitatus exordinata ordinauerit: & dicunt sæcularem scripturam dicere, quia omne regnum sæculi huius bellis quæritur, victoriis propagatur, & non Apostolici vel Episcoporum excommunicationibus obtinetur. & scripturam diuinam proponunt dicere, *Quia Domini* Psal.21.
est regnum, per quem reges regnant, & cui voluerit dat illud, ministerio Prou.8.
Angelorum & hominum. Quibus cùm verba beati Iacobi Apostoli opponimus dicentis, *Vnde bella & lites inter vos? Nonne hinc?* id Dan.4.
est, *ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Litigatis &* Iacob.4.
belligeratis, & non habetis, propterea quod non postulastis. Et ideò, *quia Domini est regnum, & per eum reges regnant*, ab illo regnum postulare debetis. qui litigatis & belligeratis pro temporali gloria, cùm, si Dominum pia intentione postularetis, ipse vobis necessaria ad vsum temporalem & ad fruendum perpetuò superna bona tribueret. Et cùm potestatem à Christo sancto Petro primo Apostolorum, & in eo suis successoribus datam, sed & Apostolis, & in eis Episcopis, pontificium ligandi & soluendi collatum illis insinuare volumus, respondent, Et vos ergo solis orationibus vestris regnum contra Normannos & alios impetentes defendite, & nostram defensionem nolite quærere: & si vultis ad defensionem habere nostrum auxilium, sicut volumus de vestris orationibus habere adiutorium, nolite quærere nostrum dispendium, & petite domnum Apostolicum, vt quia rex & Episcopus simul esse non potest, & sui antecessores Ecclesiasticum ordinem quod suum est, & non rempublicam, quod regum est, disposuerunt, non præcipiat nobis habere regem, qui nos in sic longinquis partibus adiuuare non possit contra subitaneos & frequentes paganorum impetus, & nos Francos non iubeat seruire, quia istud iugum sui antecessores nostris antecessoribus non imposuerunt, & nos illud portare non possumus, qui scriptum esse in sanctis libris audimus, vt pro libertate & hereditate nostra vsque ad mortem certare debeamus. Et si aliquis Episcopus aliquem Christianum contra legem excommunicat, sibi potestatem ligandi tollit. & nulli vitam æternam potest tollere, si sua peccata illi eam non tollunt. Et non conuenit vni Episcopo dicere, vt Christianum, qui non est incorrigibilis, non propter propria crimina, sed pro terreno regno alicui tollendo, vel acquirendo nomine Chri-

ſtianitatis debeat priuare, & eum cum diabolo collocare, quem Chriſtus ſua morte & ſuo ſanguine de poteſtate diaboli venit redimere, & Chriſtianos pro fratribus ſuis animas ſuas docuit ponere. Propterea ſi domnus Apoſtolicus vult pacem quærere, ſic pacem quærat, vt rixam non moueat, quia non nos concredemus, vt aliter ad regnum Dei peruenire non poſſimus, ſi illum, quem ipſe commendat, terrenum regem non habuerimus. Et alia de iuramentis, & periuriis, & de tyrannide, de quibus ſcripſiſtis, ſed & de firmitatibus, quæ inter reges noſtros factæ fuerunt, & de ſeditionibus quæ pro illo regno exortæ fuerunt, & ad internecionem multorum peruenirent, niſi ipſæ firmitates executæ fuiſſent, nobis dicunt, quæ veſtræ auctoritati mandare nobis non conuenit. Quapropter, quomodo ipſius regis, in cuius regno parochia & prouincia mea conſiſtit, & eorum qui cum eo degunt, ſine animæ periculo, & mihi commiſſæ Eccleſiæ detrimento, conſortium vel præſentiam valeam deuitare, non video, cùm beatus Auguſtinus in præfato libro de Pœnitentia dicat, *Scripſi vobis*, inquit Apoſtolus in epiſtola, *non commiſceri fornicariis*, non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut raptoribus, aut idolis ſeruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exire. Non enim poſſunt homines in hoc mundo viuentes, niſi cum talibus viuere, nec eos lucri poſſunt facere Chriſto, ſi eorum colloquium conuiuiúmque vitauerint. Vnde & Dominus cum publicanis & peccatoribus comedens, *Non eſt*, inquit, *opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Et paulo pòſt, Quibus ſatis oſtendit, non temerè & quomodolibet, ſed per iudicium auferendos eſſe malos ab Eccleſiæ communione, & ſi per iudicium auferri non poſſunt, tolerentur potiùs, ne peruersè malos euitando, quiſquam ab Eccleſia ipſe diſcedens, eos quos fugere videtur vinciat ad gehennam. Quia & ad hoc nobis ſunt in ſcripturis exempla propoſita, vel in meſſe, vt paleæ ſufferantur vſque ad vltimum ventilabrum, vel infra illa retia, vbi piſces boni cum malis vſque ad ſegregationem, quæ futura eſt in littore, hoc eſt, in fine ſæculi, æquo animo tolerentur.] Et item idem ex ſententia Pauli, Duobus modis non te maculat malus, ſi non conſentias, & ſi redarguas: hoc eſt non communicare, non conſentire. Communicatur quippe, quando facto eius conſortium voluntatis & approbationis adiungitur. Hoc ergo admonens nos Apoſtolus ait, *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum*, Et quia parum erat non conſentire, ſi ſequeretur negligentia diſciplinæ, *magis autem*, inquit, *& redarguite*. Videte quemadmodum vtrumque complexus eſt. *Nolite communicare, magis autem & redarguite.* Quid eſt, *nolite communicare?* Nolite conſentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid eſt autem, *magis & redarguite?* Reprehendite, corripite, coercete.] Hoc enim ſecundùm præceptionem veſtram verbis & ſcriptis egi ſæpiſſimè.

1. Cor. 5.
Matth. 3. Luc. 5.

ſimè. Et in epiſtola Concilij ad Donatiſtas, idem doctor ſolertiſſimus dicit, Quiſquis, inquit, in hac Eccleſia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata: quia vnuſquiſque in ea proprium onus portabit, ſicut Apoſtolus dicit, & quicumque in ea corpus Chriſti manducauerit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Cùm autem dicit *iudicium ſibi manducat*, ſatis oſtendit, quia non alteri iudicium manducat, ſed ſibi: quia communio malorum non maculat aliquem participatione ſacramentorum, ſed conſenſione factorum. Nam ſi in factis malis non eis quiſquam conſentiat, portat malus cauſam ſuam, & perſonam ſuam, nec præiudicat alteri, quem in conſenſione mali operis ſocium non habet criminis.] Et in primo libro De baptiſmo dicit, Spirituales, ſiue ad hoc ipſum pio ſtudio proficientes, non eunt foris, quia & cum aliqua vel peruerſitate, vel neceſſitate hominum videntur expelli, ibi magis probant quàm intùs permaneant, cùm aduerſus Eccleſiam nullatenus eriguntur, ſed in ſolida vnitatis petra fortiſſimæ caritatis robore radicantur. Ad hoc enim pertinet quod in illo Abrahæ ſacrificio dicitur, *Aues autem non diuiſit.*] Igitur qui me à ſolida vnitatis catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ petra non diuido, & ſicut noſtis ſcriptis, & etiam præſentibus veſtris Miſſis, adeò ex veſtra iuſſione verbis reſtiti Regi, ac regnorum primoribus, vt & coram eiſdem Miſſis comminaretur mihi, quoniam ſi in mea ſententia permanerem, ad altare Eccleſiæ meæ cantare poſſem, de rebus verò & hominibus nullam poteſtatem haberem, à veſtra communione non debeo ſeparari aliorum factionibus, quorum, quantum ex me eſt, non communico quæcumque ſunt tenebroſis operibus. *Qui*, inquit Dominus, *peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* &, *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur.* Sed & in peccantibus, vt bene noſtis, & beatus dicit Gregorius, cauſæ penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſoluendi poteſtas exercenda. Quæ poteſtas, vt Leo dicit, in alios Apoſtolos, & ad omnes Eccleſiæ principes commeauit: ſed ideò ſingulariter Petro creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipſius fertur æquitate iudicium: nec nimia eſt vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nihil eſt ligatum, nihil ſolutum, niſi quod beatus Petrus aut ligauerit, aut ſoluerit. Qualiter etiam frater & ſacerdos noſter Odo Beluacenſis Epiſcopus, mecum pro obtemperandis veſtris iuſſionibus laborauerit, iidem legati veſtri vobis innoteſcere poſſunt. Sed & aliæ comminationes in nos ſunt iaculatæ, quas adhuc nolo proferre, quáſque ſcio, ſi Dominus illis permiſerit, vt iam in deliberatione, ita ſine retractatione comminantes in opere monſtrare curabunt. Et vt mihi experimento videtur, propter meam interdictionem, vel propter linguæ humanæ gladium, niſi alius eis obſtiterit, rex veſter vel regni eius primores non dimittent, vt quod cœperint quantum poterunt non exequantur. Et

Epiſt. CLII Auguſtini.

Cap. XVII.

Geneſ. 15.

Ezech. 14. & 18.

nescio quomodo ipsius Regis, vel inter quos habito, præsentiam & communionem vel consortium valeam deuitare, cùm Rex & cohabitantes mecum vnà cum Rege, non solùm in parochiam, verùm & in ciuitatem meam sæpè conueniant, & ibi tamdiu sicut Regi complacet degant, & cum tanta multitudine, tam de regno quod anteà habuit, quàm & de regno quod Lotharius habuit, nec non de aliis regnis ad eum confluentibus, sicut Missi vestri viderunt, & hoc quàm sæpè illi videtur, in ciuitate mea sustineo, qui Ecclesiam & plebem mihi commissam deserere, & aliorsum vt mercenarius non valeo fugere, nec quò extra regnum eius fugiam habeo: sed regio cultu eo recepto, de Ecclesiasticis facultatibus, sicut præcipit, & quandiu præcipit, illi & sibi obsequentibus seruio, vt quietè, secundùm quod instat tempus, cum mihi commissis degere possim. Dicit enim hanc potestatem suos decessores habuisse, quam ipse nullius interdictione dimittet. Quæ omnia suprà & infrà dicta, sicut non ad accusandum, sic nec ad excusandum in aduocatione præfati Regis depromo, ætatem enim habet, ipse de se loquatur, neque ad resistendum vestræ auctoritati, neque ad contradicendum vestræ præceptioni, sed consulendum qualiter nos Episcopi, & ego præcipuè, in quem tantam comminationem intentastis, erga Regem nostrum gerere debeamus, cùm beatus Augustinus Apostoli exponens sententiam dicat, Apostolica, inquit, doctrina, vt omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, & vt reddantur omnibus omnia, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, & cetera, saluo Domini nostri cultu, constitutionis humanæ principibus reddamus, quando & ipse Dominus, vt nobis huius sacræ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis, quo erat indutus, tributum soluere non dedignatus est. Iubentur etiam serui Christiani & fideles boni dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque seruire, quos iudicaturi sunt, si vsque in finem iniquos inuenerint, aut cum quibus regnaturi sunt, si & illi ad verum Deum conuersi fuerint. Omnibus tamen præcipitur seruire humanis potestatibus atque terrenis, quo vsque post tempus præfinitum, ab istius sæculi confusione, tanquam de captiuitate Babyloniæ, sicut Hierusalem liberetur Ecclesia. Ex cuius captiuitatis occasione, si etiam terreni reges, desertis idolis, pro quibus persequebantur Christianos, vnum verum Deum & Christum Dominum
1.Tim.2. cognouerint & colant, pro quibus Paulus Apostolus iubet orare Ecclesiam, cùm persequerentur Ecclesiam, vt securam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & castitate, sicut & ille populus in Babyloniam ductus per Hieremiam iubetur orare pro rege Baby-
1.Pet.2. loniæ, & beatus Petrus dicit, *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Dominum, siue regi, quasi præcellenti.* & item, *Dominum timete, regem honorificate.* Omni humanæ creaturæ, inquit doctor sagacissimus, omni dignitati hominum, omni personæ, omni prin-

cipatui, cui vos diuina dispositio subdi voluerit.] Hoc est enim quod ait *propter Dominum, quia non est potestas, nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et item sanctus Augustinus in sermone Euangelij Ioannis, Leguntur, inquit, leges manifestæ, vbi præceperunt Imperatores, eos qui præter catholicæ Ecclesiæ communionem vsurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Sed quid, inquiunt, nobis & Imperatori? Sed iam dixi de iure humano agitur: & tamen Apostolus voluit seruiri regibus, voluit honorari reges, & dixit *Regem reueremini.* Noli dicere, quid mihi & regi? noli dicere possessiones tuas, qui & ipsa humana iura renuntiasti, quibus possidentur possessiones.] Et si per iura regum possidebunt possessiones, non possunt vt regi de Ecclesiasticis possessionibus obsequium non exhibeant, sicut antecessores mei suis antecessoribus exhibuerunt. Quapropter, domne pater reuerentissime, consulite secundùm priuilegium sedis vestræ subiectioni nostræ, ne talia nobis cuiuscumque suggestione mandetis, vnde inter Episcopalem auctoritatem & regalem potestatem, inter Ecclesiam & rempublicam tantum scandalum possit oriri, quod facilè ac sine dispendio religionis, vel detrimento Ecclesiasticarum rerum, vnde serui & ancillæ Dei debeant nutriri, & Ecclesiastica negotia contineri, postea non possit sedari, quia sicut Abraham dixit ad Dominum, *Absit hoc à te Domine, non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram.* Et hanc meæ subiectionis humillimam suggestionem ea benignitate suscipite, qua primus Apostolorum non solùm minoris sui Apostoli redargutionem pro simulatione suscepit, verùm & minorum suorum quæstionem, cur ad præputiatos intrauerit, satisfacere ac lenire curauit. Epistolam autem generaliter Episcopis regni domni nostri Caroli à vobis directam quantociùs potui Metropolitanis regni sui direxi, vt & ipsi per suos Coepiscopos illam transmittant, quatenus scientes præceptionem vestram, quod iubeatis exequi studeant. Vestra denique auctoritas misit mihi præterito anno epistolam, per missum Coepiscopi nostri Hincmari, præcipientem vt oris mei officio Nortmannum, qui res Ecclesiæ Laudunensis inuaserat, excommunicarem. Sed ipse Nortmannus, sicut manifestum est, multis in istis regionibus, in quibus Leges & canones exortas causas agitari & definiri præcipiunt, res ipsius Ecclesiæ non inuasit, ex quibus quasdam idem Hincmarus Episcopus domno regi Carolo, sine meo & Coepiscoporum ac comministrorum suorum consensu concessit, vt eas Nortmanno beneficiaret, sicut plurimi sciunt, & in scriptis suis domno Regi, & mihi directis fatetur. Quas siquidem res nuper domnus Rex Ecclesiæ Laudunensi restituit. quasdam etiam res prædictus Episcopus filio Nortmanni sibi commendato in beneficium dedit,

Rom. 13. Serm. VI. Genes. 18.

quas ab eo receptas tenet. Præterea si vestræ complacet auctoritati, quando talia & huiusmodi ad vos veniunt, & inde præcipere postulamini, interponite si ita est vt vobis innotuit, quatenus saniùs vestra iussio iustè & rationabiliter ponderata valeat exequi. Et Metropolitanus qualiscumque, qui secundùm sacros canones excommunicationes intentatas à prouinciali Episcopo, si inde ad me venerit proclamatio, debeo retractare, si vestro benigno sedet animo, in obsequium illius parochianum suum iuberi non debeo excommunicare. Alteram siquidem mihi pro negotio ipsius Hincmari direxistis epistolam dicentes, Miranda est planè vestra fraternitas, quare ministerio iuris Episcopalis in regionibus illis abutitur, & multorum caritas abundante nequitia refrigescere dicitur. Hincmarus namque nepos & æquiuocus tuus venerabilis duntaxat Episcopus, sicut audiuimus, non minima in sua Ecclesia sustinet detrimenta, sed vobis vt ita dixerim tepescentibus, nullam consolationem potuit inuenire.] Vnde humiliter auctoritati vestræ rescribo, quomodo, vt scriptum est, sicut audio iudico, & vos sicut audistis scripsistis, sed qui vestræ sanctitati hæc verbis vel litteris intimauit, mendacium vobis dixit. Plurimùm enim pro eo & apud Regem & apud alios laboraui. sed & à præcedentibus annis, sicut multis est notum, ab eo plurima suffero, & timeo ne in scripturæ sententias incidat quibus dicitur, Prou. 28.14 & 16.5. *Qui mentis est duræ corruet. abominatio enim Domino est omnis arrogans*, Matt. 23.12. Et, *Qui se exaltat, humiliabitur.* Et sicut illa, de quibus mihi pro eo scripsistis, mendaciter dicta sunt, etiam aliquis vobis suggessit quòd eum ire Romam prohibuerim, vel dissuaserim, mendacium vobis nihilominus dixit, sicut & plures in istis regionibus sciunt, & scriptis ad eum sæpe directis possum ostendere. De eo quod pusillitati meæ vestra rescripsit sublimitas, vt eundem Hincmarum, & alios tres Episcopos omnium Episcoporũ regni domni Caroli vicem ferentes ad Synodum Romam mitterem, vestra sciat auctoritas, quia nec prædictum Hincmarum, nec etiam quemlibet Episcoporũ Diœceseos Remorum, minimè autem aliarum Prouinciarum Episcopos, nisi domnus Rex illis præceperit, Romam, vel in aliquam partem, mea commendatione mittendi habeo potestatem, nec ipse ego vltra fines sui regni absque illius scientia progredi valeo, sicut Missis vestræ sanctitatis coram Odone venerabili Episcopo, & Ansegiso religioso presbytero & Abbate, quibus nostræ causæ sunt cognitæ, dixi. Epistolam quoque, sicut mihi scripsistis, domno nostro regi Carolo à vobis directam, & à me dandam pro Hincmaro, quæ vt coram illo relegeretur, & quod in ea petebatis impleret me instare iussistis, frater Hincmarus mihi non dedit, nec etiam misit, sed sicut audiui, à Remigio & Harduiro Archiepiscopis aliarum prouinciarum eam Regi dari obtinuit. Deus omnipotens sanctitatem vestram, ad honorem sanctæ sedis, & correctionem sanctæ suæ Ecclesiæ, in suo apto ser-

uitio per annorum multa curricula conseruare dignetur, domine sanctissime & reuerentissime patrum pater in Domino.



XLIII.

CAROLI CALVI REGIS NOMINE AD HADRIANVM PAPAM.

Binis cuius litteris exasperatus, ad vtrasque commotiore aliquantùm animo respondet.

Ex editione Parisiensi.

SANCTISSIMO AC REVERENTISSIMO PATRI Hadriano summo Pontifici & vniuersali Papæ, Carolus Dei gratia rex & spiritualis filius vester.



LEGIMVS in libro Paralipomenon, filios Israël mente pacifica iuisse ad prælium, quia non liuoris vindicta, sed obtinendæ pacis gratia dimicauerunt. Quod rursum dicimus, quia cogitis nos indecentibus potestati regiæ litteris vestris inhonoratum, inconuenientibus Episcopali modestiæ vestræ mandatis grauatum, contumeliis & opprobriis dehonestatum, aliter quàm vellemus mente pacifica vobis rescribere: vt tandem animaduertatis, quamquam perturbationibus humanis obnoxium, in imagine tamen Dei ambulantem esse nos hominem, habere sensum paterna & auita successione, Dei gratia, regio nomine ac culmine sublimatum, & quod his maius est Christianum, catholicum fidei orthodoxæ cultorem, sacris litteris ac legibus, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, ab infantia eruditum, nullo crimine publico in audientia episcopali legaliter ac regulariter accusatum, minimè autem conuictum. Et, vt quæ superaddere poteramus alia taceamus, ne nos potiùs iactare, quàm vera dicere videamur, licèt legamus Apostolum plura de se dixisse ob aliorum salutem necessitate compulsum, quoniam sæpè humiliter vobis locuti, benigna & pacifica atque honorabilia nobis scripta impetrare nequiuimus, vt quietem pacis & venerationé, quam apud antecessores vestros nostri decessores & nos habuimus, quoquomodo obtinere possemus, scripsimus vobis per Actardum Episcopum, & mansuetudinis nostræ legatum, singillatim ac viritim quàm inconuenientia pro Hincmaro quondam Laudunensi Episcopo ex nomine vestro nobis scripta fuerunt: quæ nos à vobis processisse non credebamus, putantes nos ratione comperta ab incompe-

tentibus, quæ aliorum instinctu nobis eatenus scripta fuerunt, calamum reuocare. Sed spe vana frustratis aliter nobis quàm sperabamus euenit. In capite quippe litterarum, quas per præfatum Actardum Episcopum nobis vestra direxit paternitas, auditam laudabilem caritatis & sapientiæ nostræ magnitudinem vos prætulisse inuenimus, & mox de comperto murmure & tumultuoso clamore indebitæ reprehensionis aduersus paternitatem vestram nos denotatos reperimus: sicque auditam nostram sapientiam collaudastis, vt quasi honestiùs, & reuera onustiùs, nos solitis contumeliis afficere volueritis, quem non per insipientiam, sed per industriam in murmuratione & clamore contra debitam caritatem delinquere demonstrabatis, & quasi ad ora vasculi melle illiti, & de eodem fonte, quo & antè missæ, litteræ istæ posteriores nobis perniciosum poculum propinauerunt, fatentes illa, quæ aliorum instinctu & non à vobis processisse credebamus, vestra fuisse.

Nam in præcedentibus litteris nos periurum, tyrannum, ac perfidum, & distractorem rerum Ecclesiasticarum, non confessum, nec ordine iudiciario legaliter ac regulariter conuictum, vocastis: in istis autem murmurationis crimen nobis impegistis, & tumultuosi clamoris næuum imposuistis, arguente Domino carnalem Israel per Prophetam, vnde nos coarguitis, *Quia non fecerit iudicium, sed clamorem.* & Apostolus, *Omnis*, inquit, *clamor & indignatio tollatur à vobis.* (Ephes. 4.) Et non leuius malum est murmuratio his quibus nos antea denotastis, dicente Apostolo, *Neque murmuraueritis, sicut quidam illorum murmurauerunt, & à serpentibus perierunt.* (1. Cor. 6.) Et, vt beatus dicit Gregorius, Nullus murmurans regnum Dei intrare permittitur. Hinc colligendum est, quantum peccatum sit mumuratio, quæ regnum Dei intercludit, sicut & illa peccata grauia, post quorum enumerationem dicit Apostolus, *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* (Gal. 5.) Et non, vt scripsistis, tumultuoso clamore paternitatem vestram indebitè reprehendimus, sed quæ nobis ex vestro nomine scripta fuerunt, non multorum vocibus, quibus tumultus fieri solet, sed nostra tantùm voce rescripsimus. Et quoniam talia vos misisse, & à sancta Romana Ecclesia, in omnibus semper discretissima atque cautissima, dictata fuisse nequaquam credidimus, quia ipsa sancta Sedes cum modestia & discretione semper corripere & salubriter corrigere secundùm vniuscuiusque personam & ordinem solita fuit, suggessimus. Igitur si malè locuti sumus, testimonium perhibete de malo, si autem bene, quid nobis succensetis? Scriptum est, Abraham licet sanctum, vt à Deo sanctificatum hominem, tamen eidem Deo dixisse, *Num perdes iustum cum impio? non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram.* (Gen. 18.) & non ingratè hoc Dominum suscepisse. Et nos arguitis, quoniam humili placatione vobis suggessimus, non esse vestrum, non confesso, nec legaliter ac regulariter conui-

cto, regia etiam potestate gratia Dei prædito, talia sicut plebeio & de criminibus confutato, scribendo impingere? scientes, quàm graue sit fratri, quod nobis impactis minus est, dicere fatue, nullique detrahendum, vel contra fas maledicendum, minimè autem regi, vt Apostolica doctrina, atque sancti Dauid in Saulis iam à Domino reprobati reuerentia, & Salomonis sapientia, ac Nabuthæ prodit historia.

Inuenimus etiam in eisdem litteris nobis datum consilium, si fortè dici potest consilium, quod est Domini exemplo contrarium, & decretis sanctorum inuenitur aduersum: scilicet, vt verbis vestris dicamus, omnia quæ à sede Apostolica, cui per Dei gratiam præsidetis, directa sunt, alacri mente percipere. Scriptum est enim nobis ex vestro nomine, nos periurum, tyrannum, ac perfidum, & distractorem rerum esse Ecclesiasticarum. Et hæc alacri mente percipere, animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere? Nisi scriptor fortè velit nos cum vulgo Æthiopes vocare argenteos, & ideo quis nobis pulcher videatur, quia nomine bellus vocatur, & sibi cantare cum Persio, *Quicquid calcaueris rosa fiat*, illúdque Propheticum incurrere, *Væ his qui ponunt* Esa.5. *amarum in dulce*, cùm Dominus dicentibus ad se Iudæis, *Nonne bene* Ioan.8. *dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* quod re cognouit, tacendo consensit, & patienter repulit quod dictum fallaciter audiuit, dicens, *Ego dæmonium non habeo*. Cuius pro modulo nostro in hoc exemplum secuti, qui non dedignatus est ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iustificare, de his quæ in nobis non recognouimus, humiliter & patienter apud paternitatem vestram nos excusauimus, ne si penitus taceremus, tales, quales denotabamur, tacendo & consentiendo esse nos fateremur, & quasi confessi & nostra confessione conuicti iudicaremur.

Et hoc hortamentum, quod in litteris ex nomine vestro ab Actardo Episcopo nobis delatis inuenimus, scilicet, vt omnia, quæ à sede Apostolica nobis veniunt, humili semper debeamus intentione recipere, non solùm, vt præmisimus, Euangelicæ veritati, sed etiam decretis sanctorum inuenitur aduersum. In quorum decretis legimus, eum absolui non posse, qui in seipsum dixerit mortis causam, quæ dicta in alium puniretur, falsum videlicet testimonium, cùm omnis, qui sibi fuerit mortis causa, maior homicida sit. Et hinc decreuerunt, Vt quicumque sub ordinatione, vel diaconatus, vel Conc Val. presbyterij, vel Episcopatus, mortali crimine dixerint se esse pollu- can 4. tos, à supradictis ordinationibus submouendos.] Et nos, si ad talia nobis impacta tacendo consentiremus, non solùm à regimine regio, verùm & à catholicæ Ecclesiæ communione nos ipsos sequestraremus. Non igitur talia nobis ex parte sedis Apostolicæ & nomine

vestro scripta, mente alacri percipere, & animo grato amplecti, & humili semper debemus intentione recipere, quæ, sicut in eisdem
Ecclesi.12. litteris ex sententia sapientis Salomonis subiungitur, *Quasi stimuli, & sicut claui in altum defixi esse viderentur*, quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. Cui sententiæ item Sapientis verba
Ecclesi.11. referimus, quibus dixit, *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam, & cùm interrogaueris*, id est, probaueris, *corripe iustè*, sicut Nathan
2.Reg.12. 2.Reg.7. Dauid regem priùs interrogauit, & interrogatione probatum corripuit: & cùm causa correptionis defuit, humiliter adorauit, veluti in sacra historia legimus. Mandate & scribite, quæ vestro & nostro ministerio congruunt, vt decessores vestri nobis & nostris decessoribus mandauerunt, atque scripserunt, & alacri mente, gratóque animo recipiemus.

Litteræ autem ex nomine vestro semper sine interrogatione, id est, sine probatione nos pungunt, & peccata, pro quibus inuitum pungunt, sponte confessa, vel ordine iudiciario legaliter ac regulariter comprobata non ostendunt: & cùm peccata manifesta & probata desint, fomentis benignæ adhortationis & allocutionis non refouent: reprehendente hinc Domino populorum rectores asperos,
Ezech.34. atque dicente, *Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Quibus Apostolus regulam dedit commonitionis, singulis dicens,
2.Tim.4. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* misceas temporibus tempora, terroribus blandimenta. Dirum magistri, pium patris ostendentes affectum, id est, indisciplinatos & inquietos debent duriùs arguere, obedientes autem ac patientes, vt in melius proficiant obsecrare, negligentes autem & contemnentes debent vtique increpare atque corripere, & de criminalibus peccatis, aut vltro confessos, aut ordine iudiciario comprobatos atque conuictos, secundùm
Homil.2. De Pœnit. cap.4. modum culpæ legaliter ac regulariter iudicare. Noluit Apostolus, inquit beatus [Augustinus, hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potiùs ex lege Dei secundùm ordinem Ecclesiæ, siue vltro confes-
1.Cor.6. sum, siue accusatum atque conuictum. Alioquin illud cur dixit, Si quis frater nominatur, aut fornicator, aut idolis seruiens, & cetera? nisi quia eam nominationem intelligi voluit, quæ fit in quemquam, cùm sententia ordine iudiciario atque integritate profertur. Nam si nominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes: quia sæpè
Paulo superiùs. falsò in quemquam crimina nominantur.] Plerique autem boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata quæ nouerunt, quia documentis sæpè deseruntur, vt ea quæ sciunt, iudicibus Ecclesiasticis probare non possint. Quamuis enim vera sint quædam, non tamen iudici facilè credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur, nisi ordine iudiciario comprobentur: vt si per iudicium mali ab Ecclesiæ communione auferri non possunt, tolerentur potiùs

tiùs, ne peruersè malos euitando quisque ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur, vinciat ad gehennam.]

Quod scriptum est in eisdem ex nomine vestro litteris, quia sanè non patienter pontificij vestri monita & correctiones nos audisse comperistis, liquidò patet adhuc perfectæ aliquid caritatis minùs dumtaxat habere, de qua dicit Apostolus, *Caritas patiens est, benigna est, non inflatur, non irritatur, non agit perperam, omnia suffert, omnia sustinet.* 1. Cor. 13. Cuius caritatis modum & perfectionem in benignitate, ac patientia, in humilitate & sufferentia, exemplo sanctæ paternitatis vestræ, in litteris vestris discere admodum cuperemus, si Deus nos inde honorare dignaretur. Quod & in hoc possemus addiscere, si in his, ad quæ ex nomine vestro nobis scripta sanctitati vestræ rescripsimus, *sustineretis modicum quid insipientiæ nostræ, & supportaretis nos*, sicut magnus Petrus, Apostolicæ & primæ sedis primus Episcopus, non solùm patienter, sed & gaudenter adeo suscepit reprehensionem suam à Coapostolo suo Paulo sibi ostensam, vt eius epistolas, in quibus se reprehensum legerat, cùm maximo fauore laudauerit. Non enim ita supputatè eas laudare poterat, nisi legisset, & quia legit scriptum, reprehensum se in eis inuenit: & quoniam eas tam granditer laudauit, quàm gratanter iustam reprehensionem suam accepto tulerit patienter, ostendit. Et cùm à minoribus suis reprehensus fuit cur ad Gentiles intrauerit, non eis nudo & tumido sermone respondit, vt omnia quæ egerat patientissimè sustinerent, nec aliquid in eorum querela de sua potestate dixit, sed humili eos ratione placauit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuit. Quia si in querela fidelium, vt beatus dicit Gregorius, aliquid de sua potestate diceret, profectò doctor mansuetudinis non fuisset.] Si igitur pastor Ecclesiæ, Apostolorum princeps, signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est, in causa reprehensionis suæ, rationem humiliter reddere, quanto magis, inquit B. Gregorius Apostolicæ sedis Pontifex, nos peccatores, cùm de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus? Litteræ autem ex nomine vestro nobis directæ, non humili nos ratione placarunt, nec contra rationem nos ex ratione & auctoritate quæsiisse monstrarunt: sed indebita increpatione os nostrum oppilare studuerunt, cùm Deo gratia, libera adhuc fronte de his, quæ nobis per litteras ex nomine vestro directas impacta sunt, loqui possimus.

Scriptum est etiam in præfatis litteris nobis ex nomine vestro directis de Hincmaro hoc modo, *Volumus, & auctoritate Apostolica iubemus, ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum, vestra fretum potentia, ad limina sanctorum nostrámque venire clementiam. Quo sanè veniente, veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui: & tunc in præsentia nostra, & totius sedis Romanæ, synodali collegio causa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquisita, secundùm Deum*

& sacrorum canonum constitutiones spiritu Dei prolatas, sine protelatione ali-
Conc Afr. can.105. *qua finietur.* Quæ relegentes, licèt contra morem decessorum ac prædecessorum vestrorum hoc dictum inuenerimus, id est, vmbrosum sæculi typhum inducere in Ecclesiam suam, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Domini videre desiderantibus præfert, tamen de voluntate non dubitauimus, quia humano animo facilè potest subripi, quod ex deliberatione conueniat immutari. Sed valdè mirati sumus, vbi hoc dictator epistolæ nobis per Actardum Episcopum delatæ scriptum inuenerit, esse Apostolica auctoritate præcipiendum, vt Rex corrector iniquorum, & districtor reorum, ac secundùm leges Ecclesiasticas atque mundanas vltor criminum, reum legaliter ac regulariter pro excessibus suis damnatum, sua fretum potentia Romam dirigat: maximè autem illum, qui & ante depositionem contra custodiam publicam & contra quietem moliri in tribus Synodis extitit deprehensus, sicut in gestis episcopalibus paternitati vestræ directis continetur, & post depositionem suam, & per se, & per quoscumque potuit, à sua peruicacia non quieuit. Sed non miramur, si in posterioribus litteris ex nomine vestro nobis directis est infulcitum, vt legaliter ac regulariter damnatus, qui nullis legibus decernitur à quoquam gradu seu rebus ac facultatibus redonandus, antequàm, si contra custodiam & quietem publicam moliri non fuerit deprehensus, renouato Apostolicæ sedis auctoritate iudicio in prouincia, qua fuerit iudicatus, fortè inueniatur innoxius, regia nostra potentia ad vestram veniat fretus, cùm se auctore damnato debeatur zelus rectitudinis, non clementia resolutionis. Quæ si non de eodem foramine, de eodem tamen conamine manarunt, de quo & anteriores fluxerunt, in quibus continetur, vt res omnes Hincmaro commissæ Ecclesiæ, donec ad propria reuerteretur, nobis committeretis, vt indemnes consisterent, & aliquod dispendium non incurrerent.

Vnde, sicut vobis rescripsimus, & nunc iterum vobis scribere non piguit, sed exigente causa necessarium est, quia reges Francorum ex regio genere nati, non Episcoporum vicedomini, sed terræ domini hactenus fuimus computati: & vt Leo ac Romana Synodus scripsit, Reges & Imperatores, quos terris diuina potentia præcepit præesse, ius distinguendorum negotiorum Episcopis sanctis iuxta diualia constituta permiserunt, non autem Episcoporum villici extiterunt. Et sanctus Augustinus dicit, per iura regum possidentur possessiones, non autem per episcopale imperium reges villici fiunt, actorésque
Matth.22. Episcoporum. Et Dominus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt
Matth.27. Dei, Deo reddi præcipit, qui etiam censum regi reddidit. Et Apostolus voluit seruiri regibus, voluit honorari & non conculcari re-
1.Pet.2.17. ges. *Regem*, inquit, *honorificate.* & iterum, *Omnis*, inquiens, *anima*
Rom.13.7. *potestatibus sublimioribus subdita sit. Reddite ergo omnibus debita.* & paulo

superiùs, *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed & propter conscientiam.* Et si reuolueritis regesta decessorum ac prædecessorum vestrorum, talia mandata sicut habentur in litteris ex nomine vestro nobis directis per Actardum Episcopum, decessores nostros à decessoribus vestris accepisse nullatenus inuenietis. vnde pauca de pluribus vobis scribere necessarium duximus.

Sanctus Gregorius, merito vitæ & sapientiæ doctrina Apostolicæ sedis Pontifex, & toti orbi colendus ac imitandus, Francorum regibus Theodorico & Theodeberto, prædecessoribus nostris, de præiudicio cuiusdam Episcopi, non ita vt vos nobis scripsistis pro eo, qui pro meritis suis legaliter ac regulariter iustè depositus est, scripsit hoc modo, Frater & Coepiscopus noster Vrsinus Taurinæ ciuitatis Antistes, in parochiis suis, quæ intra regni vestri sunt terminos constitutæ, graue omninò dicitur præiudicium sustinere: adeo vt contra Ecclesiasticam obseruantiam, contráque sacerdotalem grauitatem, & contra sacrorum canonum definita, nullo eius exigente crimine, alter illic non metuerit Episcopus ordinari. Et quia parum visum est, si illicitis non iungerentur illicita, etiam res Ecclesiæ suæ, vt fertur, ablatæ sunt. Quòd si ita se veritas habet, quoniam nimis intolerabile est, vt vir opprimeretur cui culpa non nocuit, præmisso paternæ salutationis alloquio, petimus vt quod excellentia vestra amore Ecclesiasticæ reuerentiæ, & æquitatis contemplatione, sponte potest impendere, nostra studeat benigniùs intercessione concedere, & iustitiam illi, sicut de æquitatis eius bono confidimus, faciat in omnibus custodiri, atque patefacta veritate, quod illicitè actum est, corrigi. Pro vtilitate ergo animæ vestræ hæc apud vos nostra exhortatio locum inueniat, &c.] Sed & ad Romanum exarchum, minoris dignitatis, quàm simus Dei gratia regiæ potestatis, de quodam Episcopo scripsit hoc modo, Peruenit ad nos, Blandum Ortonensis ciuitatis Episcopum, longo iam tempore in ciuitate Rauennati à vestra excellentia detineri. & fit vt Ecclesia sine rectore, & populus quasi sine pastore grex defluat, & ibidem infantes pro peccatis absque baptismate moriantur. Et rursus, quia non credimus, quòd eum excellentia vestra, nisi ex aliqua probabilis excessus causa tenuerit, oportet vt habita Synodo pálàm fiat, si quod in eum crimen intenditur, & si talis in eo culpa reperitur, quæ vsque ad degradationem sacerdotij deducatur, aliam necesse est ordinationem inquiramus, ne Ecclesia Dei in his, sine quibus eam Christiana non patitur esse religio, inculta ac destituta maneat. Sin autem excellentia vestra aliter se habere, quàm de eo quod dicitur esse perspexerit, eum ad Ecclesiam suam reuerti concedat, vt officium suum in commissis sibi animabus adimpleat.] Quibus mandatis beati Gregorij prædecessoris vestri, de his qui nec dum iudi-

Lib. VII. Epist. 120. Indict. 2.

Lib. I. ep. 32

cio Synodali legaliter ac regulariter pro criminibus ſuis fuere depoſiti, collatis cum ſcriptis ex nomine veſtro nobis directis, ex eo qui legaliter ac regulariter pro ſuis exceſſibus iudicio Synodali habetur depoſitus, vt cum noſtra fretum potentia Romam mittamus, quæ potiùs ſequenda ſint, iudicate. Nos autem auctoritatem veſtram iudicaturam potiùs credimus, vt ea ſequamur, quæ deceſſores ac prædeceſſores veſtri ſecundùm ſcripturarum tramitem prædicationémque maiorum ſcripſerunt, quàm illa, quæ ſcriptor ſæpe dictæ Epiſtolæ ex nomine veſtro nobis directæ confinxit. Ait enim beatus Auguſtinus libro ad Ianuarium, Omnia talia, quæ neque ſanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ roborata ſunt, reſecanda exiſtimo.] Et ſanctus Leo, de his quæ à ſacris canonibus habentur ita præfixa, & eiſdem Apoſtolicæ ſedis ſunt promulgata decretis, vt nulla poſſint ratione conuelli, conſtituit, Vt omni penitus auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum.] Ac ſi cum Paulo diceret, quia ſibi ipſi Apoſtolica ſedes in ſuis conſtitutionibus eſſe non poteſt contraria, *Licèt nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præter quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Sed vt in controuerſia Quintiliani legitur, *Floribus vafricia nebulonum veneficatis apes mortuas eſſe, quibus mellificandum fuerat*, de ſcripturis ſacris B. Petrus agi demonſtrat, loquens de Pauli Epiſtolis, *Quæ indocti & inſtabiles*, inquit, *deprauant, ſicut & ceteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem*, & de traditionibus Eccleſiaſticis ſanctus Innocentius, Dum, inquiens, vnuſquiſque non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc exiſtimat eſſe tenendum, inde diuerſa in diuerſis locis vel Eccleſiis, aut teneri, aut celebrari videntur, ac fit ſcandalum populis, qui dum neſciunt traditiones antiquas humana præſumptione corruptas, putant ſibi aut Eccleſiis non conuenire, aut ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris contrarietatem inductam.] Contra quem morbum ſanctus Cæleſtinus ſalubre cunctis celebrauit antidotum, dicens, Nulli Sacerdoti ſuos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum regulis poſſit obuiare. Quæ enim à nobis res digna ſeruabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum, pro aliquorum libitu licentia populis permiſſa frangatur?] Et ſanctus Gelaſius in decretis ſuis, Patres noſtri, catholici videlicet & docti Pontifices, in vnaquaque ſecta quolibet tempore ſuſcitata, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque Apoſtolica, ſecundùm ſcripturarum tramitem, prædicationémque maiorum, facta ſemel congregatione ſanxerunt, inconuulſum voluerunt deinceps firmúmque conſtare, nec in eadem cauſa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præſumptione permiſerunt.

Epiſt. cxix. cap. xix.

Galat. 1.

2. Pet. 3.

Ad Decentium Epiſtola 19.

Epiſt. 2.

Videndum eſt igitur, quid hic trames ſanctarum ſcripturarum,

& prædicatio maiorum definiant. Scriptum quippe legimus in sacra historia dixisse Dominum per Prophetam Iosaphat Regi, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te, eo quòd abstuleris lucos de terra Iuda.* Et in Euangelio semel & secundò ac tertiò monitum, & non obedientem ad correctionem debitam, Dominus sicut Ethnicum & publicanum iubet haberi. Et beatus Gregorius in decretis suis, sicut in gestis Synodi inuenire potestis, peruasorem non solùm rerum alienarum, sed etiam Ecclesiæ sibi commissæ, anathematizatum definit. verùm etsi alius hoc egerit, is qui præest Ecclesiæ, si hoc vel ipse fieri præcipit, vel sine sua præceptione factum digna punire animaduersione neglexerit, eum anathematizat. Satis ergo mirari non possumus, vnde scriptor epistolæ, nobis ex nomine vestro delatæ, hanc legem apud se auro sculptam produxit, quam Dominus digito suo non scripsit, nec scribendam cuiquam inspirauit, neque ordinatam per Angelos in manu mediatoris illius dedit, quam non paganus indixit, non Christianus induxit, non Ecclesiasticus vir decreuit, quæ de sub isto cælo, sicut non atramento manu iustitiæ, ita nec spiritu Dei viui scripta personuit, qua me regem à Deo constitutum, & gladio ex vtraque parte acuto, vltore scilicet nocentium & defensore innocentium, insignitum, *ad vindictam malefactorum*, vt exponit Apostolus, *laudem verò bonorum*, rei atque damnati, atque anathematizati fautorem esse præcipit, iubens vt Hincmarum sacrarum legum præuaricatorem, sancti sacerdotij vituperatorem, regiæ dignitatis contra regulam Apostolicam dehortatorem, regni perturbatorem, periurum, & seditionum auctorem, Ecclesiæ sibi commissæ afflictorem, facultatum Ecclesiasticarum sacrilegum fraudatorem ac extirpatorem, Episcoporum ac totius populi nostrarum partium scandalizatorem, alienarum rerum peruasorem, & veniendo contra subscriptiones & professiones suas à seipso damnatum, potentia regia fretum Romam venire faciamus.

2.Paral.19. Rom.13.

Quis igitur hanc vniuersam legem infernus euomuit? Quis tartarus de suis abditis & tenebrosis cuniculis eructauit? Contra quam litteris sacris ostensa nobis est via quam sequamur, apposita forma, cui imprimamur, *Clamauit*, inquit, *Propheta ad regem Israel, & ait, Seruus tuus egressus est ad præliandum cominus, cúmque fugisset vir vnus, adduxit eum quidam ad me, & dixit, Custodi virum istum, qui si fuerit lapsus, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appendes. Dum autem ego turbatus huc illúcque me verterem, subitò non comparuit. Et ait rex Israel ad eum, Hoc est iudicium tuum, quod ipse decreuisti. At ille statim abstersit puluerem de facie sua, & cognouit eum rex Israel, quòd esset de prophetis. Qui ait ad eum, Hæc dicit tibi Dominus, Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius,*

3.Reg.20. 39.

& populus tuus pro populo eius. Reuerſus eſt igitur rex Iſrael in domum ſuam audire contemnens, & furibundus venit in Samariam. Quænam vos dementia cepit, ſcientes dixiſſe Chriſtum, Dei virtutem & Dei ſapientiam, *Per me reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt.* Et ſacri canones, ſicut credimus, & in Apoſtolicis litteris ſæpiùs legimus, ſpiritu Dei conditi, & totius mundi reuerentia ſunt conſecrati. Propterea videamus, quid de huiuſmodi ſancti canones & ſacræ leges decernant. Ait enim ſanctum Africanum Concilium, Et illud petendum, quin apud terræ principes, ſtatuere dignentur, vt ſi quis cuiuſlibet honoris clericus iudicio Epiſcoporum quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum ſiue ab Eccleſiis quibus præfuit, ſiue à quolibet homine defenſari, interpoſita pœna damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem, nec ſexum excuſandum eſſe præcipiant.] Et tunc Valens, Gratianus, & Valentinianus conſtituerunt, Vt quicumque reſidentibus ſacerdotibus fuerit Epiſcopali loco detruſus & nomine, ſi aliquid contra cuſtodiam publicam, vel contra quietem moliri fuerit deprehenſus, rurſúmque ſacerdotium petere, à quo videtur expulſus, procul ab vrbe quam infecit, ſecundùm legem diuæ memoriæ Gratiani, centum milibus vitam agat. Sit ab eorum cœtibus ſeparatus, à quorum eſt ſocietate diſcretus. Sitque huiuſmodi perſonis illicitum tenore huius legis, ſacra noſtra adire ſecreta, & impetrare ſcripta, omnibus abiectis per culpam ſacerdotio perſonis, quæ impetrata ſunt infecta permaneant, ſcituris his, quorum defenſione nituntur, abſque ſuî reprehenſione non futurum, ſi hoc eis pollicentur ſuffragium, qui diuinum non videntur meruiſſe iudicium.] Vnde & Leo Papa apud principalem poteſtatem petiit de Eutyche ſcandali & prauitatis auctore, vt ab eo loco, qui Conſtantinopolitanæ vrbi nimis vicinus erat, longiùs transferretur, ne frequentioribus ſolatiis eorum, quos ad impietatem ſuam traxit, vteretur.] Et Gregorius Paulum Diadinæ ciuitatis quondam Epiſcopum, quo vſque omne quod dilapidauit, vel de ſubſtantia tulit Eccleſiæ, reſtitueret, in monaſterium mittendum eſſe decreuit. Et ſi fortè poſt depoſitionem ſuam inuerecundè ac mente peruerſa aliquando de Epiſcopatu loqui, aut rurſus ad hoc qualibet adſpirare præſumptione tentauerit, Dominici corporis & ſanguinis communione priuatum, in monaſterio eum vſque ad diem obitus ſui, ad agendam pœnitentiam retrudi, ſtudio Ioannis Primæ Iuſtinianæ Epiſcopi iuſſit, vt perpetrati ſceleris maculas dignis diſceret fletibus emendare, iuxta legem Iuſtiniani Imperatoris, qui in libro Conſtitutionum decreuit, Vt ſi quis Epiſcopus exploſus, auſus fuerit ingredi ciuitatem, de qua repulſus eſt, vel exire de loco, in quo degere iuſſus eſt, iubemus eum in monaſterio in alia prouincia conſtituto tradi, vt quæ in ſacerdotio peccauit, degens in monaſterio corrigat.] Quas leges ab Imperatoribus & regibus, noſtris videlicet

Prou. 8.
Cano. 29.
Cod. Th. Lib. XVI. Tit. II. L. XXXV.
Epiſt. 47. Pulcheriæ.
Lib X. epiſt. 33.

prædecessoribus, promulgatas atque decretas, nos immutilatè & inrefragabiliter conuenit conseruare, sicut Apostolicæ sedis Antistites ad dominos & terræ principes scripserunt. Ait enim Leo ad Leonem Augustum, Debes, inquiens, incunctanter aduertere, regiam potestatem tibi, non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata restituas.] Et Gelasius ad Anastasium, Etenim, Imperator Auguste, si contra leges publicas aliquid, quod absit, quispiam fortasse tentaret, nulla id ratione potuisset admitti.] Quas etiam leges principali auctoritate promulgatas, non solùm à quibuscumque Episcopis, sed etiam ab ipsis Apostolicæ sedis Pontificibus, ipsius primæ sedis Antistites obseruari debere scripserunt, sicut beatus Leo ad Leonem Augustum scribens demonstrat, dicens non se refragari debere edicta Imperialia, vel ea quæ sui decessores secundùm tramitem scripturarum prædicationémque maiorum statuerant. Si quæ, inquiens, destruxi, ego ædifico, præuaricatorem me constituo, & eis me vltionum conditionibus subdo, quas non solùm auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmaui.] Et sanctus Gelasius ad Anastasium Imperatorem, Si, inquit, quantum ad ordinem publicæ pertinet disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obuiare sententiæ, quo, rogo, te affectu eis conuenit obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis?] Quod & nos, iuxta hortamentum beati Gelasij, incunctanter atque libenter exequi cupimus, in his quæ ad suum ministerium pertinent, cunctis generaliter sacerdotibus rectè diuina tractantibus, & potissimè sedis illius Præsuli, quem cunctis sacerdotibus diuinitas summa voluit præeminere, & subsequens Ecclesiæ iugiter pietas celebrauit: sicut nostri decessores ac progenitores orthodoxi Imperatores & reges egerunt, vt & Apostolicæ sedis Pontifex, & reliqui Domini sacerdotes, nobis quæ à Deo sunt constituta, exhibeant. Scientes, sicut idem beatus Gelasius dicit, quoniam Christus, memor fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis dignitatibúsque distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus intercipi, vt & Christiani principes pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus vterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideò militans Deo minimè se negotiis sæcularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotiis sæcularibus implicatus, vt & modestia

Epist. xxcI. Epist. x. in fine. Ep. xxcIV. Epist. x. in principio. In tomo anathem. sub finem.

vtriusque ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur. Omnis Pontifex, inquit Apostolus, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis: videlicet non solùm pro populo, sed quia & ipse circumdatus est infirmitate, pro suis. Et Regis est, regni negotia dispensare, sicut inculcant litteræ diuinitùs inspiratæ. Quia ergo sanctarum scripturarum tramite, & prædicatione maiorum ostenditur, sancto etiam attestante Gelasio, quia duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.] Et per regem regum, ac summum Pontificem cunctorum Pontificum, qui solus rex & sacerdos fieri potuit, *conditores legum iusta decernunt.* quas leges principales potestates appellauerunt æternas, & sacri canones spiritu Dei sunt conditi, & totius mundi reuerentia consecrati; & vt beatus Ambrosius ad Valentinianum dicit, Leges Imperator fert, quas primus ipse custodiat, quia quod præscripsit aliis, præscripsit sibi, ne cui esset liberum aliud iudicare.] Et beatus Augustinus dicit, Quia postquam leges subscriptæ fuerint & firmatæ, non licet iudici de ipsis iudicare, sed secundùm ipsas.] Quia secundùm Pontificale ministerium vestrum, regio ministerio nostro monita vestræ paternitatis obedienter ac libenter cupimus obaudire, patimini nos ea seruare, quæ prædecessores vestri ac nostri de huiusmodi vnde agitur constituerunt, & roborantes seruando quæ gesta sunt, rata doceamus esse debere quæ gerimus. Nam quomodo leges principum ritè vocabuntur æternæ, si transeuntibus principibus vnà cum eis constitutio legis transibit? Et Papa Symmachus ad Æonium, Dum, inquit, ad Trinitatis instar, cuius vna est atque indiuidua potestas, vnum sit per diuersos Antistites sacerdotium, quomodo priorum statuta à sequentibus conuenit violari? Huc accedit, quòd si hæc eueniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam religionem credimus pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa quæ à Domini sacerdotibus semel statuuntur perpetua sint. Quod aliàs contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim Vicariis beati Petri Apostoli iudicabitur esse reuerentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, eisdem transeuntibus dissoluantur?] Vniuersa, inquit, perpetua sint, quæ à Domini sacerdotibus statuuntur, qui, vt Moyses, ea quæ statuunt ab oraculo diuino suscipiunt: non quæ ab his statuuntur, de quibus per Prophetam dicitur, *Væ his qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt.* Ea nihilominùs, quæ à Vicariis beati Petri constituuntur, maneant inconuulsa. quia, vt Leo dicit, nec nimia est seueritas vel remissio, vbi nihil constituitur, nisi quod ex beati Petri æquitate profertur.] Hæc enim scimus

Epist. 10. Prou. 8. Epist. 1. Esa. 10. Serm. 3. in anniu.

ſcimus eſſe canonicè, ſcimus eſſe Apoſtolica auctoritate roborata, & Apoſtolicæ ſedis decreta, quæ, vt Gelaſius dicit, vnamquamque Synodum & ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper & retinet.] & paulo ſuperiùs, Confidimus quod nullus iam veraciter Chriſtianus ignorat, vniuſcuiuſque Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, nullam magis exequi ſedem præ ceteris oportere, quàm primam.] & item idem, Cúmque nobis contra ſalutarium reuerentiam regularum cupiamus nihil temerè licere, & cùm ſedes Apoſtolica ſuperior his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus ſunt præfixa, pio deuotóque ſtudeat tenere propoſito, ſatis indignum eſt, quemquam, vel Pontificum, vel ordinum ſubſequentium, hanc obſeruantiam refutare, quam beati Petri ſedem & ſequi videat & docere: ſatíſque conueniens ſit, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quam illic vigere conſpiciat, vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum.] Et de ſacris legibus, quas vnà cum ſanctis canonibus catholica obſeruat Eccleſia, idem Gelaſius, vt præmiſimus, dicit in epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem, Quantum, inquiens, ad ordinem publicæ pertinet diſciplinæ, cognoſcentes Imperium tibi ſuperna diſpoſitione collatum, legibus tuis ipſi quoque parent religionis Antiſtites, ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obuiare ſententiæ.]

Epiſt. 1. ad Dardan. in principio.

Epiſt. 6. ad Epiſcopos vniuerſos.

Epiſt. 10.

Et cùm ita ſacræ leges, tam Eccleſiaſticæ, quàm mundanæ, de damnato Epiſcopali & ſynodali Concilio decernant, non eſt noſtri regij miniſterij, reum & ſacrorum canonum iudicio condemnatum, atque Apoſtolicæ ſedis definitione, ſicut in geſtis Synodi inuenire poteſtis, anathematizatum, noſtra potentia fretum quoquam dirigere, cùm apertiſſimè ſacri canones definiant, & leges Iuſtiniani, ac ceterorum Imperatorum catholicorum edicta, qualiter, & pro quibus, & à quibus debeat Epiſcopus iudicari, & poſt iudicium, quid & qualiter, & per quos ſit inde Apoſtolicæ ſedi agendum, quæ non abnuimus, ſed incunctanter ac competenter annuimus. A quibus definitionibus nulli eſt licitum deuiare: quia, vt ſanctus Hilarus Papa dicit, Non minùs in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quàm in iniuriam ipſius Domini proſilitur.]

Quocirca, quia Dominus dicit per Prophetam, *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus*, id eſt, nuntius *Domini exercituum eſt*, nolite permittere nobis ſcribi ex veſtræ auctoritatis nomine, quæ in legibus ſacris, Dei ſapientia conditis, & in ſanctis regulis eiuſdem ſpiritu promulgatis non continentur, dicente item Propheta, id eſt, ſacerdoti præcipiente, *Audiens nuntiabis eis ex me. ex me*, inquit, *& non ex te.* Et redarguuntur,

Malach. 2.

Ezech. 3.

qui de corde suo loquuntur, quoniam, qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Nolite igitur, vt præmisimus, ex vestro nomine, vel Apostolicæ sedis auctoritate, iussiones vel excommunicationum intentationes, contra sacrarum scripturarum tramitem, prædicationémque maiorum, ac sacrarum legum sanctorúmque canonum constitutiones, nobis de cetero scribi cuiuscumque instinctu permittere precamur. quia scitis, & scimus, totum esse irritum, quicquid ab eorum fuerit constitutione diuersum. Dicitur, inquit sanctus Leo, à Domino beatissimo Petro, *Tibi dabo claues regni cælorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Transiuit quidem etiam in alios Apostolos ius istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti huius constitutio commeauit: sed non frustrà vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudicium.] Qua sententia constat, quia non manet Petri priuilegium, vbi ex ipsius æquitate non fertur iudicium. Cùm enim vbicumque dicitur, sicuti nullus locus, ita nemo rector Ecclesiæ ex Petri æquitate iudicium ferens excipitur, vel contra illius æquitatem iudicium proferens commendatur. Et quia vbicumque sine vlla exceptione non manet Petri priuilegium, ibi ex ipsius æquitate non fertur iudicium, prolatum obaudiemus iussum, vel recipiemus iudicium, quod non ex Petri æquitate fuerit prolatum, ac per hoc ipsius priuilegio fuerit destitutum? De quo Episcopali iudicio, quid cunctis Episcopis sequendum, & quid Ecclesiæ filiis sit tenendum atque seruandum, beatus Gregorius sufficienter inculcat. Ergo iubete & iudicate priuilegio magni Petri, iuxta æquitatis eius iudicium, quæ iubenda & iudicanda sunt, *ne*, vt dicit eius Coapostolus, *vituperetur ministerium vestrum.* Quia & nos secundùm regium ministerium nostrum, quantum ex nobis est, cupimus seruare quod scriptum est, *Filij, obedite parentibus vestris in Domino.* videlicet quod fuerit iussum vel iudicatum à Domino, dicente illo singulis, qui pro patribus Apostolis Ecclesiæ, nati sunt filij Apostolici viri, *Tu autem audiens nuntiabis eis ex me.* Diuina quippe nos lectio docet, quia nec etiam Balaam satis supérque à rege Balac petitus, licèt medicamento auaritiæ delinitus in consilio dando corruptus offenderit, vllo tamen aut vllius instinctu in iudicio iustitiæ aliud loqui aduersus Israel persuaderi vel extorqueri potuit, quàm quod à Domino audiuit.

Serm. 3. in anniu. Matth 16. 2. Cor. 6. Ephes. 6. Ezech. 3. Num. 22.

De eo quod in litteris ex nomine vestro nobis directis habetur, *Vt veniente Hincmaro Romam, veniat accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui,* rescribimus, Quia licèt hæc commendatio nulla sit ratione atque auctoritate suffulta, si fortè apud vos exlex solus Hincmarus noua lege, priscis tam publicis quàm Ecclesia-

ſticis contraria, immò ordine nouóque more habetur, vt non niſi à vobis & Romæ valeat iudicari pro his exceſſibus, de quibus habentur certa ſacrorum canonum ac legum decreta, quæ, vt Leo dicit, nulla poſſunt ratione conuelli, cùm etiam de cauſa fidei, vt dicit Gelaſius, cuicumque Pontifici liceat, ſecundùm regulam erroris antè damnati, quemlibet à catholica communione diſcernere. Et ego ita exors ab omnibus accuſationibus, non ſolùm ab his, quibus legaliter & regulariter accuſandi aduerſus ſeipſum denegatur licentia, verùm & ab his, quibus in propriis cauſis accuſatio non negatur, vt ſicut leges & regulæ iubent, in prouincia in qua ſunt orta negotia terminari non valeant, & ſecundùm Antiochenos canones, Prouincialium Synodorum non debeant experiri examen, ſi nobis vias, cum voluntate & conſenſu dilectiſſimi nepotis noſtri Imperatoris veſtri, contra cuius dilectionem & debitum honorem, ſi tamen mutuam dilectionem & congruum honorem nobis exhibere ſtuduerit, illuc ire non volumus, obtinueritis, cooperante Domino, pace in regno noſtro contra paganos virtute vel quacumque diſpoſitione Dei obtenta, Romam venire congruo tempore non differemus. Et quia illum legaliter aut regulariter in Synodo Epiſcoporum plurimarum prouinciarum de certis cauſis accuſauimus, idoneum nos accuſatorem illius oſtendemus, & tantos teſtes idoneos diuerſi ordinis ac dignitatis nobiſcum ducemus, cum quibus eum legaliter ac regulariter nos accuſaſſe & comprobaſſe ſufficientiſſimè comprobabimus.

Tandem, quia vos non legiſſe vel audiſſe collegimus ex litteris ab Actardo Epiſcopo nobis delatis, quæ antea per illum paternitati veſtræ direximus, iteratò ſcribimus ea quæ tunc ſcripſeramus, deprecantes vos in omnipotentis Dei honore, & ſanctorum Apoſtolorum veneratione, vt tales inhonorationis noſtræ epiſtolas, taliáque mandata, ſicut hactenus ex nomine veſtro ſuſcepimus, nobis & regni noſtri Epiſcopis ac primoribus de cetero non mandetis, & non compellatis nos mandata & epiſtolas veſtras inhonorandas contemnere, & miſſos veſtros dehonorare, qui vobis, in his quæ ad veſtrum miniſterium pertinent, ſi tamen miniſterium veſtrum, cupimus obtemperare. Quæ pro veſtri honore priuilegij vobis dicimus, quia vobis, ſicut reuera Vicario B. Petri Apoſtolorũ principis, in omnibus debitè ac cõpetenter obedire deſideramus, & ne aliter eueniat cauere per omnia cupimus, ac veſtram ſanctitatem id ipſum cauere humili prece depoſcimus, ne nos & noſtros ſatis inuitos ad id cogatis conuertere, quod in quinta vniuerſali Synodo, à ſede Apoſtolica, vt in Apoſtolicis litteris, præcipuè autem in Synodica beati Gregorij ad quatuor Patriarchas, & in aliis eius epiſtolis, vnà cùm quatuor præcedentibus legimus collaudatum atque ſuſceptum, inuenitur nobis tenendum. Quod adhuc noſtris litteris ad exemplum inſerere nolui-

mus, donec sciamus, si duritiam mandatorum vestrorum erga nos aliter ad benignitatem inflectere poterimus: quia quod ex Apostolicæ sedis nomine, secundùm sanctarum scripturarum tramitem, prædicationémque maiorum, & orthodoxorum decreta scribitur, sequendum & tenendum non ignoramus, & quod secus à quoquam fuerit compilatum siue confictum, non solùm respuendum, sed & redarguendum esse cognoscimus. Si denique aliter, quàm nos & vos decuerat, reuerentissimæ paternitati vestræ rescribendo, factus sum insipiens, vos me coegistis. Petimus autem omnipotentem Dominum, vt inspiret cordi vestro, sic nos benignè tractare, quatenus vlteriùs nobis non sit necesse vobis ita rescribere, sed vt cupimus, in veneratione Apostolorum, Apostolico Pontificio vestro humiliter ac deuotè colla & corda summittere. Deus omnipotens ad honorem & saluationem atque exaltationem sanctæ suæ Eccclesiæ, vos per multa annorum curricula conseruare dignetur, Domine sanctissime & reuerentissime pater in Domino.



EIVSDEM AD EVNDEM.

Eodem tempore missa quo superior.

Sanctissimo ac reuerentissimo Patri Hadriano summo Pontifici, & vniuersali Papæ, Carolus Dei gratia Rex & spiritualis filius vester.

QVIA litteris ex nomine sanctæ paternitatis vestræ ab Actardo venerabili Archiepiscopo nobis delatis, necessitate cogente, prolixiùs respondere compulsi sumus, contra morem nostrum in quaterniunculo annulo nostro signato responsionem nostram scribere necessarium duximus, quatenus legi planiùs valeat, & quæ vobis ratio respondere coegit, legenti pleniùs innotescant. Quam responsionem sancta paternitas vestra non aspernanter, sed benignè suscipiat, quæ à nobis non est contumaciter, sed mente pacifica, vt in eodem quaterniunculo inuenietis, contexta. Deprecamur autem vos in omnipotentis Dei honore, & sanctorum Apostolorum veneratione, vt tales inhonorationis nostræ epistolas, taliáque mandata, sicut hactenus ex nomine vestro suscepimus, nobis & regni nostri Episcopis ac primoribus de cetero non mandetis. Sed liceat nobis Apostolico pontificio vestro, in veneratione Dei, & sanctorum Apostolorum, humiliter ac deuotè, vt cupimus, colla & corda summittere. Deus omnipotens ad honorem & saluationem atque exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ, vos per annorum curricula conseruare dignetur, Domine sanctissime atque reuerentissime pater in Domino.

XLIV.

AD ADVENTIVM EPISCOPVM METENSEM.

Quo debeant ordine consecrari Metropolitanus atque diœcesanus Episcopus.

Nunc primùm edita ex Codice S. Laurentij Leodiensis.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS domno Aduentio glorioso Pontifici salutem.



SICVT iussistis, mitto vobis consecrationem Episcopi, & exemplar decreti, quod in ampla pergamena debet scribi, vt confirmationes cleri & legatorum singulorum Monasteriorum, & primorum presbyterorum parochiæ ac plebis, ibi valeant scribi: & si isdem electus in diaconij gradu adhuc est, canonico tempore debet presbyter ordinari. Sabbato autem præcedente Dominicam, quando electus est ordinandus, conuenire debent Episcopi diœceseos ad principalem Ecclesiam Metropolis, & publicè coram omnibus debet recitari decretum, & interrogare debent Episcopi, si omnium vota sicut ibi continetur, in eundem electum concordent. Et post responsionem illorum, debent interrogare Episcopi, si has virtutes, quæ ibidem continentur, credunt vel sciunt esse in eodem electo. Et accepta inde responsione, debent interrogare Episcopi, si aliquis ibi est, qui contra eundem electum aliquid dicere, vel ordinationi Episcopali contrarium illi velit obiicere, vt exeat & dicat memor communionis suæ. Quòd si aliquis quiddam illi obiecerit, habetis in canonibus quid inde sit faciendum. Sin autem omnes concordes fuerint in eius electione, referendæ sunt ab omnibus Deo laudes, & examinandus est idem electus ab Episcopis, secundùm capitulum Carthaginensis Concilij, quo manifestatur qualis debeat ordinari Episcopus. Si ita credat, & simplicibus verbis catholicam fidem profiteatur, sicut ibidem scriptum habetur, & tunc monendus est idem electus, vt ipsa nocte, secundùm traditionem Apostolicam, se studeat Domino commendare. Dominica autem die maturiùs Episcopi diœceseos & clerus ac plebs conuenire debebunt ad locum, vbi secundùm consuetudinem solet Metropolitanus Episcopus ordinari. Et præparatis omnibus, & Episcopis & Ecclesiasticis ministris in vestibus sacris, & stantibus Episcopis secus altare, idem electus indutus pontificalibus vestibus à primoribus clericis eiusdem Metropolis de sacrario debet educi, & in vltimo loco post Episcopos collocari. Is autem

Episcopus diœcesaneus, qui consecrationem fusurus est super eum, incepto introitu ad Missam secundùm morem procedat. Et finito introitu dicatur Kyrie eleison, prosequente ab ipso Episcopo Gloria in excelsis Deo. Et post Gloria in excelsis Deo, dicat hanc orationem, quæ prima est in rotula consecrationis. Statim autem post completam ipsam orationem, antequàm legatur Apostolus, commoneat clerum & plebem vt orent pro ordinando electo & pro ordinatoribus eius, & accipiat electum manu sua dextera per manum illius, & incipiatur litania, & tam ipse cum electo, quàm & ceteri qui adfuerint Episcopi, incuruentur ante altare, vsquedum breuiter pro tempore finiatur litania. Vt autem clerus inceperit dicere Agnus Dei, erigant se Episcopi, & qui fundet consecrationem accipiat quatuor Euangelia, & aperiat per medium, & incuruato ipso electo ante altare, mittat ipse Euangelia super collum & ceruicem eius, & teneant ipsa Euangelia super eum duo Episcopi, vnus ex vna parte, alter ex altera, & tam consecrator quàm omnes Episcopi, teneant manus dextras suas super caput ordinandi, & dicat consecrator, Oremus. Propitiare Domine supplicationibus nostris, & reliqua. Et oratione completa, & respondentibus omnibus Amen, dicat consecrator, Dominus vobiscum, Sursum corda, Gratias agamus Domino Deo nostro. Et respondente choro ad singula, incipiat consecrationem cantando, Verè dignum & iustum est, vsque ad æterne Deus. & tunc, sicut ipsa consecratio consequitur, & semper teneant manus dextras Episcopi super caput ordinandi. Vt autem ventum fuerit ad loca, in quibus sunt cruces signatæ, accipiat consecrator vas chrismatis in sinistra manu, & cum dextro pollice, cantans quæ ibidem continentur, per singula loca faciat crucem de chrismate in verticem consecrandi. & perfecta consecratione, & respondentibus omnibus Amen, tollantur ab Episcopis Euangelia de collo eius, & mittat anulum in dexteræ manus digito, qui præcedit minimum, dicens ad quid illi anulus datur. Signum est enim fidei, vt audientibus se ex diuinis mysteriis signet quæ & quibus signanda sunt, & aperiat quæ & quibus aperienda sunt. Deinde donet illi baculum sancti regiminis, & det à se ordinato pacem, & sic per ordinem ordinatus osculetur Episcopos & ponatur sella iuxta eum qui illum ordinauit, & sedeat ibi Metropolitanus Episcopus: alioquin si non esset Metropolitanus, in ordine consecrationis suæ sedere deberet. Et tunc legatur Apostolus ex epistola ad Timotheum, qualis debeat esse Episcopus. & expleta missa, ordinatus Metropolitanus Episcopus ducatur, vel deportetur, ad cathedram principalis Ecclesiæ, cantantibus clericis ea quæ ad hoc opus conueniunt. Illuc autem perueniens resideat in principali cathedra, & commendet ministris Ecclesiasticis, vt vnusquisque in suo ordine ministret sibi atque sibi commissæ Ecclesiæ. Inde pergat in sacrarium, & incepto

introitu ad Miſſam ſecundùm morem procidat, & ſalutato altari aſcendat ad ſedem ſuam, & ſtet ibi donec in ſuo loco incipiat Gloria in excelſis Deo de gradibus ſedis, & poſt datam orationem reſideat in ſede ſua, conſedentibus ſecum Epiſcopis & preſbyteris. Et completa Miſſa, habeat Epiſcopus, qui eum ordinauit, litteras manibus ſuis ſubſcriptas, quas ſacri canones ordinato ab ordinatoribus ſuis iubent accipere, præferentes diem & Conſulem: & antequàm ordinatus ab altari diſcedat, mittant eaſdem litteras ſuper altare, vnde eas accipiant & donent illas à ſe ordinato. & ſic perfectis omnibus benedicatur Dominus. Ceterùm quando prouincialis ordinatur Epiſcopus, ipſæ canonicæ litteræ à Metropolitano & ceteris Epiſcopis ſubſcribendæ ſunt, quandiu legitur Apoſtolus & cantatur reſponſorium & alleluia, & ſtatim poſt Miſſam finitam dantur ab Epiſcopis ante altare ordinato prouinciali Epiſcopo, & Archiepiſcopus & alij Epiſcopi vadunt ad ſua. Ipſe autem ordinatus cantat Miſſam vbi locus eſt opportunus. De his omnibus quæ mihi mandaſtis, & de his etiam quæ non mandaſtis, vt ſit, veluti dicitur, quod ſupererogaueris, vobis reſcripſi qualiter ordinationem agamus Epiſcopi, & qualiter in me acta fuerunt. Decretum autem & conſecrationem Epiſcopalem, quæ ibi memoratur, ego non habui, quæ tamen vos habere poſſe cognoſco.



XLIV.

AD EPISCOPOS, DE IVRE METROPOLITANORVM.

Cùm de Anſegiſi primatu ageretur.

Ex Moguntina editione Ioan. Buſæi.

DOMINI & ſanctiſſimi ac reuerendiſſimi patris noſtri Apoſtolici Papæ Ioannis decreta ex ſacris canonibus promulgata, ſicut & ſancti deceſſores ac prædeceſſores ſui ex eiſdem ſacris canonibus ſpiritu Dei conditis, & totius mundi reuerentia conſecratis, promulgauerunt, quantum ex nobis eſt, non præiudicantes ſententiis fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum, qui abſentes ſunt, ad quos hæc ſua ſcripta mittuntur, reuerenter ſuſcipimus, ſingulis Metropolitanis ſuo iure ſeruato, velut myſtica Nicæna Synodus irrefragabiliter ſeruari decreuit, dicens, Antiqua conſuetudo ſeruetur Can. VI. per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam, ceteráſ-

Ibid. c. 4. que prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesiis. Firmitas autem eorum, quæ geruntur per vnamquamque prouinciam Metropolitano tribuatur Episcopo.]

Epist. xx. II. QVÆ sancti & magni Concilij Nicæni decreta beatus Innocentius ad Alexandrum Antiochenum Episcopum ita explanat, dicens, Reuoluentes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super diœcesim suam prædictam Ecclesiam, non super aliquam aliam prouinciam recognoscimus constitutam.] Et Bonifacius Papa scribens ad Hilarium Nar- Epist. III. bonensem Episcopum. Conuenit, inquit, nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, vt eadem propriè verba ponamus, Per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subiectas. Quod illi, quia aliter credendum non est, seruandum sancto Spiritu suggerente sibimet, censuerunt.] & post aliquanta, Quod idcirco dicimus, vt aduertat caritas tua adeo nos canonum præcepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.]

In fine Synodi Africanæ. III. ET sancta Synodus Episcoporum Africæ prouinciæ scribens ad S. Cælestinum Papam, Decreta, inquit, Nicæna, siue inferioris gradus clericos, siue Episcopos ipsos, suis Metropolitanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim, iustissiméque prouiderunt, quæcumque negotia in suis locis vbi orta sunt finienda. nec vnicuique prouinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas à Christi sacerdotibus, & prudenter videatur, & constantissimè teneatur. maximè quia vnicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilium suæ prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare.] Et hinc sanctus Cælestinus, ad rei firmitatem commemorans decreta præfati Bonifacij, decreuit vt vnaquæque prouincia suo Metro- Ad Episc. Galliæ c. 4. politano debeat esse contenta, dicens, Primùm, vt iuxta decreta canonum vnaquæque prouincia suo Metropolitano contenta sit, vt decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, nec vsurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur iniuriam. Sit concessis sibi contentus vnusquisque limitibus, alter in alterius prouincia nihil præsumat.] & item Ad Episc. Apuliæ c. I. idem, Nulli sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permissa frangatur?] Et sanctus Leo ad Epist. XCII. Theodorum Foroiuliensem Episcopum, Sollicitudinis quidem tuæ

is

is ordo esse debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitus de eo quod quærendum videbatur esse conferres, ac si id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis, quia in causis, quæ ad generalem obseruantiam pertinent omnium Domini sacerdotum, sine primatibus nihil oportet inquiri.]

IV. Et quia sancta Romana Ecclesia, cui sollicitudo omnium Ecclesiarum in beato Petro principe Apostolorum est commissa, plures Metropolitanos in speciali sua diœcesi habet, sicut sanctus Leo apud Anastasium Thessalonicensem Episcopum monstrat. similiter & Alexandrina Ecclesia in sua diœcesi. sed & Antiochena sedes nonnullos Metropolitanos in sua diœcesi habet, sicut sanctus Innocentius ad Alexandrum eiusdem sedis Episcopum scribit, & in Ecclesiasticis historiis ac synodalibus gestis inuenimus, eisdem etiam Metropolitanis, quos suis Vicariis sancta Romana commisit Ecclesia, secundùm Nicænos sacros canones sua iura decreuit seruari, veluti ad eundem Anastasium idem beatus Leo scribens, Igitur, inquit, secundùm sanctorum patrum canones, spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum prouinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decreuimus, ita vt à regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant.] Attendendum est igitur, si Apostolica sedes Metropolitanis suæ specialis diœceseos, sicut in epistolis beati Gregorij ex Regesto legimus, quos propter longinquitatem suas vices agentibus delegauit, sua iura secundùm sacros Nicænos canones seruari præcepit, sicut & in epistola præfati Leonis ad prædictum Anastasium dicitur, Si quid graue, inquiens, intolerandúmque gessisset, Metropolitanus, nostra erat expectanda censura, vt nihil priùs ipse decerneres, quàm quid nobis placeret, agnosceres. Vices enim nostras ita tuæ credidimus caritati, vt in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.]

Ep. xxcviii. Epist. xx. Epist. 88. Epist. eadē ante superiora.

V. Illis Metropolitanis (qui & primates multoties in sacris canonibus appellantur, quíque in loco defunctorum Archiepiscoporum & Metropolitanorum ab Episcopis vniuscuiusque prouinciæ sine interrogatione alterius primatis præualent ordinari, & ex antiquæ consuetudinis lege, à sede Apostolica, cui sollicitudo & prælatio omnium Ecclesiarum in primatu est sancti Petri collata, pallij solent genio insigniri, & in loco decedentium Episcoporum, sine consultu vel licentia primatis alterius, in sua prouincia quique possunt Episcopos ordinare,) sua iura debent modis omnibus secundùm eosdem sacros Nicænos canones conseruari: qui inuiolabiliter decreuerunt, vt sicut Alexandrinæ Ecclesiæ, quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est, similiter & apud Antiochiam, ceteráſque prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesiis. De quibus sacris cano-

nibus præfatur sanctus Leo ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum ita passim dicit, Post consecrationem Antiocheni Episcopi, quam tibimet contra canonicam regulam vendicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, vt sacratissimas Nicænorum canonum constitutiones conareris infringere, tanquam opportunè se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris priuilegium sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, vt his locis iuri tuo subditis, omnes Metropolitani Episcopi proprio honore priuentur. Quibus inauditis & nunquam antè tentatis ita præueniris excessibus, vt sanctam Synodum, ad extinguendam solùm hæresim, & confirmationem fidei catholicæ, studio Christianissimi principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, & vt conniuentiam suam tibi dedat impellas, tamquam refutari nequeat quod illicitè voluerit multitudo.]

Epist. LVI.

VI. CONSONA his & in aliis decretis Apostolicæ sedis habentur, Quòd si & omnes sacerdotes & mundus adsentiat, damnatio consentientes inuoluit, non præuaricationem consensus absoluit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cùm generale fit ex priuato. Hoc enim Deus omnium indicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit. Et item S. Leo ad præfatum Anatolium, Illa, inquit, Nicænorum canonum per sanctum verè Spiritum ordinata conditio in nulla vnquam parte est solubilis. Nulla sibimet de multiplicatione congregationis synodalia Concilia blandiantur, neque trecetis illis decem, atque octo Episcopis quantumlibet copiosior numerus sacerdotum comparare se audeat vel præferre, cùm tanto diuinitùs priuilegio Nicæna sit Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitùs auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum.] & paulò pòst, Sancti illi & venerabiles patres, qui in vrbe Nicæna, sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt, & si quid vsquam aliter quàm illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur, vt quæ ad perpetuam vtilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum sunt commune præfixa: & manentibus terminis, quos constituerunt patres, nemo in ius tendat alienum, sed intra fines proprios atquè legitimos, prout quis valuerit, in latitudine caritatis se exerceat.] Aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes, & magnus vnicuiquè honor est integritas sua.

Ibid. post superiora.

VII. ET item idem ad Synodum Chalcedonensem scribens, De custodiendis, inquit, sanctorum patrum statutis, quæ in Synodo Nicæna inuiolabilibus sunt fixa decretis, obseruantiam vestræ sanctitatis admoneo, vt iura Ecclesiarum, sicut ab illis centum decem

Epist. LXV.

& octo patribus diuinitùs inspiratis sunt ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imminutionem suum aliquis quærat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, & appetitus suos Conciliorum æstimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit quicquid à prædictorum patrum canonibus discreparit. Quorum regulis Apostolica sedes quàm reuerenter vtatur, scriptorum meorum, quibus Constantinopolitani Antistitis conatus repuli, poterit sanctitas vestra lectione cognoscere, & me, auxiliante Domino nostro, & catholicæ fidei & paternarum traditionum esse custodem.] Et ad Martianum Augustum, Priuilegia Ecclesiarum sanctorum patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo fideliter exequendo, necesse est me perseuerantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ sanctionum, quæ in Synodo Nicæna, ad totius Ecclesiæ regimen spiritu Dei instruente sunt conditæ, me quod absit conniuente violentur, & maior sit apud me vnius fratris voluntas, quàm vniuersæ domus Domini communis vtilitas.] Epist. LVII.

VIII. Et ad Pulcheriam Augustam, Contra statuta paternorum canonum, quæ ante longissimæ ætatis annos in vrbe Nicæna spiritualibus sunt fundata decretis, nihil cuique audere conceditur: ita vt si quis diuersum aliquid decernere velit, se potiùs minuat, quàm illa corrumpat. Quæ si vt oportet à cunctis Pontificibus intemerata seruentur, per vniuersas Ecclesias tranquilla erit pax & firma concordia, nullæ de mensuris harum dissensiones, nullæ de ordinationibus lites, nullæ de priuilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni vsurpatione certamina, sed ea quæ iure caritatis rationabilis est & morum & officiorum seruabitur vnanimitas. & ille verè erit magnus, qui fuerit totius ambitionis alienus, dicente Domino, *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, erit vester minister. & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Et tamen hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, & de infimis ad summa transire.] Et ad Maximum Antiochenum Episcopum, Tanta apud me est Nicænorum canonum reuerentia, vt ea quæ sunt à sanctis patribus constituta, nec permiserim, nec patiar aliqua nouitate violari. Etsi enim diuersa nonnunquam sunt merita Præsulum, tamen iura permanent sedium, quibus etsi possunt æmuli perturbationem aliquam fortassis inferre, non tamen possunt minuere dignitatem. Nunc autem ad omnia generaliter pronuntiare sufficiat, quòd si quid à quoquam contra Nicænorum canonum statuta in quacumque Synodo vel tentatum est, vel ad tempus videtur extortum, nihil præiudicij po-

Epist. LVIII. Matth. 20. Marc. 10. Epist. LXVI. Maximo Antioch.

test inuiolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet consensionum pactum dissolui, quàm prædictorum canonum regulas ex vlla parte corrumpi.] Quoniam vniuersæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua canonibus reuerentia intemerata seruetur. Quicquid enim præter speciales causas synodalium Conciliorum ad examen Episcopale defertur, potest aliquam diiudicandi habere rationem, si nihil de eo est à sanctis patribus apud Nicæam diffinitum. Nam quod ab illorum regulis & constitutione discordat, Apostolicæ sedis nunquam poterit obtinere consensum.

IX. Et sanctus Papa Hilarus ad Leontium, Veranum, & Victorium, Episcopos, inter cetera ad locum, Ita vestræ caritati cognitionem adnexæ querimoniæ delegamus, vt nihil aduersum venerandos canones, nihil contra sanctæ memoriæ decessoris mei iudicium valeat, quicquid obreptum nobis esse constiterit. Nolumus namque, fratres carissimi, Ecclesiarum priuilegia, quæ semper sunt seruanda confundi, nec in alterius prouincia sacerdotis alterum ius habere permittimus, quia per hoc non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in iniuriam ipsius Domini prosilitur, cùm expectatio fructus nostri ministerij, non in regionum latitudine, sed in acquisitione ponitur animarum.] Et item idem ad Episcopos diuersarum prouinciarum, Hæc ad vniuersam caritatem vestram & iam per fratrem & coepiscopum nostrum Antonium scripta direximus. Quibus admoniti communis omnium sollicitudo procuret, ne quisquam frater in alterius proruptures iniuriam transcendat terminos venerandis Patribus constitutos.] De quibus terminis Antiochenum Concilium, in magna Synodo Chalcedonensi collaudatum, capite decimo tertio dicit, Nullus Episcopus ex alia prouincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem ministerij aliquos in Ecclesiis ordinare, licèt consensum videantur præbere nonnulli, nisi literis tam Metropolitani, quàm ceterorum qui cum eo sunt Episcoporum, rogatus adueniat, & sic ad actionem ordinatio accedat. Si verò nullo vocante inordinato more deproperet, super aliquibus ordinationibus, & Ecclesiasticis ordinationibus ad eum non pertinentibus componendis, irrita quidem quæ ab eo geruntur existant, ipse verò incompositi motus sui, & irrationabilis audaciæ subeat vltionem, ex hoc iam damnatus à sancto Concilio.] Et consona huic dicit in capite vigesimo secundo cuius conclusio talis est, *Si ordinare non potuerit, nullatenus iudicabit.*

[Margin: Epist. IV. — Epist. X. Hilari Papæ. — Conc. Antioch. can. XIII.]

X. Et hinc sanctus Gelasius in decretis ad omnes Episcopos de institutis Ecclesiasticis. Cúmque, inquit, nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nihil licere, & cùm sedes Apostolica superior his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa pio deuotóque studeat tenere proposito, satis indignum est quemquam vel Pontificum vel ordi-

[Margin: Epist. VI.]

num ſubſequentium, hanc obſeruantiam refutare, quam beati Petri ſedem & ſequi videat & docere, ſatíſque conueniens ſit, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quam illic vigere conſpiciat, vbi Dominus totius Eccleſiæ poſuit principatum.] Attendendæ ſummoperè ſunt omnibus noſtratibus inter ceteros præcipuè horum duorum heroum ſententiæ, Leonis & Gelaſij, ne præſumant diſcipuli, quod licere ſibi magiſtri non voluerunt, & ſi ad tanti tonitrui magniuocum ſonitum tremunt cedri, quid faciendum ſit tabulis. Ait enim Leo, quòd Nicænorum canonum per ſanctum verè Spiritum ordinata conditio in nulla cuiquam ſit parte ſolubilis.] In qua ſententia nulla perſona excipitur, quacumque prædita poteſtate vel dignitate. Et Gelaſius, Cúmque, inquit, nobis contra ſalutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nil licere, ſatis indignum eſt quemquam hanc obſeruantiam refutare, quam beati Petri ſedem & ſequi videat & docere.] Hinc ſanctus Auguſtinus, tempore prior, loco poſterior, ab omnibus ſedis Apoſtolicæ Pontificibus in ſuo tempore, ac poſt ſuum obitum, immò & à cuncta catholica Eccleſia inter magiſtros optimos receptiſſimus, in libro de vera religione dicit, Spiritualis homo iudicat omnia, ipſe autem à nemine iudicatur, id eſt, à nullo homine, ſed à ſola ipſa lege, ſecundùm quam iudicat omnia, quoniam & illud veriſſimè dictum eſt, Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Chriſti. Omnia ergo iudicat, quia ſuper omnia eſt quando cum Deo eſt, cum illo autem eſt, quando puriſſimè intelligit, & tota caritate quod intelligit diligit. Ita etiam quantum poteſt, lex ipſa etiam ſit, ſecundùm quam iudicat omnia, & de qua iudicare nullus poteſt: ſicut in iſtis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent cùm eas inſtituunt, tamen cùm fuerint inſtitutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipſis iudicare, ſed ſecundùm ipſas. Conditor tamen legum temporalium, ſi vir bonus eſt & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum eſt, vt ſecundùm eius incommutabiles regulas, quid ſit pro tempore iubendum vetandúmque diſcernat. Æternam igitur legem mundis animis fas eſt cognoſcere, iudicare non fas eſt.]

Epiſt. LVI. Anatolio. / Epiſt. VI. / Cap. 31.

XI. Cvivs ſententiam & beatus Gelaſius confirmat in decretis ad Epiſcopos per Dardaniam conſtitutos, dicens, Confidimus, quòd nullus iam veraciter Chriſtianus ignoret, vniuſcuiuſque Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, nullam magis exequi ſedem præ ceteris oportere quàm primam, quæ vnamquamque Synodum & ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit, pro ſuo ſcilicet principatu, quem beatus Petrus Apoſtolus Domini voce perceptum, Eccleſia nihilominus ſubſequente, & tenuit ſemper, & retinet.] Et Symmachus Papa ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum, Rationabile eſt, vt ſancta A-

Epiſt XI. ſub initiũ. / Epiſt XI.

relatensis Ecclesia propriis priuilegiis perfruatur, & quod vetustas præstitit, & patrum auctoritas roborauit, noua non debet violare præsumptio: sic tamen, vt ceterarum Ecclesiarum priuilegia temporibus acquisita non titubent, quia non potest ex parte firmum esse, quod generalitatis tangit iniuriam. Manentibus siquidem his, quæ patrum constituta singulis Ecclesiis concesserunt, decernimus vt circa ea, quæ tam in Gallia quàm in Hispania prouinciis de causa religionis emerserint, sollertia tuæ fraternitatis inuigilet.] & post aliquanta, Igitur quemadmodum suprà diximus, per singulas Ecclesias beneficia, quæ sunt diu custodita, seruentur.] Et hinc sanctus Hormisda in epistola ad beatum Remigium Remorum Episcopum scripsit, dicens, Dilectissimo fratri Remigio Hormisda. Suscipientes plena fraternitatis tuæ congratulatione colloquia, quibus nos germanæ salutis tuæ lætificauit indicio corporali cum spiritualibus officiis incolumitate subnixa, congruum esse perspeximus hanc ipsam quam mente gerimus verbis aperire lætitiam. Agis enim summi documenta Pontificis, dum & prædicanda facis, & ea insinuare non differs. Prærogatiuam igitur de nostri sumpsimus electione indicij, quando id operatum te esse didicimus, quod ceteris agendum obnixiùs imperamus, vt in prouinciis tanta longinquitate disiunctis, & Apostolicæ sedis vigorem, & patrum regulis studeas adhibere custodiam. Vices itaque nostras per omne regnum dilecti & spiritualis filij nostri Clodouei, quem nuper adminiculante superna gratia plurimis, & Apostolorum temporibus æquiparandis, signorum miraculis prædicationem salutiferam comitantibus, ad fidem cum gente integra conuertisti, & sacri dono baptismatis consecrasti, saluis priuilegiis, quæ Metropolitanis decreuit antiquitas, præsenti auctoritate committimus: augentes studij huius participatione ministerij dignitatem, releuantes nostras eiusdem remedio dispensationis excubias. Et licèt de singulis non indigeas edoceri, à quo iam probauimus acutiùs vniuersa seruari, gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, & laboraturis iniuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas, & decreta sanctissimis diffinita Conciliis ab omnibus seruanda mandamus. In his vigilantiam tuam, in his curam & fraternæ monita exhortationis ostendimus. His ea, quanta dignum est, reuerentia custoditis, nullum relinquit culpæ locum sanctæ obseruationis obstaculum. Ibi fas nefásque præscriptum est, ibi prohibitum, ad quòd nullus audeat adspirare, ibi concessum quid debeat mens Deo placitura præsumere. Quoties vniuersæ poscit religionis causa Concilium, te cuncti fratres euocante conueniant: & si quos eorum specialis negotij pulsat intentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa sacra lege determinando certamina. Quicquid autem illic pro fide & veritate constitutum, vel prouida dispensatione præceptum, vel personæ nostræ auctoritate fuerit confir-

matum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perueniat. Eo fit, vt & noster animus officij caritate dati, & tuus securitate perfruatur accepti. Deus te incolumem custodiat frater carissime.]

XII. Et sanctus Gregorius in epistola ad Virgilium Arelatensem Episcopum, Fraternitati tuæ, inquit, vices nostras in Ecclesiis, quæ sub regno sunt præcellentissimi filij nostri Childeberti, iuxta antiquum morem Deo auctore committimus. Singulis siquidem Metropolitis secundùm priscam consuetudinem proprio honore seruato, pallium quoque transmisimus.] Et in epistola ad Dominicum Carthaginensem Archiepiscopum, De Ecclesiasticis, inquit, priuilegiis quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia, sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua iura seruamus. Nec cuilibet fauente gratia vltra quàm meretur impartior, nec vlli hoc quod sui iuris est ambitu stimulante derogo: sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subuehi, dummodò non sit quod alteri iure ab altero possit opponi.] Et ad Natalem Salonitanum Episcopum, Quod, inquit, dicitis nostris temporibus debere seruari, quæ à meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt, absit hoc à me, vt statuta maiorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum iura perturbo.]

Lib. IV. epist. LII. Lib. II. epist. 39. Lib. eod. Epist. [illegible]

XIII. Hæc ita, vt suprà ostensum est, de antiquo iure singulis Metropolitanis seruando, & subsequentes sacram Nicænam Synodum Conciliorum canones statuerunt. Scilicet Antiocheni, dicentes. Per singulas regiones Episcopos conuenit nosse Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius prouinciæ gerere. Propter quod ad Metropolim omnes vndique, qui negotia videntur habere concurrant, & reliqua.] Et Constantinopolitani canones decreuerunt, vt illa quæ sunt per vnamquamque prouinciam ipsius prouinciæ Synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio. Et vniuersale Chalcedonense Concilium dicit, Regulas, inquiens, sanctorum patrum per singula nunc vsque Concilia constitutas proprium robur obtinere decreuimus.] Et item idem, Decreuit itaque sancta Synodus secundùm Patrum canones bis in anno Episcopos in id ipsum in vnaquaque prouincia conuenire, quo Metropolitanus antistes probauerit, & corrigere singula, si quæ fortassis emerserint.]

Can. IX. Can. 2. Can. I. Can. 19.

XIV. Sic & Africæ prouinciæ sancta Concilia decreuerunt, vt quæ in Nicæno Concilio statuta sunt omni modo conseruentur, & vt qui posteriùs ordinati sunt prioribus se non audeant anteferre. Vnde inter cetera ad locum dicit Aurelius, Non decuerat, inquiens, vt hæc repeteremus, nisi fortè existerent inconsideratæ mentes quorumdam, quæ ad hæc statuenda nostros acuerent sensus. Sed com-

Cap. LIII.

munis hæc causa est, quam insinuauit frater & consacerdos noster Valentinus, vt vnusquisque nostrum ordinem sibi decretum à Deo cognoscat, & posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Qua de re dico, prout captus animi mei retinet, eos qui putauerint spretis maioribus aliquid præsumendum, cōpetenter esse ab omni Concilio coercendos. Xantippus Episcopus primæ sedis Numidiæ dixit, Audiuit omnium fratrum præsentia prosecutionem fratris & consacerdotis nostri Aurelij, quid ad hæc respondent? Datianus Episcopus dixit, Quæ maiorum decreuit sententia nostro assensui mancipabuntur, vt quæ præteritorum Conciliorum gestis tenentur Carthaginensis Ecclesiæ nostra adsensione plenè apud omnes firma teneantur. Vniuersi Episcopi dixerunt, Hic ordo & à Patribus, & à maioribus seruatus est, & à nobis Deo propitio seruabitur, saluo etiam iure Primatus Numidiæ & Mauritaniæ.]

Conc. Mileuit. c. XIV. XV. Et item iidem sacri canones, Placuit, vt quicunque deinceps ordinantur per prouincias Africanas, litteras accipiant ab ordinatoribus suis, manu eorum conscriptas, continentes Consulem & diem, vt nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur. Vnde Pelagius, antecessor sancti Gregorij, ad Childebertum Regem Francorum (Pelag. I. Epist. XI.) scribit de Sapaudo Arelatensi Archiepiscopo, increpans eum, vt ipsius verbis vtamur, quoniam ad petitionem Episcopi ab eo ordinati in iudicium, sequentis ciuitatis Episcopi, quod nulla Ecclesiastica lege & ratione conceditur, iudicandum iuberetis occurrere, vt ipso de conculcato loci sui præiudicio conquerente, illum qui vsurpauit, necesse sit de illicita præsumptione culpari.] Et sanctus Gregorius vigilantissimè seruari decreuit, vt posteriores se prioribus non præferant, & vt nullus Metropolitanus in alterius Metropolitani prouincia, inconsulto eo quiddam iuris præsumat, (Interrogatione IX.) scribens ad Augustinum Anglorum Episcopum, In Galliarum, inquit, Episcopis, nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis Episcopus accepit, quem nos priuare auctoritate percepta minimè debemus.] Et post aliquanta, Ipse auctoritate propria Episcopos Galliarum iudicare non poteris, sed suadendo, blandiendo, bona quoque opera tua eis imitanda monstrando, prauorum mentes ad (Deu. 23. 25.) sanctitatis studium reforma, quia scriptum est in lege, Per alienam messem transiens falcem mittere non debes, sed manu spicas conterere & manducare. Falcem enim iudicij mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa, sed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis exspolia, & in Ecclesiæ corpus monendo & persuadendo, quasi mandendo conuerte. Quod verò ex auctoritate agendum est, cum prædicto Arelatensi Episcopo agatur, ne prætermitti possit hoc quod antiqua Patrum institutio inuenit.]

XVI.

XVI. Et quod de vno hoc primate Gallicano, qui à sede Apostolica pallium acceperat, dixit, hoc & de reliquis Gallicanorum & Belgicorum atque Germanicorum primatibus est vtique intelligendum. Inter quos, sicut & inter reliquos Episcopos, hæc conditio regularis seruatur, vt qui priùs fuerit ordinatus, prior habeatur. velut idem S. Gregorius in alia epistola ad præfatum Augustinum patenter ostendit. De quibus primatibus iidem sacri canones dicunt, vt quisquis Episcoporum accusatur, ad primatem prouinciæ ipsius causam deferat accusator. Et qui prouocandum putauerint, ad primates suarum prouinciarum, sicut & de Episcopis sæpè constitutum est, prouocent. Et Episcopus, qui ad Synodum non occurrerit, ad primatem suum iubetur rationem impedimenti sui reddere. Et si Episcopi, inter quos causa versatur, diuersarum sunt prouinciarum, ille primas debet iudices dare, in cuius prouincia est locus, de quo contenditur. & quæstio per Episcopos iudices iubetur finiri, siue quos primates dederint, siue quos inter se conquerentes vicinos ex consensu delegerint.

XVII. Ordo autem ac prærogatiua prioratus non solùm secundùm sacros canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum, inter Episcopos est conseruandus, verùm & inter presbyteros, sicut sanctus Leo in decretali sua epistola ad Dorum Beneuentanæ ciuitatis Episcopum, ex eisdem sacris canonibus promulgata, inter cetera dicit ad locum, Si ambientis intentio, aut imperita fauentium studia, id quod nunquam habuit consuetudo, poscebant, vt incipiens emeritis, & nouellus præferretur antiquis, tuæ fuerat industriæ atque doctrinæ, vt iniustè petentium desideria rationabili auctoritate cohiberes, ne quem in sacerdotali properè prouehebas honore, ad iniuriam eorum quibus sociabatur inciperet, minórque se fieret, dum in illo non humilitatis virtus, sed elationis vitium roboraretur. Neque enim ignorabas dixisse Dominum, quòd que se humiliat exaltabitur, qui verò se exaltat, humiliabitur. eundémque dixisse, *Quicumque vult inter vos maior fieri, sit vester minister, & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Vos autem quæritis de pusillo crescere, & de honore maiores esse. Vtrumque enim inordinatum, vtrumque præposterum est, & omnis laborum fructus aufertur, omnis meritorum mensura vacuatur, si tantum quis adsequitur dignitatis, quantum adulationis obtinuit, vt cupiditas eminendi non solùm superbientem minuat, sed etiam conniuentem. Si verò, vt asseritur, primi secundíque presbyteri circa Epicarpium sibimet præponendum, tam huic assentatio fuit, vt illum cum sui dedecore poscerent honorari, nec hoc quidem illis proprio se iudicio deiicientibus tribui debuit quod volebant, cui tam miseræ voluntati te dignius fuerat obuiare, quàm cedere. Deformis autem & ignaua subiectio bene sibi consciis, & non irritam facientibus gratiam Dei, præiudicare non potuit, vt prima-

Epist. vi.

tes suos quocumque commercio in alterutrum transferentes, subsequentium suorum minuerent dignitatem, & quem vltimum sibi anteposuerant, ceteris præmineret. Prædicti igitur presbyteri, qui indignos se honoris sui ordine sunt professi, licèt priuari etiam sacerdotio mererentur, tamen vt eis pro Apostolicæ sedis pietate parcatur, vltimi inter omnes Ecclesiæ presbyteros habeantur. Et vt iudicij sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria sententia sibimet prætulere, ceteris omnibus presbyteris in eo ordine permanentibus, quem vnicuique ordinationis suæ tempus adscripsit. Nec quisquam præter prædictos duos imminutæ dignitatis patiatur iniuriam, sed in eorum statum tantummodò hoc recurrat opprobrium, qui nouello & immaturè ordinato inferiores fieri elegere, vt illam Euangelicam sententiam ad se sentiant pertinere, qua dicitur, Quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis: & qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Paulus verò presbyter ordinem suum, de quo laudabili firmitate non cessit, obtineat. nec vlteriùs aliquid in cuiusquam præsumatur iniuriam.]

Matth. 7. 2.

XVIII. Hæc ita de iure singulis Metropolitanis conseruando, & vt posteriores se prioribus suis non præferant, sed ordinem sibi à Deo traditum quique conseruare procurent, à Nicænis canonibus spiritu Dei conditis, & totius mundi reuerentia consecratis, ceterísque sacris canonibus irrefragabiliter decretis, ac prouidentia & auctoritate Pontificum Apostolicæ sedis ex eisdem canonibus promulgatis, ad eorum qui sciunt memoriam, vel nescientium fortè notitiam commemorare debere putauimus, quoniam in Cisalpinis prouinciis delegatio vicium Apostolicæ sedis, propter Simoniacam hæresim exstirpandam, & ad præsumptionem, qua laici potentes repentè tonsurabantur, & ordinabantur Episcopi, amputandam, sicut in Apostolicæ sedis Pontificum, maximè autem in beati Gregorij epistolis legimus, fuit exorta, priuilegiis singularum prouinciarum Metropolitanis inconcussè iuxta sacras regulas conseruatis. Quæ temporibus Theodosij & Honorij Imperatorum, Pontificatu Papæ Zosimi, per septem prouincias, scilicet Viennensem, Lugdunensem, Narbonensem primam & secundam, & Alpinam, & Nouempopulanam, & secundam Aquitanicam emanauit, vt de his prouinciis honorati vel possessores, iudices & Episcopi præfatarum prouinciarum, ab Idibus Augusti quibuscumque mediis diebus in Idus Septembris, in vrbe Arelatensi, quæ & Constantina vocatur, ad Concilium forense vel Ecclesiasticum conuenirent. Ita vt de Nouempopulana & secunda Aquitanica, quæ prouinciæ longiùs constitutæ sunt, si eorum iudices & Metropolitanos occupatio certa retineret, legatos suos iuxta consuetudinem mitterent, sicut in edicto præfatorum Imperatorum, & in epistolis Apostolicæ sedis Pontificum inuenitur. Deinde hic primatus per præfatas prouincias Viennen-

ſi ciuitati commiſſus eſt, indéque hanc ſollicitudinem Epiſcopus Arelatenſis recepit.

XIX. DEMVM in regno Clodouei, nuper cum integra gente ad fidem conuerſi per ſanctam prædicationem beati Remigij, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, beatus Hormiſda vices ſuas eidem ſancto Remigio Remorum Durocortorum antiquæ Metropolis Epiſcopo, quæ præcedentibus temporibus habuit ſub ſe duodecim ciuitates, videlicet Sueſſionum, Catalaunorum, Veromandorum, Atrebatum, Camaracenſium, Tornacenſium, Siluanectum, Belgiuagorum, Ambianenſium, Morinum, id eſt, Ponticum, Bononienſium, & Laudunum clauatum, in quo caſtro ex ſua parochia idem ſanctus Remigius Africanorum canonum & Apoſtolica fultus auctoritate conſtituit Epiſcopum, per Belgicas & quaſdam prouincias Gallicanas commiſit, vt Dei Eccleſias, quas Franci adhuc pagani deuaſtauerant & incenderant vniuerſa prædantes, & quæcumque perperam geſta fuerant, ad debitum ſtatum reduceret, manente priuilegio Arelatenſi Eccleſiæ in ſibi antiquitùs delegatis prouinciis.

XX. POSTEA verò, tempore beati Gregorij Virgilius Arelatenſis Epiſcopus, petente Childeberto rege, in regno ipſius, ſicut deceſſores illius in præfatis prouinciis habuerant, hanc delegationem eodem beato Gregorio committente ſuſcepit. Denique tempore Caroli principis, quando propter diſcordiam & contentionem de principatu inter eum & Raganfredum, & frequentia ac ciuilia imò plus quàm ciuilia, quia inteſtina & parricidalia bella, in Germanicis & Belgicis ac Gallicanis prouinciis omnis religio Chriſtianitatis penè fuit abolita, ita vt Epiſcopis in paucis locis reſiduis, Epiſcopia laicis donata & rebus diuiſa fuerint, adeò vt Milo quidam tonſura clericus, moribus, habitu, & actu irreligioſus laicus, Epiſcopia Remorum ac Treuirorum vſurpans inſimul, per multos annos peſſumdederit: & multi iam, maximè in Orientalibus regionibus, idola adorarent, & ſine baptiſmo manerent, Gregorius à primo ſecundus, ſed & tertius Gregorius, Winfrid cognomento Bonifacium Legatum Apoſtolicæ ſedis ad reformandam Chriſtianitatis religionem, primò preſbyterum, poſteà verò Epiſcopum ordinatum direxerunt. Cui per annos vigintiquinque in eadem prædicatione ſine cardinali ſede laboranti, præfatorum ſucceſſor Zacharias Papa inter cetera in priuilegio ſibi directo ſcripſit atque firmauit ad locum ita dicens, Vbi Deus prædicationem tuam auxit, obtinere voluiſti, vt tibi Epiſcopalem Eccleſiam, vel ſucceſſoribus tuis confirmare debeamus, iuxta eorumdem filiorum noſtrorum Francorum petitionem. Et idcirco auctoritate B. Petri Apoſtoli ſancimus, vt ſupradicta Eccleſia Moguntina perpetuis temporibus tibi & ſucceſſoribus tuis in Metropolim ſit confirmata, habens ſub ſe has quinque ciui-

Lib. IV. Epiſt. LII.

Epiſt. XIV.

tates, id eſt, Tungris, Coloniam, Warmaciam, Spiratiam, & Trectis, & Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per ſuam prædicationem Chriſti lumen cognoſcere fecit. His à nobis diffinitis, per huius noſtræ confirmationis paginam in tua Eccleſia perpetuis temporibus pro ſuî confirmatione hæc conſeruari mandamus.] Sic enim

Cap. xxcvi. & ſacri Africæ prouinciæ canones decreuerunt, vt quos adminiculante diuina gratia Epiſcopus potuerit lucrari ad catholicam vnitatem, ad ipſum pertineant.

XXI. De Primatu quoque in aliis prouinciis item idem Zacha-

Epiſt. viii. rias Papa ad eundem Bonifacium ſcripſit hoc modo, Et quia ſi deberes in Baioariæ prouincia ius habere prædicationis ſciſcitaſti, an non, quam à deceſſore noſtro habuiſti conceſſam, nos denique, auxiliante Deo, ea quæ tibi largitus eſt deceſſor noſter, non minuimus, ſed augemus, & non ſolùm Baioariam, ſed etiam omnem Galliarum prouinciam, donec te diuina iuſſerit ſupereſſe maieſtas, noſtra vice per prædicationem tibi iniunctam, quæ repereris contra Chriſtianam religionem, vel canonum inſtituta, ſpiritaliter ſtude ac ad normam rectitudinis reformare.]

XXII. Sed & cùm Ebbo quondam Remorum Epiſcopus ſe in Synodo quadraginta quatuor Epiſcoporum ſcripto & propria ſubſcriptione ac viua voce pro criminibus ſuis damnauit, & à ſacerdotali miniſterio alienum reddidit, quem poſtea Sergius Papa, ſicut etiam in geſtis eius legitur, condemnauit, defuncto domno Hludouico Imperatore, contentione de regno inter filios eius exorta, primùm ad Hlotarium, deinde ad Hludouicum damnatus idem Ebbo ſe contulit. Qui Reges, quoniam per merita ſanctorum, adminiculante Domino & domno noſtro Karolo, violentia non valebant, per inſidias, tam apud Apoſtolicam ſedem, quàm & apud quoſcumque valebant Epiſcopos, & quaquauerſum poterant, Remorum Epiſcopo laqueorum tendicula iniicere quæ præparauerant, & res ipſius Remenſis Eccleſiæ, quæ in diuerſis Regnis ſitæ ſunt, à pluribus vſurpari cœperunt, gratia & nomine Benedictus Papa, in priuilegio Remorum Epiſcopo, qui nunc eidem ſeruit Eccleſiæ, B. Petri & Apoſtolicæ ipſius ſedis auctoritate, ſecundùm ſacros canones, & decreta deceſſorum ac prædeceſſorum ſuorum collato, ita dicit ad locum, Inter hæc quidem & hoc ſancimus, ne quilibet tuæ diœceſeos regulis ſubiectus Eccleſiæ, te contempto, impunè audeat ſeu valeat aliena expetere aut expectare iudicia, vt almorum traditionibus patrum canonúmque promulgationibus eſt conſtitutum, ſaluo in omnibus iure Apoſtolicæ noſtræ ſedis, vt ab ipſo veluti Chriſto ſacris eſt cautum canonibus: ſed cuncti, ſiue in prælatione, ſiue in ſubditione debita, ordinem ab Eccleſiaſticis regulis traditum obſeruantes, obediant & ſtudioſiùs obtemperare procurent.

XXIII. In quo decreto & beati Innocentij ſcribentis ad Vi-

ctricium Rothomagensem Episcopum est secutus decretum, quo dicit, Si quæ, inquiens, causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis, quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, placuit vt secundùm Synodum Nicænam, congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis, iudicium terminetur. Nec alicui liceat, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri, relictis his sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Ecclesias nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias. Quod si quis fortè præsumpserit, & ab officio cleri summotus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causæ in medium fuerint deuolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referantur.] De qua hic specialiter reuerentia dicat, Apostolicæ sedi reseruari debere, cui in omnibus rebus debet reuerentia custodiri, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, & quos canones, tertio & quarto ac septimo demonstrat capitulo. Innocẽt. I. Epist. I.

XXIV. De quibus & S. Gelasius in commonitorio dato Fausto contra Orientales Episcopos dicit ita, Viderint ergo, si alios habent canones, quibus suas ineptias exequantur. Ceterùm isti, qui sacri, qui Ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, sedem Apostolicam ad iudicium vocare non possunt.] Et aliquanto superiùs, Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri, ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, & reliqua.] Qui verò præfatam epistolam sancti Innocentij ad Victricium Rothomagensem Archiepiscopum, ex sacris canonibus promulgatam, de qua præmissi decreti eius sententiam hîc posuimus, diligenter à principio suî vsque ad finem relegerit, inueniet eadem de priuilegiis singulorum Metropolitanorum, scilicet primatuum prouinciarum, quæ & sanctus Bonifacius ad Episcopos Gallicanos & ad Hilarium Narbonensem Episcopum constituit, videlicet, vt nullus Metropolitanus duas Metropolitanas ciuitates, duásque prouincias debeat habere subiectas, sed vnaquæque prouincia Metropolitani sui in omnibus rebus ordinationem semper expectet, & de maioribus causis ad sedem Apostolicam singuli Metropolitani ex suis prouinciis post Episcopale iudicium referant, vt quicquid singuli Metropolitani cum suis suffraganeis duxerint decernendum, cùm relatum ad sedem Apostolicam fuerit, eius, vt condecet & necesse est, auctoritate firmetur, aut emendetur. Epist. IIII.

XXV. Sed & qui vigilanter eandem epistolam recensuerit, reperiet beatum Innocentium decreuisse, ea quæ in illa scripta sunt, & à cunctis prouinciarum primatibus & ab omnibus Episcopis debere seruari. Et item in præfato beati Benedicti Papæ priuilegio est decretum, Et hoc promulgamus atque statuimus, vt te, qui primas ipsius prouinciæ esse dinosceris, nullius vnquam infestatione contra

canonica Apostolicáque decreta, siue iudicia Ecclesiastica tibi commissa, aut virtute aut facultate nudari, vel ante audientiam Romani Pontificis, à quocumque damnari statuimus, omnem iudicandi ordinem comprehendit, vt suis videlicet liberè vtens legaliter ac regulariter, si iudicandus est, ad electorum iudicum, vel ad eius Vicarij, cùm fuerit specialiter ad hoc deputatus, iudicium intra suæ terminos prouinciæ prouocetur pro certis existentibus causis, quibus maiores natu legaliter ac regulariter apud canonicos iudices accusari valent, dierum & dilationum, atque in discussione personarum accusantium & testificantium, vtrum debeant vel non debeant ad accusationem vel testimonium admitti, canonica & legali forma seruata, & sic demum legaliter vel regulariter conuictus vel confessus Apostolici Papæ iudicio Primas Remorum prouinciæ reseruetur, sicut S. Leo ad Anastasium cui vices suas commisit de Metropolitano scripsit Episcopo, Sed etiam, si quid graue intolerandúmque gessisset, nostra erat expectanda censura, vt nihil priùs ipse decerneres, quàm quid nobis placeret agnosceres. Vnde & in præfato priuilegio sequitur, Sed si compellatus appellare ad hanc sanctam Sedem volueris Apostolici Papæ iudicio reseruari, nostra immo beati Petri Apostoli auctoritate præcipimus, nec alicui cuiuscunque iuri vel iudicio te subiici excepta potestate sedis Romanæ Pontificum.]

Epist 88.

XXVI. Et in hac sententia canonici priuilegij domni Benedicti attendat, si quis fortè supra mensuram suam ire voluerit, & non de his quibus dicit Dominus, *Ecce ego mitto vos*, sed de his esse delegerit, de quibus Dominus dicit, *Ipsi ibant, & ego non mittebam eos.* quia Primas Remorum prouinciæ Apostolici Papæ iudicio reseruari B. Petri Apostoli auctoritate cum anathematis interdictione præcipitur, & nec alicui cuiuscunque iuri vel iudicio submitti permittitur, excepta potestate sedis Romanæ Pontificum. Contra quæ, si aliquis nostratium præsumere nõ voluerit, sed obaudiens Apostolum dicentem, *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam*, caritosè, sicut frater à fratre, quæ pacis & dilectionis sunt expetierit, audiet cum Apostolo, *Cùm liber essem ex omnibus*, duntaxat vobis, *omniũ vestrûm me seruum feci. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Iesum*, salua memorata conditione priuilegij gratia & nomine Benedicti. Si autem non desierit digitum extendere, & loqui quod non prodest, audiet cum Apostolo, *Tu quis es, qui iudicas cum Apostolo alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit. stabit autem. potens est enim Deus statuere illum*, &, *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer.* ne illa, quæ auctoritate canonica atque Apostolica ædificata sunt in præfato priuilegio, mea destruantur consensione, dicente magno Papa Leone ad Leonem Augustum, cùm peteretur annuere, quæ illi fas non erat consentire, Si quæ, inquit, destruxi, hæc ædifico, præuaricatorem me constituo, & eis me vltionum con-

Matth. 10. Ioan. 23. Philip. 2. 1. Cor. 9. 2. Cor. 4. Rom. 14. 4. 1. Cor. 4. 3. Ep. xxciv.

ditionibus subdo, quas non solùm auctoritas beatæ memoriæ principis Martiani, sed etiam ego mea consensione firmaui, quia, vt idem alibi dicit, sicut in mala suasione delinquitur, ita & in mala consensione peccatur.] Sequitur in eodem priuilegio.

XXVII. Et hoc volumus, ne quilibet ex prouincia & diœcesi Metropoli tuæ tibíque subiecta, ius secundùm Ecclesiasticas constitutiones primatui Ecclesiæ tuæ & tibi debitum quoquo modo per contemptum conuellere, aut tibi vel Ecclesiæ tuæ quamcumque violentiam, contra eadem canonica constituta, & decreta Romanorum Pontificum, pertinaciter inferre præsumat, cum anathematis interpositione, nostra Apostolica & beati Petri Apostolorum principis auctoritate prohibemus. Optamus fraternitatem tuam in Christo nunc & semper bene valere.] Quæ constitutio quantum sacris canonibus Nicænæ, Antiochenæ, Chalcedonensis, Sardicensis, & Africæ prouinciæ Synodis, sed & decretis Apostolicæ sedis Pontificum ac sacris legibus consonet, nemo est qui dubitat, si sacros canones & decreta sedis Romanæ Pontificum, ac venerandas leges cognitas habet. Quia enim scriptum est, *post concupiscentias tuas non eas.* &, *altiora te ne quæsieris.* & beatus scribit Hormisda, Eleuatio semper adfert saluti periculum, per quam ipsius inuentor diabolus angelica potestate priuatus est, satis supérque suffecit, ac sufficit, sempérque sufficiet præsignato Remorum Ecclesiæ seruienti, quæ per sacros canones & decreta sedis Romanæ Pontificum vnicuique sunt Metropolitano collata. Eccle.18. Eccli.3.

XXVIII. Hæc tantùm propter vitandam prolixitatem, quia hinc sufficienter in canonibus sacris & in decretis prædecessorum suorum habetur, de priuilegio domni Benedicti, quod in scrinio sanctæ Romanæ Ecclesiæ noscitur contineri, & in Synodo apud Suessiones ostensum est, & si necesse fuerit, adhuc valet ostendi, duximus commemoranda: non vt domni & patris nostri Apostolici Papæ Ioannis canonicis & Apostolicis præceptionibus quod absit resultemus, qui etiam ante & post priuilegia hæc collata, sedis Apostolicæ iussione, & domni tunc regis Caroli, nunc autem gratias Deo Imperatoris Augusti, verùm & inuitatione confratrum ac Coepiscoporum nostrorum, sequentes Apostolicam regulam, quæ dicit, *Per caritatem seruite inuicem, subiecti inuicem in timore Christi*, per diuersa loca, diuersásque prouincias, ad Synodos conuenire studuimus, & prout dederit Dominus posse studebimus, vt prædictum est, & sæpè dicendum est, quia non ab re est sæpiùs verbo repetere, quod semper necesse est animo retinere, seruato iure priuilegij domni Benedicti, si nos fraterna caritas inuitauerit, potiúsque iussio Apostolicæ sedis, & præceptio domni nostri Caroli Imperatoris Augusti nos ad Synodum, sicut præcipiunt regulæ, vocare decreuerit pro talibus, quæ fortè prouinciali nequiuerint examine diffiniri, maxi- Gal.5.

mè in causa fidei, vel generalis religionis, sicut in Apostolicæ sedis Pontificum, & in epistolis legimus Augustorum. Quoniam Imperatorum auctoritate conuocatas generales Synodos, & in historiis Ecclesiasticis, & in epistolis Apostolicæ sedis Pontificum reperimus.

XXIX. Et sanctus Gregorius Reges Francorum Synodos in Gallicis & Belgicis prouinciis conuocare sæpe commonuit. Sed quoniam, vt Leo monuit, mens potentiæ auida nec abstinet vetitis, nec gaudet concessis, & difficile est vt cupiditas improborum non aliquid supra mensuram moliatur appetere: ne quis nostrûm oblitus præceptionis Apostoli, immò per Apostolum Domini, qui dicit, *In omnibus exhibeamus nos ipsos sicut Dei ministros, nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum*, aut improbitate, aut assentatione contra præfata priuilegia pertinaciter moliatur insurgere, & periculum intentatæ damnationis possit incurrere, decernente Zosimo Papa ad Aurelium, & vniuersos Episcopos per Africam constitutos, vniuersósque Episcopos per Gallias & septem prouincias constitutos, & vniuersis Episcopis per Hispaniam constitutis, à pari. Cùm aduersus, inquit, statuta Patrum venitur, non tantùm illorum prouidentiæ atque sententiæ, qui in æuum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodo fidei & catholicæ disciplinæ irrogatur iniuria.] Et sanctus Hilarus Papa, vt suprà ostendimus, dicit, Non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in iniuriam ipsius Domini prosilitur.] Et sanctus Papa Symmachus ad Cæsarium Arelatensem Episcopum dicit, Cùm ad Trinitatis instar, cuius vna est atque indiuidua potestas vnum sit per diuersos antistites sacerdotium, quemadmodum priorum statuta à sequentibus conuenit violari? Huc accedit, quòd hæc si eueniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem credimus pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa, quæ à sacerdotibus Domini semel statuuntur perpetua sint. Quod aliàs contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim Vicariis beatissimi Petri Apostoli iudicabitur esse reuerentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, eisdem transeuntibus dissoluantur?] Et sanctus Leo Papa in decretis suis præfixit, Hoc itaque admonitio nostra denuntiat, quòd si quis fratrum contra hæc constituta venerit, vel venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis

Epist. LVI. Anatolio.

2. Cor. 6.

Epist. VI.

Epist. II.

Epist. I.

Epist. I.

quis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari.] Quia enim in Lege & in Euangelio duorum vel trium teſtium rata ſententia comprobatur, quanto ſtudio horum quatuor, de qualibus dicit Dominus, *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re fiet*, de præſtitutis anteriorum priuilegiis conſeruandis vniformis ſententia debeat conſeruari, cordatus quiſque attendat; & vnde quiſque noſtratium pro fideli reuerentia ac conſeruatione meritum ſibi beatæ remunerationis poteſt acquirere, ne præuaricando periculum incurrat, magnoperè caueat.

XXX. TANDEM breuiter commemorare cenſuimus, quia ſancto & venerando viro Bonifacio in Friſia verbum Domini prædicante, anno Incarnationis Dominicæ DCCLIV. martyrio coronato, & Simoniacæ hæreſis prauitate, & neophytorum præſumptione, ac ceteris quibuſque pro temporum opportunitate & qualitate compoſitis, hactenus prouinciæ Ciſalpinæ, temporibus Pipini regis, & Karoli ac Hludouici Imperatorum, ſine hoc primicerio vel primate à ſede Apoſtolica delegato annos circiter * viginti tres manſerunt, & Metropolitanis ſingulis ſuo iure ſeruato, Apoſtolicæ ſedis fauore, & principum ſuorum diſpoſitione, ſecundùm ſacros canones, & decreta eiuſdem ſanctæ ſedis Pontificum, quæque fuerunt agenda, venerabiles Epiſcopi per auctoritatem canonum ſacrorum, & decreta ſedis Romanæ Pontificum peregerunt. *immo annos nonaginta.*

XXXI. DROGO interea Metenſium Epiſcopus, faſtu regiæ proſapiæ ſubuectus, hanc prælationem in Ciſalpinis regionibus, nacta quadam occaſione, tempore Hlotharij Imperatoris apud Sergium Papam obtinuit, ſed quod affectu ambiit, effectu non habuit: & quod efficaciæ vſu, non conſentientibus quibus intererat, obtinere non potuit, patientiſſimè vt eum decuit tolerauit, ne ſcandalum fratribus & conſacerdotibus generans, ſchiſma in ſanctam Eccleſiam introduceret. Quem tantæ generoſitatis ac dignitatis virum quiſque noſtrûm imitari debuerat, ne indebitè appeteret quod non habebat, qui ſine contentione non exequi pertulit quod adeptus fuerat. Cùm legamus, quia prauorum præſumptio, non ſolùm ex ſua tortitudine, verùm etiam ex comparatione rectorum, quàm ſit damnanda monſtratur, dicente ſcriptura, *Probata autem virtus corripit inſipientes.* quantúmque fraternum ſcandalum, vt ex altitudinis noſtræ rapina, ſi fortè aliquis noſtrûm hoc morbo laborat, fratribus ſcandalum non generemus, vitare debeamus, Domini ſententia demonſtrat dicentis ad Petrum, vt vitando ſcandalum exigentibus cenſum pro eo & pro ſe daret, quem non debebant. Sap. 1.

XXXII. ET quoniam anni triginta ſecundùm leges publicas, vt notum eſt, & iuxta conſtitutionem Eccleſiaſticam, vt demonſtrat Gelaſius Papa, humanas adimunt quæſtiones, & Iuſtiniana lege, ac decreto beati Gregorij ex eadem lege promulgato, ne-

gotia inter venerabiles Ecclesias, ac monasteria, locáque religiosa anni quadraginta determinant, si superstitiosus appetitus excellentiæ auidarum mentium nostrarum sufferre valeret, non sedem Apostolicam, vel aures Imperiales, sine vlla noua necessitate, pro hoc indebito supercilio inquietaret, cùm quies Episcoporum Cisalpinarum prouinciarum, sine huius inquietudinis scandalo atque dispendio, post tanta tempora manere valeret. Si enim quique nostrûm regulam pastoralem beati Gregorij sequi per omnia vt debueramus maluissemus, metas nostræ mensuræ nequaquam transcenderemus. & quod cuiuscumque nostratium ciuitas vnquam non meruit, appetere deuitaremus. Timere quippe ac cauere debemus, quæ passim beatus Gregorius in epistola ad Ioannem Constantinopolitanum Episcopum Roma scripsit, & vnicuique nostrûm altiora se quærenti de cælo dicit, Perpende, inquiens, rogo, quia in hac præsumptione temeraria pax totius turbatur Ecclesiæ, & gratiæ contradicitur communiter omnibus effusæ. In qua nimirum ipse tantùm crescere poteris, quantum penes temetipsum decreueris: tantóque maior efficeris, quanto te à superbi & stulti vocabuli vsurpatione restringis. atque in tantum proficis, in quantum tibi non studueris derogando fratribus arrogare. Quis rogo in hoc tam peruerso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt & nulli subesse, & solus omnibus præesse videretur? Qui etiam dixit, In cælum conscendam: super astra cæli exaltabo solium meum. sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Quid enim fratres tui, omnes vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cæli sunt? quorum vita simul & lingua, inter peccata errorésque hominum, quasi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, eorúmque nomen tuî comparatione calcare, quid aliud dicis, nisi, in cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum? An non vniuersi Episcopi nubes sunt, qui & verbis prædicationis pluunt, & bonorum operum luce coruscant? Quos dum vestra fraternitas despiciens sub se premere conatur, quid aliud dicit, nisi hoc quod ab antiquo hoste dicitur, Ascendam super altitudinem nubium? Pestilentia & gladius per mundum sæuit, gentes insurgunt gentibus, terra concutitur, orbis cum habitatoribus suis terra dehiscente sorbetur, omnia enim quæ prædicta sunt fiunt. Rex superbiæ propè est, & quod dici nefas est, sacerdotum est præparatus exercitus, quia ceruici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, vt ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re, etiamsi nostra lingua minimè contradicat, illius virtus contra elationem in vltionem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter aduersatur. Hinc enim scriptum est, Deus

Lib 11. epist. 38.

ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Hinc rurſus dicitur, Iac.14.
Immundus eſt apud Deum qui exaltat cor. hinc contra ſuperbien- Eccle.10.
tem hominem ſcriptum eſt, Quid ſuperbis terra & cinis? hinc per ſemetipſam veritas dicit, Omnis qui ſe exaltat humiliabitur. Quæ vt Luc.14.& 18.
nos ad viam vitæ per humilitatem reduceret, in ſemetipſa dignata eſt quod nos admonet demonſtrare, dicens, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Numquidnam mente excidit, quod veritas dicit, Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt, expe- Matth.18.
dit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris? Quod tamen ſi conſiderare negligimus, contra tantæ elationis tumorem iudicia ſuperna vigilabunt.]

XXXIII. His ita ſe habentibus, quia, vt S. Leo dicit, quoties Epiſt.LXVI.
ob occurrentes cauſas generalis congregatio facta fuerit ſacerdotum, difficile eſt vt cupiditas improborum non aliquid ſupra menſuram moliatur appetere, ſicut ſæpè & etiam in vniuerſalibus Synodis legimus accidiſſe, ſi quid in hoc humilitatis noſtræ conuentu, duorum vel trium fauore, ac paucorum ſilentio, faſtu Imperialis potentiæ, contra ſupraſcripta ſacrorum canonum & Apoſtolicæ ſedis Pontificum decreta ex eiſdem ſacris canonibus promulgata, contráque ſingulis Metropolitanis antiqua priuilegia, etiam & per ſacras leges, quibus vnà cum venerandis canonibus ſancta moderatur Eccleſia, conſeruanda, immaturo atque inconſiderato iuſſu eſt ſuperinductum, ſiue ſancitum, prohibente Domino, vt non plantetur nemus ſecus templum ſuum, id eſt ne obumbretur, & decoloretur typo terreni principatus ſinceritas & fulgor humilitatis Eccleſiaſticæ, iuxta decreta myſticæ Nicænæ Synodi, quo dicitur, Si duo aut tres propter contentiones proprias contradicunt, obtineat ſententia plurimorum, ſpretiſque, vt diximus, ſi duo vel tres propter aſſentationem fortè non corde, ſed verbo, vel ſilentio conſpirauerunt, generalitas noſtra Deo auctore non annuit, ſed corde ac contradicente ore conſtantiſſimè abnuit, & ſententia plurimorum debitum robur atque vigorem obtinuit, obtinet, ac adiuuante Domino perpetim obtinebit. Quia, vt memoratus ſanctus Leo ad Maximum Antiochenum Epiſcopum ſcripſit, Si quid à quoquam contra Nicænorum canonum ſtatuta Epiſt.66.
in quacumque Synodo vel tentatum eſt, vel ad tempus videtur extortum, nihil præiudicij poteſt inuiolabilibus inferre decretis. Et facilius erit quarumlibet conſenſionum pactum diſſolui, quàm prædictorum canonum regulas ex vlla parte corrumpi.]

XXXIV. De eo autem quòd quidam frater Imperiali edicto velut dato ſibi collatum fuiſſe, (quod non illi, ſed nobis de illo, ſicut lectionis auditu comperimus, à ſede Apoſtolica eſt directum, quibus non eſt donatum,) viſus eſt exultaſſe, idem S. Leo ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ſcripſit. Alia, inquit, ratio Epiſt.LIV.
eſt rerum ſæcularium, alia diuinarum, nec præter illam petram, quam

Dominus in fundamento posuit stabilis erit vlla constructio. Propriâ perdit, qui indebita concupiscit.] Et vt Gelasius dicit, nunquam inuenitur de Pontificibus nisi Ecclesiam iudicasse, & non esse humanarum legum, de talibus ferre sententiam absque Ecclesiæ principaliter constitutis Pontificibus, obsequi solere Principes Christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem, Episcopis caput subdere Principem solitum, non de eorum capitibus iudicare.

XXXV. Et in lege Valentiniani, Theodosij, & Archadij decretum est de Episcopis. Habent, inquiunt, illi iudices suos, nec quicquam his publicis commune cum legibus, quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali auctoritate decidi.] Quæ non dicimus, quod absit, potestati ac per hoc Dei ordinationi resistentes, sed potiùs obsequentes, quia sicut Dominus præcepit reddi quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, ita quæ sunt Imperatoris obsequia obedienter ipsius obsequiis exhibemus, & quæ sacerdotij sunt ordini sacerdotali dependimus, sicut memoratus sanctus Papa Gelasius ad Anastasium Imperatorem discreuit atque decreuit, Duo sunt, inquiens, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, & regalis potestas, in quibus tanto grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quòd licèt præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expectas, inque sumendis cælestibus sacramentis, eisque vt competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potiùs quàm præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus humanis exclusæ videantur obuiare sententiæ, quo rogo te decet affectu eis obedire, qui prærogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Proinde sicut non leue discrimen incumbit Pontificibus, siluisse pro diuinitatis cultu quod congruit: ita his quod absit non mediocre periculum est, qui cùm parere debeant despiciunt.]

Matth. 22.

Epist. x.

XLV.

AD QVENDAM EPISCOPVM,

De translationibus Episcoporum, contra Actardum Namnetensem.

Nunc primùm in lucem edita ex Codice Virdunensi.

SERVVS CHRISTI ET SERVORVM EIVS dilecto fratri & venerabili Episcopo salutem.

DE quibus apud exiguitatem meam prudentia tua perquirit, & mox ac festinatò breuitérque sibi quid inde sentiam obnixè responderi deposcit, obediens postulanti respondeo cui negare nihil habeo, quia nec debeo, dicente scriptura, *Qui abscondit frumenta maledicitur in populis, benedictio autem super caput vendentium,* Prou.11.26. id est, Qui scientiæ verbum abscondit, à Domino audiet, *Serue male & piger, quare non dedisti pecuniam meam ad mensas, & ego veniens recepissem vtique quod meum est cum vsura?* Luc.19.23. Benedictio autem super caput vendentium, quoniam qui dat conseruis in tempore tritici mensuram, à Domino audiet, *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Matt.25.21 & quidam catholicus doctor ait, Inuidiæ siquidem maculam de sese non abluit, qui alteri conferre denegat hoc quod sentit. Igitur quæ non suffers tibi per tempus pleniùs ac latiùs responderi, breuiter ac capitulatim, ab exordio rei huius incipiens, ad interrogata rescribo.

CAP. I. AD quid Dei filius formam serui accepit Apostolus monstrat dicens, *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiuit, in quo omnes peccauerunt.* Rom.5.12. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quoniam Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.*

II. AD quid Apostoli ab eo sunt ordinati, ipse manifestat dicens, *Ecce ego mitto vos, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Luc.10.3. Matt.28.19 *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Matth.5.16

III. HORVM in Ecclesia locum tenent Episcopi, de quibus quasi ore ad os alloquens Ecclesiam per Apostolos fundatam, Spiritu sancto afflatus Psalmista præcinuit dicens, *Pro patribus nati sunt tibi filij.* Psal.44.17. qui ordinantur singuli, secundùm Apostolicam traditionem, per singulas ciuitates, & sicut ad Titum scribit Apostolus, *Huius*, in- Tit.1.5.

quiens, *rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per singulas ciuitates presbyteros*, id est, Episcopos, sicut paulo post demonstrat, *Oportet*, inquit, *Episcopum sine crimine esse*. Episcopus
Ibid.7. enim nomen est officij, sicut presbyter est nomen ætatis, non corporeæ, sed sapientiæ & vitæ immaculatæ. Sicut per quendam sapien-
Sap.4.8. tem dicitur, *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. cani sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis vita immacu-*
Num.11.16 *lata*. Hinc est ergo quod ad Moysem Dominus dicit, *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti quòd senes populi sint*. in quibus quid aliud quàm senectus cordis requiratur, cùm tales iubentur eligi qui senes sciuntur? Si enim senectus in eis corporis quæreretur, à tantis sciri poterant, à quantis videri. Dum verò dicitur quos tu nosti quòd senes populi sint, profectò liquet, quia vt sanctus dicit Gregorius, senectus mentis, non corporis, eligenda mon-
1.Tim.4.12 stratur. Hinc & Paulus ad Timotheum scribit, *Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate*. Hanc autem traditionem, singulos per singulas ciuitates ordinandos Episcopos, auctoritas Apostolica constituit, sicut sanctus Clemens, successor beati Petri Apostoli, ex traditione ipsius promulgauit, veluti sanctus Anacletus ab ipso B. Petro Apostolo presbyter ordinatus, postea Romanæ sedis Episcopus, in epistola sua demonstrat, docente sancto Spiritu per Prophetam,
Psal.59.8. *Deus loquutus est in sancto suo, lætabor & partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum dimetiar*. Hinc sanctus Basilius, Nunc, inquit, quòd hanc præcipuam & veluti priuatam quandam hereditatem populi in diuisionem vocabo, & communem cum ceteris omnibus faciam. Cùm autem diuisum fuerit testamentum in omnes, & cuncta eius vtilitas vniuersis cœperit esse communis, Deo pro nobis omnibus melius aliquid prouidente, tunc etiam conuallis tabernaculorum dimetietur, hoc est vniuersus orbis terrarum, qui vallis tabernaculorum pro habitaculis corporis dictus est hic, velut quadam sorte diuisus atque dimensus per singula loca Ecclesiarum Dei parochiis & incolatibus distinguetur. tunc etiam ea quæ diuisa sunt in vnitate fidei congregabit ille qui pacificat per sanguinem suum quæ in terra sunt, siue quæ in cælis, & qui medium parietem sepis soluens facit vtraque vnum.]

IV. Ordinantvr autem singuli Episcopi in ciuitatibus singulis, non pro temporalium honorum potestatibus, non pro villis & possessionibus, non pro facultatum copiis, quas tamen Episcopi, suscepto ministerio, secundùm regulas & leges sancto Spiritu promulgatas, conseruare iustè, ac rationabiliter ampliare & dispensare debent, vt re vera Deo dicata & consecrata sanctuaria, vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, sed pro lucrandis animabus &
Heb.5.1. saluandis hominibus, sicut dicit Apostolus, *Omnis Pontifex ex homi-*

nibus adſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poßit his qui ignorant & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet, quemadmodum & pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Et item idem, *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Ipſe, inquit 1.Tim.3.1. ſanctus Gregorius, ſibi teſtis eſt, quia Epiſcopatum non appetit, qui Paſtor. I. cap. 8. non per hunc boni operis miniſterium, ſed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium non solùm non diligit omninò, ſed neſcit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cognitionis ceterorum ſubiectione paſcitur, laude propria lætatur, ad honorem cor eleuat, rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quæritur ſub eius honoris ſpecie, quo mundi deſtrui lucra debuerunt, cúmque mens humilitatis culmen arripere ad elationem cogitat, quod foris appetit, intus immutat.] Et idem alibi de verbis Domini, *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Pater, inquit Ioan.20.21 filium miſit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari conſtituit: quem videlicet in mundo venire ad paſſionem voluit, ſed tamen amauit filium, quem ad paſſionem miſit. Electos verò Apoſtolos Dominus non ad mundi gaudia, ſed ſicut ipſe miſſus eſt ad paſſiones in mundum mittit. Itaque dicitur, *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* id eſt, ea vos caritate diligo, cùm inter ſcandala perſecutorum mitto, qua me caritate pater diligit, quem venire ad tolerandas paſſiones fecit.

VI. ORDINATIS autem ſingulis Epiſcopis in ciuitatibus ſingulis, non ad mundi gloriam, ſed inter ſcandala perſecutorum, non licet eis mutare ciuitates in quibus ſunt regulariter ordinati, nec transferri de ciuitate ad ciuitatem pro terrena cupiditate vel gloriæ ambitione, ſicut ſanctus Gregorius in Homilia Ezechielis Homil. v. prophetæ tractat dicens, *Thronus eius, quin Dei, flamma ignis, protæ eius ignis accenſus.* Hi enim qui animarum cuſtodes ſunt, & Dan.7.9. paſcendi gregis onera ſuſceperunt, mutare loca minimè permittuntur. Sed quia vno in loco poſiti diuinitatis in ſe præſentiam portant & ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur. Hi autem qui amore Domini in prædicatione diſcurrunt, rotæ eius ignis ardens ſunt, quia cùm ex eius deſiderio per varia loca diſcurrunt, vnde ipſi ardent, & alios accendunt.] Sicut B. Paulus gentium ordinatus Apoſtolus, totum vt ita dicamus mundum Euangelio Chriſti repleuit, & rota Chriſti non vni ciuitati tantùm præſedit, ſed & multis ciuitatibus per ſuam præſentiam euangelizauit, vt ſacra narrat hiſtoria, & per ſuas epiſtolas confirmauit. Hinc & ſacri canones Africani Concilij decreuerunt, vt non liceat fieri rebaptizationem, reordinationem, vel tranſlationem Epiſcoporum. & ſi quilibet Epiſcopus de ciuitate in qua ordinatus fuit, ad aliam tranſierit ciuitatem, eámque inuaſerit, niſi ad propriam ciuitatem ſponte vel commonitus redierit, liberum eſſe

aduerſus eum rectorem adire prouinciæ, vt ſecundùm ſtatuta glorioſiſſimorum principum auctoritate iudiciaria protinus excludatur. Sed & colligendum eſt quàm grande ſcelus ſit huiuſmodi tranſlatio, quæ rebaptizationi & reordinationi comparando coniungitur. De rebaptizatione autem, quàm grande ſit piaculum, in ſacris canonibus, & in Pontificum Romanorum decretis, ſpecialiter autem in epiſtola Felicis Papæ ad vniuerſos Epiſcopos per diuerſas prouincias conſtitutos, quiſquis legere voluerit inuenire valebit. De reordinatione verò S. Gregorius in epiſtola ad Ioannem Rauennenſem ita dicit, Illud, inquiens, quod dicitis, vt is qui ordinatus eſt iterum ordinetur, valdè ridiculum eſt, & ab ingenij veſtri conſideratione extraneum: niſi fortè quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille iudicandus eſt, qui tale aliquid feciſſe perhibetur. Abſit enim à fraternitate veſtra ſic ſapere. Sicut enim baptizatus ſemel iterum baptizari non debet, ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine non valet conſecrari.] De lapſis autem, qui ad ordinem cleri per ignorantiam vel ordinantium diſſimulationem veniunt, & de presbyteris ſine examine prouectis, ſacrum Nicænum Concilium, & decreta Gelaſij ex eodem promulgata Concilio, quid agendum ſit patenter oſtendunt.

Lib. II. Ep. XXXII.

VII. SI autem cauſa certæ neceſſitatis vel vtilitatis exegerit, vt quilibet Epiſcopus de ciuitate in qua ordinatus eſt, ad aliam ciuitatem transferatur, ſynodali diſpoſitione, vel Apoſtolicæ ſedis conſenſione, apertiſſima ratione manifeſtum fieri debet, quia transfertur de ciuitate, in qua ordinatus fuit, ad aliam ciuitatem cauſa fidei, non temporalis commodi, pro animarum lucro, non pro rerum temporalium quæſtu, non ſuo vitio, ſed aliorum repudio, neceſſitate perſecutionis, non ardore ambitionis vel præſumptione propriæ voluntatis, *Neque*, vt dicit Apoſtolus, *quiſquam ſumat ſibi honorem ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Sicut & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit vt pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Aliud eſt enim mutare & aliud mutari, ſicut aliud eſt miniſtrare & aliud miniſtrari. Vnde & Dominus in Euangelio loquitur dicens, *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare.* Non ergo, vt in decretis Apoſtolicæ ſedis legimus, mutat ſedem qui non mutat mentem, id eſt, qui non mutat qua ſuſcipi Epiſcopatus debet, intentionem, vt tranſeat de ciuitate ad ciuitatem per cupiditatem & ambitionem.

Heb. 5. 4. Pſal. 109. 4. Matth. 20. 28.

VIII. NAM vt de multis exempli gratia quædam deuocemus in medium, beatus Petrus cauſa fidei, ordinato pro ſe Epiſcopo in Antiochia, inſequens magum Simonem, Romam venit, in qua per viginti & quinque annos Apoſtolatum & Epiſcopatum geſſit. Auguſtinus, à beato Gregorio Papa cauſa fidei ad Anglos rota Chriſti directus, poſtquam ad prædicationem eius gens illa fidem recepit, ab

Are-

Arelatensi Episcopo, iussione beati Gregorij Episcopus est ordinatus, deinde ab eodem beato Gregorio in ciuitate regia eiusdem gentis accepto pallio Archiepiscopus est incardinatus. Sed postea sedem non mutauit, sicut in epistola beati Gregorij qui legit inuenire valebit.

VIII. Et vt antiquiorum temporum exempla prætereamus, tempore Karli principis, cùm ordo Ecclesiasticus & Christiana religio in istis Cisalpinis regionibus penè fuit abolita, Winfrit cognomento Bonifacius à tertio Papa Gregorio Romæ fuit ordinatus Episcopus, & pro animarum lucro in istas regiones directus. In quibus eius prædicatione & sanctæ conuersationis exemplo cùm ordo Ecclesiasticus & religio cœpit reparari, aliquandiu in ciuitate Agrippinensi Colonia sedit, & emergente necessitate atque vtilitate ad Mogontinam ciuitatem translatus, ibi est Archiepiscopus regulariter incardinatus, sed sedem postea non mutauit, sicut in epistolis Apostolicæ sedis Pontificum studiosus lector cognoscere præualet.

IX. De eo siquidem, qui non suo vitio, sed alieno repudio, ad aliam in qua ordinatus non fuit ciuitatem transfertur, Antiocheni canones dicunt, Si quis Episcopus ordinatus ad parochiam minimè cui est electus accesserit, non suo vitio, sed quod eum aut populus vitet, aut propter aliam causam, non tamen eius vitio perpetratam, hic & honoris sit & ministerij particeps, dummodò nihil molestus Ecclesiæ rebus existat, vbi ministrare cognoscitur. Quem etiam obseruare conueniet quicquid Synodus perfecta prouinciæ iudicando decreuerit.] Et hinc in Ancyrano Concilio decretum est de his qui ad Episcopatum prouecti sunt, nec recepti, Si qui Episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa parochia in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare parochias, & vim Præsulibus earum inferre, seditiones aduersus eos excitando, hos abici placuit. Quòd si voluerint in presbyterij ordine, vbi priùs fuerant, vt presbyteri residere, non abiciantur propria dignitate. Si autem seditiones commouerunt ibidem constitutis Episcopis, presbyterij quoque honor talibus auferatur, fiántque damnatione notabiles.] Dicit enim Antiochenum Capitulum, quia regulæ sacræ præcipiunt, vt nullis inuitis detur Episcopus, cleri & plebis & ordinis consensus & desiderium requiratur, & ille omnibus præponatur, quem cleri plebísque consensus concorditer postularint, ne ciuitas Episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minùs religiosa quàm conuenit, cui non licuerit habere quem voluit.]

Can. XVIII. Can. XVIII.

X. De eo qui necessitate persecutionis de ciuitate in qua ordinatus fuit transit ad ciuitatem, Sardicenses canones dicunt, Vt si aliquis Episcopus vim perpessus est, & iniquè expulsus pro disciplina & catholica confessione vel pro defensione veritatis, effugiens pericula, innocens & deuotus ad aliam venerit ciuitatem, non pro- Can. XXI.

hibeatur immorari quandiu, aut redire possit, aut iniuria eius remedium acceperit, quia durum est eum qui persecutionem patitur non recipi, etiam & larga benignitate humanitas ei est exhibenda. Et hinc
Lib.1. Epist.43. S. Gregorius ad vniuersos Episcopos per Illyricum, Fratres, coepiscopósque nostros, quos & captiuitas, diuersarúmque necessitatum angustiæ comprimunt, debetis consolandos conuictorósque vobiscum in Ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere: non quidem vt per communionem Episcopalis throni dignitas diuidatur, sed vt ab Ecclesia iuxta possibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere. Sic & proximum in Deo, & Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesiis auctoritatem tribuimus, sed tamen eos vestris solatiis contineri summopere hortamur.] & hæc nouissima verba epistolæ huius concordant præmisso Concilij Sardicensis capitulo.

XI. Sed & persecutio, pro qua Episcopus de ciuitate ad ciuitatem transire possit vel debeat, attentè consideranda est, quam canones Sardicenses demonstrant, si aliquis Episcopus vim perpessus est, & iniquè expulsus pro disciplina & catholica confessione, vel pro defensione veritatis, effugiens periculum innocens & deuotus ad aliam venerit ciuitatem, quia solent à catholicis hæretici vel schismatici, seu criminosi persequi. Et sanctus Augustinus in epistola ad Honoratum Episcopum ostendit, Restat, inquiens, vt nos, quorum ministerium quantulæcumque plebi Dei vbi sumus manenti, ita necessarium est, vt sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino, *Esto nobis in Deum protectorem, & in locum munitum.* Sed hoc consilium tibi propterea non sufficit, vt scribis, ne contra Domini præceptum vel exemplum facere nitamur, vbi fugiendum esse de ciuitate in ciuitatem monet. Recolimus enim verba dicentis, *Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Quis autem credat ita fieri hæc Dominum voluisse, vt necessario ministerio, sine quo viuere nequeunt, deserantur greges quos suo sanguine comparauit? Numquid hoc fecit ipse, quando portantibus parentibus in Ægyptum paruulus fugit, qui nondum Ecclesias congregauerat, quas ab eo desertas esse dicamus? Numquid quando Apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta submissus est per murum, & effugit manus eius, deserta est quæ ibi erat Ecclesia necessario ministerio, & non ab aliis fratribus ibidem constitutis quod oportebat impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, vt seipsum seruaret Ecclesiæ, quem propriè persecutor ille quærebat. Faciant ergo serui Christi, ministri verbi & sacramenti eius, quod præcepit siue permisit. Fugiant omninò de ciuitate in ciuitatem, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab aliis qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conseruis suis, quos aliter viuere non

Marginal notes: Can.xxi. — Epist.180. — Psal.30.3. — Matth.10.23. — 2.Cor.11.33

posse nouerunt. Cùm autem omnium, id est, Episcoporum & clericorum, est commune periculum, ij qui aliis indigent non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos illorum est Ecclesiastica supplenda necessitas, vt aut pariter viuant, aut pariter sufferant quod eos paterfamilias volet perpeti. Quòd si contigerit, vt siue alij minus, alij maius, siue omnes æqualiter patiantur, qui eorum sint qui pro aliis patiantur apparent, illi scilicet, qui cùm se possent talibus malis eripere fugiendo, ne aliorum necessitatem desererent manere maluerunt. Hinc maximè probatur illa caritas, quam Ioannes Apostolus commendat dicens, *Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere.* 1.Ioan.3.16 Nam qui fugiunt, vel suis deuincti necessitatibus fugere non possunt, si comprehensi patiantur, ipsi non pro fratribus vtique patiuntur. Qui verò propterea patiuntur, quia fratres, qui eis ad Christianam salutem indigebant, nolunt deserere, sine dubio suas animas pro fratribus ponunt.] & post aliquanta, Cur enim sibi putant indifferenter obtemperandum esse præcepto, vbi legunt de ciuitate in ciuitatem esse fugiendum, & mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem, & fugit quoniam non est ei cura de ouibus?] & paulo pòst, Fugit Apostolus, cùm à persecutore ipse propriè quæreretur, aliis vtique necessitatem similem non habentibus, à quibus illic ministeriũ absit vt desereretur Ecclesiæ. Sicut fugit S. Athanasius Alexandrinus Episcopus, cùm eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator.] & aliquanto superiùs, Non enim quisquam est qui dicat ministros manere oportere, vbi iam non fuerit quibus necesse sit ministrare.] Et hinc S. Gregorius in libro Moralium, Lib.xxxi. cap.xiv. Intueri libet illum sessoris sui calcaribus excitatum contra armatos hostes, quantus Paulum feruor accenderat, quando eum Ephesi ad inrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat. Scriptum quippe est, *Repleti sunt ira, & exclamauerunt dicentes, Magna Diana Ephesiorum. & impleta est ciuitas confusione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum*, Act.19.28. rapto Gaio & Aristarcho Macedonibus comitibus, atque mox subditur, *Paulo autem volente intrare populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem & de Asiæ principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum rogantes ne se daret in theatrum.* In quibus profectò verbis agnoscimus quo impetu contra cuneos aduersantes inrueret, nisi eum per amicos & discipulos caritatis fræna tenuissent. Sed si obuiare hostibus, si vltro pugnam petere, si nosmetipsos semper relinquere in cursu nostri feruoris debemus, quid est quod isdem prædicator egregius de semetipso fatetur dicens, *Damasci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet, & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius.* 2.Cor.11.33 Quid est quod equus iste, modò sponte armatorum cuneos impetit, &

modò se ab armatis hostibus quasi trepidus abscondit, nisi hoc quòd necesse est vt in eius artificiosa virtute discamus, aduersariorum pugnam, & constanter aliquando appetere, & prudenter aliquando declinare. Necesse quippe est, vt per omne quod agimus in mentis trutina positum hinc pondus, illinc fructum nostri laboris æstimemus. Et cùm pondus fructum superat, laborem quisque innoxiè declinat, dummodò se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cùm verò subsequenti quantitate fructuum mensura laboris aut æquatur aut vincitur, labor non sine graui culpa declinatur. Vnde prædicator sanctus, cùm Damasci valdè obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum noluit aduersitati confligere, quia semetipsum, quem profuturum multis nouerat, vidit posse deficere, & aut nullis se illic aut paucis prodesse. Secessum ergo à certamine petiit, & pugnaturum felicius ad alia se bella seruauit. Non enim loco virtus, sed locus virtuti defuit. Et idcirco fortissimus miles ab obsidionis angustia certaminis campum quæsiuit. Vbi autem subiuganda regi proprio multa aduersariorum colla conspexit, subire bellum vel cum morte non timuit. Sicut ipse cùm Hierosolymam pergeret, cúmque discipuli passionem illius per prophetiam præscitam prohiberent, sibimet ipsi at-
Act.21.13. testatur dicens, *Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Iesu. Neque enim facio animam meam pretiosiorem quàm me.* quia prædicator egregius, despectis potestatibus sæculi, nullos minarum sonitus pertimescit. Videamus alium equum Dei, quomodo terram sorbeat, quomodo nullus eum turbæ
Act.14.17. terror attingat. Scriptum est, *Superuenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi, & persuasis turbis, lapidantes Paulum traxerunt extra ciuitatem, æstimantes eum mortuum esse. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intrauit ciuitatem, & postera die profectus est cum Barnaba in Derben. Cùmque euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi sunt Lystra, & Iconio, & Antiochia, confirmantes animos discipulorum.* Perpendamus ergo quæ hunc equum possent minæ compescere, quando eum ab intentione sua non valet mors ipsa prohibere. Ecce lapidibus obruitur, nec tamen à veritatis sermone remouetur. Occidi potest, superari non potest. velut extinctus extra vrbem proicitur, sed intra vrbem die alio inlæsus prædicator inuenitur. O quàm fortis huic viro inest firmitas! ô quàm victrix pœna! ô quàm dominatrix patientia! ad agendum repulsione prouocatur, ad prædicandam salutem plagis erigitur, ad propellendam laboris lassitudinem pœna
Lib.11. Ind.11. Epist.xiii. refouetur. Sed & isdem beatus Gregorius in epistola ad Agnellum Episcopum scribit, Quia igitur ob cladem hostilitatis, nec in ciuitate, nec in Ecclesia tua est cuiquam habitandi licentia. ideò te aucto-
Lib.11. Ind.x. Epist.xxv. ritate nostra Terracinensi Ecclesiæ cardinalem constituimus sacerdotem.] Et in epistola ad Ioannem Episcopum, Te Ioannem ab ho-

ſtibus captiuatæ Liſitanæ ciuitatis Epiſcopum in Squillitana Eccleſia cardinalem neceſſe duximus conſtituere ſacerdotem, vt & ſuſceptam ſemel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas, & licèt à tua Eccleſia ſis hoſte imminente depulſus, aliam quæ paſtore vacat debeas Eccleſiam gubernare. Ita tamen, vt ſi ciuitatem illam hoſtibus liberam effici, & Domino protegente ad priorem ſtatum contigerit reuocari, ad aliam, in qua & priùs ordinatus es, Eccleſiam reuertaris. Sin autem prædicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in qua à nobis incardinatus es debeas Eccleſia permanere.]

XII. His auctoritatibus Actardus Namnetenſis Epiſcopus, priùs à Nominoio Brittonum Duce de ſua ciuitate expulſus, à domno Rege Carolo, fugato eodem Brittonum Duce, conſilio Epiſcoporum illum quem in ſede Namnetenſi iſdem tyrannus fecerat exordinari, in monaſterio ſancti Martini iuſſit exulare, & Actardum in ſede ſua reſtitui. Poſtea autem à Salomone tyranno eundem Actardum à ciuitate ſua expulſum, in vacante Morinenſi Eccleſia Concilij conſenſu conceſſit aliquandiu immorari. donec petentibus clero ac plebe prouinciæ Turonenſis, & conhibentibus Epiſcopis, ad prouinciam ſuam rediit, & à Pontifice Apoſtolicæ ſedis in vacante Metropoli fuit incardinatus. Qui Actardus non debuerat ſedem ſuam mutare, ſi valeret ibi conſiſtere, vel ſi alius aliquis eſſet, qui ſimili vel forte maiori vtilitate regulariter in Turonenſi Eccleſia poſſet ordinari, dicente Cæleſtino, Tunc alter de altera eligatur Eccleſia, ſi de ciuitatis ipſius clericis, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus, quod euenire non credimus, poterit inueniri. Primùm enim illi reprobandi ſunt, vt aliqui de alienis Eccleſiis meritò præferantur. Habeat vnuſquiſque ſuæ fructum militiæ in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem: in aliena ſtipendia minimè alter obrepat, nec aliis debitam alter ſibi audeat vindicare mercedem.] Epiſt. 1. ad Epiſcopos per Viennen. &c.

XIII. Qvod autem iſdem Actardus appoſuit, vt vtraſque ſedes Turonenſem ſcilicet & Namnetenſem ſimul teneret, contra Chalcedonenſe Concilium egiſſe videtur, quo decretum eſt, Non licere clericum in duarum ciuitatum conſcribi ſimul Eccleſiis, & in qua initio ordinatus eſt, & ad quam confugit, quaſi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes reuocari debere ad ſuam Eccleſiam in qua primitùs ordinati ſunt, & ibi tantummodo miniſtrare. Si verò iam quis tranſlatus eſt ex alia in aliam Eccleſiam, prioris Eccleſiæ, vel martyriorum quæ ſub ea ſunt, aut ptochiorum, aut xenodochiorum rebus in nullo communicent. Eos verò qui auſi fuerint, poſt diffinitionem magnæ & vniuerſalis huius Synodi quicquam ex his quæ ſunt prohibita perpetrare, decreuit ſancta Synodus à proprio huiuſmodi gradu recedere.] Can. x.

XIV. Qvod autem quidam contra hoc capitulum hu-

ius magnæ & vniuersalis Synodi, quasi ex verbis beati Gregorij satagunt se munire, vt duas sedes simul tenere valeant, cùm nulli Christiano sit licitum, vel duas vxores simul, vel vxorem & concubinam insimul habere, diligenter verba eiusdem beati Gregorij in epistola ad Bacandum Episcopum curent discernere, qua dicit, non de longiùs ciuitatulis à se inuicem disparatis, sed de conlimitaneis, & de tam cleri quàm plebis imminutione destitutis, & rebus ac facultatibus desolatis. Et temporis necessitas nos, inquit, perurget, & imminutio personarum exigit, vt destitutis Ecclesiis salubri ac prouida debeamus dispositione succurrere. Et ideo quoniam Ecclesiam Minturnensem funditus tam cleri quàm plebis destitutam desolatione cognouimus, tuámque pro ea petitionem, quatenus Formianæ Ecclesiæ, in qua corpus beati Erasmi Martyris requiescit, cuique fraternitas tua præsidet, adiungi debeat, piam esse ac iustissimam præuidentes, necessarium duximus, consulentes tam desolationi illius, quàm tuæ Ecclesiæ paupertati, reditus supradictæ Ecclesiæ Minturnensis, vel quicquid ei antiquo modernóque iure vel priuilegio potuit potéstve qualibet ratione competere, ad tuæ Ecclesiæ ius potestatémque hac præcepti nostri auctoritate transmigrare.] In cuius verbis quisque debet attendere, quia dicit quòd temporis necessitas perurget, & imminutio exigit personarum, vt destitutis Ecclesiis debeat succurrere, & necessarium ducit tam desolationi loci, quàm paupertati Ecclesiæ consulere. Volunt etiam quidam, ex quorumdam nouelli temporis adinuentione, vsurpare præsumptionem, quatenus liceat eis sedes suas mutare, non causa vtilitatis, sed superducto quasi velamento necessitatis, reuera quidem ambitione cupiditatis. in qua commemorantur quidam de ciuitatibus ad ciuitates, & etiam de minoribus ad potiores translati fuisse Episcopi, antequàm hinc certæ diffinitiones sacrorum canonum fuere præfixæ, quas transgredi perniciosum est. Manifestum, sicut sanctus Hilarus Papa ad Leontium & ad ceteros Episcopos scribit dicens, quia non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in iniuriam ipsius Domini prosilitur.] Et S. Cælestinus, Nulli sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur?] Et sanctus Leo, Hoc admonitio nostra denuntiat, quòd siquis fratrum contra hæc constituta venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ.] Et sanctus Gelasius, Cúmque nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nil licere, & cùm sedes Apostolica super his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio deuotóque studeat tenere proposito, satis

Lib. I. Epist. VIII.

Epist. II.

Epist. II.

Epist. I.

Epist. VI. ad vniuersos Episc.

indignum eſt quemquam, vel pontificum, vel ordinum ſubſequentium, hanc obſeruantiam refutare, quam beati Petri ſedem & ſequi videat & docere, ſatiſque conueniens ſit, vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quam illic vigere conſpiciat vbi Dominus Eccleſiæ totius poſuit principatum.] Et item idem, Patres, inquit, noſtri, catholici videlicet doctique Pontifices, quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque Apoſtolica, ſecundùm ſcripturarum tramitem traditionémque maiorum, facta ſemel congregatione ſanxerunt, inconuulſum voluerunt deinceps firmúmque conſtare, nec in hac eadem cauſa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præſumptione permiſerunt, ſapientiſſimè peruidentes, quoniam ſi decreta ſalubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra ſingulos quoſque prorſus errores ſtabile perſiſteret Eccleſiæ conſtitutum, ac ſemper iſdem furoribus rediuiuis omnis integra diffinitio turbaretur.] Et Symmachus dicit, ad ipſam ſacroſanctam catholicam religionem pertinere, cuius omnis poteſtas infringitur, niſi vniuerſa quæ à Domini ſacerdotibus ſemel regulariter ſtatuuntur perpetua ſint. Quod aliàs contingere poterit, ſi ſucceſſor deceſſoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ geſta ſunt faciat rata eſſe quæ geſſerit.] Et item idem, Quanta vicariis beatiſſimi Petri Apoſtoli iudicabitur eſſe reuerentia, ſi quæ in ſacerdotio præcipiunt, eiſdem tranſeuntibus diſſoluantur? Et item, Non poteſt ex parte firmum eſſe quod generalitatis tangit iniuriam, & quod quaſi ad adſtructionem, magis autem ad deſtructionem poſitum eſt in adinuentione præmiſſa. Vnde ſancti Patris Nicæni capite ſecundo dicunt, quoniam plura aut per neceſſitatem, aut aliàs cogentibus hominibus aduerſus Eccleſiaſticam facta ſunt regulam.] & ſanctus Leo Papa capite quadrageſimo quarto decretalium ſuorum dicit, omittendum eſſe, & inculpabile iudicandum, quod neceſſitas intulit. quàm alienum à ratione & auctoritate adſtructionis huius pernicioſæ permiſſionis ſit, qui eadem capitula legit patenter agnoſcit, quia illius ſecundi capituli Nicæni Concilij proceſſus, quod perperè actum eatenus fuerat, ne deinceps quiſque præſumat, cum magna interminatione prohibuit. & capitulum quadrageſimum tertium Leonis ab hac ratione penitus eſt alienum. ſicut trigeſimum octauum capitulum in decretis ſuis ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, ſed id ipſum capitulum euidenter oſtendit. Sed & de his quæ per neceſſitatem fiunt, potiúſque vſurpari videntur, ſanctus Innocentius in decretis ſuis ad Rufum & Euſebium ac ceteros Epiſcopos dicit, Peruideat ergo dilectio veſtra hactenus talia tranſiſſe, & aduertite quod vtique vt dicitis neceſſitas imperauit, in pace iam Eccleſias conſtitutas non poſſe præſumere.] Et paulo pòſt, Priora ergo dimittenda dico Dei iudicio, & de reliquo maxima ſollicitudine præcauẽdum.] Videre igitur & mentis &

Epiſt. I. Æonio.

Epiſt. eadẽ.

Can. II.

Ep. XXVII.

corporis oculo qui hæc adinuenerunt debuerant Pauli ſententiam
2.Cor.2.17. qua dicit, *Non enim ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei.* Adulter, inquit beatus Gregorius, in carnali coitu non prolem ſed voluptatem quærit, & peruerſus quique ac vanæ gloriæ ſeruiens rectè adulterare verbum Dei dicitur, quia per ſacrum eloquium non Deo filios gignere, ſed ſuam ſcientiam deſiderat oſtentare. Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quàm procreationi operam impendit.] Sic & qui pro opibus & facultatum copiis ac rebus terrenis Eccleſiam ſuam mutat, adulter meritò vocatur, & inter adulteros deputabitur. Nam ciuitatem, in qua Comes inhabitat, & clerici ac laici nobiles, ſed & ignobiles atque ruſtici laboratores, & etiam Iudæi vt fertur inhabitant, & in parochia ſub nomine Chriſtiano degunt, Epiſcopum cauſa cupiditatis, aut ardore ambitionis deſerere, & alteram ſedem vacantem inuadere, & cum illa in qua ordinatus fuit, & in qua ſine periculo mortis degere valet, tenere, non ſolùm turpe ſed & periculoſum atque pernicioſum eſt, cùm ſacri canones etiam de vacante Epiſcopo in Eccleſiam vacantem proſiliente decernant, vt ſi quis Epiſcopus vacans in Eccleſiam vacantem proſiliat, ſedémque peruadat abſque integro perfectóque Concilio, hic abiciatur neceſſe eſt, etſi cunctus populus quem diripuit eum habere delegerit. Perfectum verò Concilium illud eſt, vbi interfuerit Metropolitanus Antiſtes.] Sed & de eo qui inrationabiliter & inregulariter ciuitatem ſuam, in qua ordinatus fuit, deſerit, & ad aliam tranſit, Sardicenſe Concilium dicit, Non minùs mala conſuetudo, quàm pernicioſa corruptela funditus eradicanda eſt, ne cui liceat Epiſcopo de ciuitate ſua ad aliam tranſire ciuitatem. Manifeſta eſt enim cauſa qua hoc facere tentat, cùm nullus in hac re inuentus ſit Epiſcopus, qui de maiore ciuitate ad minorem tranſiret. vnde apparet auaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni ſeruire, & vt dominationem agant. Si omnibus placet, huiuſmodi pernicies ſæuiùs & auſteriùs vindicetur, vt nec laicam communionem habeat qui talis eſt.] In hoc capitulo maior & minor ciuitas, non ſolùm penſanda eſt nomine, ſed & poſſeſſione, ſicut & auaritia non ſolùm pecuniæ eſt ac poſſeſſionis, ſed etiam altitudinis. In nomine Metropolitano auaritia dicitur, cùm ſupra modum ſublimitas ambitur: in poſſeſſione, videlicet in rerum ac facultatum copioſitate, eſt auaritia, quam Apoſtolus idolorum ſeruitutem appellat. Et ſanctus Leo Papa hoc ſequens capitulum decreuit, vt ſi quis Epiſcopus ciuitatis ſuæ mediocritate deſpecta adminiſtrationem loci celebrioris ambierit, & ad maiorem ſe plebem quacumque ratione tranſierit, à cathedra quidem pellatur aliena, ſed & carebit & propria, vt nec illis præſideat, quos per auaritiam concupiuit, nec illis quos per ſuperbiam ſpreuit. Suis igitur terminis quiſque contentus ſit, nec ſupra menſuram iuris ſui affectet augeri.] Et item Sardicenſe Concilium

Moral.xvi. cap.xxv.

Conc.Antioch. cap.xiv.

Can.i.

Epiſt. 88. Anaſtaſio. Theſſal.

cilium dicit, Vt etiamsi talis aliquis extiterit temerarius, vt fortassis excusationem adferens asseueret quòd populi litteras acceperit, cùm manifestum sit potuisse paucos præmio & mercede corrumpi, eos qui sinceram fidem non habent, vt clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopum, omninò has fraudes damnandas esse arbitror, ita vt nec laicam in fine communionem talis accipiat.] Quia verò duabus metropolitanis sedibus vnus Metropolitanus Episcopus regulariter præsidere non poterit, sanctus Bonifacius Papa auctoritate Nicæni Concilij manifestat scribens ad Hilarium Narbonensem Episcopum, Nulli, inquiens, videtur incognita Synodi constitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, vt eadem propriè verba ponamus, Per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subiectas. quod illi, quia aliter credendum non est, seruandum sancto Spiritu suggerente sibimet censuerunt.] & post aliquanta, Quod idcirco dicimus, vt aduertat caritas tua, adeò nos canonum præcepta seruare, vt ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus Metropolitani sui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.] Cogunt, inquit Augustinus, multis inuenire medicinas multorum experimenta morborum. Et quia, vt Daniel dicit, *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*, pro temporum diuersitate, & morborum varietate, atque hominum sanitate, quædam conceduntur, sicut Noe & filiorum eius vsibus alimenta noua permissione concessa, deinde per Moysem populo Iudæorum prohibita, rursúsque nobis sunt ita concessa, vt quæ Iudæis fuerunt vetita in pecoribus, nobis prohibeantur in moribus, sicut Dominus in Euangelio dicit, *Audistis quia dictum est antiquis, Ego autem dico vobis*. Quapropter quod licitum fuit, necessitate vel vtilitate, de transmigrandis Episcopis ab Ecclesiis ad Ecclesias ante sacrarum regularum præfixionem, postea intantum fuit est & erit inlicitum contra easdem sacras regulas vsurpare, vt sanctus Gregorius Nazianzenus, vir doctissimus, catholicissimus, atque eloquentissimus, & vitæ merito ac sapientiæ doctrina venerandus, qui apud Græcos Theologus cognominatur, multorum decreto Episcoporum, vt in historiis Ecclesiasticis legimus, de parua ciuitate Nazianzo Constantinopolim causa fidei translatus, quam per annos duodecim insignissimè gubernauit, & ab hæresi Arriana gloriosissimè liberauit, & dogma Nicæni Concilij quasi iam mortuum in eadem regia ciuitate suis expositionibus resuscitauit, agnoscens Episcopos murmurare eo quòd esset ex alia ciuitate contra canones translatus ad aliam, vitare immò auferre fraternum volens scandalum, ne schisma in Ecclesiam introducere videretur, monente Apostolo, In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, adueniente Constantinopolim Theo-

Can. 11. Epist. 111. Dan. 12. 4. Matth. 5. 21 2. Cor. 6. 4.

dosio principe, pacificè impetrata licentia, habitare vlteriùs in eadem ciuitate declinauit, sequens Domini sententiam dicentis ad Petrum, vt qui censum non debebant, exigentibus censum darent, quatenus scandalum deuitarent. *Qui scandalizauerit*, inquit Dominus, *vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Per molam quippe asinariam, vt sanctus Gregorius in Pastorali regula exponit, sæcularis vitæ circuitus ac labor exprimitur, & per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo ceteros destruit, vel exemplo, meliùs profectò fuerat, vt hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quàm sacra officia in culpa ceteris imitabilem demonstrarent: quia nimirum si solus caderet, vtcumque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.] & item, Scire etenim prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est vt tanto se cautiùs à culpa custodiant, quantò per praua quæ faciunt non soli moriuntur.] At si aliquis dixerit, non ego inuado Ecclesiam ad quam multorum consensu Episcoporum & plebis transmigro, penset sollicitè, sicut & sanctus pensauit Nazianzenus Gregorius, quæ vt præmisimus à sacris sunt præfixa canonibus, à quibus per contemptum deuiare in schisma est ruere, sicut sanctus Papa Hilarus patenter ostendit, Non minùs, inquiens, in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in iniuriam ipsius Domini prosilitur.] Qua sententia beatus Hilarus Papa hæreticos & schismaticos pariter denotauit. Schismaticos quidem, in eo quod dixit, non minùs in sanctarum traditionum sanctiones delinquitur, & hæreticos, in eo quod dixit, quàm in iniuriam ipsius Domini prosilitur. Nam hæretici, vt S. Gregorius ex sententia Apostoli Pauli qua dicit, *Si tradidero corpus meum vt ardeat, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest*, demonstrat, praua de Deo sentiunt, schismatici recta de auctore tenent, sed vnitatem cum fratribus in sanctarum traditionum sanctione non tenent: illi errore fidei, isti verò schismatis perpetratione diuisi sunt. Vnde & in ipsa prima parte Decalogi vtrarumque partium culpæ reprimuntur, cùm diuina voce dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*, atque mox subditur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Qui enim de Deo peruersa sentit, liquet profectò quia Deum non diligit: qui verò de Deo recta sentiens, à sanctæ Ecclesiæ vnitate diuisus est, constat quia proximum non amat, quem habere socium recusat. Quisquis ergo ab hac vnitate matris Ecclesiæ, siue per hæresim de Deo peruersa sentiendo, siue errore schismatis proximum non diligendo diuiditur, caritatis huius gratia priuatur, de qua hoc quod præmisimus, Paulus dicit, *Si tradidero corpus meum vt ardeat, caritatem*

Matth. 18. 6 — Parte I. cap. II. — Parte III. Cap. V. — Epist. II. — Mor. XVIII. cap. XIV. — I. Cor. 13. 3. — Deut. 6. 5. — I. Cor. 13. 3.

non habeam, nihil mihi prodest. ac si apertè diceret, Extra locum suum conflationis mihi ignis adhibitus tormento me cruciat, mundatione non purgat.] Auro enim locus est in quo conflatur, id est vnitas catholicæ Ecclesiæ, in qua baptismum, & opera bona, & etiam martyrium prodest, extra illam quippe, nec baptismus, nec opera bona, nec etiam martyrium proficit. Quia etiam cognati sunt hæretici & schismatici, & solemnibus orationibus sextæ feriæ ante Pascha monstratur. Hinc ergo, vt sanctus Cælestinus scribit, legem credendi lex statuat supplicandi. Sed & quàm graue peccatum schisma sit, sanctus Augustinus in libro secundo De baptismo demonstrat dicens, Adferamus diuinam stateram de scripturis sanctis, tanquam de thesauris dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus: immò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus, tempore illo, quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monstrauit, & idolum fabricatum atque adoratum est, & propheticus liber ira regis contemptoris incensus, & schisma tentatum, idololatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde & peregrina captiuitate, schisma hiatu terræ sepultis auctoribus viuis, & ceteris cælesti igne consumptis. quis iam dubitauerit hoc esse sceleratius commissum, quod est grauius vindicatum?] Hinc & in decretis Apostolicæ sedis est scriptum, Sicut enim iustos ad æternam vitam Dominus prædixit ituros, sic impios æterno damnandos interitu. vt sicut non potest finiri beatitudo iustorum, sic nec impiorum tormenta finiantur. Hæc hæreticis schismaticísque sunt. Et quia quicquid nunc gerit Ecclesia, mysticè typus est futurorum, si gustabunt de pane cælesti, id est de suauitate diuina, gehennæ participes, hæreticis schismaticísque damnatio est corporis & sanguinis Christi communio. Quisquis ergo adsentit schismatico, schismaticus esse negari non poterit. Quod etsi omnes sacerdotes & mundus adsentiat, damnatio consentientes inuoluit, non præuaricationem consensus absoluit. Non enim crimen minuitur, sed adcrescit, cùm generale fit ex priuato. Hoc enim Deus omnium indicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit. Et sicut non potest, vt Gelasius scribit, peruersitatis communicatore suscepto, non pariter peruersitas adprobari: sic non potest refutari peruersitas complice sectatore peruersitatis admisso, cùm dicat Apostolus non solùm qui non facienda faciunt reos videri, sed etiam *qui consentiunt facientibus.* Legibus enim publicis criminum conscios, susceptorésque latrocinantium par iudiciorum pœna constringit, nec expers facinoris æstimatur, qui licèt ipse non fecerit, facientes tamen in familiaritatem fœdúsque receperit. Hinc ergo audiamus quomodo & Dominus vocet eos, qui in ouile ouium contra sacros canones spiritu Dei conditos insiliunt, id est, regimen Ecclesiæ rapiunt potiùs quàm adsequuntur, *Qui non intrat*, inquit, *per ostium in ouile ouium, sed*

Epist. VIII. in fine.

Cap. VI.

Epist. X. ad Anastasiũ.

Rom. I. 32.

Ioan. 10. 1

adſcendit aliunde, hic fur eſt & latro. de qualibus idem per Prophetam
Oſee 8.4. dicit, *Ipſi regnauerunt & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui.*
Paſtor.1. cap.1. A ſe, inquit Gregorius, & non ex arbitrio ſummi rectoris regnant, qui ſua cupiditate accenſi, culmen regiminis rapiunt potiùs quàm adſequuntur: quos tamen internus iudex & prouehit, & non cognoſcit, quia quos permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat.] Timenda eſt igitur eis qui talibus fauent à beato
Rom.1.32. Gelaſio ad ſenſum præmiſſa ſententia Pauli, qua dicit, *non ſolùm qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte.* quia, vt Leo dicit, In talium prælatione non eſt populis conſulere, ſed nocere, nec præſtare regimen, ſed augere diſcrimen.

XVI. QVOD ſcripſiſti, Epiſcopum de quo agitur dicere ad excuſandas excuſationes in peccatis, quoniam ſunt in ciuitate Metropoli, in qua ordinatus fuerat, miniſtri Eccleſiaſtici, qui indigentium neceſſitatibus poſſunt conſulere, ſed ipſe non habet ſufficientiam rerum ac facultatum, quibus in ea honorabiliter poſſit ſubſiſtere, vnde ſe conatur excuſare, inde magis videtur accuſare, & cupiditatis atque cauterio ambitionis inurere, qui plus poſſeſſiones terrenas quàm animarum lucra videtur adquirere. Debuerat enim in mente habere quod ſpiritus Paulo dixit, vt non exiret de ciuitate in qua ei multus populus erat, ſed conſtanter prædicaret. Quid enim ſcit, vtrum multi de paganis illis, qui in eadem ciuitate habitant, ſint à Deo prædeſtinati ad vitam, qui per prædicationem eius oris & operis conuerti poterant, & vbi Chriſtiani ſunt ſaluari valerent, ſi in ea maneret, etiamſi neceſſitas eum ibidem taliter manere cogeret, ſicut Paulus ſe manſiſſe
1.Cor.2.3. apud Corinthios dixit, *Ego*, inquiens, *in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos.* Legat igitur decimam quartam beati Gregorij
Ioan.11.14. homiliam ex lectione ſancti Euangelij, *Ego ſum paſtor bonus*, & inueniet qualiter ac quantùm ab auctoritate & ſuo ordine deuiauerit. Sed & ſcandalum in Eccleſia miſit, ſicut & quidam Epiſcopi, etiam à longè præcedentibus temporibus, ſcandalum pro ſua quiete & voluptatibus in Eccleſiam intromiſerunt, ordinantes Chorepiſcopos, & eis quæ ſummis Pontificibus conueniunt agere permittentes. Quos Apoſtolica ſedes ſæpiùs reprobauit, & Apoſtolico mucrone recidit, ſicut in decretalibus eorum qui voluerit recenſere inueniet.
Epiſt.v. ad Epiſcopos Numidiæ. Inter quos Damaſus Papa de talibus dicit Epiſcopis, Illi, inquiens, Epiſcopi, qui talia ſibi præſumunt, videntur mihi eſſe meretricibus ſimiles, quæ ſtatim vt pariunt, infantes ſuos aliis nutricibus tradunt educandos, vt ſuam citiùs libidinem explere valeant. Sic & iſti infantes ſuos, id eſt populos ſibi commiſſos, aliis educandos tradunt, vt ſuas libidines expleant, id eſt pro ſuo libitu ſæcularibus curis inhient, & quod vnicuique viſum fuerit liberiùs agant.] & alia, quæ in ſuis locis lector inuenire valebit. Sed & ſicut in epiſtola beatæ memoriæ Nicolai Papæ ad quoſdam Epiſcopos Belgicæ prouinciæ dire-

cta continetur, Græci contra eum fremuerunt, quia ipſe, ſicut & prædeceſſores ſui, ſacerdotes ab vxoribus abſtinere præcepit, volentes per canones ſtatuere vt liceat illis vxores habere. Nos autem moderni & Gallicani Epiſcopi, nouos canones facere conamur, vt liceat nobis quod grauius eſt, quàm carnali commercio, ſpiritali adulterio, aut duas vxores id eſt duas ſedes ſimul habere, aut vxorem ſimul & concubinam tenere, vel viuente licèt infirma vxore, id eſt Eccleſia noſtra perſecutione qualibet rebus ac poſſeſſionibus imminuta, ad alterius copulam tranſmigrare. Cùm ſicut vir nõ habet poteſtatem corporis ſui ſed mulier, quamdiu vxor eius licèt infirma viuit, ita & Epiſcopus non habet poteſtatẽ Eccleſiam, videlicet plebem ſuam deſerere, & alteram inuadere vel vſurpare, quamdiu, ſicut S. Auguſtinus dicit, in ea reſidui ſunt conſerui ſui, quibus præbeat cibaria, quos aliter viuere non poſſe nouit. Quòd ſi fecerit, tanto maius committit adulterium, quanto ſpiritaliter adulterat, & plebem ſuã adulterare facit, ſi alteri eo viuente, & in ſacerdotij incolumitate manente, ſe iunxerit, quia mulier non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir, quamdiu vir eius viuit, & plebem quam inuaſerit, ſecum adulterare facit, vt beatus Innocentius in decretis ſuis oſtendit, loquens de repudio viri atque vxoris, quod meritò intelligendum ac ſequendum eſt de ſpiritali Epiſcopi & Eccleſiæ, in qua primùm ordinatus fuit, coniunctione. De his, inquit, requiſiuit dilectio tua, qui interueniente repudio alio ſe matrimonio copularunt, quos in vtraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui viro vel vxore viuente, quamuis diſſociatum videatur eſſe coniugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neque poſſunt adulteri non videri, intantùm vt etiam hæ perſonæ quibus tales coniuncti ſunt, etiam ipſi adulterium commiſiſſe videantur, ſecundùm illud quod legimus in Euangelio, *Qui dimiſerit vxorem ſuam & duxerit aliam, mœchatur: ſimiliter & qui dimiſſam duxerit, mœchatur*, & ideo omnes à communione fidelium abſtinendos. At ſi vxor Epiſcopi, Eccleſia ſcilicet ac parochia eius, fuerit qualibet oppreſſione perſecutionis deſolata, id eſt de ſolo elapſa, vt in ea non remaneant quibus neceſſe ſit miniſtrare, licitè valet Epiſcopus ad vacantem aliam Eccleſiam tranſmigrare, ſicut ſuprà verbis beatorum Auguſtini atque Gregorij eſt demonſtratum. Et plebs Epiſcopo ſuo viduata, id eſt vacans, carne vel regulariter defuncto ſacerdotio Epiſcopum viduatum, id eſt vacantem, regulariter poteſt ſuſcipere, veluti Apoſtolus de muliere dicit, *Mortuo*, inquiens, *viro nubat cui vult, tantùm in Domino.* Sanctus quippe Leo, inter præcipuos ſedis Romanæ ornatus præcipuus, de viro & muliere Apoſtoli ſententiam exponens, quid per hanc coniunctionem intelligi voluerit patenter oſtendit, *Sacramentum hoc*, inquiens, *magnum eſt. ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*, Vtique duo ſunt, Deus & homo, Chriſtus & Eccleſia, quæ de ſponſi carne prodiuit, & de latere Crucifixi manante ſanguine & aqua,

Epiſt. 180. Honorato.

Epiſt. 11. ad Exuperiũ.

Matth. 5. 22

1. Cor. 7. 39.

Ephef. 5. 32.

sacramentum redemptionis & regenerationis accepit. Et idem alibi, Vnde, inquit, cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ sacramentum, non ergo fornicetur quisquam, indebita voluntate abiens post vxorem legitimo & spiritali sibi sortitam coniugio, sed diligat & foueat eam, sicut Christus Ecclesiam: neque post pastorem suum, in fide & in bonis operibus manentem, quem ordinante Deo legitima sorte suscepit, Ecclesia abiens fornicetur, sed in ea vocatione qua vocati sunt maneant, veluti sacræ scripturæ & traditiones Ecclesiasticæ præfixerunt. Si enim, quia concedente Apostolo vnius vxoris vir adsumi in sacerdotium iubetur, vt vxorem, quam ante sacerdotium habuit, castis foueat & tueatur auxiliis, & non eam destitutam debet relinquere, multo minus sacerdos destitutam, aut pro superinducta, vel cum superinducta deserere vel negligere, minimè autem cum alia vnà cum ipsa debet mœchari Ecclesia: & sicut non adulterare verbum Dei, ita nec adulterare debet Ecclesiam suam. Nisi enim viri & vxoris legalis coniunctio ad Episcopi & Ecclesiæ sibi coniunctæ mysterium pertineret, magnum Chalcedonense Concilium defuncto suo Episcopo viduatam Ecclesiam non vocaret, cuius reditus penes Oeconomum futuro reseruari iubet Episcopo, nec ab aliis quibusque, vel viuente vel defuncto cuiuscumque ciuitatis Episcopo vsurpari, vel pessundari: quod qui præsumpserint, verenda est illis sententia eiusdem sancti & vniuersalis Concilij, qua intentando
Can.x. decernit, Eos, inquiens, qui ausi fuerint, post diffinitionem magnæ & vniuersalis huius Synodi, quicquam ex his quæ prohibita sunt perpetrare, decreuit sancta Synodus à proprio huiusmodi gradu recedere.] Et de transgredientibus quæ constituta sunt, item con-
Can.xxvii. iunctè dicit, Si quidem clerici sunt, decidant gradu proprio, si verò laici, anathematizentur.] Sic etiam de rerum ac facultatum præsumptoribus, & aliorum Conciliorum canones, & Apostolicæ sedis Pontifices multoties decreuerunt, quæ non paruipendent qui inrefragabili Domini sententiæ credunt, dicentis in Petro, & Apostolis
Matt.16.19. omnibus, & in eis illorum successoribus, *Quæcumque ligaueris super terram, ligata erunt & in cælis.* Nam sicut Petrus respondit pro interrogatis à Christo Apostolis omnibus, ita & Christus hæc in Petro dixit Apostolis, & successoribus eorum omnibus, quibus manet hoc priuilegium, à quibus fertur ex Apostolorum æquitate iudicium, sicut sanctus Leo & Gregorius euidenter ostendunt. Vnde sanctus Gregorius item dicit, Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus soluere: ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas eius valere non æstimant. Contra quos diutiùs disputandum non est, quia per omnia despiciendi, & anathematizandi sunt, & vnde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter

implicantur, eósque & ego & omnes catholici Episcopi, atque vniuersa Ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, & contraria loquuntur. Hæc idcirco de rebus & facultatibus Ecclesiæ viduatæ sub œconomo futuro reseruandis Episcopo hîc interposuimus, vt attendat de quo agitur Episcopus, quia si nemini Christiano eas licet præsumere, multo minùs item Episcopus, sine sui status periculo ac animæ detrimento, Ecclesiæ inuasæ res & facultates præualet vsurpare. Sicut enim Comes ciuitatis homo sæcularis, & alij etiam sæculares, & maioris & minoris potestatis, habent vnde in sua Metropoli possint consistere, & comministri eius Ecclesiastici valent ibidem viuere, sic & ipse, nisi eum cupiditas & ambitio vnde eiiceret, ibidem vel de operibus manuum, vel de decimis fidelium ac conlatione presbyterorum, & si aliter non posset, vel sub censu, sicut Hierosolymis patriarcha, & viri religiosi ac fideles in Corduba, & in aliis ciuitatibus per Hispaniam faciunt, ibi valeret manere, & conseruis in tempore tritici mensuram donare, id est, verbum prædicationis impertire, & ministeria, quæ non nisi ab Episcopis ministris Ecclesiasticis & plebibus possunt dependi, sicut sunt ordinationes Ecclesiasticorum ministrorum, sicut est confectio sacri chrismatis, & consecratio olei exorcizati & ad infirmorum vnctionem consecrati, sicut est confirmatio & consignatio baptizatorum, sicut est manus impositio & reconciliatio publicè pœnitentium, & velatio virginum, & alia quæ per singula non necesse est computare. quæ non nisi ab Episcopis valent regulariter fieri, & in vtrisque ciuitatibus, tanto spatio inter se distantibus, ab vno Episcopo cõgruis temporibus non valent, immò nec debent, nec regulæ permittunt exequi. Quæ etsi per tempora possunt in sua Metropoli ab eo fieri, conuincitur in ea posse immorari, & quæ sibi à subditis competunt exequi. Legat namque secundam epistolam Pauli Apostoli ad Corinthios, cum quanta difficultate atque cum quanto labore prædicationis ministerium fuerit executus, qui præter labores quos sustinuit in carceribus, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, in flagellis, in lapidatione, in naufragiis, in itineribus sæpè vexatus fuit, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum, & manibus suis laborauit quæ necessaria sibi & suis fuerunt, ne quemlibet grauaret, & inueniet se à successione illius extorrem, cuius sequi detractat exemplum, & illorum constringi iudicio, qui iam in cælis cum Deo regnant, & sancto Spiritu inspirati sacros canones per eundem sanctum Spiritum protulerunt, quibus decernitur, vt huiusmodi nec inter Episcopos, vt suprà scri-

2.Cor.11.

psimus, habeatur, nec communionem laicam mereatur, sicut euidenter S. Leo Apostolicæ sedis Pontifex in decretis suis iteratò decernit, Hoc, inquiens, admonitio nostra denuntiat, quòd si quis fratrum contra hæc constituta venerit vel venire tentauerit, & prohibita fuerit ausus admittere, à suo se nouerit officio submouendum, nec communionis nostræ futurum esse consortem, qui socius esse noluit disciplinæ. Ne quid verò sit, quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus & canonum promulgata sunt disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere mandamus, vt si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.]

Epist. I. in fine.

XVII. Cur enim non posset religiosus homo & Episcopus ac continens, sine vxore & filiis, ita in ciuitate sua viuere, sicut sæcularis homo Comes, vxorem habens & liberos, etiàm inter paganos viuit: præsertim cùm alias possessiones & abbatias largitione domni Regis habeat, vnde sumptus habere valet, quibus ad Deo seruiendum, & ministerium suum exequendum in plebe sibi commissa sufficere posset? Sed sunt, inquit Gregorius, nonnulli, qui dum plus terrenam substãtiam quàm oues diligunt, meritò nomen pastoris perdunt. De quibus protinus subditur, *Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit.* Non pastor sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reuerentia lætatur. Istæ sunt etenim mercedes mercenarij, vt pro eo ipso quòd in regimine laborat, hîc quod quærit inueniat, & ab hereditate gregis in posterum alienus existat.] Et lupus rapit & dispergit oues. Lupus venit & mercenarius fugit, quia malignus spiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat, & is qui locum pastoris tenet, curam sollicitudinis non habet. animæ pereunt, & ipse de terrenis commodis lætatur. Vnde quia sicut beatus dicit Gelasius, Duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum & regalis potestas, sequendum est Episcopis ac principibus terræ consilium hortantis, immò præcipientis Apostoli, *Nolite*, inquit, *communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem & redarguite.* Hinc sanctus Augustinus, Duobus modis non te maculat malus, si non consentias, & si redarguas. hoc est, non communicare, non consentire.] Communicatur quippe, quando facto eius consortium voluntatis vel adprobationis adiungitur. Hoc ergo nos admonens Apostolus ait, *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* & quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ, *Magis*

Hom. XIV. in Euang.
Ioan. 10. 12.
Ibid. post aliqua.
Epist. x. ad Anastasiũ.
Ephes. 5. 11.

Magis autem, inquit, *& redarguite*. Quid eſt nolite communicare? nolite conſentire, nolite laudare, nolite adprobare. Quid eſt autem magis & redarguite? reprehendite, corripite, coercete. Nam & ſanctum Africanum Concilium eos qui negligunt loca ad ſuam cathedram pertinentia in catholicam vnitatem lucrari, conueniri à diligentibus vicinis Epiſcopis, vt id agere non morentur, ſignanter cum diffinitione certiſſima præcipit, ſicuti ſuo loco diligens lector inueniet. Et conſtat eſſe certiſſimum, quia iſte ciuitatem ſuam, in qua remanent plures qui Epiſcopali miniſterio indigent, pro alia quietiore ac locupletiore mutauerit, & alterum loco ſuo ordinari permiſerit, quia, vt ſuprà oſtendimus, duabus metropolitanis ciuitatibus præſidere non poteſt, non pro animarum lucro, ſed pro temporali augmento cum ſpiritali ſuo detrimento hoc agat. quia, vt Leo dicit, non putabitur honor ille legitimus, qui fuerit contra diuinæ legis præcepta conlatus. Fautores autem ac ordinatores huiuſmodi, ſancti Papæ Simplicij percellit decretalis ſententia qua dicit, Priuilegium, inquiens, meretur amittere qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.] Hæc quantum pro tempore & occupatione licuit, & Dominus ad mentem mihi venire conceſſit, de his quæ interrogaueras, Frater cariſſime, tibi reſpondere curaui. quæ ſi cuiquam diſplicuerint, non contra me ſed contra ſe iraſcatur, quia contra verba diuina niſi in malum ſuum iraſci non poterit. Dum ergo eſt in via, id eſt, in hac vita, concordet cum aduerſario ſuo citò, ne fortè tradat eum aduerſarius ſuus iudici, & iudex tradat eum miniſtro, & miniſter mittat illum in carcerem, Amen, non exiet inde donec reddet nouiſſimum quadrantem. Notum eſt vel parua de ſcripturis ſcientibus, quia in hoc loco aduerſarius noſter dicitur ſermo Dei, quoniam iubet contraria operibus noſtris malis quæ agimus: cui ſi non concordauerimus, iuſto Dei iudicio per miniſtrum mittemur in carcerem, & non exiemus inde, donec reddamus nouiſſimum quadrantem, id eſt, exſoluamus & minimum peccatum.

XLVI.

Quæ exequi debeat Episcopus, & qua cura tueri res & facultates Ecclesiasticas.

Nunc primùm ex eodem Codice Virdunensi.



HÆc specialiter exequi debet Episcopus iuxta sacras regulas. Missas publicas celebrare, sacrum chrisma regulariter consecrare, sanctum baptisma iuxta traditionem Ecclesiasticam agere, & vt à presbyteris agatur prouidere. Presbyteros & diaconos, & reliquos Ecclesiasticos ministros, statutis temporibus, quales præcipiunt regulæ, sine vllius muneris acceptione ordinare. Synodos presbyterorum secundùm sacros canones sine venalitate habere. Ad prouincialem Episcoporum Synodum, & ad ordinationem Episcopi, vocatus conuenire, vel pro se presbyterum aut diaconem, cum tractoria causas suæ impossibilitatis exponente, vel cum regulari suo consensu dirigere. Clerum regulariter gubernare, & sicut sanctus Gregorius in Pastorali regula dicit, eidem clero, tam in interioribus, quàm & in corporalibus rebus, necessaria prouidere. Ecclesiæ, tam in luminaribus & ornamentis, quàm & in ædificiis, & in sartatectis, curam habere. Hospites & pauperes in constitutis
1.Tim.5.8. singillatim hospitalibus recipere, & dicente Apostolo, *Qui suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior*, suorum domesticorum in ministrando necessaria curam habere. Monasteriorum in sua parochia, & Ecclesiarum rusticanarum parochiarum, atque matriculariorum, secundùm sacras regulas sollicitudinem gerere. Populo suæ parochiæ verbum Domini nuntiare, & verbo atque exemplo subiectos sibi docere, & oratione consulere. In consignatione eorum, qui necdum in frontibus ministerio Episcopali sunt consignati, regulariter satagere, & in huius negotij circuitione, parochiæ, vltra debitum & necessarium modum, sicut sanctus decreuit Gregorius, presbyteros non grauare. Bonum testimonium etiam ab his qui foris sunt habere. Peccantibus & pœnitentibus secundùm modum culparum regulariter pœnitētiam indicere, & post satisfactionem regulariter eos reconciliare. Omnis possessionis, quæ sub eius est potestate, prouidentiam gerere. Militiam ad defensionem sanctæ Ecclesiæ, secundùm possibilitatis quantitatem, iuxta antiquam consuetudinem regiæ dispositioni exhibere, & secundùm
Matt.22.21 Domini iussionem, quæ Cæsaris sunt Cæsari, & Deo quæ Dei sunt reddere. Quia sicut sanctus Gelasius facundissimus Papa in decretis
Epi10. suis scribens ad Anastasium Imperatorem dicit, Duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, &

regalis poteſtas. Sed tanto grauius eſt pondus ſacerdotum quàm regum, quanto etiam pro ipſis regibus hominum in diuino reddituri ſunt examine rationem.] & tanto in humanis rebus regum cura eſt propenſior quàm ſacerdotum, quanto pro honore & defenſione ac quiete ſanctæ Eccleſiæ, & rectorum ac miniſtrorum ipſius, & leges promulgando, ac militando, à rege regum eſt eis curæ onus impoſitum. ſic actionibus propriis dignitatibúſque diſtinctis, vt & Chriſtiani reges pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium rerum curſu regum diſpoſitione vterentur. quatenus ſpiritalis actio à carnalibus diſtaret incurſibus, & militans Deo minimè negotiis ſæcularibus ſe implicaret, ac viciſſim non ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus. Sanctus namque Spiritus per eos qui cum Chriſto in cælo regnant, & in terris miraculis coruſcant, dixit, & vſque ad nos ſcriptis peruenire fecit dicens, Res & facultates Eccleſiaſticæ oblationes Vrbanus epiſt.1. appellantur, quia Domino offeruntur, & vota ſunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus eſt damnationis Ananiæ & Saphiræ, & oportet huiuſmodi tradere Satanæ, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Quod noſtri glorioſi Imperatores Karolus & Hludouuicus in primo libro Capitulorum ſuorum ita inſeruerunt, Quia, inquiunt, iuxta ſanctorum pa- Cap.85. trum traditionem nouimus res Eccleſiæ vota eſſe fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non ſolùm habita conſeruare, verùm etiam multa Deo opitulante conferre optamus. Tamen vt ab Eccleſiaſticis de non diuidendis rebus Eccleſiæ ſuſpicionem dudum conceptam penitùs amoueremus, ſtatuimus vt neque noſtris, neque filiorum & Deo diſpenſante ſucceſſorum noſtrorum temporibus, qui noſtram vel progenitorum noſtrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, vllam penitùs diuiſionem aut iacturam patiatur.] Sanctus quoque Anacletus Papa, ab ipſo beato Petro Apoſtolo preſbyter ordinatus, poſtea in ſede Romana ſucceſſor illius factus Epiſcopus, cum totius mundi ſacerdotibus iudicauit, Qui abſtulerit, inquiens, aliquid patri vel matri, Epiſt.1. homicidæ particeps eſt. Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creauit, mater verò noſtra Eccleſia, quæ nos in baptiſmo ſpiritaliter regenerauit. Ergo qui Chriſti pecunias & Eccleſiæ rapit aufert vel prædatur, homicida eſt, atque homicida ante conſpectum iuſti iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi ſui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & vt ſacrilegus iudicandus eſt.] Item ſanctus Vrbanus Papa & martyr, Res & facultates Eccleſiaſticæ oblationes appellantur, Epiſt.1. quia Domino offeruntur, & vota ſunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus eſt damnationis Ananiæ & Saphiræ, & oportet huiuſmodi tradere Satanæ,

Epist.II. vt spiritus saluus sit in die Domini.] Et sanctus Lucius Papa, Rerum Ecclesiasticarum & facultatum raptores à liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizatos Apostolica auctoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus: & non solùm eos, sed & omnes consentientes eis, quia non solùm qui faciunt rei iudicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna & agentes & consentientes comprehendit. A qua pœna consensus liberi esse non possunt illi, quorum ministerium est, & qui talia possunt prohibere, comprimere & emendare, & ea non student corrigere.] Et sanctus Lib.VIII. Epist.VI. Gregorius in epistola ad Sabinum subdiaconum, Sacrilegum, inquit, & contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, prauæ voluntatis studiis, suis tentauerit compendiis retinere.] Et S. Augustinus in sermone Euangelij sancti Ioannis dicit, Fur sacrilegus loculorum sacrorum & Dominicorum est Iudas, & qui aliquid de Ecclesia furatur & rapit, Iudæ perdito comparatur.] Et item in sacris canonibus, sancto Spiritu dictatis, & Christi sanguine confirmatis, Cõc.Tol.I. can.XI. scriptum est, Si quis de potentibus clericum, aut quemlibet pauperiorem, aut religiosum exspoliauerit, & mandauerit ad ipsum Episcopus vt eum audiat, si contempserit, inuicem mox scripta percurrant per omnes prouinciæ Episcopos, & quoscumque adire potuerit, excommunicatus habeatur, donec audiat & reddat aliena.] Et item scriptum Cõc. Agat. can.IV. est, Clerici etiam, vel sæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas, retinere præsumpserint, aut id quod ipsi donauerunt Ecclesiis vel Monasteriis crediderint auferendum, sicut Synodus sancta constituit, velut necatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur.] Vnde summopere caueant potentiores quique, vnusquisque in ordine & dignitate sua, ne præsumant, in damnationem suam res sibi Ecclesiasticas, neque fatigent vel affligant inconsuetis consuetudinibus Dei Ecclesias & loca Sanctorum, scientes quia vt præmisimus res Ecclesiasticæ vota sunt fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum, & in tuitione atque defensione Christi consistunt, qui eas terræ principibus, atque primoribus ad defendendum & conseruandum, non ad affligendum vel vsurpandum siue præsumendum commisit. Nam quæcumque prætendatur à quocumque vtilitatis siue necessitatis occasio, ille corda omnium conspicit, qui nouit cogitationes hominum, & remunerat actiones, & etiam cogitationes irremuneratas nullatenus derelinquet. Quocirca omnis qui vult saluus fieri, & ab æterna morte liberari, & ad æternam vitam peruenire, attentissimè cordis aure exaudiat quid sanctus Spiritus per eos locutus est, quibus dixit Dominus, *Ecce ego vobiscum*
Matt.28.20 *sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* &, *Non vos estis qui*
Matt.10.20 *loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* &, *Quæcumque*
Matt.18.18 *alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solueritis*
Ioan.20.22 *super terram, erunt soluta & in cælo.* &, *Accipite Spiritum sanctum, quorum*

remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. &, *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* Dicunt enim illi, qui in cælo regnant, & in terra miraculis coruſcāt, qui & vſque hodie nobiſcum viuunt, & cum ſucceſſoribus noſtris vſque in perpetuum viuent, quoniam apud Deum eſt merces eorum, Si quis oblationes Eccleſiæ extra Eccleſiam accipere vel dare voluerit, præter conſcientiam Epiſcopi, vel eius cui huiuſmodi officia commiſſa ſunt, nec cum eius voluerit agere conſilio, anathema ſit.] Anathema autem interpretatur in Romana lingua alienatio, quia omnis talia faciens, quamdiu in illis peccatis manet, licèt nos Epiſcopi, qui in Apoſtolis & cum Apoſtolis non noſtro merito ſed gratia diuina ligandi & ſoluendi poteſtatem accepimus, interdum tardi, interdum diuini ſenſus ignari, interdum quæ committuntur neſcientes, aliquando etiam commiſſa vt expedit corrigere non valentes, quæ ſtatuta ſunt exequi diſſimulemus, vel etiam negligamus, vt talem hominem ab Eccleſia & fidelium ſocietate excommunicantes non ſegregemus, iam tamen à ſacris canonibus excommunicatus & prædamnatus eſt, donec peccatum illud deſerat, & per ſatisfactionem Eccleſiaſticam, & ſacerdotalem reconciliationem, Domini gratiam & fideliū ſocietatem recipiat. Et quicumque in peccatis ſuis & talibus ſceleribus implicatus ante ſatisfactionē neceſſariam vitam iſtam finierit, communionem & ſocietatem cum electis in regno Dei habere nullatenus poterit, nec de inferni pœnis & dæmonū ſocietate vnquā liberari valebit. Denique duo capitula quæ ſequuntur, ex edicto aſſumpta ſunt ab Anſegiſo abbate, capitulorum imperialium ex diuerſis Synodis & placitis collectore, cauſa breuitatis in primo libro capitulorum, ſeptuageſimo ſeptimo & ſeptuageſimo octauo, de non diuidendis rebus Eccleſiaſticis, & Epiſcoporum electione, ex ſupraſcriptis excerpta, in præfato libro inueniuntur. Quod edictum ex integro domnus Karolus magnus Imperator, cum interrogatione de Chorepiſcopis, per Arnonem Archiepiſcopum ad Leonem Papam direxit, & ad eius conſultum aliud edictum de non diuidendis rebus Eccleſiaſticis, & de Epiſcoporum cauſis edidit, & Apoſtolicæ ſedis atque auctoritate ſua confirmauit, & per omnes Metropolitanas Eccleſias imperij ſui perpetuò ſeruanda direxit. Memorata itaque capitula ita ſe habent. Quia iuxta ſanctorum patrum traditionem nouimus res Eccleſiæ vota eſſe fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non ſolùm habita conſeruare, verùm etiam multa Deo opitulante conferre optamus. Tamen vt ab Eccleſiaſticis de non diuidendis rebus illius ſuſpicionem dudum conceptam penitus amoueremus, ſtatuimus vt neque noſtris, neque filiorum & Deo diſpenſante ſucceſſorum noſtrorum temporibus, qui noſtram vel progenitorum noſtrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, vllam penitus diuiſionem aut iacturam patiatur. Sacrorum quoque canonum non igna-

Luc.10.16. Conc.Ancyr.can.vii Lib.1.c.83. Cap.84.

ri, vt in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberiùs potiatur honore, adsensum ordini Ecclesiastico præbemus, vt scilicet Episcopi per electionem cleri & populi secundùm statuta canonum de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, vt exemplo & verbo sibi subiectis vsquequaque prodesse valeant.] Et in eodem edicto vnde hæc fuerunt adsumpta subsequitur, Præcipimus etiam omnibus ditioni nostræ subiectis, vt nullus priuilegia Ecclesiarum, monasteriorum, aut Ecclesias diripere pertentet, quia sicut à sanctis patribus instructi sumus, grauissimum peccatum hoc esse dinoscitur, & cetera quæ sequuntur.] Et in priuilegio Beluacensis Ecclesiæ, ab Episcopis quatuor prouinciarum consensu domni Karoli nuper defuncti confirmato, hæc continentur ad locum. Potestas autem sæcularis, siue sit sublimitate donata aliqua, siue in humili constituta loco, nullam in eis, nec in præsenti nec in futuro, suscipiat contra sacras regulas dominationem, nec violenter inuadens, nec oblata suscipiens. Si quis verò regum, sacerdotum, & iudicum, atque sæcularium personarum, hanc constitutionis paginam cognoscens, contra eam venire tentauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reúmque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo sunt malè ablata restituerit, vel digna pœnitentia inlicita acta defleuerit, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei Domini redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus hîc fructum bonæ actionis recipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant.] Et in priuilegio eiusdem Ecclesiæ à domno Nicolao Papa confirmato hæc continentur ad locum, Nullus itaque regum, nullus iudicum, nullus cuiuscumque sæcularis potentiæ dignitate fultus, in rebus præfatorum cœnobiorum, vel villis, vel agris, vel mancipiis, vel quicquid ad eadem monasteria collatum fuerit, potestatem habeat vel dominandi, vel accipiendi, vel auferendi, præter Episcopum Beluacensis Ecclesiæ, qui per tempus fuerit eidem prælatus Ecclesiæ. Sed quicquid vel in auro, vel in argento, vel in quacunque supellectili, vel in omni facultatis substantia, ipsis est monasteriis hodie delegatum, vel futuris temporibus fuerit collatum, Episcopi Beluacensis distributioni & ordinationi fiat subiectum, nec alterius potestatis ius vel dominatio super eis potestatem aliquam, nisi quantum diuina auctoritas & lex & iustitia permittet, obtineat. Si quis autem temerario ausu, magna paruáve persona, contra hoc nostrum Apostolicum decretum agere præsumpserit, sciat se anathematis vinculo esse innodatum, & à regno Dei alienum, & cum omnibus impiis æterni incendij supplicio condemnatum. At verò qui obseruator extiterit præcepti huius,

Nicolaus Odoni Episcopo

gratiam atque misericordiam vitámque æternam à misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur.] Et sanctus Gregorius in Decretali epistola, in partes Græciæ pro quibusdam commotionibus directa, ita dicit ad locum, Si qui verò sunt, qui dicunt, quia compulsus quispiam necessitate si anathematizauerit, anathematis vinculo non tenetur, ipsi sibi testes sunt quia Christiani non sunt, quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, si ligaturas eius valere non æstimant. Contra quos diutiùs disputandum non est, quia per omnia despiciendi & anathematizandi sunt, & vnde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur. Eósque & ego, & omnes catholici Episcopi, atque vniuersa Ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, & contraria loquuntur. Vnde magnopere dilectissimo domno nostro Regi curandum est, ne suggestione vel postulatione quorumcumque hominum contra hæc sancti Spiritus decreta faciat, vel fieri de Ecclesiasticis rebus consentiat: maximè post hanc visitationem Dei, qua per confessionem, & pœnitentiam, & reconciliationem sacerdotalem illum credimus emendatum. quia magna est contra peccatum virtus pœnitentiæ, sed ei qui in eadem pœnitentia perseuerat, quia scriptum est, *Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* Et item scriptum est, *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius?* Mortuum quippe est omne opus peruersum, quod pertrahit ad mortem, quódque iustitiæ non viuit. Baptizatur ergo à mortuo, & iterum tangit eum, qui praua opera, quæ se egisse meminit, deplorat, sed in eisdem se iterum post lacrymas implicat. Anima itaque quælibet eiusdem mortui lauatione non proficit, quæ hoc iterum faciendo quod planxit, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem iustitiæ exsurgit. Pœnitentiam enim verè agere est, commissa plangere, & iterum plangenda declinare. Prouidendum est igitur carissimo domno nostro Regi, quod Dominus dominorum & rex regum etiam ipsi & vnicuique nostrûm, quin & omni homini sine exceptione alicuius personæ, quia vt scriptura dicit, *Non est personarum acceptor Deus*, dicit, quod longè antè cuidam in Euangelio dixerat, *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Sed & praua sibi suggerentes non obaudiat, dicente Apostolo, *Non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus digni sunt morte.* Episcopo etiam nuper ordinato agere talia vel talibus consentire non præcipiat, vnde se ipsum perdat, & coram Deo Ecclesiasticam gratiam amittat. Cùm coram omnibus & electoribus & ordinatoribus suis districtissimè professus ante ordinationem suam fuerit, & propria manu subscripserit, sacras regulas sanctorum Conciliorum, quantum scierit & potuerit, seruaturum. Qui sacri canones spiritu Dei conditi, & totius mundi reue-

Matt. 18. 22.
Ecclesi. 34. 30.
Act. 10. 34.
Ioan. 5. 14.
Rom. 1. 32.

rentia consecrati ita decernunt, Si quis contra suam professionem vel suam scripturam venerit in aliquo, ipse se honore priuabit. Qui autem res & facultates Ecclesiasticas Beluacensis Ecclesiæ ipsius consensu vel fauore pessumdare præsumpserint, qui auctoritatem eas illis dare vel consentire non habuit, sollicitissimè caueant, ne suprascriptas sacrorum canonum sententias, ab omnibus nobis Episcopis, ad quorum notitiam ipsorum sacrilegia peruenerint intentatas, suscipiant, & ab omni Christianorum societate modis omnibus separentur.



XLVII.

CAROLI II. IMPERATORIS NOMINE AD IOANNEM VIII. PAPAM.

De iudiciis & appellationibus Episcoporum & presbyterorum.

Ex editione Moguntina Ioan. Busæi.

SANCTISSIMO AC REVERENTISSIMO PATRI Ioanni summo Pontifici & vniuersali Papæ, Karolus gratia Dei Imperator Augustus, ac spiritalis filius vester.



ANTEQVAM prouinciæ Transalpinæ, propter seditiones & bella frequentia, progenitorum nostrorum temporibus, sacrarum legum ac regularum notitiam & obseruationem plenè caperent, sicut postea per incrementa studio illorum ab hac sancta sede gratia Dei ceperunt, gloriosæ memoriæ auus noster Karolus Imperator Augustus, diu per egregios ac præcipuæ auctoritatis & sapientiæ viros, de Presbyteris ex criminibus diffamatis, qualiter iudicari vel purgare se debeant perquisiuit, & reperit, sicut in suæ Imperialis auctoritatis edictis, quæ in alia schedula habemus scripta, posteris seruanda reliquit, quæque vsque ad nostra tempora ex tunc in Transalpinis regionibus seruata, & quando necessitas postulauit executa fuerunt.

II. IN diebus autem domini & genitoris nostri piæ memoriæ Hludouuici Imperatoris, cùm ipsa tepesci executio aliquatenus cœpit, apud Papam Eugenium inde ab eo commonitio facta est. Qua de re Synodum isdem vniuersalis Papa conuocans, inter alia generalia decreta promulgare curauit, quæ Leo IV. tempore fratris nostri Hlotharij, & nepotis nostri Hludouuici, obseruanda decreuit, sicut in gestis Synodalibus, & in huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ archi-

archiuo haberi credimus, & ab hac sancta Sede nostris decessoribus directa venerabili sanctione habemus. Cùm autem non longè ante hos annos nepos noster Hludowicus Italiæ Imperator instinctu quorumdam contra nos se commouit, missæ sunt nobis epistolæ quasi ex Apostolicæ huius sedis auctoritate ac nomine, quas tenoris inconuenientia hanc sanctam & discretissimam sedem non misisse ostendit.

III. Et quoniam prauis sæpiùs praua quàm recta innotesci solent, nacta hinc occasione, Transalpinarum regionum presbyteri, à suis Episcopis de certis criminibus regulariter ab ordine sacerdotali deiecti, & pœnitentiæ subacti, sine licentia & conscientia Primatum & Episcoporum suorum, huc venire, & hinc epistolas, quæ regulis non conueniunt, referre cœperunt. Quas non iussione Apostolica, sed, vt assolet etiam in republica, propter multiplicia reclamatorum negotia, quorumcumque ministrorum quasi pia miseratione factas, & nos & illius regionis putant Episcopi. Quapropter quia, vt sanctus Augustinus dicit, cogunt multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum, intermissis propter prolixitatem sacrarum legum capitulis prædecessorum nostrorum Imperatorum, quibus Ecclesiasticæ regulæ consonant, necessarium duximus pandere sanctissimæ vestræ paternitati, ac summæ auctoritati, qualiter regulas de honore in suo statu Episcoporum, & de appellatione, si necessitas & ratio in deiectione illorum poposcerit, sed & de appellatione presbyterorum intelligimus, & intelligi à rectoribus Transalpinarum Ecclesiarum didicimus: quatenus ab huius sanctæ sedis auctoritate nostra sana, vt credimus, intelligentia confirmetur, à qua fidei ac religionis sumpsit initium, & quotidie, gratias Deo, sumit augmentum, & si quid malè in agro Dominico pullulat, decreti vestri falce recidatur. Si etiam quorumcumque negligentia, vel præsumptione à præstitutis regulis est discessum, vestræ auctoritatis industria sit reformatum. Epist.50.ad Bonifaciũ Comitem.

IV. Sicvt Dei virtus Christus & Dei sapientia, ordinem ac dignitatem Apostolorum & septuaginta discipulorum in carnis præsentia distinxit, vt lectio sancti Euangelij patenter ostendit: ita idem ipse, per quem reges regnant, & conditores legum iusta decernunt, sacris legibus & canonibus, spiritu suo conditis, & totius mundi reuerentia consecratis, ordinem & dignitatem Episcoporum, qui locum in Ecclesia tenent Apostolorum, & presbyterorum, qui subrogantur loco septuaginta discipulorum, & in administratione & in honore, sicut & in veteri testamento inter summos Pontifices & inter minoris ordinis sacerdotes discreuit. Quapropter ab omnibus honorandi ac venerandi sunt pro patribus nati filij, id est, pro Apostolis ordinati Episcopi, & ordinis dignitate, & illius honore, qui eis Apostolis dixit, *Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos.* &, *Qui vos audit me audit,* Ioan.15.15.

Luc.10.16. Matt.28.10 *& qui vos spernit me spernit.* & de eis, *Ite, nunciate fratribus meis.* Et alia, quæ de illorum veneranda honoratione sacræ scripturæ textus eloquitur.

V. QVI fortè si aliqui temporalibus rebus sunt pauperes, & fortè merito diuites, pro certo autem sunt ordine sacro sublimes, à nullo quolibet, siue Ecclesiastica, siue sæculari potestate prædito, debent vilipendi, nec potentibus sæculi modo quocumque postponi, præcipiente omnibus Apostolo Iacobo, *Nolite* Iacob.2.1. *in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ,* quia non qui ditiores ad sæculum, hi in diuino examine sunt meliores. *Nonne,* inquit, *Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide,* 1.Cor.1.28. *& heredes regni, quod promisit diligentibus se?* & Paulus, *Ignobilia & contemptibilia mundi elegit Deus,* & reliqua. Et sanctus Gregorius in Lib IV. Epist.XXXI. epistola ad Mauritium Imperatorem, Sacerdotibus, inquit, non ex terrena potestate dominus noster citiùs indignetur, sed excellenti consideratione, propter eum cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquiis aliquando sacerdotes dij, aliquando angeli vocantur. Nam & per Moysem, de eo qui ad iuramentum deducendus est, dicitur, Applica Exod.22.8. illum ad deos, id est, ad sacerdotes.] & rursum scriptum est, *Diis* Malach.2.7 *non detrahes,* scilicet sacerdotibus. & Propheta ait, *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.*] Quid ergo mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos, aut deos, ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cùm piæ memoriæ Constantino Principi in scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quos acceperat incendit, dicens, Vos dij estis, à vero Deo constituti: ite, & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, vt nos iudicemus deos. In qua tamen sententia, pie domine, sibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eum quippe pagani in republica principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos & lapides colebant, & tamen eorum sacerdotibus maximum honorem tribuebant. Quid ergo mirum, si Christianus Imperator veri Dei sacerdotes dignetur honorare, dum pagani, vt prædiximus, principes honorem impendere sacerdotibus nouerunt, qui diis ligneis & lapideis seruiebant?] Et idem sanctissimus atque facundissimus & discretissimus, veracitérque in oculis Lib.VII. Epist.LXIV. Ind.II. Dei humillimus, in epistola ad Ioannem Episcopum Syracusanum, scribens de Episcopo Constantinopolitano, inter alia dicit, Quod sedi Apostolicæ dicat se velle subiici, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit. Cùm verò culpa non exigit omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt.]

VI. POST Constantinum autem, quique Christiani Imperato-

res, deceſſores ac prædeceſſores noſtri, leges de Epiſcoporum honore ac priuilegio condiderunt. Proinde, pater ſanctiſſime, quia, vt ſanctus Gelaſius dicit, duo ſunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas, ad quas appellari poteſt, & à quibus nemo permittitur appellare, ſub oculis diſtricti & æquiſſimi iudicis Dei, qui ſine perſonarum acceptione iudicat, noſtra ponderemus iudicia: quia etſi plerumque exiſtunt inter negligentes vel deſides fratres, quæ oporteat maiore auctoritate curari, ſic tamen eſt, vt ſanctus Leo dicit, adhibenda correctio, vt ſemper ſit ſalua dilectio, & plus erga corrigendos agat beneuolentia quàm ſeueritas, plus cohortatio quàm commotio, plus caritas quàm poteſtas.] Epiſcopos ſanè in ſuo ſtatu manentes debita veneratione colamus, & à nobis eis competenti honore impenſo, ceteris exemplum reuerentiæ erga ſacerdotalem ordinem præbeamus: quia ſi nos ſacrum ordinem in perſonis eorum vilipendimus, qui velut in ſpeculo, ad ſumendum exemplum, in omnium, qui ſubiecti nobis ſunt, oculis poſiti ſumus, pro tantorum culpis à diſtricto iudice, ſummo videlicet Pontifice & rege regum diiudicabimur, quot noſtro facto delinquendi, quod abſit, exempla præbuerimus. ſicut idem beatus Gregorius in Regula Paſtorali terribiliter intonat, dicens, Scire etenim Prælati debent, quia ſi peruerſa vnquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Vnde neceſſe eſt, vt tanto ſe cautiùs à culpa cuſtodiant, quanto per praua quæ faciunt, non ſoli moriuntur, ſed aliorum animarum, quas prauis exemplis deſtruxerunt, rei ſunt. Et contrà, quot ſuo vel verbo, vel exemplo, vel quibus poteſtas eſt data correptionis correptione, quia ſæpè inuitis bona præſtantur, dicente ſummo patrefamilias ad ſeruum, id eſt, Prælatorum chorum, Exi citò in vias & ſepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea, Domino lucrati fuerint, pro tantis gloriæ coronam accipient, atteſtante Apoſtolo, Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.]

[Margin notes: Epiſt. x. ad Anaſtaſiũ. — Ep. xxcviii Anaſtaſio. — Part. I. cap. V. — Luc. 14. 23. — Iac. 5. 20.]

VII. CETERVM quia non eſt homo in terra, qui faciat bonum & non peccet, & nec ipſi ſine peccato fuerunt qui cæleſti magiſterio adhærebant, dicente Ioanne, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Et Iacobus Apoſtolus dicit, *In multis offendimus omnes.* &, vt Scriptura oſtendit, in angelis reperta eſt nequitia, ſi neceſſitas cum multa ponderatione atque examinatione coëgerit Epiſcopos ab Epiſcopis iudicari, vel preſbyteros ab Epiſcopis à gradu Eccleſiaſtico deiici, ſicut in honore atque adminiſtratione, ſic & in diiudicatione atque appellatione, diſcretionem auctoritas ſacra diſtinxit, decernens, vt ſi neceſſitas & pondus legalis ac regularis accuſationis exigit, Epiſcopum

[Margin notes: 1. Ioan. 1. 8. — Iac. 3. 2. — Iob 4. 18.]

iudicari debere à ſuis iudicibus Epiſcopis, à quibus regulariter vnà cum Primate prouinciæ potuit ſecundùm Nicænos & Antiochenos canones & decreta Sedis Romanæ Pontificum ordinari, congregatis vnà cum Primate prouinciæ ipſius regionis Epiſcopis ſecundùm Sardicenſes canones, atque à conſtituto, iuxta Carthaginenſes canones, duodecim Epiſcoporum numero, ſi plures nequiuerint congregari, canonicè iudicetur.

VIII. Et ſi iſdem accuſatus & iudicatus Epiſcopus, congregatis eiuſdem regionis Epiſcopis, de gradu ſuo deiectus Apoſtolicam ſedem appellauerit, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & ab eo ſe audiri voluerit poſt iudicium, iuxta Sardicenſes canones, & decreta Innocentij ad Victricium, & Bonifacij ad Gallicanos Epiſcopos, & Leonis ad Anaſtaſium, ſcribendum eſt ab his qui cauſam examinarunt Romano Pontifici. Et ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det iudices: ſi autem probauerit talem cauſam eſſe vt non refricentur ea quæ acta ſunt, quæ decreuerit confirmata erunt. Et ſi iuſtum putauerit vt renouetur examen, ſcribere his dignetur Epiſcopis, qui in finitima & propinqua prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quòd ſi is qui rogat cauſam ſuam audiri iterum, deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi, & quid velit, & quid æſtimet. Et ſi decreuerit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, habentes eius auctoritatem à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si verò crediderit Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod ſapientiſſimo conſilio iudicauerit. Interim tamen alter Epiſcopus in cathedra depoſiti Epiſcopi poſt appellationem eius non ordinetur, antequàm cauſa eius fuerit in iudicio Epiſcopi Romani determinata.]

Conc.Sard. can.VII.

IX. Qvæ conſtitutio appellationis ad Apoſtolicam Sedem non diſcordat à ſacra & myſtica Nicæna Synodo, de qua magnus Leo Papa ad Anatolium ſcripſit. Illa, inquiens, Nicænorum canonum per ſanctum verè Spiritum ordinata conditio in nulla vnquam parte eſt ſolubilis. Nulla ſibimet de multiplicatione congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus ſacerdotum comparare ſe audeat vel præferre, cùm tanto diuinitùs priuilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum.] De cuius priuilegio & B. Ambroſius dicit, Non humana induſtria, non compoſitione aliqua, trecenti decem & octo Epiſcopi ad Concilium conuenerunt: ſed vt in numero eorum, per ſignum ſuæ paſſionis & nominis, Dominus Ieſus ſuo ſe probaret adeſſe Concilio, crux in tre-

Epiſt. LVI.

Lib.I. de Fide c.9.

centis, Iesu nomen in decem & octo est sacerdotibus.] Et mihi, inquit Hilarius, ille ipse numerus hic sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum, ab eo qui æterni sacerdotij est forma benedicitur.] Et hinc item beatus Leo Papa ad Anatolium, Sancti illi & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicæna, sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt, & si quid vsquam aliter quàm illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur.] De Synod. in fine. Epist. LVI. post superiora.

X. QVOD sanctum & mysticum Concilium præcipit, De his, qui communione priuantur, vt siue ex clero, siue ex laico ordine, ab Episcopis per vnamquamque prouinciam sententia regularis obtineat, vt hi qui abiiciuntur, ab aliis non recipiantur. requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet Episcopi vitio, videatur à congregatione seclusus. Vt hoc ergo decentiùs inquiratur, bene placuit annis singulis per vnamquamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter, omnibus simul Episcopis congregatis prouinciæ, discutiantur huiusmodi quæstiones, & sic, qui suo peccauerunt euidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, vsquequo vel in communi, vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam.] Can. V.

XI. CVIVS sanctæ Synodi constitutionem Sardicenses canones non conuellunt, qui cum Pontificis Romani Vicario vel arbitrio causam Episcopi in prouinciali Synodo iudicati, etiam Episcoporum arbitrio vel iudicio qui eum iudicauerunt, cum Episcopis qui in finitima & propinqua prouincia sunt præcipiunt terminari, quatenus siue in manenda, siue in immutanda sententia, iuxta Nicænos canones commune sit placitum. De quibus sacris canonibus Nicænis Africanum Concilium ad sanctum Cælestinum Papam scribens, Prudentissimè, inquit, iustissiméque prouiderunt, quæcumque negotia in suis locis vbi orta sunt finienda, nec vnicuique prouinciæ gratiam Spiritus sancti defuturam, qua æquitas à Christi sacerdotibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur.] Cap. VII. Cap. CV.

XII. BEATVS quoque Innocentius ad Victricium Rotomagensem Episcopum duo capitula magni Concilij Nicæni, De his videlicet qui communione priuantur ex clero, & aliud, Vt per singulas prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesiis, & capitulum Sardicensis Concilij de Episcoporum ad Apostolicam sedem appellatione, vno capitulo sagaciter atque patenter explicat, dicens, Si quæ autem causæ vel cõtentiones inter clericos tam superioris gradus, quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, placuit vt secundùm Synodum Nicænam, congregatis omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis, iudicium terminetur. nec alicui liceat, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omni- Epist. I. Innocent.

bus causis debet reuerentia custodiri, relictis his sacerdotibus qui in eadem prouincia Dei Ecclesiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias. Quod si quis fortè præsumpserit, & ab officio cleri submotus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causæ in medio fuerint deuolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referantur.] In eo enim quod dicit, vt secundùm Synodum Nicænam congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis de exortis causis iudicium terminetur, capitulum Nicæni Concilij de excommunicatis explanat: In eo quòd ad alias quemcumque de Ecclesiastico ordine prohibet conuolare prouincias, aliud capitulum Nicæni Concilij explicat, quod iubet, vt per singulas prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesiis, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ: vt si maiores causæ, quarum vna est de Episcopi iudicati appellatione, in medio fuerint deuolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut Synodus, quin Sardicensis, statuit, & vetus consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referantur. Scilicet, vt aut iuxta præmissum septimum Sardicensis Concilij capitulum, appellantis Episcopi causa in prouincia, in qua fuit exorta, diffiniatur, aut iudicium Episcoporum prouinciæ, secundùm decreta Bonifacij, Apostolicæ sedis auctoritate confirmetur, & sicut Leo scripsit, eiusdem sedis sententia roboretur. Quia verò sanctus Innocentius non Nicænam, sed Sardicensem Synodum de appellatione Episcopi ad sedem Apostolicam in auctoritatem traxit, qui vtrasque Synodos legit apertè intelligit.

XIII. Sacræ leges ac regulæ, presbyteros & ceteros inferioris gradus clericos, non alibi quàm apud suos Episcopos præcipiunt accusari: à quibus, sicut Africæ prouinciæ canones decernunt, eorum causa debet audiri, & sicut sanctus Gregorius constituit, cum presbyteris vel clericis suæ parochiæ iudicari. Qui fortè si de iudiciis Episcoporum suorum questi fuerint, ad quos eis sit prouocandum, de appellatione presbyterorum ac diaconorum ad vicinos & finitimos Episcopos, Papa Zosimus in commonitorio per Faustinum Episcopum & Philippum ac Asellum presbyteros directo Carthaginensi Concilio, in Concilio Sardicensi capitulo decimo septimo continetur hoc modo, Osius Episcopus dixit, Quod me adhuc mouet, reticere non debeo. Si Episcopus quis fortè iracundus, quod esse non debet, citò & asperè commouetur aduersus presbyterum siue diaconum suum, & exterminare eum de Ecclesia voluerit, prouidendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem, & ideo habeat potestatem is qui abiectus est, vt Episcopos finitimos interpellet, & causa eius audiatur, & diligentiùs tractetur: quia non oportet negari ei audientiam roganti. Et ille Episcopus, qui iustè aut iniustè eum abiecit, patienter accipiat, vt negotium discutiatur,

Cap. XVII.

vt vel probetur ſententia eius à plurimis, vel emendetur. Tamen priuſquam omnia diligenter & fideliter examinentur, eum qui fuerat à communione ſeparatus, ante cognitionem nullus debet præſumere vt eum communioni ſociet. Hi verò, qui conueniunt ad audiendum, ſi viderint clericorum eſſe faſtum & ſuperbiam, quia non decet vt Epiſcopus iniuriam vel contumeliam patiatur, ſeuerioribus eos verbis caſtigent, vt obediant honeſta præcipienti Epiſcopo. quia ſicut ille clericis ſincerum exhibere debet amorem caritatis, ita quoque viciſſim miniſtri infucata debent Epiſcopo ſuo exhibere obſequia.]

XIV. Nec hoc capitulum Sardicenſis Concilij diſſentire videtur à capitulo Nicæni Concilij, quo expreſſiùs & apertiùs, quàm Sardicenſe Concilium, decreuit de his qui communione priuantur à proprio Epiſcopo, ſicut ſuprà poſuimus, & de priuilegiis ſingulorum Metropolitanorum dicens, Antiqua conſuetudo ſeruetur per Ægyptum, Libyam, & Pentapolim: ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & vrbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam, ceteráſque prouincias, ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſiis.] Quod exponit Antiochena Synodus dicens, Per ſingulas regiones conuenit Epiſcopos noſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius prouinciæ gerere. Propter quod ad Metropolim omnes vndique, qui negotia videntur habere, concurrant.] Et Conſtantinopolitanum Concilium dicens, Vt illa quæ ſunt per vnamquamque prouinciam, ipſius prouinciæ Synodus diſpenſet, ſicut Nicæno conſtat decretum eſſe Concilio.]

Can.vi. Can.ix. Can.i.

XV. Et hinc Innocentius ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum, Reuoluentes, inquit, auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum mentem explicat ſacerdotum, quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia cunctis fidelibus, ne dixerim ſacerdotibus, eſſe neceſſarium cuſtodire, qua ſuper diœceſim ſuam prædictam Eccleſiam, non ſuper aliam aliquam prouinciam, recognoſcimus conſtitutam.] Et Bonifacius Papa ad Hilarium Narbonenſem, Nulli, inquit, videtur incognita Synodi Nicænæ conſtitutio, quæ ita præcipit, vt eadem propriè verba ponamus, per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe ſubiectas. Quod illi, quia aliter credendum non eſt, ſeruandum Spiritu ſancto ſuggerente ſibimet cenſuerunt. Quod idcirco dicimus, vt aduertat caritas tua, adeò nos canonum præcepta ſeruare, vt ita conſtitutio quoque noſtra diffiniat, quatenus Metropolitani ſui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet.] Et his conſonanter Cæleſtinus, Iuxta decreta, inquit, canonum, vnaquæque prouincia ſuo Metropolitano contenta ſit, vt deceſſoris noſtri data ad Narbonenſem Epiſcopum

Epiſt.xxx. Epiſt.iii. Ep.ii.per Viennen & Narbon.

continent constituta. Nec vsurpationi locus alicui sacerdoti in alterius concedatur iniuriam. Sit concessis sibi contentus vnusquisque limitibus, alter in alterius prouincia nihil præsumat.] Et Leo ad
Epist.LXVI. Maximum Episcopum. Et si, inquit, diuersa nonnunquam sunt merita Præsulum, iura tamen permanent Sedium.]

XVI. Et Antiochenum Concilium, à magna Synodo Chalcedonensi actione duodecima fauorabiliter collaudatum, sequens decreta Nicæni Concilij, Si quis, inquit, à proprio Episcopo com-
Can.VI. munione priuatus est, non antè suscipiatur ab aliis, quàm suo reconcilietur Episcopo, aut certè ad Synodum quæ congregatur occurrens pro se satisfaciat, & persuadens Concilio sententiam suscipiat alteram. Hæc autem diffinitio maneat circa laicos, & presbyteros, & diaconos, omnésque qui sub regula esse monstrantur.] Et loquens de Conciliis capitulo vigesimo, dicit, In ipsis Conciliis adsint presbyteri, & diaconi, & omnes, qui se læsos existimant, & Synodi experiantur examen. Nullis verò liceat apud se celebrare Concilia, præter eos quibus Metropolitana iura videntur esse commissa.] Et capitulo decimo sexto, Perfectum verò Concilium illud est, vbi interfuerit Metropolitanus antistes.

XVII. Appellantes autem presbyteri, vel diaconi, à quibus & qualiter sint iudicandi, sacri Carthaginenses canones capitulo vigesimo & capitulo vigesimo octauo euidenter ostendunt. Vbi autem inter accusatores & accusatos causa debeat agitari, Carthagi-
Can.XXX. nense Concilium statuit, dicens, Vt accusatus, vel accusator, in eo loco, vnde est ille qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, vbi causa finiatur.] Et hinc leges dicunt, Criminum discussio ibi agitanda est, vbi crimen admissum est. nam alibi criminum reus prohibetur audiri. Et item, Si quis aduersariũ, aut repetitione, aut criminis obiectione pulsauerit, prouincia, in qua consistit ille qui pulsatur, suas exerat actiones, nec æstimet aduersarium suum alibi aut longiùs pertrahendũ.] Illi verò qui pulsatus fuerit, si iudicem suspectum habuerit, liceat appellare, scilicet Ecclesiasticis ad finitimos Episcopos, vt Sardicenses & Carthaginenses canones vt præmisimus decreuerunt, vel ad prouincialia Concilia, sicut sacri Nicæni & Antiocheni canones constituerunt, & sicut Africanum Concilium in epistola ad Cælestinum Papam ostendit, Vnicuique inquiens concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad
Cap.CV. Concilium suæ prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare. Nisi fortè quisquam est, qui credat vnicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare iustitiam, & innumerabilibus congregatis in Concilium sacerdotibus denegare, aut quomodo ipsum transmarinum iudicium, (quod tantundem est, Transalpinum) ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatẽ, vel multis aliis incurrentibus impedimentis, adduci non poterunt?]

XVIII.

XVIII. A iudicibus autem, siue quos iuxta Africanos canones primates dederint, siue quos ipsi vicinos ex consensu delegerint, causa finienda regulariter prouocari non potest. Et sanctus Gregorius in epistola ad Gallicanos Episcopos, Nec hoc, inquit, in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per parochias Conciliis patrum prouidentia vtilitatis causa sancitum est. Vnde ne qua inter fratres dissensio, ne qua inter præpositos & subiectos sint fomenta discordiæ, in vnum sacerdotes conuenire necesse est, vt de incidentibus causis disceptatio, & sit salubris de Ecclesiastica obseruatione conlatio. quatenus dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura suscipiunt, omnipotens vbique Dominus fratrum concordia collaudetur: cuius vobis adesse præsentiam, si hæc obseruabitis, scitote, quia scriptum est, *Vbi fuerint congregati duo vel tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*] Si ergo adesse dignatur vbi duo vel tres fuerint, quanto minùs non deerit, vbi plures conuenerint sacerdotes? Et quidem, quia de adhibendo bis in anno Concilio patrum sit regulis statutum, non latet: sed ne fortè aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel tamen sine excusatione aliqua decernimus congregari, vt expectatione Concilij nihil prauum, nihil præsumatur inlicitum. Nam plerumque, etsi non amore iustitiæ, metu tamen examinis, abstinebitur ab hoc quod omnium notum est posse displicere iudicio.]

Lib. 11. epist. 54.

Matt. 18.

XIX. HÆC itaque Transalpinis Ecclesiis, eárumque rectoribus, à sede Apostolica, de appellatione Episcoporum ad hanc sedem Apostolicam, & de presbyterorum ac diaconorum appellatione, si de iudiciis Episcoporum suorum questi fuerint, ad comprouinciales Synodos, & diiudicatione regulari eorum in iisdem Synodis, ante longissimæ ætatis annos vsque ad nostra tempora seruata, & à decessoribus ac prædecessoribus eorum secuta & executa fuerunt. Quæ si etiam illis seruata, & ab eis secuta & executa non fuerint, nihil prodest eos secundùm sacros canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum, pro accusatis presbyteris de manifestis criminibus comprouinciales Episcoporum Synodos frequentare, sed faciet licenter quisque presbyterorum quodlibet, vnde si fuerit redargutus, veniat Romam.

XX. ET quia pro singulis presbyteris Episcopi Transalpini regulariter iudicatis Missos dirigere, & actionum documenta scribere non valent, nec testium necessarias personas, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel pro multis aliis impedimentis, huc producere, fiducialiter poterit mentiens quique innocentiam suam asserere, cùm non erit qui mendacia eius possit refellere. Vnde, sicut præmisimus, legum & canonum conditores, prudentissimè iustissiméque viderunt, quæcumque negotia in suis locis, vbi orta sunt, finienda, & per expressa regularum iudicia discretissimè iudicanda,

& post iudicium conseruanda. Maximè de subintroductione contra regulas mulierum: pro qua ab Episcopis Transalpinis presbyteri regulariter iudicati ad hanc sanctam Romanam sedem insciis suis Episcopis veniunt, & eis epistolas eorum refragantes iudicia deferunt, eósque vel comministros illorum ad hanc sedem ad conquerendum contra eos venire præcipiunt, quod nullis antiquorum legibus vel patrum regulis decretum fuisse legimus.

XXI. QVAS epistolas sacris regulis obuias, vt in præfatione huius opusculi commemorauimus, nec auctoritate Apostolica fuisse missas, sed compilatas quorumcumque vafricia credimus. Non enim sibi ipsi sedes Apostolica potest esse contraria vel diuersa. de qua Gelasius Papa dicit, Confidimus, quòd nullus iam veraciter Christianus ignoret, vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exequi sedem præ ceteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum, & sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente, & tenuit semper, & retinet.] Et item, Cúmque nobis contra salutarium reuerentiam regularum cupiamus temerè nil licere, & cùm sedes Apostolica superior his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa pio deuotóque studeat tenere proposito, satis indignum est, quemquam vel Pontificum vel ordinum subsequentium hanc obseruantiam refutare, quam beati Petri sedem & sequi videat, & docere, satísque conueniens sit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum.] Potest enim fieri, vt illi, qui in vicinis parochiis sunt huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quíque iuxta sacras regulas, ad manus impositionem, & ad Synodos huc conuenire solent, ipsi pro reclamatione contra presbyterorum suorum ad præfatam examinationem conueniant, sicut sacri canones ac leges præcipiunt, vt ad Primatem vniuscuiusque prouinciæ, qui negotia videntur habere concurrant, vel ad Synodum, qui se læsos existimant, quò non sit difficile testes producere, inuitentur. Transalpinis autem, & aliis, qui in similiter longinquis regionibus commorantur, Apostolica sedes, & sacrorum canonum promulgatores, loquente in eis sancto Spiritu, quæ sunt vnicuique prouinciæ possibilia, & auctoritati conuenientia, atque paci Ecclesiæ congruentia, tenenda & exequenda discretissimè præfixerunt.

Epist. XI. ad Dardan.

Epist. I.

XXII. LEGIMVS etiam, quamuis rarissimè, præceptum à sede Apostolica, quosdam de longinquioribus parochiis specialis diœceseos Romani Pontificis, ad cuius sollicitudinem vniuersalis Ecclesia pertinet, propter contumaces contentiones aliquos inuitatos fuisse: sed de Transalpinis regionibus, quibus decreta priuilegia

ſeruari debent, tale quid pro preſbyterorum & diaconorum appellatione à ſede Apoſtolica præceptum fuiſſe non legimus. De Eccleſiaſticis nihilominùs priuilegiis in epiſtolis beati Gregorij legimus ad Dominicum Carthaginenſem Epiſcopum, Veſtra fraternitas, inquit, hoc poſtpoſita dubitatione retineat, quia ſicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibuſque Eccleſiis ſua iura ſeruamus. Nec cuilibet, fauente Chriſti gratia, vltra quàm meretur impertior, nec vlli hoc quod ſui iuris eſt ambitu ſtimulante derogabo: ſed fratres meos honorare per omnia cupio, ſicque ſtudeo eos in honorem ſubuehi, dummodo non ſit, quod alteri iure ab altero poſſit opponi.] Et alibi idem hinc dicit, Quod verò dicitis, veſtris temporibus debere ſeruari, quæ à meis quoque deceſſoribus tradita atque cuſtodita ſunt: abſit hoc à me, vt ſtatuta maiorum conſacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam, quia mihi iniuriam facio, ſi fratrum meorum iura perturbo. Lib.11. epiſt.39. Lib.11. ep.xxxvii.

XXIII. Tandem hinc, præter antiquas regularum ac legum conſtitutiones, in promptu habemus ſynodalia capitula Apoſtolicorum, Eugenij, anno imperij decimo tertio domni & genitoris noſtri Hludouuici, & anno decimo imperij Hlotharij fratris noſtri, menſe Nouembrio, atque Leonis IV. anno Hlotharij trigeſimo ſeptimo, & Hludouuici nepotis noſtri anno quinto, menſe Decembrio decreta, quibus præcipiunt, vt ſi quiſpiam ſacerdotum, id eſt, Epiſcopus, preſbyter, diaconus, vel etiam ſubdiaconus, de quacumque femina crimine fornicationis ſuſpectus, poſt primam, ſecundámque & tertiam commonitionem, (Metropolitani, vel alterius Epiſcopi, aut eius cui ſubiacere videtur) inueniatur fabulari cum ea, vel aliquo modo conuerſari, canonicè iudicetur.] Quapropter vnuſquiſque Epiſcopus in tali re ſtudioſè ac diligenter curam habere debet, ne Eccleſia Chriſti à propriis poſſit ſordidari miniſtris: quia cùm propriam vxorem habere non permittitur, maximè ab omni femina ſit abſtinendus. & item, Sacerdos etenim, aut quiuis alius in ordinem Eccleſiaſticum prouectus, ſi in eo ſcelere inueniatur, quo abiiciendus exiſtat, depoſitus prouidentiâ Epiſcopi bene prouiſo loco conſtituatur, vbi peccata lugeat, & vlteriùs non committat.] Sic & magnus Leo Papa, longè ante hanc conſtitutionem, auctoritate ſacræ ſcripturæ ad Hilarium Narbonenſem decreuit, vt preſbyteri vel diaconi lapſi ad promerendam miſericordiam Dei, priuatam expetant ſeceſſionem, vbi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.] Epiſt.xcv. ad Ruſticũ Narbon.

XXIV. Cvm hæc ita ſe habeant, non eſt perfunctoriè attendendum veſtræ Pontificali auctoritati, & noſtræ Imperiali poteſtati, quid prædeceſſores noſtri de ſeruandis ſacris legibus & ſanctis regulis decernentes conſtituerunt, ex quorum pluralitate, pauca numero, non pauca pondere hîc cenſuimus

L.2.cod. Theod.De Constitut. principum. ponere. De legibus namque Valentinianus, Theodosius, & Archadius decreuerunt dicentes, Perpensas serenitatis nostræ longa deliberatione constitutiones, nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus. Interpretatio. Leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere.] Et sanctus Cælestinus paria de sacris canonibus dicit, Nulli, inquiens, sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur?] Quia, vt Hilarus Papa dicit, Non minus in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in iniuriam ipsius Domini prosilitur, cùm expectatio fructus nostri ministerij, non in latitudine regionum, sed in acquisitione ponatur animarum.] Et item, de legibus præfati Augusti, Omnia constituta non præteritis calumniam faciunt, sed futuris regulam imponunt. Interpretatio. Omnes leges non ea quæ anteriori tempore facta sunt damnant, sed in futurum obseruanda constituunt.]

Epist.III. (margin, beside "canonibus dicit")

Epist.II. ad Leontium. (margin, beside "tionum delinquitur")

L.3.Cod. Th. cod. (margin, beside "legibus præfati Augusti")

Epist.I. Æonio. XXV. Et hinc Symmachus Papa, Dum ad Trinitatis instar, cuius vna est atque indiuidua potestas, vnum sit per diuersos antistites sacerdotium, quemadmodum priorum statuta à sequentibus conuenit violari? Huc accedit, quòd hæc si eueniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem credimus pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa, quæ à Domini sacerdotibus semel regulariter statuuntur, perpetua sint. Quod aliàs contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim vicariis beatissimi Petri Apostoli iudicabitur esse reuerentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, ea hisdem transeuntibus dissoluantur?] Hæc igitur seruemus nostris temporibus, tanto gratiùs, quanto & Ecclesiæ & Imperio erit capacius, & seruando quæ legaliter ac regulariter gesta sunt, rata esse faciamus quæ legaliter ac regulariter gesserimus.

XXVI. Suggerendum etiam vestræ summæ auctoritati necessarium credimus, vt de quorumdam Episcoporum coërcenda inconsideratione, alios decreto generali instruentes, cautos efficiatis: vt quorum debent esse matura & perpensa iudicia, non sint præcipites in proferendis sententiis, nec facilè ac indiscretè, neque aliter nisi iuxta sanctarum Scripturarum tramitem, traditionémque maiorum, & pro euidentibus culpis, quemcumque à communione corporis & sanguinis Domini Dei nostri Iesu Christi, in quibus post vnicum baptismum præcipuè humanæ salutis reconciliatio & summa consistit, pro suis iniuriis, vel animi sui motibus ac iracundia separent. Quoniam ira sacerdotis, vt sanctus dicit Gregorius, nequaquam debet esse præceps & perturbata, sed magis ex

Hom.XVII. in Euang. (margin, beside "iracundia separent")

consilij grauitate metuenda. nec debent temerè indiscussa iudicare, nec passim dicta sine probatione credere, sed auctoris nostri facta pensare, cui cùm omnia nuda & aperta sint, mala tamen Sodomæ noluit antè iudicare, sicut sacra docet historia, quàm probare, nos instruens ne mala hominum antè præsumamus credere quàm probare.]

XXVII. SEQVANTVR autem in proferenda iudiciali sententia sanctorum Romanæ sedis Pontificum documenta, Leonis, atque Gregorij, Beatissimo Petro, inquit Leo, à Christo dicitur, Tibi dabo claues regni cælorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Transiuit quidem etiam in alios Apostolos ius istius potestatis, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti huius constitutio commeauit: sed non frustrà vni commendatur quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque fertur ex ipsius æquitate iudicium. nec nimia est, vel seueritas, vel remissio, vbi nihil ligatum, nihil est solutum, nisi quod beatus Petrus, aut ligarit, aut soluerit.] Hinc certa consideratione datur intelligi, quia in iudicando non est Petri priuilegium, vbi non ex ipsius fertur æquitate iudicium. Est igitur præiudicium, non iudicium, quia non iure dictum id est, non iustitiæ lege prolatum. Et S. Gregorius, Sæpe agitur, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex vitæ fiat alienæ, vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat, cùm suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Vnde fit, vt ipse hac ligandi ac soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subiectorum moribus exercet. Iudicare enim dignè de subditis nequeunt, qui in subiectorum causis sua vel odia vel gratiam sequuntur. Vnde rectè per prophetam dicitur, Mortificabant animas, quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat, & non victurum viuificare nititur, qui reum supplicio absoluere conatur. Causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda.]

Serm. III. in Anniu. assumpt.

Hom. XXVI in Ezech.

Ezech. 13.

XXVIII. QVI beatissimus doctor Spiritu sancto repletus passim in dictis suis ostendit, quoniam Episcopus, qui in ligando & soluendo interim arbitrium non sequitur iudicis, ipse ligandi & soluendi potestate, quin & regno Dei se priuat, si alligationis maledictum non iudicio iustitiæ, sed liuore vindictæ depromit, Paulo attestante, qui dicit, *Neque maledici regnum Dei possidebunt*. Quia verò sacra scriptura duobus modis maledictum memorat, aliud videlicet quod approbat, & aliud quod damnat, aliter enim maledictum profertur iudicio iustitiæ, aliter liuore vindictæ, Sancti viri, cùm in excommunicationis alligatione maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex

1. Cor. 6.

voto liuidæ vltionis, ſed ex iuſtitiæ examine erumpunt. Intus enim ſubtile Dei iudicium adſpiciunt, & mala foras exurgentia, quia maledicto alligandæ excommunicationis ferire debeant, cognoſcunt, & eo in alligationis ac excommunicationis maledicto non peccant, quòd ab interno iudicio non diſcordant. Contra excommunicationis maledictum, liuore vindictæ depromptum, voce Pauli prædicantis admonemur, qui ait, *Benedicite, & nolite maledicere, quia neque maledici regnum Dei poſſidebunt.* Nam ſi à quolibet non fortaſſe ex malitia, ſed ex linguæ incuria, maledictionis verbum iaculatur in proximum, apud diſtrictum iudicem, à quo de otioſo verbo ratio in die iudicij poſcitur, damnabilis eſt ille ſermo, qui malitia non caret, & pœnalis eſt ille, qui ab vtilitatis bonitate vacat, penſandum eſt magnopere, quanta animaduerſione plectenda eſt ab Epiſcopo, cuius ſermo ſemper ſale, id eſt ſapientia, conditus eſſe percipitur, iaculata in proximum iniuſtæ alligationis excommunicatio, quæ potiùs vocanda eſt maledictio.

Rom. 12. 1. Cor. 6. Coloſ. 4.

XXIX. SEQVAMVR itaque Eccleſiæ ſanctæ Rectores, quorum dorſa mentium incudes ſunt hominum peccatorum, dicente Pſalmiſta, *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores*, in ſeparatione à communione, & reconciliatione Sacramentorum Chriſti, ſacrum Nicænum Concilium, & Africæ prouinciæ canones, Siricij quoque, & Innocentij, atque Leonis decreta, & epiſtolam ipſius Leonis ad Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum. Sed & quem de Eccleſiaſtico ordine, clareſcentibus grauioribus culpis, gradu priuauerint, communione corporis & ſanguinis Chriſti, vt canones præfixerunt, non priuent. Hæc eſt enim, ſcriptura dicente, *directa via, ita vt recti ambulent in ea, & nec ſtulti errent per eam.* De iniuſtè ſiquidem excommunicantibus, vel excommunicatis, quid etiam lex Iuſtiniana decernat, veſtram ſapientiam latere non poteſt.

Pſal. 128. Epiſt. LIX. Eſa. 35. 8.



XLVIII.

DE PRESBYTERIS CRIMINOSIS, *de quibus approbatio non est.*

Ex editione Moguntina Ioannis Busæi.

CAPVT PRIMVM.



QVID de Presbyteris criminosis, de quibus approbatio non est, agendum sit, in libro primo capitulorum domni Karoli Imperatoris Augusti capite trigesimo quarto scriptum est, Hoc nobis magno cum studio retractandum est, quid de illis presbyteris criminosis, vnde approbatio non est, & semper negant, faciendum sit. Nam hoc sæpissimè à nobis ac prædecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus diffinitum. Vnde ad consulendum patrem nostrum Leonem Papam sacerdotes nostros misimus, & quicquid ab eo vel à suis perceperimus, vobis vnà cum illis quos misimus renuntiare non tardabimus. Vos interim vicissim tractate attentiùs, quid ex his vobiscum constituamus, vnà cum prædicti sancti patris institutionibus, vt murmur cesset populi, & nos his fauentes illæsi Domino auxiliante ab vtrisque maneamus.] Sequitur confirmatio memorata de sacerdotum purgatione, capite in eodem libro trigesimo quinto.

Lib.5. Capitul. c. 33.

II. OMNIBVS vobis visu aut auditu notum esse non dubitamus, quod sæpissimè suadente antiquo hoste sacerdotibus crimina diuersa obiiciuntur. Sed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio & satisfactio fiat, licet de rationabili examinatione & satisfactione presbyterorum, tempore bonæ memoriæ domni genitoris mei Pippini, siue priscis temporibus à sanctis patribus & à reliquis bonæ deuotionis hominibus sæpissimè ventilatum fuerit, nos tamen pleniter & ad liquidum diffinitum reperire minimè quiuimus. Nostris quippe temporibus idipsum à sanctis Episcopis, & reliquis sacerdotibus, & ceteris Ecclesiasticæ dignitatis ministris, nostris in regnis, seu in aliis degentibus, nobísque vnà cum eis agentibus sæpissimè, propter multas & nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diuersis partibus venerunt, ventilatum est. Sed qualiter consultu domni & patris nostri Leonis Apostolici, ceterorúmque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & reliquorum sacerdotum, siue Orientalium & Græcorum patriarcharum, & multorum sanctorum Episcoporum, & sacerdotum, nec non & nostrorum Episcoporum omnium,

Capitul. lib.v.c.34.

ceterorúmque ſacerdotum ac Leuitarum auctoritate & conſenſu, atque reliquorum fidelium & cunctorum conſiliariorum noſtrorum conſultu diffinitum eſt, vobis omnibus ordinis vtriuſque miniſtris ſcire volumus. Statutum eſt namque, ratione & neceſſitate ac auctoritate prædicta, conſultu omnium, vt quotieſcumque cuiquam ſacerdoti crimen imponitur, ſi ipſe accuſator talis fuerit, vt recipi debeat, (quia quales ad accuſationem ſacerdotum admitti debeant in canonibus pleniter expreſſum eſt,) ſi autem, vt dictum eſt, ille accuſator, qui canonicè recipiendus eſt, eum cum legitimo numero verorum & bonorum teſtium approbare in conſpectu Epiſcoporum poterit, tunc canonicè diiudicetur, & ſi culpabilis inuentus fuerit, canonicè damnetur. Si verò cum ſuprà ſcripto prætextu approbare ipſe accuſator minimè potuerit, & hoc canonicè diffiniatur.

Ibidem. III. Ipse ergo ſacerdos, ſi ſuſpicioſus aut incredibilis ſuo Epiſcopo, ac reliquis ſuis conſacerdotibus, ſiue bonis & iuſtis de ſuo populo vel ſua plebe hominibus fuerit, ne in crimine, aut in prædicta ſuſpicione remaneat, cum tribus aut quinque vel ſeptem bonis ac vicinis ſacerdotibus, exemplo Leonis Papæ, qui duodecim Epiſcopos in ſua purgatione habuit, vel eo ampliùs, ſi ſuo Epiſcopo viſum fuerit, aut neceſſe propter tumultum populi id eſſe perſpexerit, cum aliis bonis & iuſtis hominibus, ſe ſacramento coram populo ſuper quatuor Euangelia dato purgatum Eccleſiæ ſuus reddat Epiſcopus.

Ibidem. IV. Si quis autem ſcire deſiderat, quales accuſatores ac teſtes ad accuſationem ſacerdotum recipi debeant, & quid de accuſatore faciendum ſit, pleniter in canonibus & legibus, quibus vnà cum ſacris canonibus ſancta moderatur Eccleſia, reperire poterit. Videlicet, quos publicæ leges ad accuſationem vel ad teſtificationem admittunt, tales admittantur, & quales publicæ leges non admittunt, non recipiantur. id eſt, infamiæ maculis adſperſi non admittuntur ad accuſationem. ſed tamen omnibus, quibus accuſatio denegatur, in cauſis propriis accuſandi licentia non eſt deneganda. & ſuſpecti gratiæ teſtes, & illi vel maximè, quos accuſator de ſua domo produxerit, vel vitæ humilitas infamauerit, vel infra annos quatuordecim ætatis ſuæ, non admittantur.

V. Qui teſtes, vt lex Theodoſij præcipit, priuſquàm de cauſa interrogentur, ſacramento debent conſtringi, vt iurent ſe nihil falſi eſſe dicturos, & honeſtioribus magis, quàm vilioribus teſtibus fides debet admitti. Vnius autem teſtimonium, quamlibet ſplendida & idonea videatur eſſe perſona, nullatenus audiendum.] Et lex Valentiniani & Theodoſij præcipit, vt in criminalibus cauſis, vel obiectionibus, per mandatum nullus accuſet, nec ſi per reſcriptum principis hoc potuerit impetrare: ſed ipſe, qui crimen intendit, præſens per ſe

L.xv. Cod. Theod. De accuſat.

se accuset in scriptione præmissa. Iudices autem puniendi sunt, & damnandum officium, si fortè tacuerint, si innocentem, nisi præmissa inscriptione, subdendum crediderint quæstioni.] Si autem clerici in Ecclesiasticis causis testimonium apud Ecclesiasticos dixerint, per compromissi vinculum Episcopale iudicium non adeundum, lege Maioriani abrogatum est.

VI. Et quia secundùm sacras leges sententia sine scripto dicta, nec nomen sententiæ habere merebitur: & iuxta legem Valentiniani & Valentis, nisi inscriptione celebrata, reum quemquam non fieri, nec ad iudicium exhiberi, quia sicut conuictum pœna constringit, ita & accusatorem, si non probauerit quod obiecit:] & legibus constitutum est, vt scriptura prolator affirmet, cuius si non adstruxerit veritatem, vt falsitatis reum esse retinendum, & criminis, quod probare nequiuerunt, delatores vt periuri ac falsitatis rei damnandi sunt, sicut lex Honorij & Theodosij decreuit, Clericos, inquiens, non nisi apud Episcopos accusari conuenit. Igitur si Episcopus, presbyter, diaconus, & quicumque inferioris loci Christianæ legis minister apud Episcopos, siquidem alibi non oportet, à qualibet persona fuerint accusati, siue ille sublimis vir honoris, siue vllius alterius dignitatis, qui hoc genus illaudabilis intentionis arripiet, nouerit docenda probationibus, monstranda documentis, se debere inferre.

Cod.eod. L.11. Inter.

L.41.cod. Theod. De Episc.&c.

VII. Si quis ergo contra huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intelligat se iacturæ famæ propriæ subiacere, vt damno pudoris, existimationísque dispendio, discat sibi alienæ verecundiæ impunè insidiari, saltem de cetero non licere. Nam sicut Episcopos, presbyteros, diaconos, ceterósque, si his obiecta comprobari potuerint, maculatos ab Ecclesia æquum est remoueri, vt contempti posthac, & miseræ humilitatis inclinati despectu, iniuriarum non habeant actionem: ita similis videri debet iustitiæ, quòd appetitæ innocentiæ moderatam deferri iussimus vltionem. Ideóque huiusmodi duntaxat causas Episcopi sub testificatione multorum acta audire debebunt.] Et sacri Carthaginenses canones inter accusatores clericorum, & accusatos clericos ordinem, qualiter excommunicationis damnatio, vel examinationis purgatio agi debeat, manifestè diffiniunt, scilicet vt presbyter, vel inferioris gradus clericus accusatus apud proprium Episcopum, & accusator in eo loco, videlicet in eadem parochia, vnde est ille qui accusatur, locum sibi eligat proximum, quo non sit difficile testes producere, vbi causa finiatur. Et hinc leges dicunt, Criminum discussio ibi agitanda est, vbi crimen admissum est. Nam alibi criminum reus prohibetur audiri.] Illi verò qui pulsatus fuerit, si iudicem, id est, Episcopum suum suspectum habuerit, licet appellare, scilicet ad finitimos Episcopos ipsius prouinciæ, vt Sardicenses & Carthagi-

Cod.eod. L.x.

nenses canones decreuerunt, vel ad Metropolitanum Episcopum iuxta Antiochenum Concilium, siue ad prouincialia Concilia, sicut sacri Nicæni & Antiocheni canones constituerunt, & sicut Africanum Concilium in epistola ad Cælestinum Papam ostendit, vel à decreto Episcoporum numero secundùm Carthaginense Concilium, vel à iudicibus, siue quos iuxta Africanos canones primas ille dederit, siue quos ipse cum Episcopi sui consensu delegerit, à quibus prouocari non licet, regulariter iudicetur.

VIII. CONSTAT igitur, si iuxta Concilium Antiochenum, ab vniuersali magna Synodo Chalcedonensi fauorabiliter in actione duodecima receptum & collaudatum, perfectum Concilium illud est, vbi interfuerit Metropolitanus Antistes, multò magis perfectum & tenendum atque sequendum est præcedens capitulum de presbyterorum comprobatione vel purgatione, consultu sedis Apostolicæ, & tantorum Episcoporum, ac ceterorum Ecclesiasticorum ministrorum, Deíque fidelium consensu firmatum, sicuti voce magni & orthodoxi Imperatoris legimus attestatum, & per tanta tempora sequentium Episcoporum vsu & consuetudine roboratum. Hanc auctoritatem in depositione criminosorum presbyterorum, vel purgatione criminatorum, more consuetudinario secuta est generaliter Cisalpina Ecclesia catholica iam per septuaginta & eo ampliùs annos.

IX. ET de consuetudine sanctus Augustinus, à sede Apostolica, sancto Cælestino scribente, inter optimos Ecclesiæ computatus magistros, in libro quarto De baptismo dicit, Planè verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est, sed cùm consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmiùs retineri.] Ostendendum est igitur, si ratio & veritas atque auctoritas huic consuetudini suffragatur. Scriptum est in mystica Nicæna Synodo, Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omninò, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantummodò personas, quæ suspiciones effugiunt.] Hinc Valens, Gratianus, & Valentinianus Augusti & Christiani Imperatores decreuerunt legem, cuius interpretatio talis est, Quicumque clericatus vtuntur officio, extranearum mulierum familiaritatem habere prohibentur. matrum, sororum, vel filiarum sibi solatia intra domum suam nouerint tantùm esse concessa.

[Cap. v.] [Can. 3.] [L. 44. Cod. Theod. De Episc. &c.]

X. SED quia sub occasione istarum personarum, aliæ mulieres subintroduci cœperunt, sancti Africani canones decreuerunt, vt nec ipsi Episcopi, aut presbyteri, soli habeant accessum ad viduas, vel virgines, vel ad quascumque feminas, sed vbi aut clerici præsentes sunt, aut graues aliqui Christiani. Vnde sicut beatus Gregorius ad ministros Ecclesiæ Romanæ scripsit, beatus Augustinus nec cum

[Can. 5.] [Lib. VII. epist. 39.]

ſorore habitare conſenſit dicens, Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt.] Et ex hoc dicit ſanctus Gregorius, Docti ergo viri cautela magna nobis debet eſſe inſtructio. Nam incautæ præſumptionis eſt, quod fortis pauet, minùs validum non timere. Sapienter enim illicita ſuperat, qui didicerit etiam non vti conceſſis. Et ex hoc in lege Iuſtiniani decretum eſt, cap. CDLXXV. vt ſi quis mulierem in ſua domo habuerit, quæ poteſt ſuſpicionem inferre turpitudinis, & ille à conclericis ſuis audierit, quòd cum tali muliere non debeat habitare, ſi noluerit eam ſua domo repellere, vel accuſatore immergente probatus fuerit inhoneſtè cum tali muliere verſari, tunc Epiſcopus ſecundùm Eccleſiaſticos canones à clero eum repellat.

XI. Et in Synodis Romanis Eugenij & Leonis quarti decretum eſt, Si quiſpiam ſacerdotum, id eſt, Epiſcopus, preſbyter, vel etiam ſubdiaconus, de quacumque femina crimine fornicationis ſuſpectus, poſt primam, ſecundámque & tertiam admonitionem Metropolitani, vel alterius Epiſcopi, aut eius cui ſubiacere videtur, inueniatur fabulari cum ea, vel aliquo modo conuerſari, canonicè iudicetur. Quapropter vnuſquiſque Epiſcopus in tali re ſtudioſè ac diligenter curam habere debet, ne Eccleſia Chriſti à propriis poſſit ſordidari miniſtris, quia cùm propriam vxorem habere non permittitur, maximè ab omni femina ſit abſtinendus.] Proinde de concubitu preſbyterorum cum feminis, per parochianos vel vicinos cuiuſcumque preſbyteri inquirere non nobis eſt laborandum. Abolita enim eſt vetus hæreſis, quæ Cynica, id eſt, canina propter impudentiam fuerat appellata, dicens concubitum eſſe naturalem, & ob id agendum ſine verecundia publicè: cùm legamus primos homines mox poſt peccatum inobedientiæ ſenſiſſe concupiſcentiam in membris genitalibus, & à mutuis conſpectibus ea contexiſſe. Nam licèt humanæ mentis cæcitas, in operatione turpitudinis, diuinis & angelicis, atque ſanctorum qui in cælis ſunt, oculis abſcondi non poſſit, tamen etiam quilibet ruſticanus, concumbens etiam cum propria coniuge, prout poteſt, plurimorum deuitat adſpectus. Quanto magis presbyter, ſi ſenſum hominis habet, malum agens curabit abſcondere, propter quod patefactum, ſcit ſe non ſolùm Eccleſiaſticum gradum amittere, ſed & ſua quæ habet ex facultatibus Eccleſiæ perdere. Non igitur de hoc verecundè quæremus, quod & Apoſtolus non nudo ſed velato nomine loquens apud legitimè coniugatos, ſtuduit appellare dicens, *Et ne quis circumueniat in negotio fratrem ſuum.* 1.Theſ.4.6 Tantummodò autem de acceſſu & frequentatione ac cohabitatione presbyterorum contra canonicum interdictum cum feminis, ſi inde fuerint accuſati, eſt inquirendum. Quia, vt ſanctus Ambroſius dicit, Iudicis non eſt ſine accuſatore damnare, quia & Epiſt.23 Dominus Iudam cùm fur eſſet, quoniam non eſt accuſatus, minimè abiecit.]

XII. QVALIS ergo debeat esse ordo in accusatione & diiudicatione, sanctus Augustinus exponens sententiam Apostoli, Si quis frater nominatur fornicator, &c. ostendit. Noluit, inquit, Apostolus hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potiùs ex lege Dei, siue secundum ordinem Ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatum atque conuictum, eam nominationem volens intelligi, quæ fit in quemquam, cum sententia ordine iudiciario, & cum integritate profertur. Nam si nominatio sola sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpè falsò in quemquam crimen nominatur.] Qualiter autem sententia ordine iudiciario & cum integritate proferenda sit, sacri canones, vt suprà dictum est, & sanctus Gregorius, qui frequenter in epistolis suis causas ministrorum Ecclesiasticorum legaliter & regulariter præcipit diffiniri, in commonitorio Ioanni Defensori eunti in Hispanias dato demonstrat dicens, Diligenter quærendum est, primùm, si iudicium ordinabiliter est habitum, aut si alij accusatores, alij testes fuerunt. Deinde causarum qualitas, si digna exilio vel depositione fuit, aut si eo præsente sub iureiurando contra eum testimonium dictum est, si scriptis actum est, vel ipse accusatus licentiam respondendi & defendendi se habuit. Sed & de personis accusantium ac testificantium subtiliter quærendum est, cuius vitæ, cuius conditionis cuiusque opinionis, aut ne inopes sint, aut ne fortè aliquas contra prædictum Episcopum inimicitias habuissent, & vtrum testimonium ex auditu dixerunt, aut certè se scire specialiter testati sunt, si scriptis iudicatum est, & partibus præsentibus sententia recitata est.] Sic & leges diffiniunt, vt nemo per alium quemquam accusare, vel quis accusari possit, nisi fortè ingratum libertum patronus accuset: & vt in causa capitali absens nemo damnetur, nisi delegata secundùm canones cognitione adesse prouocatus neglexerit, vt dilationem sententiæ de absentia non lucretur.

De pœnit. medicina cap. 3.

Lib. 11. epist. 50.

XIII. A quibus acccusatio vel testimonium debeat recipi, sancti Africani canones patenter ostendunt, id est, quos publicæ leges ad accusationem, vel ad testimonium recipiunt, sicut pleniùs ac latiùs ex eodem Concilio, & ex legibus, non longè suprà ostendimus de sæcularibus hominibus. De sacris autem ordinibus sanctus Gelasius in decretis suis dicit, Ne clericorum quisquam se huius offensæ futurum confidat immunem, si in his quæ salubriter sequenda depromsimus, siue Episcopum, siue presbyterum, siue diaconum viderit excedentem, non protinus ad aures nostras deferre curauerit, probationibus duntaxat competenter exhibitis, vt transgressoris vltio fiat, & ceteris interdictio delinquendi.] Et sacri Africæ prouinciæ canones, & lex Iustiniana decernunt, Clerici de iudicij sui cognitione non cogantur in publico dicere testi-

Epist. VI. in fine.

monium, non autem in Ecclesiastico iudicio dicere testimonium prohibentur. Sicut etiam de Episcopis in Chalcedonensi Concilio legimus. Vnde in Synodis Romanis ab Eugenio & Leone quarto celebratis decretum est, Quamquam sacerdotum testimonium credibile habeatur, tamen ipsi in sæcularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis, non rogentur, quia eos in talibus rebus esse non conuenit. Si autem euentu aliquo causæ interfuerint, & aliquid viderint aut audierint, vbi nullæ ad illud idoneæ sæcularium inueniantur personæ, ne veritas occultetur, & malus vt bonus existimetur, in prouidentia proprij sit Episcopi, vt aut coram se & competentibus iudicibus, aut aliter veritatem honorificè testificentur. Et huic sententiæ Iustiniana lex consonat.

XIV. De numero testium in Lege statutum est, quod & in Euangelio est confirmatum, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Et Apostolus Timotheo præcipit, in cuius persona, 1.Tim.5.19
vt beatus Leo dicit, omnium Christi sacerdotum numerus eruditur, vt accusatio aduersus Presbyterum non recipiatur, nisi sub duobus vel tribus testibus. Et sacrum Nicænum Concilium neophytum Can.11.
Episcopum, à duobus vel tribus testibus redargutum, à clero abstinere præcipit. Sed quia in historia Susannæ duos testes, qui idonei populis videbantur, & in historia Nabuthæ, sed & in historia passionis Domini, duos testes dixisse falsum testimonium legimus, maiores nostri, præter accusatores in accusatione Presbyterorum, de numero testium idoneorum auctoritatem legum sequendam voluerunt, vt septem testes idonei requirantur, & si ratio vel causa coëgerit, quatuordecim vel viginti & vnus testes quærantur, vt veritas patefacta monstretur. Qui testes ad exemplum Danielis, sicut & leges præcipiũt, examinandi sunt, quoniam ipsa prophetæ examinatio iam quibusdam nota est, & sæpè inuenti sunt pretio conducti & conspirati ad dicendum mendacium, & sæpè quidam inuidia vel odio ad presbyterum accusandum emergunt, & testes mendaces producunt, quia vt sanctus Augustinus dicit, noua morborum genera noua quærere cogunt medicatorum experimenta.

XV. A maioribus nostris accepimus vt exceptis accusatoribus, septem sint testes idonei, qui testimonium suum per sacramentum verum esse confirment, ex quibus sex iurent, & septimus, si ratio vel qualitas personæ permittit, ad iudicium exeat quòd illi sex inde veritatem per sacramentum dixerint. Et sic de comprobato presbytero Apostoli sequatur sententia, *Si* 2.Thess.3.
quis non obedit verbo nostro, siue per epistolam, siue per verbum, hunc 14.
notate, & nolite commisceri cum eo, & reliqua. Et sanctus Leo Papa in decretis suis ad vniuersos Episcopos per vniuersas prouincias constitutos dicit, Hoc admonitio nostra denuntiat, quòd Epist.1.

ſi quis fratrum contra hæc conſtituta venerit, vel venire tentauerit, & prohibita fuerit auſus admittere, à ſuo ſe nouerit officio ſubmouendum, nec eum communionis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius eſſe noluit diſciplinæ, & reliqua.] Sed & beatus Auguſtinus ſuo Archiepiſcopo Xantippo de Abundantio preſbytero ſuæ parochiæ ita ſcripſit ad locum, Qui cùm non ambularet vias ſeruorum Dei, non bonam famam habere cœperat. qua ego conterritus, non tamen temerè aliquid credens, ſed planè ſollicitior factus, operam dedi, ſi quo modo poſſem ad aliqua malæ conuerſationis eius certa indicia peruenire. Ac primò comperi eum pecuniam cuiuſdam ruſticani diuino apud ſe commendato interuertiſſe, ita vt nullam inde poſſet probabilem reddere rationem. Deinde conuictus atque confeſſus eſt, cùm ſecum nullum clericum haberet, ſe apud quandam malæ famæ mulierem, & prandiſſe, & cœnaſſe, & in vna & eadem domo manſiſſe. nam quæ negauit, Deo dimiſi, quæ occultare permiſſus non eſt, iudicaui.] Hoc modo veritate comperta, de cohabitatione interdicta cum mulieribus conuictus preſbyter, legaliter & regulariter ſacerdotali in iſtis Gallicis regionibus priuatur officio, ſicut Zoſimus Papa decreuit dicens, Sciat quiſquis hoc, poſtpoſita patrum & Apoſtolicæ ſedis auctoritate, neglexerit, à nobis diſtrictiùs vindicandum, vt loci ſui minimè dubitet ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat poſt tot prohibitiones impunè poſſe tentari. Contumeliæ enim ſtudio fit, quicquid interdictum toties vſurpatur.]

Epiſt. 236. Xantippo.

Epiſt. 1. ad Hezich.

XVI. SI autem mala fama ex veri ſimilitudine per parochias noſtras de presbytero exit, & accuſatores atque teſtes legales non eſſe deprehenduntur, vel rei falſitatis conuincuntur, legaliter ac regulariter eis multatis, ne infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, & ne vituperetur miniſterium noſtrum, neque ſecuriores presbyteri exiſtentes licentiùs in peccatum labantur, ſecundùm decretum Gregorij iunioris, eſt iuſiurandum in medio, vt habeat malæ famæ presbyter in ſacramento purgationis ſuæ eum teſtem, quem habebit & iudicem. Et quoniam frequenti experimento probatum eſt, presbyterum à diabolo in fornicationem vel adulterium perſuaſum, procliuem ad periurium, & legalis atque Euangelica ſeu Apoſtolica atque canonica auctoritas trium teſtium teſtimonium recipit ad condemnationem, non ab re viſum eſt patribus noſtris, ſi recipiatur ad purgationem. In hiſtoria quoque ſacra, & in epiſtola beati Gregorij ad Theoctiſtam patriciam legimus, beatum Petrum Apoſtolorum primum, cùm à fidelibus reprehenſus fuit cur ad gentiles intraſſet, humili eos ratione placaſſe, atque in cauſa reprehenſionis ſuæ etiam teſtes adhibuiſſe dicens, *Venerunt autem mecum & ſex fratres iſti.* Et Carthaginenſes canones decernunt, vt ſi presbyteri, vel diaconi fuerint accuſati, adiuncto ſibi

Epiſt. 11. ad Bonifaciū.

Matth. 18.

Lib. IX. epiſt. 39.

Act. 11. 12.

Can. 10.

ex vicinis locis proprius Episcopus legitimo numero collegarum, id est, vnà secum in presbyteri nomine sex, in diaconi tres, auctoritati conuenire maiores nostri duxerunt, sicut suprà ostendimus, in capitulo, tempore domni Caroli Imperatoris Augusti, Apostolicæ sedis & Episcoporum auctoritate decreto, vt si presbyter infamatus fuerit, & accusatores vel testes idonei defuerint, secundùm qualitatem vel quantitatem causæ atque personæ, & vtilitatem ac sanationem cordium infirmorum, aut cum aliis duobus testibus, ac cum aliis sex testibus, seipsum sacramento à mala opinione purget.

XVII. Et non est contrarium decreto Gregorij iunioris, si plures testes ad purgationem infamati presbyteri requiruntur, quia Epist.ix. cap.3. scribens idem Pontifex ad Bonifacium Moguntinum Episcopum per Denualdum presbyterum dicit, vt si probari idoneis testibus presbyter infamatus nequiuerit, sit iusiurandum in medio, & non diffiniuit, vtrum ipse solus, an cum aliis iuret. Si enim beatissimus Petrus Apostolorum primus famam suam, quasi contra præceptum fecerit Domini dicentis, *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates* Matth.10. *Samaritanorum ne intraueritis*, quoniam nondum à Deo per multos Act.11.12. propalata erat præceptio Christi iubentis, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos*, cum sex testibus expurgauit, non videtur esse contra Matth.28. auctoritatem, si presbyter cum tot testibus collegis suis suam opinionem studet purgare, ad quod iudicibus Episcopis iubetur per sacros canones iudicari. præcipiente Apostolo, *vt sine offensione omnibus simus, & ne pereat in nostra conscientia frater, propter quem Christus* 1.Cor.10. *mortuus est.* & item, *Sic enim peccantes in fratres, & percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis.* Et ideò repleti Spiritu sancto statuerunt sancti patres nostri, vt ministri altaris mulieribus 1.Cor.8. non cohabitent, neque subintroducant secum mulieres, ne vel concupiscentia conscientiam suam vrant, vel consensu pessimo polluant, & ne vel mala suspicione infirmorum conscientias maculent. Quoniam Augustino docente sanctorum, quibus Dominus dicit, Sancti estote, conuersatio non solùm sancta debet esse, sed & cauta: ne fortè cùm mala non sit per lasciuiam, sit mala per negligentiam.]

XVIII. De interdicto canonico aduersus presbyterum, & interrogandi sunt testes, & conuictus vel confessus, iudicādus est presbyter. Et quoniam experti sumus, quosdam presbyteros ad inuicem conspirasse, vt se mutuò in sua purgatione adiuuent, reuera quidem noceant, non incongruè visum est decessoribus ac prædecessoribus nostris, vt cum credibili misso Episcopi, presbyteri, qui in purgatione infamati sacerdotis vnà cum eo ad iusiurandum se obtulerunt, talem examinationem per vicarium infamati presbyteri recipiant, vt in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc iam de periurio reuictos & degradatos comperimus, vel vt decernunt canones. Episcopus, inquiunt, aut presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut

furto captus est, deponatur, non tamen communione priuetur. Dicit enim Scriptura, *Non vindicabit Dominus bis in idipsum.* Hæc de testibus, vel ad probationem vel ad purgationem presbyteri maiores nostri secundùm tramitem Scripturarum prædicationémque maiorum tenenda viderunt, & sequenda nobis suis posteris reliquerunt, secundùm verba beati Gelasij, Quicquid, inquit, pro fide, pro veritate, pro communione catholica atque Apostolica secundùm scripturarum tramitem prædicationémque maiorum patres nostri, catholici videlicet doctique Pontifices, facta semel congregatione sanxerunt, inconuulsum voluerunt deinceps firmúmque constare, nec in eadem hac causa denuo quæ præfixa fuerant retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt: sapientissimè prouidentes, quoniam si decreta salubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra singulos quósque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus recidiuis omnis integra diffinitio turbaretur.]

Naum 1. | Epist. 11. ad Episcop. Dardan.

XX. QVOD quidam dicunt, quia parochiani & subiecti presbytero vel Episcopo, eum non valeant regulariter accusare, vt scriptum est, *Vmbra aliorum vmbram suam protegunt,* ne ad eos valeat peruenire, quod in alios conantur defendere. Quorum defensio cassatur auctoritate & ratione. Auctoritate quidem, qua dicitur voce sancti viri, Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius deflent. Si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi, pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina. Terra, inquit, sanctus Gregorius, contra possessorem suum clamat, si contra eum qui sibi præest, aliquid iniustum, vel priuata domus, vel sancta Ecclesia murmurat. Clamare quippe terram est, contra regentis iniustitiam rationabiliter subiectos dolere.] Omnis ergo qui præest, si peruersa in subditis exercet, contra hunc terra clamat, & sulci deflent, quia contra eius iniustitiam rudes quidem populi in murmurationis vocibus erumpunt, sed perfecti quique pro prauo eius opere se in fletibus affligunt. Cum clamante ergo terra sulcos plangere est, per hoc vnde multitudo fidelium iustè contra rectorem queritur, vberioris vitæ homines ad lamenta peruenire, & reliqua, quæ lector in suo loco pleniùs præualet inuenire. Et longè antè, sanctus Bonifacius ad Episcopos per Gallias & septem prouincias constitutos, de Maximo à suis comprouincialibus & subditis accusato, & sanctus Gregorius de Bonifacio Regitanæ Ecclesiæ à suis clericis & subditis æquè accusato, ad Sabinum, & plures Episcopos, pro causa diligenter inquirenda epistolas misit, & de Lucilli Episcopi accusatione inquisitionem regulariter facere præcepit, velut in eius Regesto lector inueniet. Et si de Episcopis ita admissa sunt, de presbyteris, videlicet secundi ordinis viris non dimittenda sunt.

Iob 40. | Iob 31. | Lib. xxii. Moral. c. 33. | Epist. 11. ad Episcopos Gall. &c. | Lib. vii. Ind. 11. Epist. 46. & 62.

XXI.

XX. VERVM quia non solùm in doctorum sæcularium litterarum dogmatibus, sed & in sanctis scripturis à contrario quædam diffinienda inuenimus, sicut ex luce obscuriores tenebræ iudicantur, ex sententia diuina conferenda est causa Ecclesiastica. Ait enim Dominus discipulis, *Vos mihi testimonium perhibebitis, qui ab initio mecum estis*, quoniam absque vlla ambiguitate prædicare valebant, quæ apud illum viderunt & audierunt. Vnde bene Petrus alium pro Iuda ordinare volens Apostolum, talem voluit eligere, qui cum eis fuerit, ex quo intrauit & exiuit inter eos Dominus Iesus, & non alium. Sic econtrà tales debent audiri accusatores ac testes de vita & conuersatione presbyteri, qui eius vitam & conuersationem nouerunt in omni tempore, ex quo intrauit & exiuit cum eis presbyter illis & præpositus ordinatus. Sufficiant ergo, ad refellendam vanam opinionem eorum, qui dicunt quoniam à suis ouibus vel subiectis Prælatus regulariter accusari non valeat, hæc tanta & talia testimonia. Ioan.15. Act.1.

XXI. CETERVM quoniam quidam quasi in auctoritate proferunt sanctum Siluestrum Papam decreuisse talia, quæ catholica Ecclesia inter synodalia decreta non computat, quæ maiores nostri inde nobis tenenda suis posteris reliquerunt, hîc necessarium ponere duximus. Scriptum namque est in quodam sermone, sine exceptoris nomine de gestis sancti Siluestri excepto, quem Isidorus Episcopus Hispalensis collegit cum epistolis Romanæ sedis Pontificum à sancto Clemente vsque ad beatum Gregorium, eumdem sanctum Siluestrum decreuisse, vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre, & vt presbyter non aduersus Episcopum, non diaconus aduersus presbyterum, non subdiaconus aduersus diaconum, non acolytus aduersus subdiaconum, non exorcista aduersus acolytum, nec lector aduersus exorcistam, non ostiarius aduersus lectorem det accusationem aliquam, & non damnetur Præsul nisi in septuaginta duobus. Neque Præsul summus à quoquam iudicetur, quomodo scriptum, *Non est discipulus super magistrum.* Presbyter autem Cardinalis nisi in quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus Cardinarius constitutus vrbis Romæ nisi in viginti sex non condemnabitur. Subdiaconus, acolytus, exorcista, lector, ostiarius, nisi, sicut scriptum est, in septem testibus non condemnabitur. Testes autem & accusatores sine aliqua sint infamia, vxores ac filios habentes, & omninò Christum prædicantes. Testimonium clerici aduersus laicum nemo recipiat.] Matth.10.

XXII. QVÆ dicta quàm aduersa sibi, & quàm diuersa à sanctis canonibus & sacris legibus sint, nemo est qui dubitet, qui & hæc dicta cum ratione attenderit, & sacras regulas ac leges diligentiùs legit. Et primùm quidem scriptum est, vt nullus laicus crimen clerico audeat inferre, deinde vt nullus clericus contra clericum testimonium accusationis ferat, & mox subsequitur, in quantis testibus

presbyter, vel diaconus, seu subdiaconus, acolytus quoque & exorcista, lector & ostiarius valeant condemnari, & testes, & accusatores sine infamia, & vxores & filios habentes, & Christum prædicantes fiant. Quod quàm absurdum sit, vt vxores & filios habentes potiùs ad testimonium recipi debeant, quàm continentes & religiosi, ratio aperta demonstrat: & contra id quod subsequitur, & illud quod dicit, vt vxores & filios habentes, & Christum prædicantes fiant testes, sanctus Leo Papa in epistola ad Maximum Antiochenum Episcopum decreuit, Illud, inquiens, conuenit dilectionem tuam præcauere, vt præter eos qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi ius docendi & prædicandi audeat vendicare, siue sit ille monachus, siue sit laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur. Quia etsi optandum est, vt omnes Ecclesiæ filij quæ recta & sana sunt sapiant, non tamen permittendum est, vt quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi prædicatoris assumat, cùm in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conueniat, vt in vno Christi corpore & excellentiora membra suum officium impleant, & inferiora superioribus non resultent.] Dicit etiam, & testimonium clerici aduersus laicum nemo recipiat. quod, sicuti suprà ostendimus, regulæ sacræ, & sedis Apostolicæ definitio, & leges Christianorum principum Imperij Romani euacuant.

Epist. 66. in fine.

XXIII. Sciendum quoque est, quia quidam præfatam constitutionem ex nomine sancti Siluestri Papæ, in auctoritatem non iudicandi quemquam clericorum, ad confirmandam suam sententiam assumunt, ex eo quod beatus Gelasius inter ea quæ recipienda sunt, Actus beati Siluestri in canone recipiendorum posuit, non aduertentes, quid inde in eodem catalogo sanctus Gelasius scripserit. Ait enim inter alia, Actus beati Siluestri Apostolicæ sedis Præsulis, licèt eius qui conscripsit nomen ignoretur, à multis in vrbe Roma catholicis legi cognouimus, & pro antiquo vsu multæ imitantur Ecclesiæ. Item scripturam de inuentione crucis Dominicæ, & aliam scripturam de inuentione capitis Ioannis Baptistæ. nouellæ quædam relationes sunt, & nonnulli eas catholici legunt. Sed cùm hæc ad catholicorum manus peruenerint, beati Pauli Apostoli præcedat sententia, *Omnia probate, quod bonum est tenete.*] Quæ Acta legi beatus Gelasius permisit, sed ad auctoritatem, sicut sanctas scripturas & sanctorum opuscula, teneri non iussit. In quibus Actibus Siluestri, de talibus constitutionibus nihil legimus. In libro verò qui titulatur Gestorum Pontificum, legimus constituisse beatum Siluestrum, vt nullus laicus clerico crimen audeat inferre. Cetera autem, quæ subsequuntur, vt suprà posuimus, in regesto ipsius constituisse eum non legimus. Quapropter credendum non est eundem sanctum virum talia constituisse, quæ in memorato sermone continentur scripta. Et licèt propter hæreticos & gentiles, qui tunc persequeban-

1. Thess. 5.

tur catholicos, fortè talia dixerit, tamen posteriorum sententia tenenda est, sicut sanctus Augustinus, à sede Apostolica meritò inter optimos magistros Ecclesiæ computatus, in libro secundo de Baptismo demonstrat, Quis, inquiens, nesciat sanctam scripturam canonicam, tam veteris quàm noui testamenti, certis suis terminis contineri, eámque omnibus posterioribus Episcoporum litteris ita præponi, vt de illa omninò dubitari & disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit: Episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum grauiorem auctoritatem, doctiorúmque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est: & ipsa Concilia quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere, ipsáque plenaria sæpè priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vllo typho sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum caritate Christiana?] Cap. III.

XXIV. ALIOQVIN, si nullus laicus aduersus clericum, nullus clericus aduersus laicum accusationem proferre valebit, secundùm illa quæ in memorato sermone ex verbis sancti Siluestri sunt dicta, quomodo quis iudicabitur ab Ecclesiæ sanctæ, vel à legum publicarum iudicibus, cùm nemo vel Ecclesiastico vel ciuili iudicio regulariter atque legaliter, nisi cum sententia ordine iudiciario, & quæ cum integritate profertur, debeat iudicari? Nam si presbyter approbari non poterit, nisi cum tot idoneis testibus, sicut ibidem scriptum est, nunquam probabitur. Sunt enim apud nos presbyteri, qui tot parochianos non habent, qui mansa teneant, & vxores ac filios habeant, quot testes idoneos ad comprobandum presbyterum sermo ille requirit. Frustrà igitur sacri canones, & decreta sedis Romanæ Pontificum, expressa iudicia de singulis gradibus pro euidentibus culpis promulgauerunt, & leges inaniter ad prauos coercendos vel puniendos decretæ sunt, si exequendæ non sunt. præsertim cùm sanctus Leo de sacris canonibus dicat, Igitur secundùm sanctorum patrum canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, Metropolitanos singularum prouinciarum Episcopos ius traditæ sibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à regulis præstitutis nulla aut negligentia aut præsumptione discedant.] In eo enim, quod dicit, vt nulla negligentia à regulis præstitutis discedant, tradiderunt nobis magistri nostri intelligendum, vt segnes non sint Episcopi ad exequenda statuta, Epist. 88. Anastasio.

In eo quod dicit, vt nulla præsumptione à præstitutis regulis discedant, intelligendum dixerunt, vt statuta supergrediendo nequaquam excedant. Vnde idem beatus Leo aliis verbis scripturæ sen-
Prou. 4. 27. tentiam protulit, quæ dicit, *Non declines ad dextram, neque ad sinistram.*

XXV. De legibus autem, Valentinianus, & Theodosius, & Ar-
L. 2. cod. Theod. De Constitut. chadius, decreuerunt, dicentes, Perpensas serenitatis nostræ longa deliberatione constitutiones nec ignorare quemquam, nec dissimulare permittimus. Interpretatio. Leges nescire nulli liceat, aut quæ sunt statuta contemnere.] Et S. Cælestinus paria de sacris canonibus dicit,
Epist. 3. Nulli, inquiens, sacerdoti suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod patrum possit regulis obuiare. Quæ enim à nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur?] Non igitur frustra Ecclesiasticæ regulæ, vel sacræ leges inaniter sunt promulgatæ, sed regulari ac legali ordine sunt exequendæ. Quoniam sicut sanctus Augustinus & ceteri doctores catholici ex Euangelica auctoritate ostendunt, de apertis commissorum nobis erratibus, non solùm potestatem, sed & præceptum iudicandi vt corrigantur, habemus, sicut sunt stupra, blasphemiæ, furta, adulteria, homicidia,
Matth. 7. ebrietates, rapinæ, & his similia, de quibus Dominus dicit, *A fru-*
Gal. 5. *ctibus eorum cognoscetis eos*, & Apostolus, *Manifesta autem sunt opera carnis.* De occultis verò fraternæ conscientiæ, & in dubiis maximè rebus & qua intentione vel necessitate geruntur, cùm inspicere nequimus, temeritatem iudicandi cauere debemus. Sed & ambigua eorum gesta, & quæ in quamlibet partem interpretari possunt, diuino potiùs examini reseruare iubemur. sicut de genere ciborum, qui possunt bono animo, & simplici corde, sine vitio concupiscentiæ quicumque humani cibi indifferenter sumi, ad quorum alimenta, sicut ad medicamenta est accedendum. Quapropter sequentes Apostoli doctrinam Saluatoris nostri, de manifestis iudicauerunt peccantes, sicut Petrus Simonem, Ananiam, & Saphiram, Paulus Ely-
Act. 5. 8. 13. 1. Cor. 5. mam & fornicatorem apud Corinthios.

XXVI. Qvorvm sequentes vestigia successores Apostolorum, & iudicia de manifestis peccatis promulgauerunt, & peccantes coram omnibus redarguerunt, atque iudicarunt. Et qualiter, ac quo ordine pro patribus Apostolis Ecclesiæ nati filij, Episcopi videlicet, debeant in peccantes proferre iudicia, sancti Pontifices Leo & Gregorius, exponentes sententiam Domini dicentis ad Apostolos,
Matt. 13. & per eos ad successores eorum, *Quæ ligaueritis super terram, erunt ligata in cælis*, &, *Quæ solueritis super terram, erunt soluta in cælis*, paten-
Serm. 111. in Anniu. assumpt. ter ostendunt. Beatissimo Petro, inquit Leo, à Christo dicitur, Tibi dabo claues regni cælorum & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueris super terram

erunt ſoluta & in cælis. Tranſiuit quidem etiam in alios Apoſtolos vis iſtius poteſtatis, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti huius conſtitutio commeauit, ſed non fruſtra vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipſius fertur æquitate iudicium. Nec nimia eſt vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nihil ligatum, nihil eſt ſolutum, niſi quod beatus Petrus, aut ligarit, aut ſoluerit.]*Et S. Gregorius, Sæpe agitur, vt qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, iudex vitæ fiat alienæ, vt vel damnet immeritos, vel alios ipſe ligatus ſoluat, cùm ſuæ voluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur. Vnde fit, vt ipſe hac ligandi ac ſoluendi poteſtate ſe priuet, qui hanc pro ſuis voluntatibus, & non pro ſubiectorum moribus exercet. Iudicare enim dignè de ſubditis nequeunt, qui in ſubiectorum cauſis ſua vel odia, vel gratiam ſequuntur. Vnde rectè per prophetam dicitur, Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas, quæ non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iuſtum damnat, & non victurum viuificare nititur, qui reum ſupplicio abſoluere conatur. Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi atque ſoluendi poteſtas exercenda.] Hom. xxvi. in Euang. Ezech. 13.

XXVII. Et in Synodis Romanis Apoſtolicorum Eugenij atque Leonis quarti vbi ſacerdotem poſt condemnationem eſſe oportéat conſtitutum eſt, vt ſacerdos, aut quiuis alius in ordinem Eccleſiaſticum prouectus, ſi in eo ſcelere inueniatur, quo abiiciendus exiſtat, depoſitus prouidentia Epiſcopi bene prouiſo loco conſtituatur, vbi peccata lugeat, & vlteriùs non committat. Et magnus Leo Papa longè antè auctoritate ſcripturæ ſacræ ad Hilarium Epiſcopum Narbonenſem decreuit, vt preſbyteri vel diaconi lapſi ad promerendam miſericordiam Dei priuatam expetant ſeceſſionem, vbi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.] Hæc à maioribus noſtris de infamati preſbyteri depoſitione, vel qualitatis purgatione ratione & auctoritate ac conſuetudine in iſtis Ciſalpinis regionibus exequenda & tradita nobis accepimus. Epiſt. 92. ad Ruſticum.

XXVIII. Si autem preſbyter vel diaconus de certis cauſis accuſatus, & legaliter atque canonicè ad iudicium prouocatus, regulare iudicium ſubterfugerit, decretum eſt ſacris legibus, quas ex Euangelica auctoritate trina conuentione probant prima Epheſina Synodus, & magnum Chalcedonenſe Concilium, & ſanctus Cæleſtinus in epiſtola ad Neſtorium, & ſanctus Gregorius in epiſtolis ſuis, vt trinis litteris, vel edictis quique conuentus, ſi ad iudicem ſuum, à quo de certis cauſis regulariter accuſatus conuentus eſt venire noluerit, ſententiam contumacis ſuſcipiat. Hinc & ſanctus Bonifacius Papa ad Gallicanos Epiſcopos decreuit, Vt conuentus quiſque ſi adeſſe voluerit præſens, ſi confidit, ad obiecta reſpondeat, Lib. 11. epiſt. 54. Epiſt. 1. ad Gallicanos Epiſcopos.

ſi adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur. Nam manifeſtum eſt confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato iudicio, purgandi ſe occaſione non vtitur. Nihil enim intereſt, vtrum in præſenti examine omnia, quæ dicta ſunt, de eo comprobentur, cùm ipſa quoque pro confeſſione procurata toties conſtet abſentia.] Quia, vt ſanctus Gelaſius dicit, ideò vocatur ad iudicium certa quæcumque perſona, vt aut fateatur obiecta, aut conuincatur obiectis. Et ab ea ſententia, quæ aduerſus contumaces data eſt, neque appellari, neque in duplum reuocari poteſt, ſicut leges diffiniunt, & ſanctus Gregorius in epiſtolis ſuis ex eiſdem legibus promulgauit.

XXIX. De cetero, ſi presbyteri vel diaconi pro cauſa pecuniaria, quæ alio nomine in regulis ſacris ciuilis cauſa vocatur, pro peruaſione rei alicuius, ſeu pro quibuſcumque grauibus iniuriis, ad iudicium fuerint prouocati, licèt in criminalibus cauſis per alium nulli liceat reſpondere, Epiſcopis tamen & preſbyteris ſacris legibus præſtatur, vt in talibus cauſis miſſo procuratore, id eſt dato pro ſe aduocato reſpondeant, ſine dubio, vt ad eos redeat ſententia iudicati. In reliquis verò criminalibus cauſis, vbi de ſcelere perſona conuincenda eſt, ſuam in iudicio præſentiam exhibere procurent. Quod ſi tertiò conuenti per executorem ad iudicium venire noluerint, vt præmiſſum eſt, ſententiam accipiant contumacis.

XXX. De peruaſione autem, quiſquis Eccleſiaſticorum, relictis vel contemptis legibus, res alienas peruaſerit, ſecundum beati Gregorij Papæ decretum, ante corpus beati Petri prolatum, anathematis vinculo ligari præcipitur, ſicut in eodem decreto, ſed & in aliis ſuis epiſtolis, non tantùm ſemel & ſecundò, ſed & tertiò patenter oſtendit, vt nemo Eccleſiaſticorum, ſi putat Eccleſiæ ſuæ res quaſlibet debere competere, illegaliter eas peruadat, ſed legaliter illas acquirat. Et in Synodis Romanis Apoſtolicorum Eugenij atque Leonis quarti, de peruaſione quaſi pro parte Eccleſiæ facta decretum eſt, vt ſi quiſpiam inuaſor comprobatus dicat pro parte Eccleſiæ ſe egiſſe, de priuata ſibi re pertinente ab ipſo ſuóque herede ſoluatur inuaſio. Sacerdos denique in tali culpa pauper inuentus à proprio canonicè iudicetur Epiſcopo, vt non Eccleſia ſibi commiſſa damnum ſuſtineat, ſed illæſa huius perſuaſionis temeritate permanere ſancimus. Et in eadem Synodo decretum eſt, vt Epiſcopi, vniuerſique ſacerdotes habeant aduocatos, quia Epiſcopi, vniuerſique ſacerdotes ad ſolam laudem Dei, bonorúmque operum actionem conſtituuntur. Debet ergo vnuſquiſque eorum, tam pro Eccleſiaſticis, quàm etiam propriis ſuis actionibus, excepto publico videlicet crimine, habere aduocatum, non malè ſuſpectum, ſed bonæ opinionis & laudabilis artis inuentum, ne dum humana lucra attendunt, æterna præmia perdant. Et item ibi, de his qui aduocatos in-

uenire nequeunt. Si enim fuerit quiſpiam ſacerdotum inuentus, qui aduocatum in iudicium proferre non valeat, coram plebe propria ſuum Epiſcopum eundem oportet diſcutere ſacerdotem, ſi bonæ aut malæ conuerſationis exiſtat, aut cuius rei cauſa debitæ aduocatum habere non poſſit. malè verò inuentus pro qualitate culpæ ſecundùm canonum normam emendari curetur.]

XXXI. Si quis verò presbyterorum, vel reliquorum clericorum, de obiecto crimine, vel commota ciuili cauſa, ſe relicto Eccleſiaſtico iudicio publicis iudiciis purgari voluerit, Carthaginenſes canones capite nono decernunt, & ex eiſdem canonibus Leo, & Romana Synodus vniformiter decreuerunt, vt de criminali cauſa, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, in ciuili verò perdat quod euicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit.

XXXII. De proprietatibus autem, quas aut ante ordinationem presbyteri habuerunt, vel poſt ordinationem quolibet modo acquiſierunt, Carthaginenſes canones capite trigeſimo ſecundo conſtituunt, vt Epiſcopi, presbyteri, & diaconi, vel quicumque clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatus vel clericatus ſui agros, vel quæcumque prædia nomine ſuo comparant, tanquam rerum Dominicarum inuaſionis crimine teneantur, niſi admoniti Eccleſiæ eadem ipſa contulerint. Si autem ipſis propriè aliquid liberalitate alicuius, vel ſucceſſione cognationis obuenerit, faciant inde quod eorum propoſito congruit. Quod ſi à ſuo propoſito retrorſus exorbitauerint, honore Eccleſiaſtico indigni tanquam reprobi iudicentur. Sic & lege Iuſtiniani, Conſtitutione CCCCXXVII. capite CCCCLIII. & capite DXXII. conſtitutum eſt. Et ſanctus Gregorius in epiſtolis ſuis ex eiſdem ſacris canonibus & legibus promulgauit, atque conſtituit.

XXXIII. Sed quia negligentia, vel indebito fauore miniſtrorum Epiſcopalium neceſſaria minùs curante, & presbyterorum cupiditate, & laſciuia inoleſcente, per parochias vitium ſolet excreſcere, quod neceſſe eſt ſollicitiùs reſecare. videlicet, quidam presbyteri, de reditibus Eccleſiæ, vel oblationibus ac votis fidelium, res poſt ordinationem ſuam comparant, & in illis ſtructuras faciunt, & quæ ad Eccleſiam pertinent ibidem collocant, & in eiſdem manſis mulieres recipiunt, quæ lanificium ſuum exerceant, & domus curam gerant. Et hac occaſione ſuas Eccleſias negligunt, & ad eoſdem manſos recurrunt, & ibi commanent contra decreta canonum, fraudem facientes de facultatibus Eccleſiaſticis: quoniam hoc agere ſacrilegum eſt, & par crimen Ananiæ & Saphyræ, atque Iudæ furis, qui ſacras oblationes, quæ ad vſus fidelium ac pauperum mittebantur, aſportabat & furabatur. Eoſdem etiam manſos, non Eccleſiis ſecundùm ſacros canones derelinquere, ſed contra canones, vel propinquis ſuis, vel aliis quibuſcumque ſolent diſtrahere, cùm nullam

proprietatem Episcopus vel presbyter meliùs vel firmiùs possit habere, quàm quæ est Ecclesiæ attributa, si secundùm ordinem suum viuere voluerit. Si autem ordinem pro sua culpa perdiderit, nec alode, quem à die ordinationis suæ de Ecclesiasticis facultatibus acquisiuit, habere valebit, cui iuxta decreta sancti Leonis ad pœnitentiam agendam secreta est expetenda secessio.

XXXIV. VNDE necesse est, vt per singulos annos ministri Episcoporum inquirant, quid pareat in singulis Ecclesiis de parte decimæ, quæ iuxta sacros canones Ecclesiæ competit. Sed & de matriculariis per singulas Ecclesias, iuxta facultatem & possibilitatem loci, curam adhibeant, ne presbyteri pro locis matriculæ xenia accipiant, ne suos parentes sanos & robustos in eadem matricula collocent, nec opera ab ipsis matriculariis exigant. non de matriculariis bubulcos aut porcarios faciant, sed pauperes ac debiles, & de eadem villa, de qua decimam accipiunt, matricularios faciant. Si autem ipse presbyter habeat fratrem, aut aliquem propinquum debilem, aut pauperrimum, qui de eadem decima alendus sit, Apostolica est sequenda sententia, qua dicit, *Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* (1. Tim. 5. 8.) Reliquos propinquos si iuxta se habere voluerit, de sua portione sine dispendio Ecclesiæ vestiat atque pascat. Nam aliud est sine dispendio Ecclesiæ amicis vel parentibus pauperibus, aut quibuslibet necestuosis ex caritate cum mensura & ratione subuenire, vel adiutorium ferre, & aliud cum destructione Ecclesiæ, vel dissipatione facultatum Ecclesiasticarum, quæ sunt Ecclesiæ malè dispendere. Prouidendum est etiam, vt de nihil habentibus promoti presbyteri, non præsumant quæ de facultatibus Ecclesiæ comparauerunt vendere, vel quasi ad casam Dei tradere, nisi ad Ecclesiam, cuius propriæ esse debent.



XLIX.

XLIX.

DE CAVSA TEVTFRIDI PRESBYTERI, *qualiter sit agitanda vel diffinienda.*

Ex editione Moguntina Ioannis Busæi.

CAPVT PRIMVM.



SANCTVS GREGORIVS Papa, in Regesto decretorum suorum, multoties negotia Ecclesiastica, & causas Ecclesiasticorum, legaliter ac regulariter debere diffiniri decernit. Vbi vel à quibus causa de Teutfrido presbytero agitanda vel diffinienda sit, Leges decernunt vt vltra prouinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur. Oportet enim illic criminum iudicia agitari, vbi facinus dicatur admissum. Peregrina autem iudicia præsentibus legibus coercemus.] Et Carthaginenses canones capite trigesimo, Placuit, inquiunt, vt accusatus vel accusator in eo loco, vnde est ille qui accusatur, si metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum sibi eligat proximum, quò non sit difficile testes producere, vbi causa finiatur.] Et Synodus Africæ prouinciæ in epistola ad Cælestinum Papam, Prudentissimè, inquit, iustissiméque prouiderunt patres, quæcumque negotia in suis locis vbi orta sunt finienda.]

Cod.Th. L.10. De accusation.

II. PRESBYTER confessus vel conuictus, à proprio Episcopo, si contentiosus fuerit ab Episcopis suæ prouinciæ iudicari debet, sicut Nicæni, Antiocheni, Sardicenses, & Chalcedonenses, & Carthaginenses Africani canones decernunt. vnde Antiocheni canones capitulo decimo sexto dicunt, Perfectum Concilium illud est, vbi interfuerit Metropolitanus antistes.] & capitulo vigesimo de Conciliis Episcopalibus, In ipsis Conciliis adsint presbyteri, & diaconi, & omnes qui se læsos existimant, & Synodi experiantur examen.] Et capitulo nono, vt Episcopus nihil agere tentet præter antistitem Metropolitanum, nisi quod ad propriam parochiam pertinet, nec Metropolitanus sine ceterorum gerat consilio sacerdotum.]

III. QVIA de facultatibus Ecclesiasticis furtim vel sacrilegè distractis Teutfridus confessus vel conuictus dicitur, scilicet de planetis tribus, de tunica Immæ reginæ, de balteo aureo cum gemmis, de bursa eburnea, de libra vna de auro, & de ceteris aliis rebus, Leges dicunt, Confessi debitores pro iudicatis habentur: ideóque ex die confessionis tempora solutionis constituta computentur.] Et canones Apostolorum capitulo vigesimo quinto dicunt, Episcopus, pre-

ſbyter aut diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus eſt, deponatur: non tamen communione priuetur. Dicit enim
Naum. 1. ſcriptura, *non vindicabit Dominus bis in idipſum.*] Si enim fidelitatem ipſi caſæ Dei iurauit, in periurio captus eſt. quia verò ſacratas Deo facultates diſtraxit, ſacrilegium admiſit, ſicut ſanctus Anacletus Papa, ab ipſo beato Petro Apoſtolo presbyter ordinatus, poſtea in ſede Romana ſucceſſor illius factus Epiſcopus, cum quamplurimis ſacerdotibus iudicabat, Qui, inquiens, Chriſti pecunias & Eccleſiæ rapit, aufert, vel fraudatur, homicida eſt, atque homicida ante conſpectum iuſti iudicis deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi ſui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res Eccleſiæ abſtulerit, ſacrilegium facit, & vt ſacrilegus iudicandus eſt.] Et ſanctus Vrbanus Papa & Martyr, Res & facultates Eccleſiaſticæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota ſunt fidelium, ac pretia peccatorum: ſi quis illa rapuerit, reus eſt damnationis Ananiæ & Saphiræ. & oportet huiuſmodi tradere Satanæ, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini.] Et ſanctus Lucius Papa, Rerum Eccleſiaſticarum & facultatum raptores à liminibus ſanctæ Eccleſiæ anathematizatos Apoſtolica auctoritate pellimus, & damnamus, atque ſacrilegos eſſe iudicamus. Par enim pœna & agentes & conſentientes comprehendit.] Et ſanctus Gregorius Papa, Sacrilegum, inquit, & contra leges eſt, ſi quis quod venerabilibus locis relinquitur, prauæ voluntatis ſtudiis ſuis tentauerit compendiis retinere.] Et ſanctus Auguſtinus, à ſede Apoſtolica per beatum Cæleſtinum inter optimos Eccleſiæ magiſtros meritò computatus, in ſermone Euangelij beati Ioannis dicit, Ecce inter ſanctos eſt Iudas, ecce fur eſt Iudas, & ne contemnas, fur ſacrilegus, non qualiſcumque fur, ſed loculorum Dominicorum, loculorum, ſed ſacrorum. Si crimina diſcernuntur in foro, non qualiſcumque fur, ſed peculator. Peculatus enim dicitur furtum de re publica. Et non ſic iudicatur furtum rei priuatæ, quomodo publicæ. Quanto vehementiùs iudicandus eſt ſacrilegus fur, qui auſus fuit non vndecumque tollere, ſed de Eccleſia tollere? Qui aliquid de Eccleſia furatur & rapit, Iudæ perdito comparatur.]
Concil. Agath. c. IV. Et hinc ſacri canones dicunt, Clerici, vel etiam ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamento relictas retinere præſumpſerint, aut id quod ipſi donauerint Eccleſiis vel monaſteriis crediderint auferendum, ſicut Synodus ſancta conſtituit velut necatores pauperum, quouſque reddant, ab Eccleſiis excludantur, & qui ab Eccleſiis excluduntur, in gradu Eccleſiaſtico manere non permittantur.]

IV. Si Teutfridus confeſſus vel conuictus fuerit, relicto Eccleſiaſtico iudicio, ob defenſionem vel purgationem ſuam palatium expetiſſe, inferendum illi capitulum vndecimum Antiocheni Concilij, Si quis Epiſcopus, aut presbyter, aut quilibet regulæ ſubiectus,

Ecclesiasticæ, præter consilium vel litteras Episcoporum prouinciæ & præcipuè Metropolitani, adierit Imperatorem vel Regem, hunc reprobari & abiici oportere, non solùm à communione, sed & ab honore, cuius particeps videtur existere, quia venerandi principis auribus molestiam tentauit inferre circa leges Ecclesiæ. Si igitur adire principem necessaria causa deposcit, hoc agatur cum tractatu & consilio Metropolitani, & ceterorum Episcoporum qui in eadem prouincia commorantur, qui etiam proficiscentem suis prosequantur epistolis.] Et Carthaginenses canones capitulo nono, Quisquis, inquiunt, Episcoporum, presbyterorum, & diaconorum seu clericorum, cùm in Ecclesia crimen ei fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico iudicio publicis iudiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminalibus. In ciuili verò perdat quod euicit, si locum suum obtinere voluerit.] Et sanctus Leo Papa, & Synodus Romana, Censemus, vt quicumque prætermisso sacerdote Ecclesiæ suæ, ad disceptationem venerit sæcularium, sacris liminibus expulsus, à cælesti arceatur altario.]

Concil. Carthag. III. c. 9.

Epist. 96.

V. SI Teutfridus conuictus vel confessus fuerit, quòd manifestè vel ingeniosè proximos suos in periurium induxit, sciendum est, quia tot periuriorum reus est, quot homines malitiosè in periurium induxit, & maius peccatum inde ille ipse habet, quàm illi qui pro eo ipso rogante iurauerunt, sicut Dominus loquens ad Pilatum manifestat dicens, *Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.* Et S. Gregorius de huiusmodi in pastorali regula dicit, Scire enim Prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est, vt tanto se cautiùs à culpa custodiant, quanto per praua quæ faciunt non soli moriuntur, sed aliorum animarum, quas prauis exemplis destruxerunt, rei sunt.] Et presbyter, quãto gradu quolibet Christiano laico est celsior, tanto culpa illius est grauior, & qui illorum periurio est colligatus, in illorum est periurio captus, ac per hoc secundùm capitulum XXV. Apostolicorum canonum de periurio iudicandus. Vnde S. Hieronymus, exponens sententiam Ezechielis prophetæ de præuaricato iuramento à Sedechia rege dicit, Multo enim fidelior inuentus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit & deceptus est, te qui per occasionem diuinæ maiestatis hosti tuo, immò iam amico, molitus es insidias. Propterea scriptura dicit, Iuramentum quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est, ponam in caput eius. Legimus enim Sedechiam captum ductum esse in Reblatha, ibique interfectis filiis excæcatum, & instar feræ clausum cauea, translatum in Babylonem. Rex quippe Babylonius, vt beatus Gregorius exponit, est antiquus hostis, possessor intimæ confusionis, qui priùs filios ante intuentis oculos trucidat,

Ioan. 19.

Parte III. cap. V.

Moral. VII. cap. XIII.

quia sæpe sic bona opera interficit vt hæc se amittere ipse qui captus est] dolens cernat. Nam bona gignit plerumque animus, & tamen carnis suæ delectationibus victus bona quæ genuit amans perdit, & quæ patitur damna considerat, nec tamen virtutis brachium contra regem Babylonium leuat. Sed dum videns nequitiæ perpetratione percutitur, ad hoc quandoque peccati vsu perducitur, vt ipse quoque rationis lumine priuetur. Vnde Babylonius rex, extinctis prius filiis, Sedechiæ oculos eruit, quia malignus spiritus, subductis prius bonis operibus, pòst & intelligentiæ lumen tollit. Quod rectè Sedechias in Reblatha patitur. Reblatha quippe multa hæc interpretatur. Ei enim quandoque & lumen rationis clauditur, qui prauo vsu ex iniquitatis suæ multitudine grauatur.] Hæc omnia iusto Dei iudicio patitur, qui iuramentum in nomine Domini præuaricatur, quoniam qui contemnit iuramentum, vt beatus dicit Hieronymus, ipsum despicit per quem iurauit, illíque facit iniuriam, cuius nomini credidit aduersarius, hoc est, ille cui iuratum
Exod.20. est in nomine eius qui dicit, *Non accipias nomen Domini Dei tui*
Matth.5. *in vanum, neque polluas illud.* &, *reddes Domino iuramenta tua.* Et
Psalm.14. psalmus dicit, illum futurum in loco sancto, *qui iurat proximo & non decipit.*

VI. Si autem dicere voluerit, quia necessitate coactus illud iuramentum facere iussit, quòd tamen seruare potuit & debuit, & ideo reus periurij non teneatur, audiat quid sanctus Gregorius dicat de illo qui iurat, vel anathematizat. Qui iurare vel anathematizare debet, & blanditur tibi, quod non teneatur reus, si præuaricatus fuerit quod iurauit, vel anathematizauit, quia inuitus hoc egit, si qui sunt qui dicant, quòd compulsus quispiam necessitate si anathematizauerit anathematis vinculo non teneri, ipsi sibi testes sunt qui hoc dicunt, quia Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus veram putant, si ligaturas eius valere non æstimant. Contra quos diutiùs disputandum non est, quia per omnia despiciendi & anathematizandi sunt, & vnde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur, eósque & ego & omnes catholici Episcopi, atque vniuersalis Ecclesia anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, & contraria loquuntur.]

VII. Si autem dixerit, quod plures solent dicere, quia per ingenium iurare iussit, non putet verbi arte se posse fallere Dominum, cui nihil occultum est, & qui non vt iurat quis attendit, sed vt is putauit cui iuratum est, & proximi iuramento credidit. Qui autem per dolum iurat, vt catholici doctores dicunt, primùm Deo reus est, cuius nomen contra præceptum legis assumit in vanum, deinde
Psal.XXIII. proximo, quem atra fraude fallere putat, dicente Psalmista, quia *In-*

nocens manibus & mundo corde, qui non iurat in dolo proximo, accipiet benedictionem à Domino. Sed & sibi ipsi reus est, *Qui accipit in vano animam suam,* contradicente Psalmista.



L.

DE VISIONE BERNOLDI PRESBYTERI.

Nunc primùm ex Codice monasterij Heriuallensis.

HINCMARVS EPISCOPVS AC PLEBIS DEI famulus, dilectis fratribus & religiosis viris, ad quorum notitiam hæc quæ sequuntur peruenerint.



NVPER in parochia nostra quidam mihi notus homo, nomine Bernoldus, infirmatus, & post confessionem, & reconciliationem, atque sancti olei vnctionem, & corporis Christi ac sanguinis communionem, ingrauescente valetudine penè vsque ad mortem peruenit: ita vt per quatuor dies nec cibum vel potum capere, nec loqui posset, nisi raró signum facere, vt ei aqua daretur. Quarta autem die hora nona velut exanimis iacuit, adeò vt non posset in eo sentiri halitus, nisi per vices, qui manum suam mittebat ad os illius, vel super pectus eius, vix sentiebat in eo adhuc spiritum esse: rubor tamen in facie magnus erat. & sic iacuit vsque ad mediam noctem. Circa verò mediam noctem apertis oculis, viriliter vxori suæ ac circumstantibus dixit, vt quantociùs currerent, & confessorem suum velociter ad se venire rogarent, quia nisi citò veniret, ille viuere non posset. Accito autem presbytero, antequàm in mansionem vbi ille iacebat presbyter veniret, cùm in exteriorem domum intrauit, dixit ille qui iacebat infirmus, Ponite hîc sellam, quia presbyter iam domum istam intrabit. Isdem autem presbyter, mox vt ostium est ingressus vbi ille iacebat, incipiens pro eo orationes dixit, Dominus vobiscum, & ille clara voce respondit, Et cum spiritu tuo. Dictis autem orationibus, dixit presbytero vt sederet secus eum; & ait illi, Attentè intellige quæ tibi dicturus sum, vt si ego in corpore manens illa nuntiare non potero quæ mihi iussa sunt, tu illa adnunties. Et cœpit vehementissimè flere, & cum singultibus dixit, Ductus de isto sæculo ad aliud sæculum, veni in quendam locum, & inueni Episcopos quadraginta & vnum. inter quos noui Ebonem, Leopardellum, & Æneam, pannosos & denigratos, velut si vstulati fuissent, & squalentes, sicut & alios, & per vices nimio frigore horribiliter cum fle-

Flodoard. lib. III. c. 3. & 18.

tu & ſtridore dentium tremulantes, & per vices calore nimio æſtuantes. Et Ebo Epiſcopus me vocauit ex nomine dicens, Quia tibi dabitur licentia redeundi ad corpus, precamur te ego & iſti confratres noſtri, vt adiuues nos. & ego reſpondi, Quomodo vos poſſum adiuuare? Qui reſpondit, Vade ad homines noſtros clericos & laicos, quibus benefecimus, & dic illis vt pro nobis faciant eleemoſynas & orationes, & impetrent pro nobis offerri ſacras oblationes. Et ego reſpondi, quia neſcio vbi illorum homines eſſent. & ille reſpondit, Nos dabimus tibi ductorem qui te ad illos ducat. Et dederunt mihi vnum hominem, qui me præceſſit, & duxit me ad maximum palatium, vbi multitudo hominum eorumdem Epiſcoporum erat, & de illis Epiſcopis loquebantur, & ambaſciaui ex illorum parte quod mihi iuſſum fuerat. Inde cum ductore meo rediens, ad locum vbi ipſi erant Epiſcopi reueni, & quaſi ea iam quæ poſtulauerant pro ipſis facta fuiſſent, erant iocunda facie, quaſi à nouo raſi & balneati, & habebant albas veſtitas, & ſtolas, & ſandalia in pedibus, planetas autem non habebant. Et dixit mihi præfatus Ebo, Vides quantum nos adiuuauit tuus miſſaticus? Vſque modò nimis durum cuſtodem & cuſtodiam grauem ſicut vidiſti habuimus, modò habemus domnum Ambroſium cuſtodem, & leuem cuſtodiam. Inde veni in quendam locum tenebroſum, ad quem ex alia parte lux reſplendebat de vicino loco ſatis lucidiſſimo, & pulcherrimè florido, & odorifero, ad eundem locum tenebroſum. Et vidi ibi iacere domnum noſtrum Karolum regem in luto ex ſanie ipſius putredinis, & manducabant eum vermes, & iam carnem illius mãducatam habebant, & non erat in corpore ipſius aliud niſi nerui & oſſa. Qui vocans me ex nomine meo dixit, Quare me non adiuuas? cui reſpondi, Domine, quomodo vos poſſum adiuuare? & ait, Prende illam petram, quæ iuxta te eſt, & eleuato capite, pone illam ſub capite meo, ſicut & feci. & dixit mihi, Vade ad Hincmarum Epiſcopum, & dic ei, quia illius & aliorum fidelium meorum bona conſilia non obaudiui, ideo iſta quæ vides, pro culpis meis ſuſtineo. Et dic illi, quia ſemper in illo fiduciam habui, vt me adiuuet, quatinus de iſta pœna ſim liberatus, & per omnes qui mihi fuerunt fideles ex mea parte poſtulet vt me adiuuent, quia ſi inde certamen habuerint, citò de iſta pœna ero liberatus. Et interrogaui illum, quis locus eſſet, vnde illa lux reſplendebat, & tantus odor reſpirabat. Qui dixit, Sanctorum eſt requies. Ego autem volens propiùs ad illum locum accedere, vidi tantam claritatem, & tantam ſuauitatem, tantúmque decorem, quantum humana lingua dicere non poteſt. Et vidi ibi multitudinem hominum diuerſi ordinis in albis veſtibus collætantium, & quædam ſedilia lucida, in quibus homines adhuc non ſedebant, quibus præparata erant. Et in illo itinere vidi quandam Eccleſiam, quam cùm intraui, inueni Hincmarum Epiſcopum præparatum cum clericis reue-

ſtitis vt Miſſam cantaret, & dixi illi hoc quod domnus noſter Karolus mandauit. Et ſtatim reueni ad locum vbi domnus Karolus iacuerat, & inueni illum in loco lucido, & ſanum corpore, & indutum regiis veſtibus, & dixit mihi, Vides quomodo me adiuuauit tuus miſſaticus? Inde veni ad quandam petram grandem & altam, & inueni ibi hominem vnum implantatum in eadem petra vſque ad aſcellas. Qui vocans me dixit, Ego ſum Ieſſe, vade ad amicos meos, & dic illis vt me adiuuent, quatinus de iſta petra ſim liberatus. Et ego reſpondi me neſcire vbi illi homines eſſent. Et ille dixit, Cùm hinc perrexeris, inuenies eos in via. Et vidi iuxta illam petram magnam & altam, profundam vallem, & puteum teterrimum, & aquam nigram quaſi pix eſſet, & interrogaui illum hominem qui ſe Ieſſe nominauit, quid eſſet ille puteus. Qui reſpondit, Expecta hîc parùm, & tu ipſe videbis quid ſit. Nam me tantum non grauat iſta pœna mea, quam ſuſtineo, quantum timor de hoc quod videbis. Et ſubitò flamma & fumus proceſſit de ipſo puteo quaſi vſque ad cælum. Et reſidente flamma in puteum, & euaneſcente fumo, erant quatuor dæmones, qui multitudinem animarum, per quatuor partes diuiſas, per ipſum puteum minabant vſque ad quandam aquam nimis frigidiſſimam, ſicut animalia minari ſolent vt adaquentur. Et dixit ipſe Ieſſe, Hoc cotidie faciunt iſti dæmones, & ſuſtinent iſtæ miſeræ animæ vna vice in die, pro quibus nulli amicorum illorum laborant. Nam ſi aliqui laboraſſent pro illis, iſtam pœnam non ſuſtinerent. Inde procedens, obuiam habui homines conloquentes de præfato Ieſſe, & dixi illis quæ ipſe Ieſſe eis mandauit. Inde redij ad præfatam petram, & inueni ipſum hominem indutum albis veſtibus, & ſedentem in ſede honeſta. Qui mihi multas gratias retulit de miſſatico quem iniunxerat. Inde veni ad quendam locum, & inueni Otharium Comitem, capillos & barbam habentem, ſed & totum corpus miſeria & ſqualore infectum & nigrum. Qui ſe abſcondere voluit ne illum viderem. Cui dixi, Domne Comes, quid hîc facis? Qui reſpondit, Propter mea peccata hîc ſum, & ſuſtineo quæ vides. & iſte meus cuſtos, qui me hortatus eſt in vita mea illa mala facere quæ feci, adhuc hortabatur vt me abſconderem ne tu me videres. Sed precor te in amore Dei, vade ad vxorem meam, & ad homines & amicos meos, & dic illis vt pro me eleemoſynas faciant, & orationes fieri obtineant, vt de iſta pœna liberer. & vni homini meo commendaui aurum & argentum meum, quod nemo alius ſapuit niſi ego & ille, & adhuc ne vnum quidem denarium pro me inde donauit. Et viſum eſt mihi vt ſtatim fuiſſem apud Vongum in mallo, & dixi ſuis hominibus, & aliis qui ibi erant, quæ mihi iniunxit. Et ſtatim fui in ſpiritu ad illum locum vbi erat Otharius, & erat quaſi à nouo raſus & balneatus, & ſanus corpore, & albis veſtibus indutus, & ille ſuus cuſtos durus ibi non erat. Qui dixit mihi, Vides quantum me adiuuauit tuus miſſaticus? & ille meus cuſtos iam

de me poteſtatem non habet. Et erat ibi vnus homo valdè honeſtus, qui dixit mihi, Tu ibis de iſto ſæculo ad corpus, & ſtude per eleemoſynas & alia bona opera, & per bonam vitam, vt quando huc reueneris, bonam manſionem habeas. Et dixit mihi qualiter pauperes paſcerem & veſtirem ſecundùm meam poſſibilitatem. Et alius homo ruſtica facie & toruo vultu erat ibi, qui dixit, Non hinc ibit. Cui ille homo honeſtus reſpondit, Sic faciet, & per quatuordecim annos adhuc in corpore erit, & inde huc veniet. Cui ille ruſticus reſpondit, Quos tu quatuordecim annos dicis, ego quatuordecim dies faciam, & non viuet ampliùs vſque dum huc reueniat. Et ille homo honeſtus, Sic erit ſicut ego dico, non ſicut tu, quia ecce hic eſt ſuus aduocatus & fideiuſſor, & tu eris ibi mecum. Sicque petiit ſacram communionem. Qua accepta, bibit quaſi dimidium ſtaupum de vino, & dixit, Modò manducare poſſem, ſi haberem. Et datus eſt illi cibus, & manducauit, & abinde conualuit. Ego per quoſdam diuulgari hæc audiens, quia ille rediuiuus ad me venire non potuit, præfatum preſbyterum bonæ intelligentiæ ac bonæ vitæ, cui hæc retulit, ad me accerſitum quæ ſcripta ſunt mihi ex ordine feci narrare, vera illa eſſe credens, quia huiuſmodi, & in libro Dialogorum ſancti Gregorij, & in hiſtoria Anglorum, & in ſcriptis ſancti Bonifacij Epiſcopi & martyris, ſed & tempore domni Hludouuici Imperatoris ætate noſtra cuidam Witino viro religioſo reuelata relegi. Vnde, fratres cariſſimi, hæc relegentes ſemper pauidi ſempérque ſuſpecti, dum in hoc corpore ſumus, de manſionibus quas exuti corporibus habituri ſumus, cogitantes, remedia nobis à Deo inſinuata atque collata non negligamus, & commiſſos nobis, ac quoſcumque adire poterimus, non negligere commoneamus, quia ſic mors cùm venerit vincitur, ſi antequam veniat ſemper timeatur, Pro domno quoque noſtro quondam rege Karolo, vt ei Dominus bona æterna conferat, ſtudioſiſſimè imploremus, per cuius poteſtatem nobis bona temporalia contulit. In quo ex hac viſione duo iudicia Domini perpendere poſſumus. videlicet vt cum pœnis quas ſuſtinebat, etiam ex obiecta ſanctorum requie vt luce reſplendente à longè, qui promereri in corpore poſitus poterat & necdum promeruit, conſcientia torqueretur. quémque futura ſpes aliquantulum refouebat, ſicut & nos hortantur ſcripturæ, vt ſic peccata noſtra perturbent, quatinus mens in deſperationem non proruat, ſic Dei miſericordia nos refoueat, vt nullo modo negligentes reddat. Sed & pro fratribus noſtris, qui nos cum ſigno fidei in vnitate ſanctæ Eccleſiæ præceſſerunt, dilectionis viſceribus Domini miſericordiam
Prou.18.19 deprecemur, vt pro ſolatio illis impenſo fraterna nos ad inuicem caritate conſolemur, ſicut ſcriptum eſt, *frater fratrem adiuuat*, & ambo conſolentur. Illi quidem qui nos præceſſerunt, de caritatis ſolatio ſibi à nobis impenſo, & nos de fraternæ dilectionis merito à Deo

Deo nobis reddendo consolemur. Ceterùm quòd rediuiuus ille dixit, quosdam se priùs in pœnis, & subsequenter quasi liberatos vidisse, intelligendum æstimo, quia si ea pro illis gesta fuerint quæ petierunt, liberatio subsequetur, quæ specie tenus ostenditur. Nam & in scripturis sæpè futura, quasi iam facta tempore præterito, causa certitudinis dicta legimus, & visiones prophetarum & aliorum sanctorum, per species diuersas ostensas fuisse cognoscimus. Quia nondum ad hoc peruenimus quod scriptum est, *facie ad faciem Domini gloriam speculantes*. Nondum enim apparet quid erimus: & licèt nondum appareat quid erimus, spe tamen salui facti sumus. Verùm quia mors certa & exitus nostri hora nobis est incerta, debemus sedula mente ruminare sententiam beati Prosperi de verbis sancti Augustini ex scripturæ tramite adnotatam, quæ ita se habet, Peccata siue parua, siue magna, impunita esse non possunt, quia aut homine pœnitente, aut Deo iudicante plectuntur. Cessat autem vindicta diuina, si conuersio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos qui semetipsos iudicant, non iudicare.

1. Cor. 13. 12.

Cap. ccx.



LI.

AD ODONEM EPISCOPVM BELLOVACENSEM.

De obiectionibus Græcorum à Nicolao Papa in Galliam missis, vt ad eas respondeatur.


Nunc primùm ex Codice Tilianæ Bibliothecæ.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS, dilecto fratri & venerabili Episcopo Odoni salutem.



DOMNVS Apostolicus communiter nobis & aliis Episcopis regni domni nostri Caroli epistolam misit, in qua continetur, quòd Græci tam Ecclesiam Romanam specialiter, quàm omnem generaliter quæ lingua Latina vtitur, conantur reprehendere, quia ieiunamus in Sabbatis, quòd Spiritum sanctum ex patre filióque procedere dicamus, cùm ipsi hunc tantùm ex patre procedere fateantur. Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia presbyteros sortiri coniuges prohibemus. & insimulare tentant, quòd eosdem presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus, quod tamen chrisma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilominùs moliuntur, eo quòd octo hebdomadibus ante Pascha à carnium, & septem hebdomadibus à casei & ouorum esu more suo non cessamus. Mentiuntur quoque nos, sicuti per alia ipsorum conscripta indicatur, agnum in

Pascha more Iudæorum super altare pariter cum dominico corpore benedicere & offerre. Quin & reprehendere satagunt, quia penes nos clerici barbas radere suas non abnuunt. & quia diaconus non suscepto presbyteratus officio apud nos Episcopus ordinatur, cùm ipsi etiam illum quem patriarcham suum nominant ex laico subitò tonsuratum ac monachum factum saltu ad Episcopatus apicem Imperiali fauore ac brachio prouehere, vt ipsi putant, minimè formidauerunt. Et adhuc, quod grauius est & insanius, à Missis nostris contra omnem regulam, & præter omnem consuetudinem, libellum fidei, si se ab illis recipi vellent, exigere moliebantur, in quo tam ista capitula, quàm ea tenentes anathematizarent. Nec non epistolas canonicas ab his ei quem suum Oecumenicum patriarcham appellant dandas improbè requirebant. Et ipse inuasor Constantinopolitanæ Ecclesiæ Photius in scriptis suis se Archiepiscopum atque vniuersalem patriarcham appellat. Et Imperatores Græcorum legatos Apostolicæ sedis cum epistolis veneratione qua debuerunt recipere noluerunt. Inde vnusquisque vestrûm qui Metropolitani iura sortitus est, iunctis sibi fratribus & Coepiscopis suis qui sub se sunt, de his diligentem curam suscipiat, & quid inuidis eorum detractionibus opponi necesse sit rimari studeat, & inuenire summopere gestiat, atque inuentum nobis ociùs transmittere minimè paruipendat, & præsulatui nostro scripta diuinitùs inspirata sapientia vestra reprehendendo & forti prorsus inuectione feriendo tantam eorumdem Imperatorum vesaniam mittat. quæ nos suscipientes, rursus ea cum aliis assuetionibus nostris ad ipsorum quoque dementiam confutandam mittere valeamus. Quapropter, frater carissime, secundùm domni Apostolici commendationem, de his per tramitem scripturarum & traditionem maiorum, quæ illi conuenienter rescribere possimus, quærere & in vnum colligere stude, vt cum simul adiuuante Domino venerimus, quæ quisque nostrûm inuenit singillatim communi studio relegamus, & quæ eidem domno Papæ à nobis inde scribenda sunt ordinemus. Data quarto Kalendas Ianuarij, Indictione prima.



LII.

ODACRI BELLOVACENSIS ECCLESIÆ INVASORIS EXCOMMVNICATIO.

Nunc primùm ex veteri Codice Virdunensi.

HINCMARVS EPISCOPVS AC PLEBIS DEI famulus, cum collegis nostris venerabilibus diœceseos Remorum Episcopis, omnibus Ecclesiæ sanctæ rectoribus atque fidelibus, ad quorum notitiam hæc sequentia poterunt peruenire: vt scientes à quibus, & qualiter, ac quotiens, & pro quibus excessibus Odacrus inuasor Ecclesiæ Beluacensis, suffraganeæ nostræ Metropolis, sit excommunicatus, ab eius perniciosa communione se caueant. ne, vt scriptum est, picem tangentes inquinentur ab ea, & ouis morbida, nisi quantociùs à sano grege fuerit separata, multos suo morbo inficiat.



SICVT longè antè prædictum est à Deo per Psalmistam, *Conuallem tabernaculorum dimetiar.* hoc est, vt catholici doctores produnt, vniuersum orbem terrarum, qui vallis tabernaculorum pro habitaculis corporum dictus est, etiam priusquàm Christus mundo per incarnationem illuxerit, dimensum fuisse legimus, quam dimensionem habemus. Et pòst, vt item ipse præcepit, *Distribuite*, inquiens, *domos eius*, videlicet vniuersalis Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ, per custodiarum parochias distinctam cognoscimus. quam etiam distinctionem habemus. Vnde sacri canones, spiritu Dei conditi, & totius mundi reuerentia consecrati, decernunt dicentes, Per singulas regiones Episcopos conuenit nosse Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius prouinciæ gerere, & reliqua quæ ibidem sequuntur. Et sanctus Bonifacius Papa, explanans sextum capitulum mysticæ Nicænæ Synodi, per quam sanctus Spiritus est locutus ait, Metropolitani sui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem semper expectet.

Psal. 107. 8. Psal. 47. 14.

II. PROPTER nos, autem homines, & propter nostram salutem, mediator Dei & hominum homo Christus Iesus ad homines dixit, *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* & item dicit, *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Sanctam designans Ecclesiam ex circumcisione ac præputio sub se pastore vero, qui posuit animam suam pro ouibus suis, ipso angulari lapide vniendam. De cuius sanctæ Ecclesiæ ouili idem

Matt. 15. 24. Ioan. 10. 16.

Ioan.10.1. dicit, *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, hic fur est & latro.* Qualiter autem & quo ordine quisque ad huius sancti ouilis custodiam, id est ad regimen sanctæ Ecclesiæ accedere ac prouehi debeat, sacri canones patenter ostendunt. Videlicet vt operam dante Interuentore constituto, Episcopo pastore viduatæ Ecclesiæ, & à clero & à plebe, secundùm Apostolicam & canonicam formam, eligatur futurus Episcopus, qui sacris canonibus non valeat obuiare, & cum decreto singulorum manibus roborato ad Metropolitanum & ceteros prouinciales Episcopos ipso Interuentore mediante perducatur ad ordinationem, & sic communi cunctorum decreto rationabili, & secundùm regulam Ecclesiasticam comprobato, secundùm quartum & sextum capitulum mysticæ Synodi Nicænæ, & iuxta vigesimum quartum capitulum Antiocheni Concilij ordinetur. sicut & S. Gregorius multoties in regesto suo decernit. Quos sacros canones Odacrus, inuasor per exteras potestates viduatæ Beluacensis Ecclesiæ, contemnens atque conculcans pro nihilo duxit, & iam plusquam annum vsurpans, sua tyrannica deuastatione opprimit captiuatam, contra magnum Chalcedonense Concilium sexcentorum
Can.xxv. triginta & eo ampliùs Episcoporum, quod præcipit intra tres menses ordinationes Episcoporum celebrari. Non reuerens diuinum iudiciũ, nec pensans quantum periculum sit, quia in proximè præcedenti cœnæ Dominicæ die, multi ab Odone Episcopo pro publicis criminibus in publica pœnitentia constituti, quod nisi ab Episcopo fieri licet, sine reconciliatione & communione sacra gementes remanserunt. quanti sine canonico baptismo, & episcopali consignatione relicti fuerunt. quantis rusticanarum parochiarum in tanto tempore presbyteris defunctis, ipsarum parochiarum paruuli sine baptismo perire potuerunt. quanti viri, quantæ feminæ, sine reconciliatione & sacri olei vnctione, atque sancta communione, & sine eorum animarum per orationes solennes commendatione de isto sæculo exierunt. Contra cuius diutinam peruasionem, vltra terminum constitutum à præfato magno Concilio, sancti Dei, per quos sanctus Spiritus ea quæ ibi sunt diffinita decreuit, & iam cum Christo in cælo regnant, terribiliter clamant, Eos qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ
Can.x. & vniuersalis huius Synodi quicquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decreuit sancta Synodus à proprio huiusmodi gradu recedere.] Et sanctus Gregorius ad Gallicanos Episcopos scribens de huiusmodi impostore, Dum, inquit, non officium sed nomen attendit, sacerdos non esse sed dici tantummodò inaniter concupiscit. Quod si sic licet, quid per hoc aliud agitur, nisi vt nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio? Ex qua re, si rectè libraminis examinatione pensetur, dum improbè ad inanem gloriam locum festinat vtilitatis arripere, eo ipso magis quòd honorem quærit indignus est. Sicut autem is qui inuitatus re-

(Lib.VII. Epist.110. Ind.II.)

nuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admouendus, sic qui vltro ambit, vel importunè se ingerit, est proculdubiò repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi vt crescendo decrescat, & ascendendo exteriùs interiùs in profundum descendat?]

III. IDEM sanctum magnúmque Concilium decreuit, vt reditus viduatæ Ecclesiæ penes Oeconomum eiusdem Ecclesiæ integrè conseruentur, quos prædictus inuasor Odacrus sine vlla diuinæ legis reuerentia vsurpare præsumpsit. Quapropter cum aliis huiusmodi præsumptoribus ab eodem sancto & magno Concilio percellitur, vt qui ausi fuerint post diffinitionem magnæ & vniuersalis huius Synodi quicquam ex his quæ sunt prohibita perpetrare, decreuit sancta Synodus à proprio huiusmodi gradu recedere. Can. xxv.

IV. ODACRVS, relicto Ecclesiastico iudicio, & sacrorum canonum diffinitione, per sæcularem potestatem inuasor rerum & facultatum Ecclesiasticarum Beluacensis Ecclesiæ, quæ secundùm sacras regulas oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium, ac pretia peccatorum, atque patrimonia pauperum, ipse in se damnationis sententiam iaculauit. quia sicut sanctus Leo Papa cum Romana Synodo diffiniuit, Quicumque sub regula positi, relicto Ecclesiastico iudicio, ad patrocinia laicorum conuolare, & iudicia eorum expetere, & prætermisso sacerdote suæ Ecclesiæ, ad disceptationem sæcularium venerint, sacris liminibus, id est ab Ecclesiæ adytis expelli, & à cælesti arceri altario, id est à corpore & sanguine Christi separari iubentur.] Et canones sacri diffiniunt, vt quilibet regulæ subiectus Ecclesiæ, præter consilium & litteras Episcoporum prouinciæ, & præcipuè Metropolitani, adierit Imperatorem, hunc reprobari & abici oportere, non solùm à communione, verùm & ab honore cuius particeps videtur existere. Et sanctus Hilarus Papa in decretis suis: Non minus, inquit, in sanctarum traditionum delinquitur sanctiones, quàm in iniuriam ipsius Domini prosilitur.] Schismaticus igitur, ab vnitate Ecclesiæ per sacrorum canonum contemptum, qui à sancto sunt Spiritu conditi & totius mundi reuerentia consecrati, seipsum scindens, licèt fortè eodem cultu, eodem ritu credat vt catholici, in malo tamen suo per cupiditatem manet damnationis discidio. Quantum autem sit malum discidium schismatis, sanctus Augustinus in libro de baptismo ex sacris demonstrat scripturis hoc modo. Non afferamus stateras dolosas, vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro dicentes hoc graue, hoc leue est, sed afferamus diuinam stateram de scripturis sanctis tanquã de thesauris dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus, immò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Tempore illo, quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monstrauit, & idolum fabricatum atque adoratum est, & propheticus liber ira regis

Epist. xcvi. Epist. ii. Veran. &c.

contemptoris incensus,& schisma tentatum. idololatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde & peregrina captiuitate, schisma hiatu terræ sepultis auctoribus viuis, & ceteris cælesti igne consumptis. Quis iam dubitauerit hoc esse sceleratius commissum, quod est grauiùs vindicatum?] Quæ tria grauia cõmissa,& non leui punitione vindicanda, si diligenter sanctarum scripturarum auctoritate intendimus, in hac tyrannica Odacri peruasione vacantis Ecclesiæ inuenimus. Apostolus
Coloss.3.5. namque dicit, *Auaritia quæ est idolorum seruitus.* Et beatus Gregorius loquens de tentatione Dominica in Euangelij Homilia, ex altera sententia præfati Apostoli ostendit auaritiam esse non solùm pecuniæ, sed etiam altitudinis. Et Odacrus inuasor vacantis Ecclesiæ, quia secundùm sacrorum canonũ tramitem, ad prouectum Episcopalis ordinis, vt res & facultates ipsius Ecclesiæ possideret, Deo iudice peruenire non meruit, per sæcularem potestatem priùs res & facultates ipsius Ecclesiæ vacantis obtinuit, vt saltu quoquo modo ad altitudinem Episcopalis nominis perueniret, & sacerdos non esse, sed dici tantummodò inaniter concupiuit. Non attendens, quia sic ab ipso Christo, summo Pontifice ac rege regum, sunt distincta potestatum officia, vt spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, & militantes Deo minimè se negotiis sæcularibus implicarent, ac vicissim non illi rebus diuinis præsidere viderentur, qui essent negotiis sæcularibus implicati. Et sæculares viri sacerdotum penderent iudicio, non sacerdotes ad suam deberent redigere voluntatem: & sacerdotes sæcularium iudicia discuterent, non autem sæculares sacerdotum iudicia molestarent, sicut litteræ diuinitùs inspiratæ manifestè demonstrant, & Constantinus Magnus Imperator in Nicæno Concilio se illorum iudiciis subdens ostendit. His igitur ita se habentibus, Odacrus per auaritiam & altitudinis, & possessionis, in peruasione
Hom.xxx. in.Euang. vacantis Ecclesiæ idololatra esse ostenditur. Per Moysem de Do-
Deut.33.2. mino dicitur, *In dextera eius ignea lex.* In sinistra, inquit Gregorius, reprobi qui & ad sinistram ponendi sunt, dextera autem Dei appellantur electi. In dextera ergo Dei lex ignea est, quia electi mandata cælestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc
Heb.12.29. amoris intimi facibus inardescunt.] Et Apostolus dicit, *Deus noster*
Luc.12.49. *ignis consumens est*, Et Dominus, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Ignem Dominus in terram mittit, cùm afflatu Spiritus sancti corda carnalium incendit. Spiritus igitur sanctus ignis est. Et sacri canones, sicut legimus, sancto sunt Spiritu conditi, quos Odacrus facibus suæ cupiditatis succensus, cùm non per spiritalem Ecclesiasticam traditionem, sed per carnalem sæculi potestatem pastore vacantem Ecclesiam vsurpauit, Spiritum sanctum quo
1.Thess.5.19. sacri sunt conditi canones, reclamante scriptura, *Spiritum nolite extinguere*, quantum ex ipso est extinguere procurauit, & auctoritatem sacrorum canonum, ne vigeret in Ecclesia, sua molitio-

ne quasi incendere attentauit. Quia verò cum catholicæ vnitate Ecclesiæ, à qua propter suos excessus sicut ostendimus & in reliquum ostendemus, est excommunicatus, sacros canones totius mundi reuerentia consecratos non sequitur, sicut ex suprascriptis sacris sententiis manifestatur, schismaticus esse negari non potest, sicut sanctus Augustinus in tractatu Euangelij secundùm Ioannem ostendit, Habemus, inquiens, sanctum Spiritum si amamus Ecclesiam, amamus autem, si in eius compage & caritate consistimus. Et in epistola Concilij ad Donatistas, Quisquis à catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere quòd à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia *vnusquisque* in ea *proprium onus portabit*, sicut dicit Apostolus. & quicumque in ea corpus Christi manducauerit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Cùm enim dicit iudicium sibi manducat, satis ostendit, quia non alteri iudicium manducat, sed sibi, quia communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensu factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malus causam suam & personam suam, nec præiudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis.] Qui verò ex quocumque statu, vel quocumque ordine, schismati eius fauent, attendant & appendant diffinitionem Apostolicæ sedis, quam decretis suis inseruit dicens, Quisquis, inquit, assentit principi schismatis, schismaticus esse negari non poterit. Quòd etsi omnes sacerdotes & mundus assentiat, damnatio consentientes inuoluit, non præuaricationem consensus absoluit. Non enim crimen minuitur, sed accrescit, cùm generale fit ex priuato. Hoc enim Deus omnium indicauit, qui mundum peccantem generali diluuio interemit.] Isdem verò, vt iactant fautores sui, & adplaudunt ei complices præsumptionis suæ, non proponens Deum ante conspectum suum, persuadet sibi tenere & vsurpare res ac facultates à se inuasæ Ecclesiæ, etiamsi ad nomen Episcopale peruenire nequiuerit, assumentes in augmentum suæ damnationis exempla de quibusdam Ecclesiis, quæ quorumdam principum temporibus diu sine pastore vacarunt, sua opera quasi ex mortuis pellibus, vt beatus demonstrat Gregorius, credentes muniri, dum prauitatem suam ex alienis prauitatibus tuentur. Quia enim talia contigisse considerant, se hæc facere licenter putant, quod schisma esse contra traditionem Ecclesiasticam & sacrorum canonum constitutionem patenter ostenditur. Quos sanctus Gregorius in Euangelij homilia redarguit dicens, Sunt nonnulli, qui dum plus terrenam substantiam quàm oues diligunt, meritò nomen pastoris perdunt, quia non pro amore intimo oues dominicas, sed ad temporales mercedes pascunt. Mercenarius quippe est, qui locum pa-

Epist. CLII. Augustini.

Gal. 6. 5.

1. Cor. 11. 29.

Hom. XIV. in Euan.

ſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris paſcitur, impenſa ſibi ab hominibus reuerentia lætatur, & pro eo ipſo quòd in regimine laborat, hîc quod quærit inueniat, & ab hereditate gregis in poſterum alienus exiſtat.]

V. CETERVM quia cognata ſunt ſchiſma & hæreſis, ſicut etiam ſolennes orationes vniuerſalis Eccleſiæ in die ſancti paraſceues apertè demonſtrant, annuente veritate oſtendere procurabimus, quia nec à damnatione Simoniacæ hæreſeos eſt immunis. Dominus dicit in Euangelio de largiendis ſacris ordinibus, *Gratis accepiſtis, gratis date.* Præſciebat, inquit beatus Gregorius, nonnullos hoc ipſum donum accepti ſpiritus in vſum negotiationis inflectere, & miraculorum ſigna ad auaritiæ obſequium declinare. Hinc eſt enim, quòd Simon magus per impoſitioné manus edita miracula conſpiciens, percipere donum Spiritus ſancti pecunia voluit, ſcilicet vt deteriùs venderet quod malè comparaſſet. Vnde bene cùm iuſtum virum deſcriberet propheta ait, *Qui excutit manus ſuas ab omni munere.* Neque enim dicit, qui excutit manus ſuas à munere, ſed adiunxit ab omni, quia aliud eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obſequio eſt, ſubiectio indebitè impenſa, munus à manu pecunia, munus à lingua fauor. Qui ergo ſacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus non ſolùm nullam pecuniam, ſed etiam humanam gratiam non requirit.] Vnde Dominus *vendentes & ementes* ex templo eliminat, quia vel eos qui pro munere impoſitionem manuum tribuunt, vel eos qui donum ſpiritus emere nituntur damnat. Vendentes quippe in templo ſunt, qui hoc quod quibuſdam iure competit ad pretium largiuntur. Ementes verò in templo ſunt, qui dato patronis præmio emunt peccatum. Hinc eſt quòd ſacri canones Simoniacam hæreſim damnant, & eos ſacerdotio priuari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus pretium quærunt. Et cùm prima contra ſanctam Eccleſiam Simonia hæreſis ſit exorta, cur non videtur quia eum quem cum pretio ordinat prouehendo agit vt hæreticus fiat? Sacri namque canones & ordinãtes & ordinatos pro munere, ſed & interuentores irrefragabiliter damnant, ſicut lector in ſecundo capitulo magni Chalcedonenſis Concilij poterit inuenire. Nos quidem non incerta relatione ſæpe fatum Odacrum, non ſolùm pecuniam, ſed & res per non ignotas perſonas pro percipiendo Epiſcopali ordine obtuliſſe comperimus. Et ſanctus Auguſtinus in libro de vtilitate credendi ait, Hæreticus eſt qui alicuius temporalis commodi & maximè gloriæ principatúſque gratia, falſas ac nouas opiniones vel gignit vel ſequitur. Ille autem qui huiuſmodi homini credit, homo eſt imaginatione quadam veritatis ac pietatis illuſus.]

Matt. 10. 8.
Hom. IV. in Euan.
Eſa. 33. 15.
Poſt pauca ibidem.
Matt. 21. 12.

VI. IN priuilegio Beluacenſis Eccleſiæ, conſenſu domni Karoli

li nos Episcopi quatuor prouinciarum, Remorum scilicet, Rotomagensium, Turonorum, ac Senonum, maiorum exempla secuti, canonica & episcopali auctoritate decernentes subscripsimus, vt nulla sæcularis potestas de rebus Episcopij Beluacensis Ecclesiæ præsumat. Si quis verò regum, sacerdotum, & iudicum, atque sæcularium personarum, hanc constitutionis paginam cognoscens, contra eam venire tentauerit, reum se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo sunt malè ablata restituerit, vel digna pœnitentia inlicitá acta defleuerit, à sacratissimo corpore ac sanguine Dei Domini redemptoris nostri Iesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ vltioni subiaceat.] Et in hac constitutione nostra Domini nobis adfuisse præsentiam credimus, secundùm promissionem suam qua dicit, *Vbi fuerint congregati duo aut tres in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Si ergo adesse dignatur vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine suo, quanto magis non deerit, vbi plures auctoritatem illius sequentes conueniunt vel consentiunt sacerdotes? Qui autem ex his qui iam ad Dominum perrexerunt in sedibus eorum successerunt, sicut sanctus Siricius in decretis suis demonstrat, in eorum labores curásque debent succedere, & quæ antecessores eorum statuerant regulariter, conamine summo defendere. Nam, inquit Symmachus Papa, dum ad Trinitatis instar, cuius vna est atque indiuidua potestas, vnum sit per diuersos antistites sacerdotium, quemadmodum priora statuta à sequentibus conuenit violari? Huc accedit, quòd hæc si eueniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam catholicam religionem credimus pertinere, cuius omnis potestas infringitur, nisi vniuersa quæ à Domini sacerdotibus semel statuuntur perpetua sint. quod aliàs contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt faciat rata esse quæ gesserit. Quanta enim Vicariis beatissimi Petri Apostoli iudicabitur esse reuerentia, si quæ in sacerdotio præcipiunt, iisdem transeuntibus dissoluantur?]

Matt.18.20

Epist.1 ad Himeriū.

Epist.1.ad Æonium.

VII. In priuilegio domni Papæ Nicolai, quod tempore Odonis Episcopi Ecclesiæ Beluacensi contulit, ad locum ita scriptum est, Nullus itaque regum, nullus iudicum, nullus cuiuscumque sæcularis potentiæ dignitate fultus, in rebus vel villis vel agris vel mancipiis, vel quicquid ad Monasteria ibidem descripta collatum fuerit, potestatem habeat vel dominandi vel accipiendi vel auferendi, præter Episcopum Beluacensis, qui per tempus fuerit eidem prælatus, Ecclesiæ: sed quicquid in auro vel in argento, vel in quacumque supellectili, vel in omni facultatis substantia ipsis est Monasteriis hodie delegatum, vel futuris temporibus fuerit collatum, Episcopi Beluacensis distributioni & ordinationi fiat subiectum, nec alterius potestatis ius vel dominatio super eis potestatem aliquam, nisi quantum diuina auctoritas & lex & iustitia permittit,

obtineat. * * * * oculis ad ignem perpetuum vadat. Vnde ipsi & suis complicibus inculcanda est sententia beati Gregorij, quam in epistola Græcorum partibus contra quatuor malè sentientium Capitula posuit, qui anathematizati cum aliis perniciosis persuadebant sibi anathematis vinculo non teneri. Ipsi, inquit, sibi testes sunt quia Christiani non sunt, qui ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se æstimant conatibus soluere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ quam præstat fidelibus veram putant, si ligaturas eius valere non æstimant. Contra quos diutiùs disputandum non est, quia per omnia dispiciendi & anathematizandi sunt, & vnde se fallere veritatem credunt, inde in peccatis suis veraciter ligantur, eósque & ego, & omnes catholici Episcopi, atque vniuersa Ecclesia, anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt & contraria loquuntur.]

Can. v. VIII. Sacri denique Nicæni canones decernunt, De his qui communione priuantur, seu ex clero seu ex laico ordine, ab Episcopis per vnamquamque prouinciam sententia regularis obtineat, vt hi qui abiciuntur ab aliis non recipiantur.] De cuius magni Concilij priuilegio sanctus Hilarius & beatus Ambrosius mirabiliter scribunt, sed & magnus Leo Papa dicit, Tanto, inquiens, diuinitùs pri-

Epist. LIII. Anatolio cap. 2. In eadem cap. 4. uilegio Nicæna est Synodus consecrata, vt siue per pauciores, siue per plures Ecclesiastica iudicia celebrentur, omni penitùs auctoritate sit vacuum, quicquid ab illorum fuerit constitutione diuersum.] & item, Sancti illi & venerabiles patres, qui in vrbe Nicæna, sacrilego Arrio cum sua impietate damnato, mansuras vsque in finem mundi leges Ecclesiasticorum canonum condiderunt, & apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus viuunt, & si quid vsquam aliter quàm illi statuere præsumitur, sine cunctatione cassatur.]

Epist. XCI. Maurit. Episcopis. Et item idem in decretali sua epistola, Beati Pauli Apostoli per spiritum Dei emissa præceptio est, qua in persona Timothei omnium Christi sacerdotum numerus eruditur, & proinde vnicuique nostrûm

1. Tim. 5. 22. dicitur, *Manus nemini citò imposueris, neque communices peccatis alienis.*] & paulo pòst, Quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinationem, qualis ille est qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis sibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo sacerdote iudicium, ita graui semetipsum afficit damno, qui in suum collegium assumit indignum. Non ergo in cuiusquam persona prætermittendum est, quod institutis generalibus continetur, nec putandus est honor ille legitimus, qui fuerit contra diuinæ legis præcepta collatus.] & item idem, Superfluè extra Ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intùs sunt in eis quos decipiunt vulneramur. Oportet etenim nos Euangelici meminisse præcepti, quod ab ipsa veritate præcipitur, vt si nos oculus, aut pes, aut dextera scandalizauerit manus, à compage corporis auferatur. quia melius sit his in Ecclesia carere membrorum, quàm cum ipsis in æterna ire sup-

plicia. Abicienda prorsus pestifera hæc à sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit, sicut Heli quondam sacerdos, filiorum suorum delicta tolerando, cùm ipsis diuinæ iustitiæ sententiam meruit experiri, quia segni indulgentia dissimulauit plectere peccatores. Igitur iuxta præceptum Leuitici, in quo leprosi domorum lapides à sacerdote inspici, & qui ex eis purificari nequiuerit, iam inter immundos computari, ac de ordine mundorum lapidum præcipitur erui, & de cælesti ædificio, videlicet sancta Ecclesia, velut indignus abici, ac diuino examine alius qui dignus est in loco illius substitui, quia sæpè fatus Odacrus non est clericus Remensis nostræ prouinciæ, & contra sacras leges & regulas vacantem pastore suffraganeam Metropolis nostræ Ecclesiæ inuadere præsumpsit, & reditus Ecclesiæ viduatæ, quos magnum Chalcedonense Concilium penes Oeconomum eiusdem Ecclesiæ integrè conseruari præcipit, sacrilegè vsurpauit, cum diffinito iudicio ipsius Concilij, & excommunicatione Episcoporum quatuor prouinciarum, insuper & domni Papæ Nicolai Apostolicæ sedis Pontificis, à nobis Euangelica & Apostolica atque canonica auctoritate sit excommunicatus, vt nunquam vel nusquam in prouincia Metropolis Remorum Ecclesiæ in gradu Ecclesiastico ministret, & si in pertinacia suæ persuasionis de cetero manere præsumpserit, nunquam vel nusquam in Remensi prouincia cum aliquo Christiano communicet, neque corpus & sanguinem Christi, nisi fortè, iuxta mysticam Nicænam Synodum, in exitu positus viaticum munus sacræ communionis accipiat.



LIII.

AD IOANNEM EPISCOPVM CAMERACENSEM.

De Hunoldo, & malæ famæ presbyteri purgatione.

Nunc primùm ex Codice S. Laurentij Leodiensis.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS ac plebis Dei famulus, dilecto fratri & venerabili Coepiscopo Ioanni salutem.



Iste presbyter, nomine Hunoldus, dixit mihi quia presbyteros habens, cum quibus famam suam sacramento purgare voluit de quadam femina, & quoniam examinationis iudicium noluit facere, vt illi presbyteri cum eo securiùs iurare possent, sacerdotale ministerium interdictum est illi. Vnde qualiter in nostra parochia ex auctoritate maiorum tenemus, tuæ dilectioni

mandamus. Sicut S. Gregorius decreuit, per idoneos testes sacramento inquiritur de malæ famæ presbytero, vt inde scientes nec mendacium dicant, nec veritatem reticeant. & exceptis accusatoribus, & sex testes iurent. Et post hoc iuramentum, non interrogamus de concubitu presbyteri cum quacumque femina, quia nec hoc canones habent, sed de accessu & frequentatione, ac cohabitatione cũ feminis contra interdictum sacrorum canonum, vnde mala suspicio & inconueniens sacerdoti fama exiuit. Et post illorum testimonium, septimus testis, si conditio vel qualitas personæ permittit, ad iudicium exit, quòd illi sex veritatem inde per sacramentum dixerunt: quia multi iam deprehensi apud nos habentur, quoniam pretio conducti se periurauerunt. Et si hoc modo presbyter conuictus fuerit de inconuenienti cohabitatione contra leges & canones cum femina, deponitur, sicut sacræ præcipiunt regulæ. Accusatores autem ac testes ad accusandum vel ad testificandũ tales suscipiuntur secundùm Africanum Concilium, quales publicæ leges in mallo vel audientia ad accusandum & ad testificandum admittunt. Si autem mala fama ex similitudine per parochiam de presbytero exierit, & accusatores & testes legales defuerint, ne contra Apostolum infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores presbyteri existentes licentiùs in peccatum labantur, secundùm decreta maiorum, cum denominatis sibi vicinis presbyteris, quos scimus se nolle periurare sacramento, famam suam purget. Si autem denominatos à nobis sibi presbyteros ad famam suam purgandam habere nequit, & alios ad secum iurandum conduxerit, quoniam experti sumus quosdam ad inuicem conspirasse, vt reputati mutuò in sua purgatione iurent, sicut & presbyteri pleni iniqua cogitatione aduersus Susannam conspirauerunt, coram misso nobis credibili, presbyteri, qui in purgatione infamati sacerdotis se vnà cum eo ad iusiurandum offerunt, examinationem iudicis per aduocatum infamati presbyteri recipiunt, vt in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc iam reuictos comperimus. Inuocatio autem super eum qui ad iudicium exit talis habetur, quòd ipse presbyter talem accessum & frequentationem & cohabitationem contra sacros canones cum illa femina non habuerit, vnde mala suspicio & inconueniens sacerdoti fama meritò posset exire. Sicut enim vitiosi presbyteri, suadente diabolo, adinueniunt, vt in mansis suis de alode, vel naturali, vel comparato, feminas habeant, quæ illorum pannos lauant, & vestimenta illis faciunt, & interdum etiam claues facultatum illorum præuideant, sicque cum eis inconuenienter cohabitent. ita sicut sanctus Augustinus dicit, varia morborum genera noua quærere cogunt medicamentorum experimenta, vt quia interdicto canonum & legum obaudire non curant, censuræ seueritate ab eis discedere timeant. Data XV. Kalend. Apriles, Indictione VII.



LIV.

GODBALDI PRESBYTERI DE FEMINA CONVICTI DEPOSITIO.

Nunc primùm ex veteri Codice Sancti Laurentij Leodiensis.

HINCMARVS *Episcopus ac plebis Dei famulus.*



OTVM sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ rectoribus, ministris quoque ac filiis, ad quos hæc poterunt peruenire, quia Godbaldus quondam presbyter parochiæ nostræ, de quadam femina nomine Doda criminatus, & idoneis testibus comprobatus, & secundùm sacros canones ad iudicium prouocatus, de ipso iudicio conscientia sua redargutus fuga lapsus est. Propterea secundùm sacros canones, spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, omni sacerdotali officio est priuatus. docente beato Bonifacio Papa, Quòd si adesse neglexerit, dilationem sententiæ de absentia non lucretur. Nam manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto & totiens delegato iudicio purgandi se occasione non vtitur. Nihil enim interest, vtrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt comprobentur, cùm ipsa quoque pro confessione procurata totiens constet absentia.] Data ex Synodo in Remensi Metropoli habita x. Kalend. Maias, Indict. XII. Epist. II.



LV.

FVLCHERI ET HARDOISÆ OB INCESTAS NVPTIAS EXCOMMVNICATIO.

Nunc primùm ex veteri Codice Sancti Laurentij Leodiensis.

HINCMARVS *Episcopus ac plebis Dei famulus.*



OTVM sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ rectoribus, ministris quoque ac filiis, ad quos hæc poterunt peruenire, quia Fulcherus & Hardoisa carne propinqui contra legis præcepta & prophetica dicta, contráque Euangelicam & Apostolicam atque canonicam regulam, sed & contra leges humanas, non coniugio sed incestu, carnali commixtione coniuncti sunt, sicut idoneis & veracibus testibus,

computata vtriusque cognatione comprobatum est. Et quia obedire diuinis & humanis legibus noluerunt, vt se ab ipso incestu disiungerent, secundùm sacros canones, à sacra communione corporis & sanguinis Christi, & ab omni Christianorum societate abiecti sunt, vsque dum Domino respiciente à laqueis diaboli, à quo capti tenentur, per pœnitentiam separati, ab ipso incestu resipiscant, decernente B. Gregorio, Si quis, inquit, consobrinam suam duxerit in coniugio, anathema sit. & responderunt omnes tertiò, anathema sit.] & item, Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorem, anathema sit. & responderunt omnes tertiò, anathema sit.] Vos, fratres ac filij, qui litteras non didicistis, scitote quid sonat in nostra lingua anathema, id est alienatio. vt à Christo, à quo nominantur Christiani, & à Christianorum societate atque communione sint tales alieni, donec ab illa inlicita coniunctione se separent, & per pœnitentiam & sacerdotale ministerium Christo & sanctæ Ecclesiæ, id est, Christianis reconcilientur. Progeniem verò suam diuinæ leges vnumquemque Christianum vsque ad septimam generationem, & quandiu se cognoscunt affinitate propinquos, obseruare decernunt, vt nemo ex propria consanguinitate coniugem habeat, vel quam ex propria consanguinitate aliquis coniugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculauit, quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis Deo & cunctis hominibus. Et incestuosos à liminibus sanctæ Ecclesiæ præcipiunt separari, vsquedum per satisfactionem precibus sacerdotum, eidem, vt præmisimus, sanctæ Ecclesiæ canonicè reconcilientur. Si autem ab hoc incestu, in quo perditi iacent, separare se voluerint, quia sicut sacræ leges dicunt, incestus nullo coniugij nomine deputatur, si se continere non potuerint, post pœnitentiam & reconciliationem, quibus coniunctio inlicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem. Quandiu autem in ipsa illicita coniunctione permanserint, nullus Christianus quocumque modo eis communicet, quia cum talibus cuicumque Christiano nec communem cibum sumere licet. Propterea, fratres ac filij, omnes scilicet Christiani, separate vos ab omnimoda eorum communione, ne, quod absit, communicantes illis pariter pereatis. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cùm & inter iumenta hoc fieri sciatis, vt ea quæ scabiem habere videntur, separentur à sanis, ne illorum morbo cetera damnentur vel pereant. Et dicente Domino, *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat*; si antequàm se ab hoc incestu separent, quisquam eorum in infirmitatem deciderit, & vel sic iam in desperationem de vita temporali deuenerit, si vel tunc ex corde pœnituerit, & coram Deo & sacerdote ac fidelibus hominibus confessus fuerit, & fideiussores dederit, vt si de ipsa infirmitate conualuerit, vlteriùs ad illam incestam coniunctionem non rediet, cum aliis peccatis suis de hoc in-

Gr. iunior. can. 8. & 9.

Ezech. 33. 21.

ceſtu puram confeſſionem faciat, & à ſacerdote reconcilietur, & ſancto oleo vngatur, & communio corporis & ſanguinis Chriſti ei largiatur. Si verò in hac pertinacia vſque ad mortem permanſerit, & ſine reconciliatione & communione corporis & ſanguinis Chriſti quiſquam eorum mortuus fuerit, ſine pſalmis & hymnis atque orationibus, & non cum aliis Chriſtianis ſepeliatur. quia ſicut ſancto Spiritu inſpirante ſcriptum legimus, quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non poſſumus. Data ex Synodo in Remenſi Metropoli habita, decimo Kalendas Maias, Indictione duodecima.



LVI.

AD ENGILGARIVM VIRVM ILLVSTREM.


Qui hominem ſuum inconuenienter iurare coegerat.

Ex Flodoardo lib. III. cap. XXVI.

HINCMARVS *Epiſcopus Engilgario ſalutem.*



PERVENIT ad nos, quia hominem tuum Ratramnum irrationabiliter & inconuenienter periculoſum ſacramentum iurare feciſſes: qui licèt tibi ſeruitium debeat, tamen ſub noſtra cura & tu & ille de ſalute veſtra eſſe debetis. Propterea mando tibi, quia valdè miror te non intellexiſſe, grauius eſſe periculum, cùm hominem aut ſuadendo aut terrendo in periurium mittas, quàm ſi te ſolus periurares. quoniam in te vnum periurium, immò pro periurio homicidium perpetrares: cùm autem alium periurare facis, & te & illum perdis. Et ideo mandamus, vt ſi ita cauſa habetur, ſicut ad nos peruenit, ab Eccleſia & altario te abſtineas, donec ad nos venias, & de tali incautela, aut dignam excuſationem facias, aut dignam pœnitentiam accipias.





LVII.

AD ANASTASIVM ABBATEM ROMAM MISSA cùm increpatorias Papæ litteras accepiſſet.

Nunc primùm ex Codice Eccleſiæ Laudunenſis.

HINCMARVS REMORVM EPISCOPVS ſanctiſſimo & fidiſſimo fratri Anaſtaſio religioſo Abbati plurimam in Saluatore ſalutem.



MVLTIS infirmitatibus & anxietatibus preſſus pauca ſcribo cui multa debeo, & quem multum diligo, ac de quo multum confido. Ceterùm epiſtolæ domni Apoſtolici, per Egilonem venerabilem Archiepiſcopum nobis directæ, ad noſtra ſcripta reſpondentes, in quibuſdam aliter ſonuerunt, quàm nos ſuæ ſanctitati & auctoritati ſcripſerimus. Sed certus ſum quia non aliter ipſe nobis reſcripſit, niſi vt in ſcriptis ex noſtra parte ſibi porrectis inuenit. Nos tamen, vera exemplaria eorumdem ſcriptorum à nobis miſſorum habentes, de quibuſdam cauſis non ita ſcripſimus, ſicut habere ſcriptis eius relegimus. Vnde ſi & in his ſcriptis, de Synodo apud Trecas ſub ſigillis quinque Epiſcoporum, conſenſu omnium qui interfuerunt directis, aliter, quod futurum non credimus, à quocumque fuerit miſſum, vel contra ea tranſmiſſum, hic venerabilis frater & Coepiſcopus noſter Actardus vera exemplaria ſcriptorum eiuſdem Synodi ex authenticis accepit, quæ domno Apoſtolico monſtrare ſi fuerit neceſſe valebit. Quæ fortè conlata his, quæ Leoni Papæ ab Epiſcopis prouinciarum Ciſalpinarum, & à Hlothario Imperatore, ſed & à rege Karolo directa fuerunt, de quorum exemplariorum ſenſu hæc miſſa Epiſcopi collegerunt, vt autumo, non diſcordare intellectu inuenientur, quamquam mitiùs quædam ſcripſerint qui geſtis non interfuerunt, quàm illi qui ea quæ geſſerunt, Sergio Papæ mittenda & Leoni miſſa ſcripſerunt. Et de reſtitutione Ebonis per edictum Hlotharij Imperatoris in ſcriptis ſuis ideo non miſerunt, quoniam ipſi Epiſcopi, quorum ibidem nomina ſine illorum ſubſcriptionibus ſunt adnotata, eidem qualicumque reſtitutioni ſe non interfuiſſe dixerunt, ſicut & Rothadus modò in Synodo apud Trecas dixit. Eſt etiam, quoniam & à Sergio poſt eandem reſtitutionem damnationis ſententiam in eum prolatam legerunt, ſicut codex Epiſcopalis, & litteræ domni Apoſtolici per Egilonem nobis miſſæ demonſtrant. Sed & de charta tranſ-

transmigrationis ad aliam parochiam, à Gregorio Papa præfato Eboni facta, nihil in prædictis eorum scriptis habetur, quoniam in istis nostris regionibus antea visa non fuit, nisi modò, cùm dilectus frater noster Wlfadus apud Trecas eam nobis ostendit. quæ vtrum à Gregorio, cui successit Sergius, data fuerit an non, ex scrinio sanctæ sedis Romanæ vt credimus sciri valebit. Ordinatores quoque mei, Remensis prouinciæ suffraganei Episcopi, sæpe passim, sed & in Synodo professi fuerunt eidem Eboni, non communicasse in his vnde fuerat excommunicatus, nisi modò frater Rothadus, vt quidam putant, causa erga me zeli, qui eumdem Ebonem damnauit, & me elegit, ac cum ceteris Episcopis ordinauit, & qui dicitur dicere quòd quidam Episcopi à sæpedicto Ebone anulos & baculos acceperint, cùm quædam Synodus Gallicana quæ Toletana vocatur dicat, Episcopus, presbyter, aut diaconus, si à gradu suo iniustè deiectus in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat, quoniam coram altario de manu Episcoporum, si Episcopus est, orarium, anulum & baculum, & sic demum de reliquis persequitur gradibus. Vnde constat quia isdem Ebo deiectus, secundùm hanc constitutionem, ab Episcopis anulum & baculum accipere, & non Episcopis dare debuerat. Et quia scriptura dicit, *A filiis tuis caue, & à domesticis tuis adtende*, & vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, & *inimici hominis domestici eius*, ego per missum meum exemplaria scriptorum nuper in Synodo apud Trecas factorum mitterem, ne fortè ab amicis meis, quorum infestationem patior, aliqua fortassis erga me in eis compilentur, si solidè, propter quorumdam principum erga me commotionem, quibus ad sua vota placere non audeo, sicut hic præfatus venerabilis & consacerdos noster vobis viua voce dicere potest, valerem. De quo carissimo & fidissimo fratre, & venerabili ac prudenti Episcopo, vestram peto indubiam caritatem, vt domno Apostolico, & patri nostro Arsenio, & ceteris familiaribus vestris eum commendetis, & eius necessitatibus atque rationabilibus petitionibus pro viribus concurratis. Et quoniam, quando ad Synodum apud Trecas veni, non putaui eum cum legatione Synodali ex ipsa Synodo Romam iturum, talia vel ita condigna exenia mecum non attuli, vt domno Apostolico, & carissimo patri nostro Arsenio, ac vobis condignè mittere possem. & post Synodum ad ciuitatem nostram infirmus remanens in quadam Ecclesiæ nostræ villula, redire ante profectionem illius non potui, ne in totum vos quantulacumque benedictiuncula visitare dimitterem, pro nostræ exiguitatis memoria mitto vobis per eum crusnam de pellibus variis, cum panno coloribus vario, qua *cetera perpauca desunt.*

Eccli. 32. 28

Mich. 7. 6.



LVIII.

RESPONSIO DOMNI HINCMARI Remorum Archiepiscopi ad quorumdam quæstiones, cur in quodam suæ humilitatis scripto posuerit mysticam Nicænam Synodum.

Nunc primùm ex Codice S. Laurentij Leodiensis.



QVÆSITVM est, vt à quibusdam mihi dictum est, cur in quodam meæ humilitatis scripto posuerim mysticam Nicænam Synodum. Vnde sicut doctrina catholicorum nobis est traditum, reddimus rationem. videlicet quia & veteri historia præfigurata, & per numerum signi passionis ac nominis Domini nostri Iesu Christi est designata, & præscientia consecrata. Nomen enim mediatoris Dei ac hominum hominis Iesu Christi, qui diuinitate nos condidit, & humanitate in vnitate personæ suæ diuinitatis assumpta redemit, cùm sit Hebræum, apud Græcos, qui vt Hebræi in nominum interpretatione, ita in numero litterarum gloriari dicuntur, litteris Græcis ita scribitur ΙΗΣΟΥΣ, quod Græcè dicitur ΣΩΤΗΡ, Latinè interpretatur SALVATOR, siue salutaris. Et huius Hebræi nominis litterarum numerus apud Græcos iste est, I. 10. H. 8. Σ. 200. O. 70. Σ 200. Collecto autem in vnum hoc numero, fiunt quadringenti octoginta octo. Vnus namque, qui diuidi non potest, decies ductus denarium perficit, & denarius quater ductus in quadragenarium surgit. & quadraginta decies ducti quadringentos efficiunt: quia iuxta Pauli vocem, *Vnus est Deus, vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Cuius gratia ad æternam vitam, quæ centenario numero & hoc quater ducto figuratur, electi omnes, non solùm de incorruptione animæ simul & corporis, verùm & de visione diuinæ maiestatis, cum gloria eiusdem mediatoris Dei & hominum clarificatæ humanitatis gaudebunt. Octauo autem & octogenario numero, qui octo decadis constat, patenter innuitur, quia quomodo Christus octaua die resurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, & ipsa quotidiana nostra circumcisio, quæ in veteri testamento octauo die fieri solebat, id est, quotidiana cordis nostri mundatio, semper octauæ diei sacramentum celebrare non desinat, donec accipiamus binas stolas, immortalitatem scilicet, & incorruptionem corporis simul & animæ, quod octauo & octogenario, vt diximus, numero designatur. Sed sicut maiorum traditione didi-

1. Tim. 2. 5.

cimus, in libris Græcorum, verùm & in Latinorum, vti comperimus, per notas ſcribuntur nomina; quæ interdum prima & nouiſſima, & virgula ſuperpoſita in dexteram æquè veniente à ſiniſtra, vt DS. NR. VR. Interdum autem prima & media & nouiſſima notantur littera, & virgula ſuperpoſita in dexteram æquè veniente à ſiniſtra, vt XPS. DNS. Et ſicuti in hoc nomine, cùm ſcribitur IHΣ caſu nominatiuo, quarum litterarum numerus iſte eſt, I. 10. H. 8. Σ. 200. in vnum autem collectus hic numerus complet ducentos decem & octo. Centenarius namque numerus, qui decem decadis conſtat, & de læua tranſit in dexteram, perfectus eſt numerus. Σ ſimma, littera vltima in nota nominis IESV in nominatiuo caſu ducentos exprimit: quia perfectus Deus ante ſæcula, perfectus homo factus eſt in fine ſæculorum. Denarius verò in decalogo perfectus eſt numerus, continens in ſe myſterium quadrigæ Euangelicæ. Computa enim ab vno per ordinem vſque ad quatuor, & inuenies decem. Octonarius quoque numerus docetur eſſe perfectus in Ieſu octauæ diei reſurrectione: qui etſi mortuus eſt ex infirmitate noſtra, ſed viuit ex virtute Dei, qui per ſignum ſuæ paſſionis, quod T tau littera ſignat, continens numerum tricentenum, eliſit diabolum, occidit mortem, triumphauit infernum. cui ſi ſuper tranſuerſa linea id quod in cruce eſt adderetur, non iam crucis ſpecies, ſed ipſa crux eſſet. Collige autem in vnum ſigni Dominicæ paſſionis & nominis numerum, inuenies quadringentos decem & octo. Quingenti denique quinquagenario numero decies ducto complentur, quia gratia Domini Ieſu crucifixi, & à mortuis ſuſcitati, & in dextera Dei ſedentis, non ſolùm legis decalogum, ſed & quatuor ſancti Euangelij libros implemus, & octaua reſurrectionis die reſuſcitati, ad requiem ſempiternam, quæ iubileo, id eſt, quinquagenario numero deſignatur, in æternam vitam, quæ centenario numero monſtratur, fide recta & operibus bonis perueniemus. Et rectè ſacra Nicæna Synodus myſtica dicitur, quia non humana induſtria, non compoſitione aliqua, trecenti decem & octo Epiſcopi ad idem Concilium peruenerunt, primogenitum Satanæ, Arrium videlicet, alterum Iudam, & proditionis infidelitate, & traditionis iniquitate, & vltionis ſupplicio, deuicturi. De quibus etſi quidam ad tempus titubaſſe leguntur, non tamen, ſicut nec duodenarius Apoſtolorum numerus in Iudæ proditione, ita nec in titubantium hæſitatione hic à Chriſto electus Epiſcoporum numerus periit. Hic enim numerus trecentorum decem & octo ſanctus eſt, in quo Abraham victor regum impiorum ab eo qui æterni ſacerdotis eſt forma benedicitur. Huic autem myſticæ Synodo iſdem, cui ſingulariter ac ſpecialiter dicitur, *Ex vtero ante luciferum genui te*, &, *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, per ſignum ſuæ paſſionis & nominis, vt præmiſimus, in litterarum numero Dominus Ieſus ſuo ſe probauit adeſſe Concilio. Pſal. 109.

Crux enim in trecentis. vnde Gedeon cum trecentis perrexit ad prælium, de quo dicit præuidens per crucem triumphaturum potestates aërias Dominum Iesum propheta, *Superasti sicut in die Madian.* (Esa.9.4.) IH. nomen in decem & octo est sacerdotibus. Et nota quia hîc nomen IESV genitiuo casu & non nominatiuo effertur. & ideo hîc littera C simma non additur, sed cum IH. superposita linea scribitur, quibus numerus decem & octo completur. Vtrum autem in hoc genitiuo huius sacratissimi nominis casu, alia aliqua littera his duabus præpositis litteris apud Græcos superaddatur, nec ne, an, (sicut in crucis specie, quam littera T tau prætendit, insuper transuersa linea id quod in cruce est non superadditur, vt figura crucis non solùm ipsa crux effigietur,) eisdem duabus tantùm litteris cum linea superposita nomen Domini Iesu, ad designandum decem & octo Episcoporum numerum Græcorum consuetudine imaginetur, non est nobis necesse coniicere, cùm ad scientiam & auctoritatem nobis sufficere debeat beatus Ambrosius, vtriusque linguæ Græcæ videlicet & Latinæ peritissimus, dicens, Crux in trecentis, Iesu nomen in decem & octo est sacerdotibus.] Et mihi quidem, Hilarius inquit in libro de Synodis, loquens de trecentis decem & octo sacerdotibus, ipse ille hic numerus sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum ab eo qui æterni sacerdotij est forma benedicitur.] Et Ambrosius in libro primo De fide, vbi & ea quæ de illius verbis posuimus (In Prolog.) dicit, Abraham, inquiens, trecentos decem & octo duxit ad bellum, & ex innumeris trophæa hostibus reportauit, signóque Dominicæ crucis & nominis, quinque regum victricúmque turmarum subacto robore, & vltus est proximum, & filium meruit & triumphum.] &, (Lib.1.c.9.) Non humana industria, non compositione aliqua, trecenti decem & octo ad Concilium, quin Nicænum, conuenerunt. Sed vt in numero eorum, per signum suæ passionis & nominis, Dominus Iesus suo se probaret adesse Concilio, crux in trecentis, Iesu nomen in decem & octo est sacerdotibus.] Hæc tantorum doctorum verba ex integro, cum his quæ traditione magistrorum didici, hîc ponere (Ioan.7.18.) dignum duxi, quia Dominus dicit, *Qui à semetipso loquitur gloriam propriam quærit.* ne viderer fraudem in Dei dono facere, si aliena quasi propria vellem efferre.





LIX.

HINCMARI CONSILIVM DE POENITENTIA Pippini Regis.

Ex codice S. Laurentij Leodiensis.



SANCTVS Papa Gregorius in decretis ad Felicem Siciliensem Episcopum diffiniuit dicens, Progeniem suam vnumquemque de his qui fideliter edocti, & iam firmata radice plantati stant inconuulsi, vsque ad septimam obseruare decernimus generationem, & quandiu se cognoscunt affinitate propinquos, ad huius copulæ non accedere societatem. nec eam, quam aliquis ex propria consanguinitate coniugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculauit, in coniugium ducere vlli profectò licet Christianorum, vel licebit, quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis Deo, & cunctis hominibus. Incestuosos verò nullo coniugij nomine deputandos à sanctis patribus dudum statutum esse legimus.] Et item Papa Gregorius hinc inter alia in decreto Synodali ante beati Petri corpus diffiniuit hoc modo, Si quis de propria cognatione, & quam cognatus habuit, duxerit in vxorem, anathema sit. & responderunt omnes tertiò, anathema sit.] Et hinc sacri canones dicunt, De incestis coniunctionibus nihil prorsus veniæ reseruamus, nisi cùm adulterium separatione sanauerint. Incestuosos verò nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam designare funestum est. Sanè quibus coniunctio inlicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem.]

Lib.xii. epist.32. in medio. — Greg.ii. can.ix. — Cõc. Epau. can 30.

SANCTVS Siricius in decretis suis, de apostatis monachis, Has, inquit, impudicas detestabilésque personas à monasteriorum cœtu Ecclesiarúmque conuentibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, vt eis vel ad mortem saltem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subueniri.] In hoc capitulo stat modo Pippinus, & in alio capitulo quod de Apostatis idem Siricius decreuit, Quia verò nunc dicit se pœnitere de præteritis malis, quia habitum & professionem suam deseruit, & sacramentum quo se constrinxit grauiter violauit, & quia cum paganis se iunxit, & profitetur se ad suam professionem & habitum velle redire: quoniam illius causa Synodali diffinitione atque iudicio decreta fuit, si tempus & locus permitteret, Synodali iudicio immutari debuerat. Nunc autem, quia huic

Cap.vi. — Cap.iii.

iudicium, & hinc nos circumſtat miſericordia, pro iudicio Synodali ſequenda nobis ſunt quæ à ſede Apoſtolica & per Synodalia iudicia ſunt diffinita, dicente beato Leone, quia in diſpenſandis Dei donis non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe gemitus lacrymáſque negligere, cùm ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam. dicente Apoſtolo, *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam, vt reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipſius voluntatem.*] Et item idem in decretis ſuis dicit, Propoſitum monachi, proprio arbitrio aut voluntate ſuſceptum, deſeri non poteſt abſque peccato. Quod enim quis vouit Deo, debet ei reddere. Vnde qui relicta ſingularitatis profeſſione, ad militiam vel nuptias deuolutus eſt, publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt: quia etſi innocens militia, & honeſtum poteſt eſſe coniugium, electionem meliorum deſeruiſſe tranſgreſſio eſt.] Et quia Pippinus ſe paganis ſociauit, qua ſocietate multa mala in Chriſtianitate profecta ſunt, ſequendum eſt de eo Leonis capitulum quo dicit, Si conuiuio ſolo gentilium, & eſcis immolatitiis vſi ſunt, poſſunt ieiuniis & manus impoſitione purgari, vt deinceps ab idolothytis abſtinentes, ſacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes. Si autem idola adorauerunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos niſi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.] Et Nicæni canones de his qui præter neceſſitatem præuaricati ſunt, qualiter pœniteant dicunt. Quia verò, vt audiui, paralyſi ſolet Pippinus percuti, ſequenda eſt de illo ſententia magni Leonis, qua dicit de his qui in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia, præſidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda, quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora diffinire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera confeſſio, dicente Dei ſpiritu per prophetam, *Cùm ingemueris, tunc ſaluus eris.* Et iterum, *Quia apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio.* Et Innocentius dixit de pœnitentibus, qui ſiue ex grauioribus commiſſis, ſiue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Ceterùm de pondere æſtimando delictorum, ſacerdotis eſt iudicare, vt adtendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem. Sanè ſi quis in ægritudinem inciderit, atque vſque ad deſperationem deuenerit, ei eſt ante tempus Paſchæ relaxandum, ne de ſæculo abſque communione diſcedat.] Plura ſunt alia quæ hinc poſſemus colligere, niſi iſta crederemus poſſe ſufficere. Vnde quantum mihi videtur, non præiudicans Synodali ſententiæ de Pippino decretæ, ſed confiſus de Dei miſericordia, qui per Apoſtolum ſuum dicit, *Vt ſuperexaltet miſericordia iudicium*, & de caritate confratrum

Ep. LIX. ad Theodorũ.
2. Tim. 2.
Epiſt. xcv. cap. XII.
Ibidem cap. XVI.
Can. XI.
Epiſt. LIX. Theodoro.
Eſa. 43.
Pſal. 12.
Epiſt. XXIX. Decentio.
Ioan 2. 13.

noſtrorum, & de auctoritate ſacrorum canonum & Pontificum Romanorum, exhortandus eſt Pippinus, vt puram confeſſionem de omnibus peccatis ſuis, quæ ab ineunte ætate perpetrauit, ſecretè faciat, quia fortè talia peccata fecit, quæ turpe eſt etiam in publicum dicere, & de hoc quòd ſuum habitum dimiſit & ſe periurauit, & quia cum paganis ſe iunxit, de qua ſua coniunctione multa mala ſunt perpetrata, coram Eccleſia inter publicè pœnitentes ſe lacrymabiliter accuſet, & pœnitentiam & reconciliationem humiliter petat, & de omnibus quæ vel ſecretè confeſſus fuerit, vel publicè accuſauerit, per manus impoſitionem Epiſcopalis auctoritatis publicè reconcilietur; & reconciliatus tonſuram clericalem accipiat, & habitum monaſticum recipiat, & profiteatur ſe de cetero ſeruare quæ expetit & expedit, & ſic communionem ſacri altaris recipiat. Reconciliatus autem benignè tractetur, & tali loco ſub libera cuſtodia miſericorditer cuſtodiatur, vt cuſtodes monachos ac bonos canonicos habeat, qui eum exhortentur, & quorum doctrina & exemplo bene de cetero viuere & præterita peccata plangere diſcat. & quorum prouidentia, & loci conuenientia ita cuſtodiatur, vt ad priſtinum vomitum redire nequeat, etiamſi diabolo ſuadente voluerit, & recidiuum ſcandalum per eum in ſancta Eccleſia & in iſta Chriſtianitate oriri non poſſit. Accipe, frater & fili, iſtam rotulam, ſed & illam de cognatione non coniungenda, & porta illas domno Regi, & relege coram illo, & de iſta fac ſecundùm illius conſilium & commendationem, & de illa quæ de cognatione non coniungenda tibi mittitur, per eius conſilium & auxilium ſequere ſacras auctoritates tibi directas. Prouidentia de Pippino non eſt negligenda, & vt certi ac fideles cuſtodes adhibeantur ſatis eſt procurandum: nec obliuiſcendum quid de eo in monaſterio ſancti Medardi accidit, & quid de Karlomanno in Corbeia euenit. Nam quod factum eſt, adhuc fieri poteſt.





LX.

DE VILLLA NOVILLIACO.

Sequuntur gesta, quomodo domnus Hincmarus villam Nouilliacum apud domnum Carolum Imperatorem filium Ludouici Imperatoris impetrauit.

Ex Appendice ad Flodoardum.



EFVNCTO Pippino rege VIII. Kalendas Octob. in monasterio Sancti Dionysij, filij eius Carlomannus & Carolus, secundùm dispositionem patris sui, & consilium regni primorum, diuiserunt inter se regnum paternum, & eleuati sunt in Reges VII. Idus Octob. Carlomannus in Suessionis, & Carolus in Nouiomo, sicut in Annali regum scriptum habemus.

Anno quarto regni sui infirmatus est Carlomannus infirmitate qua & mortuus est in Salmuntiaco, & ante obitum suum per præceptum regiæ suæ auctoritatis, quod habemus, tempore Tilpini Archiepiscopi, tradidit villam Nouilliacum cum omnibus ad se pertinentibus, pro animæ suæ remedio & loco sepulturæ, ad Ecclesiam Remensem sanctæ Mariæ, & Basilicam sancti Remigij, in qua & sepultus est. Post cuius obitum, Carolus frater eius præcepto, quod habemus, suæ auctoritatis ipsam traditionem confirmauit.

Defuncto Tilpino Archiepiscopo anno XXIII. postquam Carlomannus Remensi Ecclesiæ villam Nouilliacum tradidit, tenuit domnus rex Carolus Remense Episcopium in suo dominicatu, & dedit villam Nouilliacum in beneficio Anschero Saxoni, qui nonas & decimas ad partem Remensis Ecclesiæ de ipsa villa vsque ad mortem suam persoluit. & defuncto domno Carolo, sed & ipso Anschero, postquam Carlomannus præfatam villam cum omni integritate Remensi Ecclesiæ tradidit, semper ipsa Ecclesia inde vestituram, sicut prædictum est, per annos triginta septem habuit.

Post obitum domni Caroli, & defuncto ipso Anschero, domnus Ludouicus Imperator donauit ipsam villam Nouilliacum Donato in beneficio. Qui Donatus, interueniente Bigone, per subreptionem quasi de fisco Regis quasdam colonias de ipsa villa obtinuit in proprietatem per præceptum domni Ludouici Imperatoris: & quando Lotharius filius domni Ludouici Imperatoris Cabillonem veniens eam expugnauit, Donatus à villa supra Matronam, quæ Pomarius vocatur, ab Imperatore defecit, & illi mentitus ad Lotharium confugit, & veniente hostiliter Imperatore Ludouico ad villam quæ Calciacus dicitur, Lotharius ad eum cum suis constrictus venit, & sacramentũ ipse & sui

ſui ab Imperatore quæſitum illi iurauerunt. Inter quos & Donatus, de infidelitate eius comprobatus, ipſi Imperatori quæſitum ſacramẽtum iurauit, & Comitatum Miridunenſem & villam Nouilliacum cum ſuis appendiciis Imperator ab eo abſtulit, & Athoni, qui fuerat oſtiarius Caroli Imperatoris, in beneficium dedit. Donatus autem in vita Imperatoris Ludouici nec Comitatum recepit, nec de proprietate ſua vllam firmitatem promeruit. Poſt obitum domni Ludouici Imperatoris, diuiſo regno inter fratres, & pace facta inter eos, & mortuo Athone, dedit Carolus Donato in beneficium Nouilliacum. Proceſſu denique temporis commendauit Donatus filium ſuum Gotſelinum Carolo regi. cui in beneficium dedit Carolus villam Nouilliacum cum appendiciis ſuis. Deinde Landrada vxor Donati, ſed & filij eorum, pergente Carolo rege ad obſidendos Normannos, qui in Inſula quæ Oſcellus dicitur reſidebant, cum aliis defecerunt. Quorum honores & proprietates à francis auferri, & in fiſcum redigi iudicatæ ſunt. Vnde Landrada & filij eius eatenus auctoritatem Caroli Regis nõ obtinuerunt. De quibus rebus anno vigeſimo regni ſui Carolus villam fiſcalem præcepto ſuo, quod habemus, Orbacenſi Monaſterio dedit.

Anno trigeſimo ſecundo regni ſui venit domnus Carolus rexglorioſus in Baſilicam ſancti Remigij, vbi oſtendi ei locum ſepulcri Carlomanni Regis, & præcepta ipſius Carlomanni & Caroli aui de villa Nouilliaco, & auctores ſacrorum canonum, qualiter damnent Spiritus ſancti iudicio eos, qui eleemoſynas defunctorum retinent, & Eccleſiis tradere demorantur, qui vt infideles ab Ecleſia abiiciendi, & quaſi egentum necatores, nec credentes iudicium Dei habendi iudicantur. Et reddidit præcepto ſuæ auctoritatis, quod habemus, Remenſi Eccleſiæ ipſam villam cum omnibus ad ſe pertinentibus, quam tunc Bernaus poſt fratrem ſuum Rothaum in beneficio habebat.

Poſtea peruenit ad eius notitiam, quòd quidam homines de ipſa villa Nouilliaco, per ſubreptionem, tam apud patrem ſuum, quàm & apud eum, res & mancipia in proprietatem obtenta tenerent, Landrada ſcilicet vxor quondam Donati, Guntharius, Hugo, & Waltrudis, & Elampodus filius eius, Rotbertus, & Boſo. & miſit ſuos miſſos ad hoc inquirendum. & inquiſitione facta, & veritate, ſicut ei dictum fuerat inuenta, quoniam prædicti ad rationem non venerunt ſicut banniti fuerunt, iuſſit vt præcepta Carlomanni & Caroli, ſed & ſuum præceptum, coram ſuis fidelibus in generali placito ſuo apud Duziacum in cauſis palatinis legerentur. Vnde fideles eius, tam Comites quàm & Vaſſi Dominici, quorum nomina ſcripta habemus, ſed & ceteri omnes qui adfuerunt, relectis eiſdem præceptis, iudicauerunt vt quicumque de rebus & mancipiis ipſius villæ Nouilliaci, per cuiuſcumque præceptum, vel quocumque modo, poſt donationem Carlomanni, qua cum omnibus appendiciis ſuis, vel cum omni in

tegritate, ipſam villam Nouilliacum, ſicut tunc in fiſco erat, ad Eccleſiam Remenſem tradidit, & poſt confirmationem fratris eius Caroli in proprietatem obtinuit, ſi commutationem oſtendere non poſſet, qualiter res & mancipia de ipſa caſa Dei iuſtè & rationabiliter commutata fuiſſent, quia non de fiſco regio, ſed de Eccleſiaſticis rebus & mancipiis per donationem obtinuit, ipſæ res & mancipia, quæ de villa Nouilliaco obtenta fuerunt, ad ipſam caſam Dei reſtituerentur, ſicut in præcepto reſtitutionis ipſius domni Caroli, quod habemus, pleniùs continetur.

Sed quando domnus Carolus Romam perrexit, & domnus Ludouicus frater eius ad Attiniacum venit, per quoſdam ex noſtris apud domnam Richildem Reginam, & apud domnum Ludouicum filium domni Caroli Regis, obtinuerunt Donati & Landradæ filij, vt villa Nouilliacum cum ſuis appendiciis eis conſignaretur, non attendentes quia, ſicut in capitulis Auguſtorum ſcriptum habetur, tales de Regis proprietatē vt infideles iudicandi ſunt, & ſecundùm leges Eccleſiaſticas de rebus Eccleſiaſticis ſacrilegi iudicantur.

Reuerſus autem domnus Carolus Imperator Remos veniens, cùm tale factum audiuit, ſatis grauiter tulit, & miſit ſuos Miſſos, qui ſcilicet dictam villam Remenſi Eccleſiæ & aduocato noſtro reſtituerunt, ſicut pleniùs ſcriptum habemus.



LXI.

IVRAMENTVM QVOD HINCMARVS *Archiepiſcopus edere iuſſus eſt apud Pontigonem.*

Nunc primùm ex Codice Beluacenſi & Leodienſi.



SIc promitto ego, quia de iſto die in antea iſti Seniori meo quandiu vixero fidelis, & obediens, & adiutor, quantocumque plus & meliùs ſciero & potuero, & conſilio & auxilio, ſecundùm meum miniſterium in omnibus ero, abſque fraude & malo ingenio, & abſque vlla doloſitate ſeu deceptione, & abſque reſpectu alicuius perſonæ, & neque per me, neque per miſſum, neque per litteras, ſed neque per emiſſam vel intromiſſam perſonam, vel quocumque modo ac ſignificatione, contra ſuum honorem, & ſuam ac Eccleſiæ atque regni illi commiſſi quietem & tranquillitatem atque ſoliditatem, machinabo, vel machinanti conſentiam. neque vnquam aliquod ſcandalum mouebo, quod illius præſenti vel futuræ ſaluti contraria vel nociua eſſe poſſit, ſi me Deus adiuuet, & iſta ſancta patrocinia.

Hincmari in idem iuramentum animaduersiones.

QVOD in isto iuramento absolutè positum est, *Sic promitto ego,* Iacobus Apostolus contradicit, *Qui ignoratis*, inquiens, *quid sit in crastinum: pro eo vt dicatis, Si Dominus voluerit, faciemus hoc aut illud.* Iac.4.14. Ceterùm rationabiliùs dicitur, isti Imperatori, quàm *isti Seniori meo*, qui est iunior ætate, licèt sit excellentior personæ nobilitate, & mundana imperij potestate, non autem sacri ordinis dignitate, sicut demonstrat sanctus Gelasius Papa scribens ad Anastasium Imperatorem, Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto grauius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in diuino reddituri sunt examine rationem.] Epist.xi. Ad id quod subsequitur in hoc iuramento, *Quandiu vixero, fidelis & obediens, & adiutor in omnibus ero*, sanctus Gelasius scribens ad Anastasium Imperatorem dicit, Nosti, fili clementissime, quoniam licèt præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis. hìncque sumendis cælestibus sacramentis, eísque vt competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potiùs quàm præesse. itaque inter hæc illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi voluntatem.] & paulo pòst, Quo oro te affectu eis conuenit obedire, qui prorogandis venerabilibus sunt adtributi mysteriis? Proinde sicut non leue discrimen incumbit Pontificibus siluisse pro diuinitatis cultu quod congruit: ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui cùm debeant parere despiciunt.] Epist.xi. Quod hìc scriptum est, *quantocumque plus & meliùs sciero & potuero*, non conuenit Apostolo dicenti, *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, id est ad temperantiam. Rom. 12.3. Et sanctus Petrus interroganti se Domino, *Diligis me plus his?* quia meminit imminente eius passione plus sibi constantiæ tribuisse quàm haberet, cautiùs sua infirmitate eruditus non respondit, plus his amo te, sed quia amo te. Rectiùs igitur dictum est, Secundùm meum scire & posse, quàm, Quantocumque plus & meliùs sciero & potuero. Quod autem positum est, *consilio & auxilio* superfluè additum est. In eo enim quod dixi, secundùm meum scire, consilium, & in eo quod dixi, secundùm meum posse, auxilium continetur. Quod scripsit scriba doctus, *Secundùm meum ministerium, in omnibus scilicet fidelis, & obediens, & adiutor ero*, contra consuetudinem iuramenti, quod principes & domini suis subiectis & etiam seruis iurare iubent adscripsit. Sicut enim scriptura dicit, *Non est homo in terra qui faciat bonum, & non peccet*, & Iacobus Psal.xiii.1.&3. dicit, *In multis enim offendimus omnes*; cùm Christi hoc dicat Apostolus, *Et si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Iac.3.2. si fortè dominus noster, quod absit, subreptione aliquid iusserit vel egerit, quod episcopali ministerio non conueniat, videre debuerat hic scriptor

ſagaciſſimus, ſi obediens & adiutor in hoc illi Epiſcopus eſſe debeat. Et non puto vt vllus homo ſit, qui alteri homini in omnibus fidelis & obediens & adiutor inſimul eſſe poſſit. Niſi fortè illo genere locutionis hanc illius viri docti ſententiam intelligamus, quo dicit Apoſto-
1.Theſſ.5. 17. lus, *Sine intermiſſione orate*, &, *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei*
2.Cor.6.4. *miniſtros.* Vt videlicet cupiamus eum ea ſemper iubere & ſemper agere, quibus debeamus & valeamus obedire, & ad quæ illi debeamus & valeamus obedire, & ad quæ illi debeamus & valeamus adiutores eſſe. Sed & quod dicit, *Vt ſim illi fidelis, & obediens, & adiutor in omnibus*, aliter intellexit Apoſtolus de humana poſſibilitate, quia non omnia poſſumus omnes, dicens poſt enumerata gratiarum do-
Rom.12.3. na, *Sicut vnicuique Deus diuiſit menſuram fidei.* Et quod addidit, *Abſque fraude, & malo ingenio, & abſque vlla doloſitate, vel ſeductione ſeu deceptione, & abſque reſpectu alicuius perſonæ*, quod ex abundantia liuidi cordis ore ſuperfluè protulit, ſinceritas cordis mei cõprehendit dicens, *Iſti Imperatori ſecundùm meum ſcire & poſſe, iuxta miniſteriũ meum fidelis ero.* Inter hoc enim nomen quod dicitur adiutor, & quod dicitur nocitor, nihil eſt medium. Qui enim eſt fidelis, ei cui fidelis eſt, quantum ex ipſo eſt, vtique eſt adiutor: & qui eſt infidelis, ei cui eſt infidelis, quantum ex ipſo eſt, vtique eſt nocitor. Et fidelis quiſque erga eum cui fidelis eſt, fraudem & malum ingenium, & vllam doloſitatem, vel ſeductionem, ſeu deceptionem, nec conſilio, nec auxilio pro reſpectu alicuius perſonæ aget vel agi conſentiet. quod ſi fecerit, non fidelis, ſed infidelis erit. Quod autem, quaſi oblitus illa quæ præmiſerat, ſuperadiecit, *Neque per me, neque per miſſum, neque per litteras, ſed neque per emiſſam vel intromiſſam perſonam, vel quocumque modo ac ſignificatione, contra ſuum honorem, & ſuam ac Eccleſiæ atque regni illi commiſſi quietem & tranquillitatem atque ſoliditatem machinabo, vel machinanti conſentiam*, ridiculoſè, immo miſerè, quia amaritudinis felle locutus eſt. Quid eſt enim Miſſus, niſi emiſſa vel intromiſſa perſona? & quid eſt quæcumque ſignificatio, niſi aut per verba, aut per litteras, vel alio quolibet modo? Et quid eſt contra ſuum honorem, ac Eccleſiæ atque regni illi commiſſi quietem agere, niſi infideliter agere? Et quid eſt quies, niſi tranquillitas? & quid eſt ſoliditas, niſi ſinceritas? Et quod dixit, contra hæc, ſcilicet ab illo præmiſſa, non machinabo, vel machinanti conſentiam, nimis ſtolidũ putauit Epiſcopum, qui ab ipſis cunabulis vſque ad ſenectutem ſuam ſacras litteras didicit ac ſæpius legit, vt non ſciret Apoſtolum dicere,
Rom.1.32. *Non ſolùm qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus digni ſunt morte*, & ſanctum Leonem Papam, quia ſicut in mala ſuaſione delinquitur, ita &
Epiſt.1. in mala conſenſione peccatur. Et ſanctus Gelaſius ad Anaſtaſium Imperatorem ſcripſit, Legibus certè veſtris criminum conſcios ſuſceptoréſque latrocinantium par iudiciorum pœna conſtringit, nec expers facinoris æſtimatur, qui licèt ipſe non fecerit, facientes ta-

men in familiaritatem fœdúſque receperit. Vnde omnes nos reuertentes ad conſcientias noſtras obaudiamus Dominum dicentem, *Medice cura teipſum.* Luc. 4. 23. Tandem quod in fine poſuit, quia amplius quod adderet inuenire non potuit, *Neque vnquam aliquod ſcandalum mouebo, quod illius præſenti vel futuræ ſaluti contraria vel nociua eſſe poſſit,* ſicut dictatio eſt arti contraria, ita ſententia à ratione eſt aliena. Nam ſicut Apoſtolus dicit, *Dilectio proximi malum non operatur,* &, *Plenitudo legis eſt dilectio,* &, *Qui diligit, legem impleuit,* &, *ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur,* Rom. 13. 10. & 8. 9. ita omnia quæ mente inſana, quoniam caritate experte, ſcriptor iſte conſcripſit, in eo continentur quod dictum eſt, *Secundùm meum ſcire ac poſſe, iuxta miniſterium meum fidelis ero, ſicut Archiepiſcopus per rectum Imperatori fidelis eſſe debet.* Dominus dicit in Euangelio, *Ego autem dico vobis, Non iurare omninò, ſit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt,* Matt. 5. 34. id eſt vel à malo malè & incautè iurantis, vel à malo malè & ſine cauſa iurare cogentis, ſicut catholici doctores dicunt. Et Iacobus Apoſtolus dicit, *Ante omnia, fratres mei, Nolite iurare quodcumque iuramentum.* Iac. 5. 12. Et ſancti Patres Nicæni Concilij Epiſcopos qui perfidiæ Arrianæ conſenſerunt, & ſanctus Leo Papa ac Synodus Chalcedonenſis Epiſcopos qui Eutychianæ peruerſitati fauerant, & S. Gregorius Neſtorianos à Synodo Conſtantinopolitana abiectos profeſſione ac ſubſcriptione, vel ſola profeſſione, ſine iuramento alio recipere in ſuis ordinibus decreuerunt. Præſertim cùm canones ſacri decernant, vt ſi quis contra ſuam profeſſionem vel ſubſcriptionem venerit in aliquo, ipſe ſe honore priuabit. Et piæ memoriæ pater veſter ab Epiſcopis, qui vel voluntarij vel inuiti in ſua deiectione conſenſerunt, ſed nec ab ipſo Ebone, qui auctor & incentor ipſius deiectionis duntaxat inter Epiſcopos fuit, non aliud ſacramentum, niſi libellos profeſſionis à ſe ſubſcriptos, quos ego habeo requiſiuit. & à me, qui ante profeſſionem & ſubſcriptionem, & poſt profeſſionem ac ſubſcriptionem, profeſſa & ſubſcripta per tantos annos à iuuentute vſque ad hanc ſenectutem ſeruaui, nunc iuramentum aliud non debuiſſet requiri. Sed non mirum eſt, ſi per baiulos inuidiæ, quia ſicut ſcriptum eſt, *Mors introiuit in orbem terrarum,* Sap. 2. 24. ſine cauſa animus benignitatis veſtræ commotus nunc à me requirit, quod nec pater veſter in vita ſua, qui mihi per octo circiter annos ſecreta ſua indubitanter credidit, requiſiuit, nec vos per triginta & ſex annos hactenus requiſiſtis. cùm Dominus ad auctorem inuidiæ de fideli ſeruo ſuo Iob dixerit, *Commouiſti me aduerſus eum fruſtra.* Iob 2. 3. Et in paradiſo ad eum dixit, *Tu inſidiaberis calcaneo eius,* Gen. 3. 15. id eſt hominis. Videt enim meum calcaneum, id eſt finem proximum, & certat illud inſidiari, vt quod hactenus voluntariè ac ſincerè erga vos ſeruaui, ſi non poterit infidelitate, polleat illud rancore triſtitiæ. Quod Apoſtolus bene operantes in opere ſuo ſollicitè cauere

2.Cor.9.7. commonet dicens, *Vt non ex tristitia vel necessitate agant, quia hilarem*
2.Cor.2.11. *datorem diligit Deus.* Et item dicit, *Vt non circumueniamur à Satana.*
Luc.4.23. *Non enim ignoramus astutias eius.* Hoc enim quod modò sentio, mihi iam antè audiui promissum ab eis causa vindictæ, contra quos vobiscum egi certa ratione & sacra auctoritate. Sed scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex.





PARDVLI EPISCOPI LAVDVNENSIS ad Hincmarum Remensem.

Nunc primùm ex Codice sancti Remigij Remensis.



PATRI reuerentissimo Hincmaro Archiepiscopo Pardulus Episcopus in Domino salutem. Gloria in excelsis Deo, per quem mihi sanitatem vestram omnibus profuturam redditam gaudeo: sine qua nihil boni me habiturum sperabam, quia post Deum vos habeo in omni tribulatione certissimum adiutorem, & in omni necessitate piissimum & benignissimum consolatorem. Neque enim ab ea die qua vos hæc infirmitas tetigit, à corde meo excedere potuit habitus nostræ Synodi. sed neque qui simus in eadem præsidentes, aut considentes, quidve in ea proficere solemus, obliuisci potui. Vnde si contigisset mihi ceterísque fidelibus vestris, modò, quod Deus auertat, plus aliquid contrarietatis in hac vestra infirmitate, optabam me aut citò vos secuturum, aut nullatenus in aliquam Synodum vlteriùs ingressurum. Quapropter, si more solito vos despicitis, & corporis sanitatem vestrî causa minimè curatis, horum reminisci debetis, & redditam vobis per diuinam gratiam sanitatem studiosiùs custodire, & à cunctis quæ huic infirmitati contraria esse videntur penitus abstinere. à nimio scilicet ieiunio, & à pisciculis minutis, quibus libenter vesci soletis, ab omnibus quoque recentioribus cibis, ab his scilicet, qui eadem die, quando comedi debent, ab aquis leuantur. aut, si de volatilibus aut quadrupedibus cibus efficitur, eadem quando occiduntur die minimè sumantur. quæ oportet primùm exinterare, & diligenti cura sale humores exsiccare, & sic postea quemque, qui sanitatem habere cupit, salubriter sumere. Sed neque à lardo, siue quadupedibus abstinere, quoniam sine his stomachum difficilè quilibet poterit reparare. Abstineatur præterea ab omnibus quæ cruda comedi possunt, & ab ipso appio, quo sæpe vti so-

letis, donec vobis à Domino reddita sanitas plurimùm confirmetur, & sic ad siccos, & miseros, tardioresque monasticos cibos redeatur. In vltimo, antequam surgatur à mensa, faba purgatissima cum purissimo pingui ad mensuram decocta sumatur. quæ licèt secundùm philosophos sensum obtundere dicatur, tamen phlegmata & deponere & exsiccare creditur, & reliquum cibum quasi dormientem excitat, & iter ei quasi nescienti quo ab anfractibus & circumuolutionibus extorum egredi debeat, non sine sonitu docet. Et ideo plurimum ad continendam sanitatem, quasi hygia Græcorum, proficere non ignoratur. Vinum quoque non validissimum, neque debile, sed mediocre sumendum est: hoc est non de summitate montis, neque de profunditate vallium, sed quod in lateribus montium nascitur, sicut in Sparnaco in monte Ebonis, & in Calmiciaco ad Rubridum, & in Remis de Milfiaco atque Calmiciaco. Cetera autem, aut nimis fortia, aut valde debilia, & humores nutrientia esse videntur. De conlocutione verò mutua, de qua mandastis, plurimùm doleo quoniam his diebus nullatenus vobiscum me loqui posse spero, eo quòd ad asperiora loca infra Rigasium sita, equorum solatio maximè destitutus, vos visitare non possum, & ad quem locum planioris viæ vos vocare audeam, ignoro. Prout tamen citiùs Dominus posse dederit, vos vbicumque fueritis requiram, & vobiscum veluti cum Dei Angelo desiderantissimè & libentissimè loquar. Itineris autem nostri dispositio hæc est. XVII. Kalendas Ianuarias ad Virdunacum Domino miserante venire volumus, & ibi XVI. stare, XV. per viam iuxta montes Remorum quæ vocatur Barbaria ire, & per Iuncaracum siue Broilum transire, & ita ad Glannam, vnde in crastina montem ascendere speramus. Dominus vos ab omnibus aduersitatibus ereptum memoriam mei in orationibus vestris semper habere faciat, & faciem vestram prosperè videre citissimè mihi concedat.



FRAGMENTA EPISTOLARVM.

I.

AD CAROLVM CALVVM REGEM.

Quales iudices constituere debeat ad causas inter Ecclesiasticos & sæculares dirimendas.

REGIA igitur sollicitudo, à rege regum & æquissimo iudice Deo vt in directione cordis iudicium iudicet constituta, prouidè sollicitéque studere debet, vt tales iudices cum Episcopis ad causam inter Ecclesiasticos & sæculares dirimendam eligat & constituat, qui religiosi sint & Deum timeant, & non muneris præmio, non fauoris vel propinquitatis aut amicitiæ gratia, non indebitæ subiectionis obsequio, non alterius partis odio, personam accipiant in iudicio, sed absque contentione ac liuore, sicut ipsa veritas dicit, non se-

cundùm faciem, sed iustum iudicium iudicent: & hoc non in publico iudicij loco, sed in priuato, quia Episcopi, non in consistorio regum, non in prætorio iudicum, nec nisi ab Episcopis, aut in Synodo, aut in priuato loco, à primatibus deputatorum aut à se electorum iudicum iudicio debent aut possunt regulariter iudicari. Et prætaxato modo supradictas leges, tam publicas quàm Ecclesiasticas, in suis temporibus seruari decreuisse didicimus antiquos Imperatores & prædecessores ac progenitores vestros Episcopis & viris Ecclesiasticis, & nobis vestra dilectissima & benignissima dominatio seruaturam se & verbo & subscriptione promisit in Carisiaco, vbi hoc Capitulum consultu ac consilio fidelium vestrorum, tam Episcoporum quàm & laicorum condidistis, & ei subscripsistis dicentes, Quantum sciero & rationabiliter potuero, Domino adiuuante, vnumquemque vestrûm, secundùm suum ordinem & personam, honorabo & saluabo, & honoratum ac saluatum absque vllo dolo & damnatione vel deceptione conseruabo. Et vnicuique competentem legem & iustitiam conseruabo. & qui illam necesse habuerit, & rationabiliter petierit, rationabilem misericordiam exhibebo, sicut fidelis rex suos fideles per rectum honorare & saluare, & vnicuique competentem legem & iustitiam in vnoquoque ordine conseruare, & indigentibus & rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere. Et pro nullo homine ad hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per studium aut maliuolentiam, vel alicuius indebitum hortamentum deuiabo, quantum mihi Deus intellectum & possibilitatem donauerit. Et si per fragilitatem contra hoc mihi subreptum fuerit, cùm hoc recognouero, voluntariè illud emendare curabo. Nos autem fideles vestri, Episcopi & ceteri laicalis ordinis qui adfuerunt, hoc Capitulum, & vobiscum condidimus, & ei subscripsimus vnusquisque profitendo, Quantum sciero & potuero, Domino adiuuante, absque vlla dolositate, aut seductione, & consilio & auxilio, secundùm meum ministerium, & secundùm meam personam fidelis vobis adiutor ero, vt illam potestatem, quam in regio nomine & regno vobis Deus concessit, ad ipsius voluntatem, & ad vestram ac fidelium vestrorum saluationem, cum debito honore & vigore tenere & gubernare possitis.

II.

AD LVDOVICVM REGEM Germaniæ, pro Bertulfo Treuirensi Archiepiscopo.

Flodoardus lib. III. cap. XX.

PROINDE sicut non leue discrimen incumbit Pontificibus siluisse pro diuinitatis cultu quod congruit, ita regiæ potestati, quod absit, non mediocre periculum est, si cùm debeat parere refugit quod ei ex diuina voce à sacerdotibus nuntiatur, Domino dicente in Euangelio, *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Si autem vobis aliquis minùs deuotus suggessit, quòd in eadem Metropoli, in contemptu vestro, vel contra fidelitatem vestram, Metropolitanum Pontificem ordinari fecimus: quin potiùs consensu vnanimitatis nostræ ipsi secundùm sacros canones ordinauimus, quia, vt scriptum est, sicut Deus loci angustia non continetur, ita verbum eius non est alligatum, collaudante Redemptore ac Saluatore nostro, quod Centurio in hoc sensu dixerat, *Dic verbo, & sanabitur puer meus*, videlicet quod hîc dixeris, illic fiet. Qui in discipulis suis hodiéque nobis licèt indignis loquitur, Spiritus patris vestri loquitur in vobis, qui replet orbem terrarum. Nolite credere, quæsumus, praua suadenti: quia pro certo sciatis, non in contemptu vestro, neque contra fidelitatem vestram, in eadem Metropoli sede Pontificem ordinauimus: sed perpendentes, quod & vos meliùs scitis, quanta & per quanta tempora ipsa Ecclesia desolata & destituta sit, & quanta contra Dei voluntatem, non solùm in eadem parochia, sed & in tota prouincia ad eam pertinente, increuerint, cùm nihil canonicè sine Primate suffraganei Episcopi agere valeant, nisi quod ad

Matt 8. 8.

proprias parochias pertinet, ibidem commoditatem regularem inuenientes canonicè Pontificem ordinauimus: quod & secundùm diuinas leges agere possent atque deberent ipsius Metropolis suffraganei, si tanti numeri forent, vt per se regulariter possent ordinare Pontificem, qui non minùs quàm à tribus præualet regulariter ordinari. *Prosequitur etiam, depromens auctoritates sanctorum patrum, quibus fulti hoc egerant. & subinde*, Et quia tot in eadem prouincia suffraganei non erant Episcopi, vt Metropolitanum regulariter ordinare valerent, quoniam Ecclesiæ Remensis & Treuerensis comprouinciales atque sorores, & ex auctoritate & ex antiqua consuetudine habentur, ea conditione, vt qui prior eorum fuerit Episcopus ordinatus, prior etiam habeatur in Synodo, & sibi mutuo consilio & auxilio foueantur, atque fulciantur, Treuerensis prouinciæ Episcopi à primate prouinciæ Remorum solatium suæ ordinationis secundùm sacras regulas quæsierunt, sicut sancti Sardicenses canones dicunt, scilicet vt si contigerit in
Cap.v. vna prouincia, in qua plurimi fuerunt Episcopi, vnum fortè remanere Episcopum, & populi conuenerint, Episcopos vicinæ prouinciæ debere illum priùs conuenire Episcopum, qui in ea prouincia moratur, & ostendere quòd populi petant sibi rectorem, & hoc iustum esse, vt & ipsi veniant, & cum ipso ordinent Episcopum. Quòd si conuentus litteris tacuerit & dissimulauerit, nihilque rescripserit, satisfaciendum esse populis, vt veniant ex vicina prouincia Episcopi, & ordinent Episcopum.] Ex quibus ritè colligitur, quia si prouincia Treuerensis non nisi vnum vel nullum haberet Episcopum, Episcopi Remensis prouinciæ petenti clero & populo Treuerensis Ecclesiæ deberent ordinare Episcopum. Cui Ecclesiæ omnes nos, quorum nomina præscripta in capite huius epistolæ legit gloria vestra, vnanimi voto atque consensu, fratrem & consacerdotem nostrum Bertulfum, vt præmisimus, regulariter pontificem ordinauimus, sicut ex sacris regulis & ordinationis eius gestis ostendere possumus, & si necesse fuerit, ostendemus. Quapropter ipsius ordinationem, & dispositionem rerum ac facultatum Ecclesiasticarum, sicut sacri præfigunt canones, ita defendimus, & perpetuò defendemus, sicut & ordinem nostrum, quia si ipse non est Episcopus, nec nos debemus nominari Episcopi. Et si quis voluerit contra ordinationem eius sinistri quippiam dicere, exeat & dicat, verumtamen memor communionis suæ. quia aut ipse non communicabit Ecclesiastico & Episcopali ordini, aut nos non communicabimus ministerio Episcopali. Vnde verbis beati Leonis Theodosium Augustum quondam alloquentis, Vos, Christianissime & venerabilis nobísque carissime Rex, cum consacerdotibus nostris alloquimur: Implentes reuerentiam clementiæ vestræ sinceri amoris officio, cupientésque vos placere per omnia Deo, cui pro vobis à nobis & ab Ecclesiis nobis commissis supplicatur, ne ante tribunal Domini rei de silentio iudicemur, obsecramus coram vnius deitatis inseparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cùm ipsa vestri sit custos & auctor regni, & coram sanctis Angelis Christi, vt in eo statu & immunitate seu priuilegio cum suo Pontifice Treuerensem Ecclesiam esse iubeatis, atque conseruetis, quo vestri progenitores atque prædecessores, sed & in quo frater ac nepos vester Lotharius, pater scilicet ac filius, canonicè conseruauerunt: quatinus & vos meritum inde apud Deum, & beatum Apostolorum principem Petrum, in cuius honore Ecclesia ipsa est consecrata, habeatis, & nos ampliùs debitores in orationibus & ceteris debitis obsequiis acquiratis. quia nisi pro vestra reuerentia hoc differremus, iam in peruasorem ipsius Ecclesiæ iudicium in terris exertum haberemus, quod sexcenti & triginta Episcopi in magna Chalcedonensi Synodo de huiusmodi decreuerunt, & de cælo super eum intentant, & in iudicio diuino ad æternam damnationem exerent, nisi dignam pœnitentiam egerit. *& cetera de auctoritatibus sacrorum canonum. Post quæ subiungitur*, Vnde vestra religiosa & nobis carissima dominatio certissimè sciat, quia quandiu iste frater noster

Bertulfus à nobis in Treuerensi Ecclesia ordinatus Episcopus in hoc mortali corpore vixerit, alter in eadem Ecclesia ordinatus Episcopus non erit: nisi fortè ipse, quod absit, sacris regulis obuians, per easdem sacras regulas deponatur: & isdem præsumptor & apostata monachus Walto de monasterio Treuerensis parochiæ, nũquam, iam iudicio Spiritus sancti super eum prolato, in Treuerensi Ecclesia, quam exitiabiliter vsurpauit & læsit, poterit esse Episcopus. Et si, vt diximus, pro vestra reuerentia hoc non differremus, non solùm per sacros canones decerneremus, vt nunquam & nusquam ad gradus Ecclesiasticos præsumeret accedere, verùm sub anathemate eum ponentes, retrudi in ergastulo secundùm sacras regulas decerneremus: & si in contumacia sua perstiterit, sine vlla retractatione modis omnibus decernemus. A præfatis autem intentationibus sacrorum canonum vos immunem atque exortem à Domino, per quem reges regnant, & ex quo & per quem exordium sacer cepit Episcopatus, fieri totis nisibus exoramus, illius clementiam deprecantes, vt det vobis velle & perficere pro bona voluntate quæ præcipit, quatinus mereamini percipere æterna gaudia, quæ se diligentibus repromittit.

III.

WILIGISO ET CETERIS MONACHIS S. DIONYSII.

Quòd pretium pro decima quæri non debeat.

Flodoardus lib. III. cap. XXV.

ABSIT, fratres, vt alij Ecclesiastici & religiosi viri hoc audiant, quia monachi de monasterio Sancti Dionysij decimam vendere quærunt, vt de ipso pretio infernum comparent. multò magis autem absit, vt hoc laici audiant, quod nemo etiam peccatis publicis implicatus in mea parochia facere audet. Si enim aliquis de alio monasterio quàm de nostro hoc tentare, quanto magis facere præsumeret, ab omni communione illum de parochia mea excommunicarem, & cetera.

IV.

TEVDVLFO COMITI, *qui Ecclesiam quandam pretio vendere parabat.*

Flodoard. lib. III. cap. XXVI.

PROPTEREA scias, quia si vel vnum denarium tibi aliquis clericus pro ipsa Ecclesia, vel pro alia aliqua in mea parochia, per se aut per immissam personam dederit, per me ordinatus in ea non erit. Si autem vis ibi habere presbyterum, adduc mihi talem clericum, qui aptus sit sacro ministerio, & ego illum inquiram, & illi Ecclesiam dabo, & tunc illum ordinabo, si mihi satisfactionem fecerit, quòd nullum pretium inde donauerit. Et si tu ita facere non volueris, ego ordinabo qualiter populus ibi officium habeat, vsque dum ibi ordinem presbyterum. Cui si aliquod impedimentum contra diuinas & humanas leges feceris, & manifestum fuerit, presbyter ibi permanebit, & tu & omnes qui tibi consenserint, ab omni Christianitate vsque ad satisfactionem eritis separati. Hæc, care fili, ideo mando tibi, & taliter commoneo, quia saluum & honoratum te cupio, & inter filios Ecclesiæ te in loco filij habere volo. & si me coegeris, vt sicut Dominus dicit in Euangelio, sis velut ethnicus & publicanus, non mihi sed tibi reputare debebis. Postquam istas litteras dictaui, dictum est mihi, quòd matricularios à ministro meo constitutos de illa matricula eiecisti, & ibi Bonarium misisti, & pro illa matricula in pretio vnum asinum accepisti. Quod si ita est, non solùm criminaliter fecisti, quia contra omnes leges Ecclesiasticum ministerium homo laicus vsurpasti, & eleemosynam, id est, misericordiam pauperum, ac per hoc Deum, qui misericordia miserorum est, sicut Iudas proditor vendidisti: sed etiam turpiter in hoc nimis fecisti, vt de mendicitate, de qua mendici viuere debent, Comes & honoratus regis consiliarius in pretio

asinum accepisti, & omnes qui hæc audiunt, pensare possunt qualiter de aliis causis pro amore & timore Dei, & reuerentia tui ministerij, iustè & rectè facis, qui de tali miseria sine vlla verecundia turpe lucrum requiris.

V.

IRMINGARDI AVGVSTÆ coniugi Lotharij Imp.

Flodoard. lib. III. cap. XXVII.

De eo quòd apud Lotharium falsò accusatus fuerat infidelitatis.

EGO scio quia ei multa de me dicta fuerunt contraria: sed si vult poterit cognoscere non esse vera. tamen non eum audeo reprehendere, quia dominus est, nec in eius persona dico, sicut legitur in scripturis, *Qui libenter audit verba mendacij, ministros quoque habebit impios.* videlicet qui de erga eum piis voluntariè loquentur impia. Qui illi ea dixit ex mea parte quæ mihi mandastis, aliter quàm verum sit dixit, malè autem interpretatus est bene dicta. Si voluisset cognoscere verum, & aliquis missus mihi de sua parte veniret, vt vera ex me cognosceret, sicut venit & me qualemcumque Christi Domini sacerdotem suggillauit, libentissimè suo animo satisfacerem. De meo autem misso, sicut dominatio benignissima vestra mandauit, vt ad eum dirigam qui ei hoc affirmet, quòd de eius infidelitate nihil velim tractare, scitis quanta mendacia nunc per istud vadunt sæculum, & quanta sinceritas debeat esse in sacerdote, & quantam merito domno meo velim seruare fidelitatem. Et idcirco ne mali interpretes malè bonum interpretentur, hoc adhuc facere non possum. Tamen, si vult credere domnus meus Lotharius, potest veraciter cognoscere, quia non tantùm illi, sed nulli homini in mundo sum infidelis. & si vult credere, credat: sin autem, cùm ille inter principes, & ego inter Episcopos, ante regem regum & Episcopum Episcoporum venerimus, tunc quid inde verum sit, plenissimè sine alicuius iudicatione cognoscet, &c.

Prou.29.12.

VI.

ROTRVDI ET CETERIS sororibus monasterij S. Crucis & S. Radegundis.

Pro electione abbatissæ ipsius monasterij.

Flodoard. lib. III. cap. XXVII.

PROPTEREA diligite sorores ante omnia, & in priuatis collocutionibus, & in publico vestro conuentu, remittite & abicite funditus à cordibus vestris omnes iniurias, & scandalorum fomites, quæ hactenus inter vos ortæ fuerunt, vt nulla de sorore sua vindictam, aut pro sermone, aut pro facto, vel pro aliquo despectu quærat, aut à Deo, aut in sæculo. Quia sicut Dominus protestatur, sine concordia quicquid ei obtuleritis non illi placebit. Siue enim oraueritis, siue sacrificium obtuleritis, siue vos afflixeritis, sine hac caritatis concordia nihil Deo placabile erit, quia sicut Apostolus dicit, Etiamsi tradidero corpus meum vt ardeat, caritatem non habeam, nihil sum. Et scitis, quia Regula quam professæ estis, propter scandalorum spinas, quæ oriri in monasterio solent, orationem Dominicam in matutinis & vespertinis officiis, ita vt omnes illam audiant, à Priore orari præcepit, vt timentes conuenientiam qua dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, omnem rancorem de corde nostro pellamus. Quæ dum priùs egeritis, ne per vestram discordiam, quod absit, regularis electio de vestro monasterio pereat, adunate vos ad Dei voluntatem, & regularis deuotionis vnanimitatem, vestrámque ipsam salutem, præsentem scilicet atque æternam, cum caritatis concordia, quæ est omnium virtutum mater, & cum humilitate, quæ est custos ipsarum virtutum, atque cum vera obedientia, quæ scala est qua ad cælum pertingitur, & in vobis salubri electione concordate, & vosmetipsas ad regularem normam reducite, & constringite ac conseruate: quia aliter, sicut me-

1.Cor.13.3.

liùs ipsæ scitis, saluæ esse nequaquam valetis. Et sicut animós ab inquietis motibus, ita & linguas à prouocatiuis iracundiæ, vobísque nociuis sermonibus custodite, contestante Apostolo, Omnis clamor & indignatio à vobis auferatur, cum omni malitia, & omnis sermo malus ex ore vestro non procedat: ne sicut solent homines, priùs dolore commoti, & postea aliquo gaudio, quasi victoriosi obtinentes quæ desiderauerant, exhilarati, de quocumque homine quæ non conueniunt aliqua vestrûm dicat: ne & patientiæ meritum inutilibus sermonibus coram Deo perdatis. & si aliquis fuerit, qui aliqua prouocatione quamcumque vestrûm ad hoc instigare voluerit, vt quæcumque indebita de quocumque proferat, qualiter illam comprehendere possit, vt rationabiliter damnare præualeat, locum nec diabolus nec astutus homo exinde aliquo modo habeat. Sed tales vos exhibete, vt interiùs exteriúsque decenter ornatæ, dignas atque exaudibiles orationes & pro vobis, & pro seniore ac domina vestra, próque non solùm amicis vestris, verùm etiam & pro inimicis ad aures Domini mittere valeatis.

Ephes. 4. 31.

VII.

EX FERCVLO SALOMONIS.

FLODOARDVS *lib. III. cap. XV. libros enumerans quos Hincmarus composuit*, Scripsit, *inquit*, & ad regem Carolum opus quoddam egregium metricè, de Gratia & Prædestinatione Dei, de Sacramentis quoque corporis & sanguinis Christi, & de videndo Deo, atque origine animæ, simul ac de fide sanctæ Trinitatis, quod opus appellauit Ferculum Salomonis. *Quo ex opere duodenos versus profert Durandus abbas in libro de corpore & sanguine Domini contra Berengarium his verbis.*

Præterea Hincmarus Præsul in illa descriptione quam versificè ád regem Carolum edidit, quámque Ferculum Salomonis vocari instituit, de veritate tanti sacramenti ceteros secutus patres, ita ait,

Agnus lux mundi proprio nos corpore pascens,
In nobis maneat, mansio nostra fiet,
Agnus fons vitæ proprio nos sanguine potans,
Semper more suo debriet atque regat.
Hic Deus omnipotens, per quem pater omnia fecit,
Naturas rerum mutat vt ipse volet.
Hic cruce nostra creat propriis & munera verbis
Fitque caro & sanguis pane liquore suus.
In cruce nam corpus fixum est, sanguis quoque fusus
Christi, quem in cœna iam dedit antè suis,
Cùm nos indigni hæc memoramus iussa, redemptor
Emptorum pretium munera nostra facit.

Et in Epicolumniis ita ait,] *Sacrificium corporis & sanguinis Christi Domini de pane & vino aqua mixto ineffabili sanctificatione, cruce & verbis ipsius consignatur, & verum ac proprium corpus ipsius Domini nostri Iesu Christi & sanguis eius verus ac proprius efficiuntur, sicut ipse protestatus est*, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.

INDEX

INDEX.

M

N

O

P

R

S

FINIS.



SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAVTVM est auctoritate Regis, ne quis in regno suo, aliisve locis suæ ditioni subiectis intra decem annos proximos, *Hincmari Archiepiscopi Remensis Opera in duos Tomos digesta, cura & studio* IACOBI SIRMONDI *Societatis* IESV *presbyteri*, absque Sebastiani Cramoisy Architypographi Regis & Reginæ regentis permissu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium. qui secùs fecerit mulcta indicta, prout ampliùs in diplomate regio continetur, mulctabitur. Datum Parisiis die 5. Septembris 1645.

Sic signatum, De mandato Regis, CRAMOISY.

